Geogr. univ. 257.

Oldenburgens

THESAVRI RERVMPVBLICARVM PARS SECVNDA,

Continens IMPERIVM MOSCOVITICVM, REGNA POLONIÆ, SVECIÆ, DANIÆ, GALLIÆ, ANGLIÆ, SCOTIÆ, HYBERNIÆ; REMPVBLICAM ROMANAM PONTIFICIS, PRINCIPATVS ITALIÆ, & RESPVBLICAS LIBERAS.

Provid. V. P. Bertrandy E R faber. Guardiang.

PHILIPPVM ANDREAM Oldenburger

Pro Convent. IC. & PROFESSOREM. Passav.

FFrm. Min. Recoll. ad S. A. ... cordinam.



COLONIÆ ALLOBROGVM,
Apud SAMVELEM DE TOVRNES.

M. DC. LXXV.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

SERENISSIMIS ac CELSISSIMIS

PRINCIPIBUS & DOMINIS

DN. FRIDERICO,
DN. ALBERTO,
DN. BERNHARDO,
DN. HENRICO,
DN. CHRISTIANO,
DN. ERNESTO,
DN. IOHANNI ERNESTO

FRATRIBUS GERMANIS, DUCIBUS SAXONIÆ, IULIÆ, CLIVIÆ & MONTIUM: LANDGRAVIIS THURINGIÆ: MARCHIONIBUS MISNIÆ: PRINCIPIBUS HENNEBERGIÆ: COMITIBUS *in* MARCA, & RAVENSBURG: DYNASTIS *in* RAVENSTEIN, &c.

DOMINIS
DN. AVGVST. FRIDERICO,
DN. AVGVST. WILHELMO,
DN. LVDOVIC. RVDOLPHO
FRATRIBVS GERMANIS,
DVCIBVS BRVNSVICENSIVM
& LYNEBVRGENSIVM &c.

DOMINIS
DN. GEORGIO LVDOVICO
DN. FRIDERICO AVGVSTO
DN. MAXIMILIAN. WILHELMO
FRATRIBVS GERMANIS,
DVCIBVS BRVNSVICENSIVM
& LYNEBVRGENSIVM &c.

DOMI-

DOMINIS

DN. PHILIPPO,
DN. GEORGIO,

FRATRIBVS GERMANIS, LANDGRAVIIS HASSIÆ; PRINCIPIBVS HERSFELDIÆ; COMITIBVS CATTIMELIBOCI DECIÆ, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ, SCHAVMBVRGI *&c.*

DN. CAROLO WILHELMO

PRINCIPI *in* ANHALT: COMITI *in* ASCANIEN; DOMINO *in* ZERBST, BERNBVRG, IEVERN *&* KNIPHAVSEN *&c.*

DN. CHRISTIAN. EBERHARDO

PRINCIPI FRISIÆ ORIENTALIS, DOMINO *in* ESENS, ST DESDORF *&* WITMVND *&c*

PRINCIPIBVS *ac* DOMINIS meis CLEMENTISSIMIS.

DOMINO

DETLOVIO,

SACRI ROMANI IMPERII COMITI *de* RANZAV, DYNASTÆ *in* BREITENBVRG *&* BAMSTETTE *&c.* SERENISSIMI *ac* POTENTISSIMI DANIÆ REGIS *in* HOLSATIA REGIA PROREGI SANCTIORI CONSILIARIO *&* COLONELLO:

DN. PETRO,

COMITI *de* GRIFFENFELD, S. R. M. DANICÆ EQVITI AVRATO, REGNI CANCELLARIO, SANCTIORIS CANCELLARIÆ CONSILIARIO, SVPREMO STATVS *&* AVLÆ MINISTRO PRÆFECTO in Tonsberg/ COLLEGII STATVS *&* SVPREMI IVDICII ASSESSORI.

DN.

DN. CHRISTIANO

COMITI *de* RANZOW, DOMINO *de* BOLLERVP S. REGIÆ MAIESTATIS DANICÆ SACRI CVBICVLI PRÆFECTO, *& nuper ad* CHRISTIANISSIMVM GALLIÆ REGEM LEGATO.

COMITIBVS *ac* DOMINIS meis GRATIOSISSIMIS

Hanc Secundam *Thesauri Rerumpublicarum* PARTEM *devotissima & humillima mente, pio obsequio, cum apprecatione perennis felicitatis, dat, dicat & consecrat*

TANTORVM PRINCIPVM, COMITVM *ac* DOMINORVM,

Humillimus & Devotissimus Servus
Philippus Andreas Oldenburger.

INDEX

INDEX
TITVLORVM QVI IN PARTE II. Thesauri Rerumpp. continentur.

Tit. I. De IMPERIO MOSCOVITICO. *Pagina* 1.

II. REGNO POLONIÆ. 51

III. REGNO SVECIÆ. 185

IV REGNO DANIÆ. 247

V. REGNO GALLIÆ. 302

VI. REGNO ANGLIÆ. 551

VII. REGNO SCOTIÆ. 535

VIII. REGNO HIBERNIÆ. 577

IX. REPVBL. ROMANA PONTIFICIS. 809

X. PRINCIPATIBVS & nonnullis REBVSPVBLICIS ITALIÆ. 851

THESAV-

THESAVRI RERVMPVBLICARVM PARS SECVNDA.

TITVLVS PRIMVS. De MOSCOVITICO IMPERIO.

TEXTVS CONRINGII.

I. DVO de hac Republica ſcripta edita in Batavis ex officinis Meerianis & Elzevirianis. Antiquitatem illius perſcrutari non eſt opus, quippe quæ ante 200. annos in exiguo erat pretio, immane verò quantùm intra paucos annos crevit. Appellatur populus Ruſſicus: Sunt qui à Meſech nomen Moſcorum derivare conantur, ſed eſt novum, & derivatum ab Vrbe Moſcuâ per 200. annos quæ ſedem præbuit. Alii putant,

Scriptores rerum Moſcoviticarum.

Moſcorū nomen unde; item Ruſſorum.

tant, qui dicuntur aliàs Roxolani esse Russos, ast falsò.

Russorum nomen quando innotuerit.

III. Circa ann. 900. reperire est in monumentis nonnullis, Russorum nomen; & quidem Dithmarus Episcopus Mersburgensis sub seculi 10. fin. & initium seculi XI. in suo Chronico illorum meminit; tunc enim dederunt nomen religioni Christianæ. Eodem tempore & Græcis innotuere, quod non tantùm cæperint ita propiores esse Constantinopolitanis, sed quod ad sacra totius Græcanicæ Ecclesiæ adducti fuerint. Pòst mentio fit illorum, sed raro, & Seculo XIII. Adamus Bremensis eorum meminit, & quidem magnum illorum Ducem nupsisse cuidam Principi Germanicæ: Idem nomine Græciæ appellat Russiam, quod Sacra Græcanicæ Ecclesiæ acceperint.

Livonorum progressus in Russiâ.

IV. Ex eo tempore nihil plenè legere est de Russis: Interim viciniores nostris facti circa Livoniam: Sed ante 200. annos mutata res eorum, & adeò feliciter est pugnatum à Livonis contra illos, ut cæsi eorum fuerint 50000. & induciæ 50. ann. pactæ. Plettembergius erat Livonum Dux. Demum ab Anno 1550. exspiratis induciis, cæptum bellum Livonicum; agitarunt enim totam Livoniam occupare.

Germanici scriptores rerum Moscoviticarum. Herberstein.

V. Polonicis verò Scriptoribus magis innotuerunt, qui tamen vix habent annales ultra 200. annos. Ex Germanis verò Sigismundus, Liber Baro ab Herbestein, vir doctissimus & missus legatus ab Imperatore, Rudolpho II. tempore belli Livonici qui edidit elegantem commentarium de

rebus

rebus Moscorum, & miror in libro Batavico de Moscoviæ Rep. non esse aliquid excerptum ex eo, cum plura inde, peti potuissent; usui verò vobis potest esse historia ejus ad res Moscoviticas cognoscendas. Inter illos verò, qui bellum Livonicum descripsere, eminet *Paulus Oderbornus*, qui immanissimi Tyranni Basiloviz vitam descripsit; addatur Chyſtræi Saxonia; Maximè verò ex Polonicis Scriptoribus multa peti possunt: Intra 100. enim annos maxima bella iis cum Polonis fuerunt, quin & ex Suecis, quorum Scriptores itidem quid habent de Russis: *Iohannes Boterus* insuper non indoctam nobis relationem reliquit de Repub. Moscov. qualis ea fuit sub finem seculi superioris. Ex quo tempore multùm mutata est. Præclaram etiam laudem inter Italos meretur *Antonius Possevinus* Iesuita doctus, missus legatus ad magnum Ducem Moscoviæ, ut sacra susciperet Romana, sed irrito conatu.

Oderbornus. *Boterus.* *Possevinus.*

VI. Nunc aggredienda ipsa Respublica, dicturi de Reip. causa materiali. Pertinent ad Regnum Poloniæ, & magnum Ducatum Lituaniæ, quæ olim fuerunt sub uno Dominio. A Polonis ea portio dicitur Russia rubra, quæ ad Poloniam spectat: quæ verò ad Lituaniam, dicitur illis *Russia alba*, quæ verò Moscis paret, illa dicitur *Russia nigra*. In Cluverio hoc non est ita observatum; Moscorum enim Russiam albam vocat. Poloni tamen in hac parte sequendi. Nobilissima verò pars Regni Poloniæ inter Vistulam & Borysthenem est pars Russiæ albæ, quin & Lituaniæ pars nonnulla eadem utitur linguâ & Religione cum reliquis Moscis. videatur hic descriptio

Causa materialis Reipubl. Moscoviæ. *Russiæ divisio.*

Poloniæ edita à Simone Starovolſcio.

Mappæ Geographicæ de Moſcovia. VII. Agam verò nunc de Ruſſiâ, quæ propriè nunc eſt ſub Magno Duce Moſcoviæ. Tabula verò inter Bunonis tabellas eſt ſub titulo: Ruſſia & Tartaria Europæa, ſeu Scythia Europæa. In Batavis inſignes aliæ editæ tabellæ à Heſclo Gerardo, dein ab Iſaaco Maſſa, cujus optimam ego eſſe puto.

Limites Moſcoviæ. VIII. Limites habet à Septentrione Oceanum ſeptentrionalem, ab Auſtro 1. Mare Caſpium, 2. Tartaros Nagaios verſus Occidentem, ſeu Nagiſcos. 3. Tartaros Crimæos; ab Oriente ſunt penè incerti limites. Verſus Septentrionem habet fluvium Obium; ab Occidente verſus auſtrum fluvium Boryſthenem den Nieper; Niſi quod hiſce proximis annis termini fuerint converſi: in Ducatu enim Severinenſi habitaverunt quidem Poloni, ſed nunc excurrunt limites Imperii Moſcovitici ultra Boryſthenem: Hac parte controverſiam habet cum Magno Ducatu Lituaniæ. Ante hoc bellum limes fuit Borythenes ad *Smolensko*, quæ Vrbs in manibus Magni Ducis eſt; occupavit etiam Metropolim Lituaniæ *Vilnam*, quæ nuper demum recuperata eſt; uſque adeò effudit ſe vis Moſcovitica. Verſus Septentrionem habet etiam vicinum Regnum Sueciæ circa Livoniam, quam nuper conatus eſt ſubjicere: res verò tandem inter Moſcum & Suecum compoſitæ, ut Livonia integra ceſſerit Suecis, occupatis tantùm illi arcibus, [add. *Duneburg & Kokenhauſen*] quæ antè hoc bellum Polonicum in manibus Polonorum fuerunt: quæ verò occupata erant à Suecis, ea ceſſerunt Regno Sueciæ. Ante annos 50. terminus

Smolenſko Vilna.

Sueci Moſchis ſunt formidabiles.

terminus Livoniæ erat, Narva fluvius, dividens duas vrbes Narvæ, Russiæ, & Livoniæ circa ostium; sed prævaluit Suecia, quæ miserrimè afflixit ante annos 80. Moscoviam, occupata Novogardia [add. *De huius urbis superbia notum est dicterium:* Wer Kan wieder Gott und Groß Naugard] & pace facta insignem illam partem omnem (quæ adiacet mari Baltico & Ladagæ Lacui dicitur hodie Ingria seu Ingermañlandt) Sueci acceperunt. Ferali hoc bello Moschi ausi fuerunt quicquam recuperare Ingriæ, ideò quod incolę alieni sint à Russis, adoptati in Sacra Lutherana, & sic Lodogaicus lacus est pro limite Russię; Felicissimè autem Sueci contra Russos pugnarũt, Careliam etiam acceperunt, quæ tota etiam fuit Russiæ provincia. Versus Septentrionem sunt limites incerti, propter vastitatem regionis, nemo enim ibi vivit, pars verò melior Lapponiæ paret Magno Duci Moscov.

Sueci Ingriam & Careliam Russis eripiunt.

IX. Hostem igitur à Septentrione nullum habet, ab Oriente minus potentem hostem: imbecilles enim sunt illi Tartari; à mari enim Caspio nullum est periculum, neque Nagaii Tartari sunt adeò potentes; plus verò imminet periculi à Tartaris Crimæis, contra quos tamen est tutus, cæsis ingentibus sylvis, adeóque impedita via. Maximæ ei res sunt cum Polonis & Suecis, & hinc damnum passus sæpè numero, nullis sanè populis magis infestus.

Quos metuat Moschus.

X. Tenet verò vastissimas terras, inque illis magnos fluvios *Borysthenem* seu Nieper / cujus insignis extat Mappa, & maximum totius Europę

Borysthenes & Wolga Duna, Tanais obius fluvii.

 fluvium

fluvium *VVolgam*; *Dunam* quoque, quæ prope Rigam in mare se exonerat cujus beneficio Livoni cum Russis exercent commercia; item Tanaim propè *Archangel*, per quem habent commercia cum illis, qui migrant ad mare Hyperboreum, Anglis, Batavis, & aliis; item *Obium*: quamvis verò hic sit amplissimus fluvius, nihil tamen prodest ob defectum commerciorum.

Archangel.

XI. Nunc ad terram ipsam, quæ diversa est ratione situs; potissima verò pars tam vasti Imperii est inculta, maximè verò incolitur ea, quæ est versus Sueciam & Poloniam, & circa Tanaim fluvium; præcipuè enim ibi sunt pagorum omnia plena. Ratione cœli magna quoque est differentia, & intentissimum frigus pars illa, quæ versus Septentrionem, habet: Tempore verò verno & æstivali sic satis omnia sunt læta, quia dies ibi sunt longissimi: quia quod propior est Soli, eo habet dies longiores, ut in nonnullis locis Sol vix occidat: hinc fructus æstivales tantùm colligunt, autumnales verò ignorant: Inter Autumnum enim & hyemem penè nullum est discrimen.

Terra Moscoviticæ qualitas.

Aeris qualitas.

In Moscovia nulli fructus autumnales.

XII. Ferax tamen sic satis est, & olim frumentum tantum ad sufficientiam tulit: sed antè annos 30. tantum ibi satum frumenti in Septentrionali Russia, ut alere hodie queat magnam Europæ partem. Ego cum viverem in Batavis, datum est hoc consilium Russo à Batavis, ut curaret per subditos suos, qui servi sunt, colere terram; ex quo tempore creverunt commercia magno cum detrimento Maris Balthici; melius tamen est frumentum Prussicum; interim viliori pretio potest parari Russicum: Occasio rei fuit immanitas vectigalium,

Fertilitas Moscoviæ.

Frumenti copia qua occasione orta.

Crescentibus vectigalibus decrescunt commercia.

vectigalium, quibus pressit portus maris Balthici Gustavus Adolphus anno Christi 1629. Hinc quia interest Batavorum quæsierunt alia loca. [add. *Notetur hinc quantum detrimenti accipiant commercia si vectigalia nimium augeantur.*] In Samojeda tamen ignoratur frumentum, & panis ex corticibus nonnullarum arborum, aut ex piscibus siccatis conficitur.

XIII. Metalla non fert præter ferrum, sed in parca copia: Forsan latet aurum & argentum, ignoratur verò: nemo enim est qui excolit. (In montibus enim Suecicis versus septentrionem reperiuntur illæ divitiæ) sed Germani illud aliunde, quantùm sufficere potest, petere possunt. Contrà ingens copia ex Moscovia defertur lapidis specularis, Marien glaß/ quod facit ad divitias congerendas, non verò ad usum humanum.

Quæ metalla sint in Moscovia.

Marienglaß.

XIV. Omnis generis armentorum copia ibi reperitur ultra quàm opus est, quia in campis aliis incultis pasci possunt. Hac de causa, licet non boves interim tamen magna copia coriorum inde & pellium bubulorum evehitur, ut & auctor ille, qui edidit Remp. Mosc. p. 61. notat, quod quotannis ad 100000. pellium fuerint evecta, & exportata, quæ est ratio quod, durante bello Moscovitico, calcei apud nos soleant majori pretio emi. Habet etiam equos, quantum satis est, qui tamen non solent esse in magno pretio, quare non ita care æstimantur, uti Turcici & Polonici. Militia tamen Russica per magnam partem est equestris, propter Equorum copiam. Reliqua animalia etiam ibi reperiuntur, nobilissimis prædita pellibus, quæ pelles primum locum habent inter commercia

Armenta Moscoviæ.

Boves. Reüßisch Leder.

Equi Rußici.

 Russica,

Zobeln. Russica, præcipuè, quæ Sebelinæ (Zobeln) dicuntur, quæ in Sebina, versus Septentrionem *Sebina.* sita, inveniuntur. Cessit hæc pars imperio Russico ante 80. annos, cum antè ignoraretur: nusquam verò tanta copia invenitur pretiosarum pellium, quàm ibi. Huc etiam insecta referri possunt, qua- *Insecta Moscoviæ.* lia sunt apes, quarum incredibilis est copia versus Septentrionem in Sylvis, quare ingens mulsi *Apes.* Meet. ceræ & mellis ibidem evehitur, quæ inter *Medo Mede.* opes rusticas haud postremo sunt loco. Populus enim ibi est totus rusticus, sed magnam partem & Tartaros esse ibi, tradunt, inque extrema Septentrionali parte etiam populos, qui à Russis linguâ, moribus atque institutis planè differunt.

Regnum Cassan & Astracan quomodo ad Russos pervenerit. XV. Ioann. Basilides M. ille Tyrannus inusitatâ felicitate Regnum *Casan & Astracan* devicit, & sic omnes Tartari ad Wolgan parent Magno Duci Moscovico, seu Russico Imperatori, qui linguâ tamẽ à Russis differunt. In Siberia, qui Samojedæ dicuntur, differunt & itidem linguâ & mori- *Siberia. Tiregæsi.* bus à Russis; itidem *Tiregæsi* in extrema Septentrionis parte versus orientem, de quibus non est quod narrem, quia demum nuper cæperunt innotescere ipsis Russis, quod narrat singulari opera *Vrbibus & arcibus Moscovia excolitur.* *Isaac Massa* Batavus Russicæ Coloniæ in Siberia. Hodie in Moscoviâ constituuntur urbes & arces etiam, similiter colonias habent Moschi in Tartaria, ubi Vrbs *Astracan* non ab incolis, sed *Astracan.* rusticis coloniis tenetur, & passim arces sunt, quæ tenentur milite Russico. Dux enim minus fidit Tartaris.

XVI. Russorum verò ingenium Barclaius eleganter descripsit, idem & Olearius, quod si

excoleretur,

excoleretur, non eſſet ſtupidum: non enim à natura ſunt ſtupidi, ſed ſic ſatis verſuti in commerciis.

Ingenii Ruſſorum deſcriptio.

Virtutes morales Ruſſorum numero ſunt paucæ.

Vitia moralia illorum.

Quare Ruſſi tam crudeles ſint.

XVII. Virtutes morales illorum ſunt admodum exiguæ; in libidinem proni, compotationibus, ſi qui alii, quam maximè dediti, & temperantiam inter vitia numerant moribus ſunt crudeles, & ubi victoria reportatur, ibi ſæviunt in victos. [add. *Obſidio ultima Civitatis Rigenſis id ipſum docet, cuius barbaram crudelitatem in Theatro Europæo deſcriptam videbis.*] ut omnium penè populorum ſævitiam ſuperent, & Turcæ, Tartarique mitiores ſint, quod fieri ideo puto, quia apud Ruſſos non eſt in uſu ſervitus venalitia, uti apud Turcas & Tartaros; Inter gentes enim optimo inſtituto introductum eſt, ut parceretur humano ſanguini. [add. *iuxta illud : vendere cum poſſis captivum occidere noli.*]

Fortitudo Ruſſorum, non eſt genuina & verè moralis.

Iuſtitiã Ruſſi nõ amant.

XVIII. Fortiter verò ſatis pugnant, ſed potius formidine pœnæ, quam virtutis amore: ſciunt enim ſibi eſſe capitale, ſi non fortiter ſe gerant. Iuſtitiæ porrò non ſunt ita amantes, decipere enim ibi & decipi eſt conſuetudo, ut in proverbio ſit: Ruſſum non ſervare fidem, neque illi ſervandam. [add. *Quo collimat verſiculus : Frangenti fidem fides frangatur eidem.*] Et revera ibi vitiorum plus eſt moralium, quàm virtutum.

Religio Ruſſorum.

Superſtitio Ruſſorum.

XIX. Religione ſunt Chriſtiani, & profeſſionem, dogmata & ſocietatem Eccleſiæ Græcanæ amplexi ſunt, atque odio habent inſtituta Romana. Nos omnes damnant, nec cenſent nos Chriſtianos eſſe, & ſi quis ad eorum ſacra accedat rebaptizatur. Superſtitioſi cultores ſuorum Sancto-

rum,

rum ſunt, præcipuè Nicolai, & Archangeli Michaelis, cum Nicolai inprimis; pictis utuntur imaginibus, non ſculptis, ita ut Græci, ſed admodum rudibus, uti ibi omnia rudia ſunt. Ceremonias habent admodum ridiculas, & religio non omni ex parte Chriſtiana eſt. [add. *Olearius multa particularia de vitiis & ſuperſtitione Ruſſorum adducit, cuius Itinerarium quantivis pretii opus eſt. Inprimis legi ea merentur, quæ de Ruſſorum* Götter Marckt *adducit, ubi imagines S. Nicolai ingenti copia venduntur.*]

Virtutes intellectuales Ruſſorũ expendũtur.

XX. Virtutes intellectuales non reperias ibi; nullæ enim ſunt Scholæ, præterquam in nonnullis Monaſteriis, ubi pauci tantùm diſcunt legere & ſcribere; nulla eſt ibi eruditio, niſi quod Epiſcopi & Monachi paululum ſupra vulgus ſapiant: Lege verò vetitæ ſunt omnes Scholæ. [add. *Inſtitutum illud eſt tyrannicum. vid. Ariſt. l.* 5. *Pol. c.* 11.] Dux enim credit ſibi expedire ut populus ſuus planè ſit rudis. [add. *Si arduum quidquam iis in diſcurſu proponatur, reſpondent:* Das Weis Gott und unſer Groß-fürſt] Pauciſſimos etiam reperias artifices; & arte facta omnia importantur à peregrinis, aut etiam à peregrinis, qui ibi vivunt, conficiuntur.

Scholæ in Moſcovia nullæ.

Neque artes mechanicæ ibi florent.

Ingeniũ Ruſſici populi ad ſervitutẽ inclinat.

XXI. Populus omnis eſt ſervilis ingenii, quod credo factum eſſe longâ ſervitute, quam à prima pueritia diſcunt perferre, inprimis vulgus abiecto & ſervili eſt animo. Nobiles verò ſic ſatis ſunt ſuperbi, ſervili tamen ingenio circa ſuum Imperatorem.

[N]obiliũ ingeniũ quomodo comparatum.

Vrbes Moſchorum.

XXII. Habent Vrbes, & quidem amplas,

primariæ

primariæ ſunt. 1. *Moſcua*, quæ anno 1570. ad incitas penè redacta eſt à Tartaris Crimæis (quia urbes Ruſſiæ conſtant ex meris lignis) in magnam tamen amplitudinem exſtructa. [add. *Nitidiſſima quamvis ſit eius urbis facies, atque ampliſſima tamen incendiis maximè expoſita* vid. Olear.] 2. *Novugrad*. 3. *Voldomiria*. 4. *Pleſcova*. Hodie ab annis 30. vel 40. cæpit efflorеſcere ad Dunam fluvium *Archangel*, quæ celebris eſt frumentis. Florentibus Ruſſorum rebus in Ingria Emporium maximum erat Narva, ubi Hanſa Teutonica ſingularem habuit ſedem. (Contor) jam verò hoc mutatū. Angli ſuperiori ſeculo cæperunt commercia inſtituere ad Duinam circa S. Nicolaum; Holandica autem navis coniecta ad arcem Archangel, quæ commerciorum commoditas Hollandis tum innotuit. *Archangel.* *Narva.*

XXIII. Breviter hic notandum aliquid de Legatione Holſatica: Dum Holſatiæ Dux volebat commercia ſerici inſtituere cum Perſis per Moſcoviam, eo fine & à Suecis petiit, ut per Revaliam liberum concederet tranſitum ad Moſcum & Perſam. Placuerunt hæ conditiones omnibus, & memini id conſilium datum eſſe apud Paulum Iovium ſub Leone X. ante annos 150. in opere Nicolai Belli, qui ex India voluit hoc itinere Aromata petere; id quod non placuit Magno Duci huic placuit. Sed omnia fruſtra ſuſcepta ſunt, magnis impenſis & ſumptibus. Deprehenſum enim eſt impenſas excedere lucrum, eo quòd ſine 1000. militum comitatu vix inde aliquid afferri poſſet. Habent enim in Aſia prædones, qui ſæpe involant in 1000. licet milites, *Notabilia de Legatione Holſatica.* *Quare hæc Legatio fuerit inita.*

uti Tartari ad Astracan; Hinc etiam tutius fuisset meditari hæc ante impensas.

Causa finalis sive scopus Reipub. Moscoviticæ. Dominatus ibi est valde durus, potentiáque pro scopo.

XXIV. Nunc de scopo huius Reip. qui est utilitas unius Dominantis, & plebis non nisi per accidens; nullo enim habetur loco, & servit ac profitetur se & sua omnia esse in manu eius: Hinc & bella omnia, ibi ad nutum unius Imperatoris, imò salutem, geruntur. Hinc putat Dux potentiam esse suum commodum, & magnum Imperium affectat cum summo incolarum suorum incommodo, qui tamen assueti sunt tali Imperio crudeli & imperioso.

Formalis causa Reipub. Moscoviticæ.

XXV. Modus, & forma regiminis est in universum monarchica, & simplex Dominatus, & eadem penè species est Reipub. quæ in Asia reliquarum Rerumpublicarum. Hæc sunt omnia herilia, neque differt à Tyrannide Imperium nisi per leges.

Res sacræ quomodo administrentur. Cura illarum à Magno Duce dependet. Patriarcha Moscoviæ. Conciones ad populum quare sint venitæ.

XXVI. Res sacræ curantur à Magno Duce, ut populus ad suam serviat voluntatem: Cum primum Christianismum acciperet, Patriarchas sumpsit à Metropoli Constantinopel; hoc verò cum inutile sibi fore videbat domi ex suo populo ipsos constituit, & prudenter quidem. Nunc ergo suos proprios & peculiares habet Patriarchas. Habet verò Patriarcha curam rerum sacrarum, & illum Dux creat, sub quo sunt Metropolitani, Archiepiscopi & Episcopi, qui tamen omnes à nutu Magni Ducis dependent, qui haut temerè patitur, ut verba ad populum faciant absque consensu suo. Hoc modo impeditur, quominus sub prætextu concionum excitetur motus; Et non alii ad munia sacra admoventur, quam

Mo-

Monachi S. Basilii, qui strictè etiam nunc coguntur vivere ad regulam præscriptam, unde nova moliri nequeunt, & divitiis carent; Vix verò legere & cantare possunt illi Presbyteri. [add. *Ita religio Pontificiorum & Barbarorum Regum tantum ad rationem status conformatur; salutem verò animarum post hanc vitam parum pensi habent. Tantumne religio potuit suadere malorum!*]

Regimen Pontificũ Moscoviæ.

XXVII. Regimen politicum quod attinet, omnia belli & pacis negotia dependent à nutu Magni Imperatoris: solet verò provincias regere per Knesium aliquem, qui Ducem vocabulo Sclavonico significat, unde Duces suos *Knes*, uti Poloni Weivvodas appellant. Horum autem munera non sunt hæreditaria, neque etiam ad vitam; quibus tamen omnia in provinciis parent. Supersunt adhuc ex primâ Nobilitate Russicâ & Tartaricâ nonnulli, nam ante Basilidem adeóque 100. annos erant Knesii hæreditarii, quos submovit Dux, sed illi nullo habentur loco, neque ad honores admittuntur, ne, pristinorum memores, nova moliantur. Eadem ratio est apud Tartaros Russios, quibus præficit Knesios Russios. Tartari enim omnes sunt Mahumetani, aut Pagani, cum videant Epicuræam Christianorum vitam.

Duces sive Præsides Provinciarũ in Moscovia eorúmque potestas.

Ius quomodo reddatur in Moscovia.

XXVIII. Ius autem omne non ex scripto, sed ex consuetudine, aut arbitrio, vel æquo bono, idque absque mora conficiunt. Solet tamen peregrinos Magnus Dux ad officia admonere, qui tamen coguntur Sacra Russica profiteri, & se adoptare quasi in gentem Russicam, quod fit à Gallis, Scotis, & Germanis etiam.

XXIX.

Belli negotia quomodo administrentur. XXIX. Belli verò negotia non adeò benè se habent, & populus quidem satis est aptus, & tolerans laboris, sed non est ita instructus arte militari, & ordines, ac signa sequi, aliàs sic satis est strenuus; & Domino suo fidelis. *Moschi boni milites.* Cum Noteburgum à Suecis diutina obsidione premeretur; facto *accord* Russi exire jussi, ubi duo saltem exierunt: Rogati, ubi reliqui essent? esse mortuos affirmabant. *Quare hactenus non sint Milites fideles Magno Duci.* Ea enim populi est erga Dominum summa fidelitas. Idem alibi comprobatum est. Tolerat pertinaciter obsidiones, quia sunt robustissimi, & callidi & si instituerentur in arte militari, facillimè optimi milites reddi possent; id quod fiet quoque, quia Modernus Alexius, & hujus pater dederunt operam, ut peritos belli Duces allicerent ex Germaniâ, Scotiâ & aliunde. Quod si ita perrexerint, fiet hoc cum magno incremento Russicæ potentiæ, & decremento vicinioris populi, ipsiusque Germaniæ. Altera causa est quod hactenus non satis instructi fuerunt armis; quod *Ad Moschos magno Germaniæ damno arma transportantur.* tamen hodie etiam aliter se habet, & cautum quondam erat superiori seculo, ne arma ad Moscos transportarentur, sed urbes Hanseaticæ impulsæ lucri cupidine non servant legem, suo & totius Germaniæ damno. A Batavis hodie etiam arma suppeditantur magnâ copiâ, ut armari possint ad 300000. *Moschis æs & ferrum deest.* Si verò Mosco suppeteret æs & ferrum, aliunde afferre non opus foret arma, sed deest hoc per Dei gratiam; Dein quia magna imperia laborant amplitudine, ob conspirationem *Potentiæ militaris Moscoviticæ defectus.* cum Præcopensibus, Astracani & Casan. Tartari magno præsidio coercendi sunt, ideóque vires ejus sunt hodie longè minores, quàm olim.

XXX. Agam nunc aliquid de pecunia, rerum gerendarum nervo. Habet autem Imperator Russicus magna vectigalia, quæ tamen non merentur cum ærario M. Mogoris in India aut Turcæ, comparari. Telonium maximè proficuum hodie est Archangeli, quod 600000. Taleros anni spatio protulit; etiam. Tributa solvit quidem populus, sed in minori summa, respectu aliorum Imperatorum, quia populus est pauper, ipse verò commercia instituit, unde sibi magnam pecuniæ vim comparat: vix tamen hoc ad expensas sufficit. Gerit enim magna bella, quibus aliarum nationum homines preficit, qui magno militant pretio, splendidam quoque gerit Aulam, & multum alibi alit militem.

Divitiæ nummariæ Magni Ducis.

Magnus Dux ex commerciis fit dives, quæ ipse exercet.

XXXI. Nunc quæ ad causam efficientem pertinent, videamus, ubi primam personam agit Imperator Russicus, & rerum potitur, cujus antiquissima familia à Seculo usque X. noménq; dedit Christo ad patrum nostrorum memoriam, divisáque est in multas propagines superiori seculo in unum omnes familiæ iterum creverunt corpus, & interfecit ejus familiæ posteros Basilius; Hinc qui rerum potitur, magnos jactitat titulos, quos habet Olearius p. 28. quibus usus etiam hodierni pater Michael. Alexii verò titulus ab illo differt, & est sic der grosse Herr Zaar / Russorum αὐτόκρατορ der Selbsterhalter / seu Monarcha. Attamen omnium Russorum non est Monarcha, quia magnam Russiæ partem hodie Poloni tenent, & Sueci, uti Ingriam & Careliam, qua de causa neque Sueci neque Poloni volunt eum

Causa Efficiens Reipub. Moscoviticæ.

Mutatio circa familiam Magnorum Ducum.

Titulus Magni Ducis.

Non omnes Russi parent Magno Duci.

eum salutare M. Ducem omnium Russorum.

Familiæ Zaricæ interitus. XXXII. Zaar vocabulum à Zaris descendit; familia verò Zaarica expiravit superiori seculo, & obiit Phædor Ianoviz Ann. 1597. cujus Pater erat fœdissimus Tyrannus, Ioh. Basilides cujus vita ab Oderbornio, & aliis descripta est. Omnium dein electione & censurâ Sororius Theodoricus electus est, dictus Boris Gudenovv callidus & versutus, quibuslibet artibus etiam rexit imperium, quo vivo ingentes orti sunt tumultus. Prodibat enim Monarcha, qui se Demetrium profitebatur, quod simul ac auditum in Russia, cæpit esse odio Boris, qui præ mærore anno 5. hujus sec. mortuus est, & filius ejus quidem ab Aulicis electus, sed non diu regnavit, strangulatus, Deo paterna delicta vindicante. At fugitivus Demetrius ope Polonorum Russos sibi conciliavit, & Imperator factus est; sed cùm malè se gereret, addictúsque magis esset Sacris Romanis, quàm Græcis, invisus factus populo, & cum omnibus comitibus Polonis miserrimè trucidatus est. [add. *Sic omnis falsa Chimæra cadit duce Bellorophonte, dolúsque & omnis falsitas nemini patrocinatur.*] Multi quidem Poloni sciebant hanc fraudem ex consilio Iesuitarum oriri, qui putabant, Romani Pontificis authoritatem ita propagari posse.

Pseudo-Demetrius.

Polonorum invasio Reip. Moscoviticæ.

XXXIII. Post iterum novus ortus Demetrius, novis Iesuiticis & politicis artibus successit in Imperio, tandem pessundatus. Tertius dein surrexit Demetrius; sed Russi decepti bis elegerunt filium Vladislai Regis Poloniæ. Poloni enim obsederant Moscuam gravissimè, qui conditione fa-

ctâ,

ctâ, recepti in urbem pessimè se gesserunt, arcem & thesauros inæstimabiles diripuerunt, & secesserunt, magnâ tamen illorum parte cæsâ.

XXXIV. In hisce angustiæ cancellis inclusi Magnates Russiæ crearunt Cancellarii filium Ducem, dictus ille Michael Theodori filius anno 1613. qui planè alienus fuit à familiâ antiquâ Russorum; Pater solutus captivitate factus fuit Patriarcha. Hinc Michael Federovviz, ut pacem recuperaret, cessit Polonis Smolensko, & partem Ducatus Severiæ magnam, & Careliam reliquit Suecis. Obiit ann. 1618.

Michaël Federovviz quomodo ad imperium pervenerit. Smolësko quomodo ad Polonos pervenerit. Carelia item ad Suecos.

XXXV. Successit filius ejus Alexius ætat. 17. qui hodie rerum potitur, populi & nobilium ratio reddita melior per mutationes. Novi enim Principes coguntur, beneficiis sibi devincire populum, eumque benevolum reddere. In otio vixit, & ministris commisit provincias; hinc populus ob avaritiam Præfectorum graviter afflictus, & passim orti sunt tumultus. Hic verò est, qui ita graviter afflixit Livoniam, & Lituaniam, & magnos fecit progressus. Quia autem defecerunt Cosacci, fortuna ejus iterum inclinat, & video, vix ullum bellum posse ulterius gerere ob ærarium tenue, caret etiam bonis Ducibus. Si autem potiretur Poloni, â aut etiam Rex Poloniæ crearetur, tunc non haberemus potentiorem hostem, pace quidem ipsorum Polonorum, sed nostro magno malo.

Alexii Federovvizii regimen.

EXCERPTA HISTORICO-POLITICA DE MOSCOVIA

ex Botero, Luca de Linda, Hornio & aliis.

I. RVſſia quæ Magno Duci Moſchorum paret, ab ea, quæ Iuris eſt Polonici, Boryſthene maximam partem dirimitur, & *Moſcovia* vocatur; nomen habet à Regia Moſchovitarum, Moſchovia dicta, ſita ad fluv. Moſquam. Vrbs eſt ampla populoſa, ædificiis, ſed ligneis, frequentiſſima. Diviſa aliàs urbs eſt in 5. partes, 1. Kremelenagrod. (Aula Imperat.) 2. *Kitay-Gorod*, (Vrbs media,) 3. *Tzargorod*, (Vrbs Cæſarca.) 4. *Skorodom*, (Vrbs exterior.) 5. *Streletska Sloboda*, Vicus militaris.)

II. Moſci in bellis omnia incommoda, ſitim, famem, patienter ferunt, pane & aqua contenti. Moribus præditi cruentis, & iracundis, maximéque ſunt barbari, non ſolùm erga hoſtes ſuos, verum etiam omnes extraneos. Legatus quondam Daniæ Regis ad illos miſſus, tale de illis perhibet teſtimonium; quod ſint perfidi, impensè mali, crudeles, callidi, imprudentes, violenti, omnibúſque addicti vitiis, intolerabilis ſuperbiæ & opinio-

num

num sectatores. Negotia sua majoris momenti ut plurimum noctu tractant; & uxorei admodum sunt. Potus illorum est mulsum, vinum Græcum, variique generis adusta vina. Magnus Dux ubi accumbit, multos circumstantes habet amicos, ministros belli. Mensæ plerumque tria vasa imposita sunt, aceto, sale, & pipere repleta. Princeps erga illos singularem suam comprobat benevolétiam, quibus de mensa sua panem & salem mittit.

III. Filiæ jam plenis annis nubiles, pileos nocturnos pellibus vulpinis exornatos & formâ longiores portant, capillósque in circulos contortos largiores gerunt; senioribus capita raduntur. Viri usque ad aures præcisos gerunt crines; Sacerdotes nigro vestitu induti incedunt: digniorésque ex collo tabulam pendentem gerunt, cui inscripta sunt præcepta Dei.

IV. In omnibus ædibus, sanctorum habent imagines, & quam primum quis ædes ingreditur, confestim aperit caput, & conspectâ imagine, tribus vicibus signum crucis facit, & aliis, hic tacendis, ceremoniis defungitur. Externi cultus accuratam habent curam, honorúmque valde sunt observantes. Nefas putant, si aliquis vilioris conditionis eques adveniat in ædes se dignioris. Illi, qui aliquâ pollent dignitate, rariùs in publicum prodeunt, ut dignitas personæ servetur. Si cui honorem habere volunt, ejus caput osculo impertiunt, & ipsum salutantes genua flectunt.

V. In templis lingua utuntur Sclavonicâ. Eadem quoque in communi obtinet conversatione, corrupta tamen, & multis linguis permixta, ut ab ipsis Moscovitis difficilimè percipiatur. Nulla

habent Collegia vel Academias, verum solùm Scholas, ubi illorum liberi legere & scribere discunt. *Evangelia, Acta Apostolorum, Chronica* & aliquot melodias doctorum, præsertim *S. Ioannis Chrysostomi*, recitant. Si quis ad altiora adspirat, statim in suspicionem mali incurrit, quod Dux neminem se sapientiorem pati velit. Hinc illud procedit, quod nemo à Secretis vel Cancellarius unquam ad literas Principum peregrinorum aut illorum Legatorum desiderata respondeat, nisi ea tantum quæ sibi à Duce imperata sunt. Nihil imprimitur, nisi sit in usum Principis.

VI. Pater filiam in matrimonium elocaturus, juvenem quærit moribus sibi placentem, cui filiam cum certa pecuniæ summa offert. Ante nuptiarum diem sponsam sponso videre nefas est, sed solum ejus parentibus, qui inquirant, utrum illa cœca, surda, muta vel alio affecta sit morbo. Mater sponsæ idem facit. Die nuptiarum, primum Sacerdotis voce matrimonii fœdere conjunguntur, ubi sponso interrogato utrum minis terrere & verberare suam conjugem velit, illóque, *non*; respondente, ad virginem abit Sacerdos, illámve interrogat, utrum illi nubere velit, illius domum regere, fidelis esse, usque ad ultimam senectam; ubi annuit sponsa, absinthium illorum imponit capitibus, illisque benedictionem apprecatur. Mox illis pateram propinat ex vitro inauratam; hanc illi mox evacuant. Illam epotam sponsus ad terram projicit, pedibus proruit, vovens, ut omnes, qui sibi nocere velint, simili modo prosternantur. His peractis, desponsatis à præsentibus dona offeruntur, quæ sponsus sedulo notat, & si quæ displicue-

rint, donantibus illa remittit. Quilibet una fœmina contentus vivit, quamdiu illa ipsi placuerit; quod si displiceat, illico ipsi, vel ex minima culpa admissâ, libellum repudii mittit. Ob sterilitatem fœminam repudiare, & post 6. hebdomades aliam iterum ducere licet. Multi Nobiles rerum egeni reperiuntur, qui pro pretio & quæstu ditioribus fœminarum suarum castitatem prodigunt. Conditio mulierum hic misera est, quod velut perpetuo carcere ædium suarum claudantur, illásve parvi faciant, quæ à peregrinis visæ sunt.

VII. Iactant *Moscovitæ* in suis annalibus, quod *S. Andreas* Apostolus ipsis primùm annunciaverit Evangelium, ipsósque in fide Christiana instruxerit. Pro comperto tamen est, quod primus Christianus Dux *VVolodimerus* fuerit, qui baptismum susceperit, ubi matrimonio sibi junxisset *Annam*, sororem Imperatoris Basilii & constantini, ann. 469. postea ejus subditi an. 970. idem facere coacti sunt, cum antea idola colerent, & unum præprimis dictum *Perum*, qui caput argenteum habuit, & reliqua idola *Vzlao*, *Corsa*, *Dansuva*, *Striba*, *Simaergla*, & *Macosch*. Alii Moscovitarum veram conversionem ad an. 989. referunt, dicentes, quod *Leo*, primus Patriarcha Russorum, ipsis ex Græcia Religionem attulerit, cum sibi primùm sedem in *Kiovia*, postea in *Volodomiria*, ultimùm in *Moscovia* constituisset, ubi adhuc residet & ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, totóque Moscoviæ clero eligitur, si tamen magno Duci placuerit. Olim quidem *Patriarcha Constantinopolitanus* illum confirmare solebat; quæ tamen confirmatio hodie amplius *Religio.*

non requiritur, à tempore Ducis *Basilii* patris Ioannis. Magnus Dux Moscoviæ quotannis Patriarchæ mittit 500. circiter coronatos nomine Eleemosynarum. Qui Russiæ præest, reditus percipit ad 9000. Rubes sive circiter 18000. imperialium. Tres habet sibi parentes *Archiepiscopos*, ubi illorum præcipuus in *Novogrod* est, reliqui duo in *Susdal* & *Rostovv*. *Episcopi*, qui Patriarchæ subsunt, magnis gaudent reditibus, & sibi subjectis subditis; qui tamen tenentur Magno Duci certum militum præstare numerum, ubi aliquod bellum geri debet.

VIII. Omnes verò Moscovitæ *Religionem Græcam* sequuntur, à quibus tamen in multis discrepant. Missam in lingua Moscovitica celebrant, triplo vero lógior Romanâ est. Sacramentū Cœnæ sub utraque specie celebrari solet; quin ipsis septennibus infantibus illud exhibent, etiam ex vitâ exituris, sine facibus, ipsis unctionem conferentes. Mortuos, facibus accensis, Sacerdotes comitari solent, quibus nulla crux præfertur: cum verò humantur, ita adstantes præeunte Sacerdote dicunt; *Domine memento huius animæ*; aliáque ex Græca liturgia desumpta. Beatam Virginem, *Michaëlem* Archangelum, *S. Andream*, *Ioannem*, alióſque maximo venerantur cultu, præcipuè verò *S. Nicolaum*, quem miraculorum factorem vocant.

IX. Præter Moscovitas, multi reperiuntur *Germani*, qui *Augustanæ Confessioni* sunt addicti, præsertim in Vrbe *Moscovia*, qui in *Cresnacella*, villâ Vrbi proximâ, suæ Confessionis templum habent. *Catholicis* vero liberum Religionis exercitium severe est interdictum. *Iudæi* ibi non tolerantur.

rantur. *Persæ, Turcæ, Tartari* in sua Religione tam libere vivunt, quàm alii populi idololatræ.

X. Magnus Dux absolutam habet auctoritatem & potestatem, tam in temporibus, quam Ecclesiasticis, in suáque voluntate omnium vitam & bona sita habet. Omnes hoc pro persuaso habent, quod ille nihil agat, nisi ad Dei voluntatem; ipsique Archiepiscopi hanc opinionem subditis persuadent: Quod si clementem vel iratum sentiant Deum, talem etiam suum Principem se experiri; & illos, qui obsequentes suo sint Principi usque ad ultimum vitæ momentum, sine omni dubio salvari. Quæ persuasio plurimum valet in animis hominum, ut ad omne imperium parati sint. Omnium territoriorum absolutus est Dominus, ipsorum possessiones pro libitu subditis auferens, & aliis donans. Ejus subditi propriis impensis in castra ire tenentur: adeò, ut nemo se Dominum alicujus rei dicere possit, cum tamdiu solùm sit possessor, quamdiu Magno Duci libuerit.

XI. *Magni Ducis Consilium* maximam partem constat ex Ducibus, illis *Knez*, qui ex antiqua Principum Moscoviæ origine prognati sunt. Patriarcha in hoc consilium ordinarie non intrat, ejus tamen magnus Dux explorat suffragium. Modo dicti *Consiliarii* vel *Senatores*, numero XII. processus judicant, magnóque Duci illos remittunt, qui aliquam habent difficultatem. Hi pro lubitu Magni Ducis mutantur, & deponuntur. *Magnus* ipsi est *Cancellarius*, qui inter illos potestatem habet officia Nobilibus distribuendi, quæ ad defensionem fortalitiorum spectant. Præter hos, etiam Vrbium & Fortalitiorum *Gubernatores*

sunt, qui, nata aliqua in Regimine difficultate, suos certos habent *Senatores*, quibus cum de negotio conferant. Cæterum magnus Dux illorum fœminas, liberos, proximos agnatos apud se retinet, quibus locorum commisit administrationem; quod si quis officio suo defuerit, in illos obsides crudeliter animadvertit. Vno eodémque tempore plura non confert uni officia; sed locorum Rectores per unum vel duos annos in Regimine constituit, ipsis baculum, signum imperii, in manus dans.

XII. Extra fines Imperii, sine impetratâ à magno Duce veniâ, nemini ire licet; neque vero ullo extraneo Principum Legato licitum est, fines Moscoviæ ingredi, absque facta in antecessum adventus sui denunciatione, quæ limitaneo Duci offertur, qui adventum novi Legati nunciare tenetur.

XIII. Cum Magno Duci negotia aliqua cum extraneis Principibus intercedunt, suos habet delegatos, dictos *VVeliki Posli*, sive *Poslance*; tum cursores, illis *Gonlez*. Horum ultimi tantum literas illis exhibent, ad quos missi sunt; reliqui de negotiis minoris momenti tractare possunt.

XIV. Magni verò Legati rarius mittuntur; qui missi, propriis vivere sumptibus obligati sunt. Quando Legati ab exteris redeunt Principibus, omnia illis donata munera sua facit magnus Dux, illis aliquam pecuniæ summam, & quandoque nihil, pro illis reddens.

XV. Hoc autem Russiam auri & argenti ditissimam reddit, quamvis nullas auri habeat fodinas, quod omnis generis pecunia in illam inferatur,

tur, contra nihil nummorum efferatur. Hanc adaugent merces ſerici, uniones, mel, linum, cera, ſmegma, cannabis, tum verò commercia cum *Armeniis*, *Turcis*, *Tartaris*, *Polonis*, *Suecis*, *Hollandis*, *Anglis*, *Italis*, *Scotis*, *Danis*, *Germanis*, *Perſis*, *Livonis*, frequentiſſima.

XVI. Eſt multorum ſententia, quod magnus Dux Moſcoviæ ſpatio 40. dierum 300. millia equitum & 100. millia optimorum ſclopetariorum & arcus tendentium congregare queat. Hodie nunquam in caſtra deſcendit, niſi ad minimum cum 300. millibus militum, hanc ſervans conſuetudinem, ut anno bellum præcedente omnem ſuam militiam luſtret. Omnes Nobiles in bellum tenentur ire, ſine ulla exceptione & excuſatione negotiorum, vel valetudinis; quod ſi quis officio defuerit, ejus bona fiſco applicantur. Obſidendis locis parum ſunt idonei, defendendis verò aptiſſimi. *Fortalitia* quædam ad lacus diſpoſita habet, milite & inſtrumentis bellicis optimè munita. Præcipua illorum fortalitia ex lapidibus exſtructa ſunt, *Moſcovia*, *Novogrod*, *Porca*, *Sloboda*, *Alexandria*, pars *Iaroſlaviæ*. *Smolenſcum* ex ceſpitibus confecta eſt, hodie ad tempus Moſcoviticæ ditionis.

XVII. Hoſtes ſuos capitales habent *Tartaros Pracopenſes*, hodie *Polonos*, qui antea felicius, quam nunc, cum ipſis bella geſſerunt. Obſervatúmque ab anno 1600. ſemper eſt, 20. millia Polonorum 60. millia Moſcorum debellare potuiſſe. Hodie extranei militis plurimas habent copias, in quo omne robur ſitum eſt.

XVIII. Moſci quondam Tartaris ſubditi

erant;

erant; nam Boido eorum Princeps Anno 1140, ſubjugavit totam Moſcoviam, ſed Ioannes I. Magnus Dux confiſus diſcordiis Tartarorum, qui ſe mutuo vexabant, negavit eis tributum. Progreſſu temporis, cum à Tartaris Præcopenſibus ſuperatus eſſet Ammetes, ultimus ſucceſſor Boidi, qui mortuus eſt Vilnæ, adjungit Magnus Dux ſuæ ditioni Permiam, Veatiam & Iugriam, quæ Ammeti ſubditæ erant. Creſcentibus itáque ſemper Magnorum Ducum viribus, cepit Baſilius Cazan, & Ioannes II. Citrachan Provincias, quæ nomina regnorum habent.

XIX. Magni Duces valdè dilatarunt ſuũ imperium: ceperunt magnum ducatum Severienſem & Smolocẽſem, Bielſchienſem, Preſcoviensẽ, Novoguardienſem, Iaroſlavienſem, Roſcovienſem, partim à Polonis, partim ab aliis Principibus: occuparunt magnam Livoniæ partem, fecerúntque ſe terribiles vicinis. Princeps habitat in civitate Moſqua, quæ nomen ſumit à Moſco flumine, quod 90. miliaria altius oritur.

XX. Volunt quidam hanc regionem, præteritis temporibus, frequentius inhabitatam fuiſſe, ſed quod poſtea tribus de cauſis habitatoribus infrequentior facta ſit. Prima fuit peſtis, (res nova in Moſcovia) quæ multa hominum millia abſtulit: altera Principum crudelitas, qui multos, potiſſimum Nobiles occiderũt: tertia excurſiones, & deprædationes Tartarorum Præcopitarum, & Nagaiorum, qui nunquam quieſcunt, nec vicinos quiete frui ſinunt, non deprædantur ſolum agros, ſed & abducunt totos populos, quos poſtea vendunt Turcis aliíſque gentibus. Vt uno verbo dicam

dicam Magnorum Ducum irruptiones in longinquas regiones magnam fecerunt vaſtitatem. Nulla in re melius perſpicitur Principis prudentia, quam in benè diſpiciendo, quæ expeditio ſuo ſtatui ſit futura damnoſa aut utilis, & dum duci ſe non patitur vana ſpecie amplitudinis arripiendæ, quæ non ſit ei futura firma & ſtabilis, ſed ſecuritatem ſuam turbatura; is enim, qui ea ſpe ductus, ut ſtatum ſuum amplificet, eum aut populo aut opibus enervat, mihi ſimilis eſſe videtur illi, qui ut muros & tecta ſuæ domus altius tollat, conſcindit fundamenta ædificii. Totius dignitatis caput eſt conſervare, ſed acquiſitiones illæ, quæ fiunt diminuendo vires proprias, illi legi adverſantur: cumque acquiſitiones ſint tanquam inſitiones, conditionem imperii meliorem, non deteriorem facere debent; ſicut enim fiunt inſitiones, aut ad nobilitandam, aut ad domeſticam reddendam arborem ſylveſtrem: aut ad plantam infrugiferam emendandam, & ut fertilis ſit faciendum, ita & expeditiones Principum, tales eſſe debent, ut commoda & beneficia referant, aliàs ſunt inutiles labores, qui plus deſtruunt, quàm ædificant, & plus perturbationis quàm ſecuritatis reddunt. Ejuſmodi ſunt ordinarie bella, quæ moventur ad acquirendum regiones longè diſſitas, quæque nihil contigui cum noſtris habent: cum enim tam procul abſunt, requirunt majora præſidia, quam noſtræ facultates ut eas conſervemus, ferunt. Omnis itaque deliberatio expeditionum, tribus capitibus inniti debet: prima eſt cauſæ æquitas: altera facilitas vincendi: tertia fructus victoriæ. Bella autem quæ ſuſcipiuntur, ſine ſpe alicujus fructus,

fructus, sunt meræ amentiæ.

XXI. Magni Duces, sæpè terminos sui imperii dilatarunt, sed potentiam non auxerunt. Nemo expeditiones longinquiores, majorúmque expensarum fecit, quam Magnus Dux Ioannes. Cepit enim regna Cazam ad Volgam, & Astrachan ad mare Caspium: subjugavit bonam partem Livoniæ: in quibus expeditionibus periit magnus hominum numerus, in itineribus, in præliis, adsultibus, ferro, morbo, fame, aliísque incommodis. Postquam ea acquisivit, fuit opus ibi habere magna præsidia, deducendo eo totas colonias. Cum itaque homines essent longè à domubus, implicati, aut in acquirendo alieno, aut in conservanda parte, manserunt domi uxores, quasi viduæ absque prole, & dum homines in extremis regni finibus consumebantur, remansit regni meditullium tanquam cor exangue, privatúmque alimento, cúmque ab Stephano Rege Poloniæ impeteretur, defuere ipsi domi vires ad resistendum; amisit itaque Polotiam aliáque magni momenti loca, quæ ei erepta fuere, ac necesse habuit tradere Polonis totam Livoniam.

XXII. Moscovia magna ex parte est occupata sylvis immensis, & Lacubus. Sylvæ sunt rami Herciniæ, quæ se per totum Septentrionem diffundit, sed plus forsitan in hac provincia, quàm in alia. Hic arbores immensæ magnitudinis videntur, súntque propter earum spissitudinem solis radiis impenetrabiles; ex iis arboribus incredibilis resinæ & picis quantitas effluit: hic producitur copia mellis & ceræ inexhausta; apes enim absque cura humana, faciunt alvearia in corticibus & ca-

vitatibus

vitatibus arborum. Hic est copia omnis pecoris & ferarum: ut sunt, Martures, Zibellini, Lupi, ex quorum pellibus fit dives mercatura. Ex his sylvis exscinditur ferè omnis materia tam domubus quam munitionibus fabricandis apta: muri enim civitatum fiunt ex trabibus simul conjunctis in quadrante, impléntque vacuum gleba, & terra. Faciunt quoque ex eisdem trabibus turres, tantæ altitudinis, & crassitudinis, ut omne tormentum bellicum quantumvis magnum ferant. Cito flammis corripiuntur, sed non tam cito cedunt quassationi quæ fit tormentis bellicis. Disputant aliqui, quales munitiones meliores sint, num ex lapide, aut ex calce, aut ex terra: Pro ultima sententia adducunt tales causas, quod citius fiant, & minori expensa, meliúsque resistant quassationi, & quamvis facilè destruantur, reficiantur quoque brevi tempore, faciliúsque mutatur (si casus & occasio necessitásque requirit) latus ex terra constructum, quam ex lapide. Sed his non obstantibus debent præferri munitones quæ muros ex lapide habent; cum enim quatuor modi offendendi munitionem sint, tormenta, cuniculi, ignis, excisio (quæ ligone & sarculo fit.) murus ex lapide, fortè minus resistendo, quam terra cedendo tormentis bellicis præstabit, sed adversus cuniculos, ignem, & excisionem, longè excellit murus ex lapide. Et ad jungendum muro quod in munitionibus, ex ligno & terra constructis, boni est, eriguntur aggeres intrinseci.

XXIII. Regio Moscoviæ non est multum mercaturæ dedita, quia indigenæ suapte natura non sunt admodum industrii. Nec possunt ibi esse

esse multa mercimonia ubi non florent artes & artificia : tum quod Moscis non licet ditione sui Principis excedere. Ob has causas non habent ullum usum maris. Commutant tantum ea quæ regio fert, nempè pelles, resinam, ceram, cum panno, aliisque quæ Armeni perferunt in Astrachan ad mare Caspium, & Angli ad Fanum Nicolai ad Sinum Graduicum.

XXIV. Magnus Dux Moscorum regit suos populos magis Despotice, quam ullus alius Princeps, quem novimus : disponit enim absolutè de personis subditorum, & ipsorum rebus: ideo dicebat Mahumetes Vesirus, quod Moscus & Turca, soli inter Principes essent domini suorum Dominiorum, eaque de causa putabat, expeditionem Stephani Regis Polonorum, plenam difficultatibus fore. Vt in sua potentia & authoritate, se Magnus Dux conservet, utitur artificio & industria incredibili : primò non licet cuiquam suorum vasallorum exire regni fines, sub pœna mortis : hac de causa nemo suorum subditorum navigat, nec cum legato externi Principis loqui potest, nec uti opera externi medici, in suis morbis, nisi cum venit. Ne alius plus ipso scire possit, nullæ ibi scholæ præterquam, in quibus docetur legere & scribere. Nihil legunt præter Evangelia, & aliquam historiam, aut descriptionem vitarum Sanctorum, aut homeliam Sancti Ioannis Chrysostomi aut alterius, haberétque eum suspectum, qui demonstrationem faceret, se velle in litteris majorem progressum facere, nec impune ferret; id facit, ne aliquis plus ipso, aut quantum ipse sapiat; indèque accidit ut Scribæ, nec ipsimet

met Antiscribæ ordinarie, non scribant nec respondeant Legatis Principum externorum, nisi in quantum Magnus Dux eis dictat.

XXV. Cum negociantur nunquam Magnus Dux nominatur, quin omnes assurgant in pedes, cum magna veneratione: idem etiam ad mensam fit, quando ipse ad bibendum invitat, aut participem facit suæ patinæ aliquem, fit id quoque in mille aliis similibus occasionibus. Docentur à pueris Moschi credere & loqui de ipsorum Principe, sicut de Deo: Deus solus (dicunt) & magnus Dominus scit hoc: magnus noster Dominus scit omnes res. Omne quidquid habemus, sanitatis & commodi, procedit à Magno Domino. Accidit inde, ut sui subditi, videntes tantam amplitudinem majestatémque in suo Principe, nec aliarum quam ejus rerum notitiam habentes, revereantur ipsum, obediántque ei, non sicut subditi, sed tanquam mancipia, habéantque eum pro Deo potius, quam pro Principe. Non habet sub se Dominos titulis insignes sicut inter nos sunt Duces, & Barones, si ipse alicui pagum aut prædium concedit, non transit ad hæredes, nisi id ipse confirmet. Et si ipse aliis ea concesserit, villici tamen persolvunt ei portionem fructuum, debéntque ei operas; id in causa est, ut unusquisque à nutu Magni ducis dependeat, & quanto aliquis ditior sit, tanto ei plus debeat.

XXVI. Vt obviet seditionibus, transfert integras familias, ex uno loco in alium, mittítque in præsidia, quos vult longè à domo tanquam in exilium. Cum itaque ipse adeo absolutè omnium rerum dominus sit, utitur opera subditorum pro

libitu,

libitu, & tali parte ipsorum bonorum, sicut ipsi placet. Arrogat sibi ex ferarum exuviis talem portionem ac vult, & ex piscibus omnis generis, quantum vult: pellicea vendit aut dat dono, prout libet: pisces vento siccati servantur pro munitione. In foro nemo sua vendere potest, nisi Principis primum vendita sint. Civitates mercimoniis celebriores, unde ipse maximam redituum partem percipit, sunt Astrachan ad mare Caspium quo deferuntur merces Persiæ & Armeniæ: & Fanum Nicolai ad Sinum Graduicum, quo appellunt naves Anglorum & Hollandorum oneratæ ære aliísque mercibus, quæ inde Vologdam ducuntur. Magnus Dux Ioannes spoliavit calicibus, reliquiis, crucibus, & argento totam ferè Livoniam, nec concedit aurum & argentum sua ditione efferri, nisi in redemptionem bello captivorum, aliorúmque, qui in captivitatem abducti sunt. Amissione Livoniæ, quam Anno 1582. cessit Stephano Regi Poloniæ, privatus fuit ea regni parte, quæ erat ditissima, propter commercium maris Balthici, & meliori ditione quam habebat, in qua erant 34. arces.

XXVII. Munimentum regionis consistit, & in pluralitate paludum fluminúmque, & in densitate nemorum. Habet Magnus Dux munitiones, quæ partim ex lapidibus, partim ex lateribus, Italico more, constructæ sunt, sed & absque lateribus, arte ædificatoria: tales sunt arces Mosquæ, Novoguardiæ, Plescoviæ, Porcoviæ, Stariciæ, Slobodæ, Alexandriæ; partim ex gleba viminibus cōtexta & probe calcata, qualis est Smolenczo. Sed ordinarie exstruuntur muri locorum fortium ex magnis

trabibus,

trabibus, inter quas conſtipant terram, relinquendo ad defenſionem foramina pro Pyrobolariis. Talis ædificatio commoda eſt defenſioni, contra tormenta bellica, ſed non reſiſtit igni.

XXVIII. Subditi Magni Ducis inſerviunt ſuo Principi in bello, Capitaneis ad nutum ſunt, patiuntúrque omnem incommoditatem, non curant frigus nec pluvias, patiuntúrque incredibiliter inediam famémque ſuntque parvo contenti. Æſtimantur itaque aptiores defendendis caſtris, quam præliis campeſtribus: illic enim multum valet patientia & tolerantia; hic autem requiritur audacia animúſque. Poloni ſunt meliores conflictibus campeſtribus, quam propugnandis arcibus. Magnus Moſcoviæ Dux Ioannes, experientia edoctus de ſuorum in velitationibus & præliis ignavia, & de Polonorum audacia animíſque, dicebat ſuos opus habere calcaribus quibus impellerentur. Polonos freno quo retinerentur.

XXIX. Vires præcipuæ hujus Principis conſiſtunt in equitatu, habet ditionem vaſtam, & pro majori parte incultam. Ab Caſſano enim Aſtrachanum uſque vix invenitur pagus, quamvis inter ea oppida aliquot dierum iter ſit. Bello quod ei intulit Stephanus Rex Poloniæ (qui tamen non ultra 60. millia tum equitum tum peditum habebat) ipſe tantum militum numerum colligere non potuit, quo non dico ſe ei aperto Marte objiceret, ſed nec potuit ipſum divertere ab oppugnationibus Polotiæ, Vilicoluci aliorúmque locorum, aut ab obſidione Pleſcoviæ. Anno 1570. penetravit Princeps Tartarorum Præcopitarum, cum 80. equorum millibus, uſque in

viſcera ſui Imperii, tradiditque flammis ipſam Moſquam urbem Regalem. Equitatui addidit Magnus Dux Ioannes aliquot millia Pyrobolariorum, quos ipſe inſtituit. Quoquo ſecundo aut tertio anno deſcribit per regiones bello aptos: in commentarios referuntur filii Nobilium & numerus famulorum equorúmque.

XXX. Magno Moſcorum Duci junguntur Præcopus, Princeps Tartarorum; Tauricæ Cherſoneſi Circaſſi (quinque montium inhabitant hi regionem quæ ſe ad 7. dierum iter extendit, reguntúrque à ſeptem Ducibus, Helvetiorum modo) Tartarus Nogay: Reges Sueciæ & Poloniæ. A Præcopo recipit multùm damni, nec ei ſpes eſt de ſumenda vindicta, quod cum Turca confœderatus eſt Præcopus, inſtruitúrque à Turca ſclopetis tormentíſque bellicis, habetque in ſua ditione loca fortia cum præſidio Turcico, itaque eum invadere difficile factu arduumque eſſet; concitaret enim in ſe potentiam illius. Præcopo commodum eſt (ſicut & pluries fecit) ſubitam excurſionem facere in Provincias Magni Ducis, ſicut & poteſt facere in Provincias Regis Poloniæ & diripere obvia. Si magnus Dux ſubjugavit Tartaros Caſſanenſes, & Aſtrachanenſes, accidit id beneficio tormentorum bellicorum, quibus illi carebant. Duxit hic inter alia contra Caſſanenſes aliquas hujuſmodi machinas. Temoni plauſtrorum affigebat tabulam latam & craſſam, cum multo foramine, trajiciendo Sclopeto & Moſqueto inventum: Cum itaque ipſi graviter ferirent hoſtes (qui ſagittis tantùm utebantur, quibus Moſci lædi non poterant) non fuit difficile, eos vincere

ſubju-

subjugaréque. Sed Præcopus habet usum sclopetorum, & quod amplius est amicitiam, & protectionem Turcæ: qui ut sibi iter aperiret in Moscoviam, aut in mare Caspium, tentavit annis jam elapsis ducere fossam à Tanai ad Volgam, sed ejus milites fugati fuere à Moscis, in hoc adjuti à Tartaris, qui verebantur, ne planè à Turcis pessundarentur, si illud opus eis successisset. Nec solùm ruperunt classem Turcicam ceperúntque ejus partem, sed & exitio dederunt exercitum terrestrem, in quo numerabantur 80. Tartarorum, & 25. Turcarum millia, inter quos erant ter mille Ianizari.

XXXI. Circassi vivunt (sicut diximus) more Helvetiorum; non nituntur, ut sibi aliquid acquirant, sed tanquam mercenarii milites militant Turcis, Persis, Mosco, à quo tam longè dissiti sunt, ut non habeant occasionem sibi timendi ab ejus viribus. Tartari Nogai magis formidandi sunt, propter subitum impetum & excursionem, quam propter justam potentiam, quæ eis sit ad suscipiendas expeditiones regias. Annis retro elapsis, cum se movissent, ut Mosco damnum inferrent, retrogressi sunt placati donis, quæ eis missa fuere. Cum hi, sicut & Arabes, dediti sint latrociniis & grassationibus facilius est ipsos avertere donis, quàm pugnando. Quod plus est, cum ipsi nec civitatem, nec munitionem habeant, qua expugnata & in dominium hostis redacta deprimi & tanquam freno cohiberi possint, bellum ipsis inferre, est expensas facere sine lucro. Adversus hos tenet Magnus Dux magnum equitatus numerum, in Citrachan, Casan, & Viatca: habet quoque

præsidium in Culugan contra Taniam, ut resistant Præcopitis.

XXXII. Cum Rege Sueciæ jungit fines Moscus, præcipuè ad partem Finlandiæ, ubi Suecus (quo cum diu bellum gessit) paucis retro annis ei eripuit munitiones Serenosco, Pernaviam majorem & minorem in Livonia, aliaque loca, cum Moscus impeteretur à Rege Stephano. Tenet Suecus in extremitate Sinus Finlandiæ munitionem Viburgum, magno præsidio & expensa, ut resistat Russis & Magno Duci: habet quoque in illo mari & portubus vicinis, suas naves bellicas, tum ut obviet omni tentamento Magni Ducis, tum ut impediat, ne ex Germania in Moscoviam vehantur arma & apparatus bellici: nec aliæ naves quam suæ ad illas oras appellere possunt, nisi permissione, propria Regis manu signata. Hoc præcommodum classis, & potentia navalis fecit Regem Sueciæ, iis locis ubi hanc vim armorum explicare potest, Mosco superiorem, cepítque hac via ab hoste, multa loca in ora Livoniæ locísque vicinis. Sed ubi equitatus Duci, frequentiáque populi usui esse potest, nempè in campis apertis, & in locis longè à mari Balthico dissitis, videtur Magnum Ducem potiores quodammodo partes habuisse; semper enim ferè invasit Suecum. Non possunt tamen sibi invicem multum damni inferre, propter asperitatem montium, frigus, glaciem, nivésque.

XXXIII. Super est Poloniæ Rex, inter quem & Magnum ducem, est differentia, quod Moscus plus regionum habet, sed Poloni melius inhabitatas civilioréſque; illi plures subditi obe-

dientioréſque

dientioréſque ſunt, huic autem audaciores & animoſiores: illi ad reſiſtendum quàm aggrediendum ſunt aptiores, hi ad invadendum; illi ad defendendum munitiones, hi adaperto prælio pugnandum; illi magis juncti unitique ſunt, hi magis deliberati ad factionem expeditionémque: illi timent minùs inediam & incommoditates, hi mortem & ferrum. Sed utrique tantum valent, quantum eorum Princeps virtute & fortitudine præſtat; Magnus enim Dux Baſilius cepit Magnum Ducatum Smolenſcenſem, & Poloſcenſem, & ampliſſimam ditionem in Livonia. E contrario Stephanus Poloniæ Rex eripuit ultimo bello Ioanni Magno Duci, filio Baſilii, Poloſco aliáque diverſa magni momenti loca; obſedit civitatem Pleſcovienſem, coegítque tandem Moſcum, tota Livonia decedere. Inde videtur populum tantùm valere, quantùm ingenio, animóque valet Rex.

XXXIV. Ruſſi primum Ducem ſuum vocant Ruricum famoſæ illius & magnæ Novogardiæ conditorem. Ex ejus filiis celeberrimi fuere Suætoſlaus, quem Græci in Annalibus ſuis vocant Sepentoſtablum, qui domita Bulgaria, Imperium Ruſſiæ, uſque ad Pontum Euxinum & Thraciam propagavit.

XXXV. Anno 989. *Vladimirus* Dux Ruſſorum religionem Chriſtianam ſecundùm ceremonias Græcorum in Ruſſiam introduxit. Hic urbem *VVlodimiriam*, quæ diu caput Imperii Ruſſici fuit, condidit, ac totam Ruſſiam, pro numero filiorum ſuorum in duodecim Ducatus diviſit. Ex quibus hi tres præcipui fuerunt, Wladimirius, Naugardenſis & Kiovienſis. Hæc diviſio Ruſſiam

civilibus bellis inter cognatos mirum in modum involvit, quæ etiam extingui nequivere, donec Russia in unius Monarchæ potestatem iterum veniret.

XXXVI. Anno 1224. Tartari duce *Bathi* universam Russiam servituti suæ & annuo tributo subjecerunt, quæ duravit usque ad An. 1500.

XXXVII. Anno 1324. *Georgius* Dux Wladimiriæ, regiam urbem Moscoviam ad flumen Moscum struxit, quæ impostерum totius Imperii caput, toti insuper genti nomen dedit, ut hodie Moscovitæ in universum Russi appellentur.

XXXVIII. Anno 1500. *Iohannes* Dux Moscoviæ Tartarorum jugum penitus excussit, & reliquis ducibus oppressis, omnium Russorum Regem sive Imperatorem se appellavit, ac Imperium longè latéque propagavit, & latius adhuc ejus Successor *Basilius*, qui provincias glaciali Oceano vicinas usque ad fluvium Obium & novam Zemblam recuperavit, atque insuper Lithuaniæ Ducatus *Smolensko & Pleskoviæ* eripuit. Hujus filius fuit *Iohannes* Basilides, famosus ille Russorum tyrannus, qui expugnatis duobus Tartarorum ad Volgam Regnis Cazano & Astracano, limites Imperii sui usque in Persiam & ad mare Caspium produxit. Idem atrocissimo bello Livoniam afflixit, ibique magnis cladibus acceptis, in furorem versus horrendas passim suorum pariter ac hostium strages edidit, & optimum filium suum Iohannem, sua manu occidit. Inaudita ferè & incredibilia sunt, quæ de ejus tyrannide à Paulo Odenbornio, qui tum temporis

poris in Muscovia fuit, referuntur.

XXXIX. Anno 1601. Ei successit filius *Theodorus*, Princeps simplicis ingenii, quo sine liberis defuncto, *Russia* inauditis malis propter successionem exercita, & tantum non pessundata fuit. Quippe cum *Iohannes* Basilides duos habuisset filios Theodorum & Demetrium, hic clam fraude quorundam ante patris obitum interfectus fuerat: cum verò Theodorus absque prole obiisset, Poloni quendam impostorem, cui nomen erat Gregorio Strepio, subornarunt, qui se pro Demetrio Basilidis filio gereret, adeóque Patrium Imperium suo jure posceret: Tanto autem artificio hic fictitius *Demetrius* Personam suam egit, ut nemo omnium Russorum dubitaret, quin legitimus Iohannis Basilidis filius & Imperii hæres esset. Certatim igitur ad ipsum defecere, quod cum videret Borisfederovicius, qui Russorum Dux interea creatus erat, mœrore animi, sive veneno extinctus fuit. Ita hic Pseudo *Demetrius*, magno applausu receptus Imper. Russorum obtinuit, sed paulo post Russis fraus subolere cœpit, quippe Polonorum potius quàm Russorum mores sequebatur. Quapropter conspiratione inita, eum obtruncant, & Imperium ad quendam Basilium Zuski deferunt. Sed mox novus iterum erumpere Demetrius, & post hunc tertius, ut toties occisus Demetrius, semper iterum resurgeret, & turbas in Russia daret: Longa est Tragædia, longæ ambages: denique Russia inter illas commotiones, miserum in modum afflicta & exhausta fuit, hinc Polonis, inde *Suecis*, alibi *Cossacis & Tartaris* prætextu auxilii, irrumpentibus. Poloni ipsam

Vrbem Moſcoviam direptam & ſpoliatam combuſſerunt, in cujus urbis caſu ducenta millia Ruſſorum periere; & veteres Ducum Theſauri, inæſtimabiles planè, direpti ſunt, tanta militum præda, ut pretioſiſſimas margaritas & gemmas pro plumbeis pilis per bombardas ſuas ejacularentur. Inter hæc mala ambigui Ruſſi & tot paſſim erumpentibus Demetriis, quo ſe verterent incerti, tandem alii Vladiſlaum Poloniæ principem, alii Carolum Philippum, Guſtavi Adolphi regis Sueciæ fratrem, ducem poſcere. Sed & horum mox pertæſi tandem Imperium detulere.

XL. Anno 1612. *Michaeli* Federovicio principi laudatiſſimo, qui confuſam & exhauſtam civilibus turbis Ruſſiam beata pace inſtauravit, una tantùm clade. Anno 1634. ad Vrbem *Smolensko* à Polonis accepta. Ei ſucceſſit Anno 1645. filius *Alexius* Michalovitius, qui Anno 1654. cum exercitu 40000. in Lithuania irruptionem fecit, & urbem Smolensko obſidione preſſam cepit.

XLI. A. C. 753. *Imperium Ruſſiæ condiderunt VVaregi*, ex quorum natione tres fratres *Ruricus* Novogardiam, *Scineus* Biale-Goſioro, *Truborus* Pleſcoviam tres celebres Ducatus condidere. Extinctis abſque prole Scineo & Truboro ſolus Ruricus Ruſſiæ Monarcha factus fuit, conditor familiæ Ducum, quam Bealam vocant, unde *Fletcherus Eliſabethæ* Angliæ Reginæ Legatus conjecit Ruricum ex Hungaria ortum, ubi Belæ nomen frequens. Abſurde. Rurico ſucceſſit Ihor filius ſive Iehor, quem Cedrenus & alii Græcorum hiſtorici vocant Inger Regem Ruſſorum, quo intra juventam defuncto mater ejus Olha

ſeu

ſeu Helena Principatum ſuſcepit, Ruſſorum Semiramis. Poſt Olbam regnavit Suatoſlaus ſeu Stoſlaus, Græcis Sphendoſtablus, qui domita Bulgaria imperium Ruſſiæ uſque ad Pontum Euxinum & Thraciam oſtendit. Malè Thuanus lib 21. Hiſtoriarum Sphendoſtablum hunc cum Rurico confundit. Eo mortuo Ruſſia pro numero filiorum in tres diviſa Ducatus, Xiovienſem, Pazinacenſem, & Novogardienſem. Solus fratribus ſuperſtes Vladimirus An. 976. Ruſſiæ iterum Monarcha factus, ducta Anna Baſilii Conſtantinopolitani Imperatoris filia religionem Chriſtianam ſecundum fidem & ceremonias Græciæ in Ruſſiam introduxit, An. 989. Ab eo tempore univerſa Ruſſia Græcam religionem conſtanter retinuit, neque ullis artibus cum Latina ſive Romana Eccleſia conciliari potuit. Hic Vladimirus urbem Vladimiriam exſtruxit, & in ea ſedem imperii Ruſſici poſuit. Obiit An. 1005. Cumque 12. reliquiſſet filios, Ruſſia in 12. Ducatus diviſa fuit, ex quibus præcipui Novogrodenſis, Roſtovienſis, & Wolodimirienſis. Hæc diviſio duravit uſque ad An. 1033. quo Iaroſlaus ſolus ſuperſtes univerſam Ruſſiam iterum conjunxit. Sed An. 1052. iterum in 5. partes diviſa fuit, Ducatum *Smolensko, Vladimiriæ, Kioviæ, Czerniceioviæ & Pereaſlaviæ.* Ab eo tempore variis Ruſſia diviſionibus ac diſſidiis dilacerata fuit.

XLII. *Diviſa fuit in Ruſſiam Albam & Ruſſiam Nigram.* Duo præcipui Ruſſiæ Ducatus fuerunt. *Kiovia & Vladimiria*, quibus qui potiebantur illi veluti Monarchæ Ruſſorum erant. *Kiovia* ſedes erat Ruſſiæ Nigræ, Vladimiria

Ruſſiæ

Russiæ albæ. Quæ ratio hujus appellationis sit certo tradi non potest. Baro Herbesteinius à vestimentis peritum nominis discrimen putat : sed ratio illa insufficiens : casu potius ita distinctos fuisse credimus, quemadmodum Turcis ad Orientalibus solemne. *Vladimirienses* Duces alio nomine appellantur Susdalienses à Susdal, in quam ex *Vladimiria* sedes regni translata.

XLIII. *Russia Tataris subiecta.* Anno 1224. & sequentibus Tatari ex Scythia in Russiam irruperunt duce *Batti*, qui universam potestati suæ subjecit, ac Russię Duces omnes in misertimá servitutem redegit. Hæc Tatarica servitus usque ad tempora Basilii & A. C. 1500. per tria ferè secula duravit. Imperatores Tatarorum Zavolhensium Duces pro arbitrio Russis dabant, ac quanta ipsorum in Russos dominatio fuerit, apud Herberstenium, Petrum Petræum, & alios rerum Moscoviticarum scriptores prolixè legi potest.

XLIV. *Russia Nigra Poloniæ accessit.* Circa An. 1300. Quippe tum capta à Polonis *Kiovia* & devastata fuit, neque se amplius erigere Russia aut ad antiquam adspirare potentiam potuit, donec ante biennium Duce *Chimilenski* antiquam ex parte recuperaret libertatem.

XLV. *Russiæ albæ caput urbs Moscovia facta fuit.* Circa A. C. 1325. Georgius sedem imperii ex urbe Vladomiria in urbem Moscoviam transtulit, à quo tempore Russia etiam Moscovia appellatur. Nihilominus Vladimiria in hunc usque diem primum in Magni Ducis titulo locum obtinet, secundùm demum Moscovia.

XLVI. *Russia Tatarorum iugo liberata.* Factum

Factum id à *Iohanne* Basilide, qui cum reliquos Russiæ Duces in ordinem redegisset, primus sese Magnum Ducem appellavit, & Tataros Russia feliciter expulit. Hic est ille *Iohannes* Basilides, qui Russicum Imperium ad tantam magnitudinem evexit, & Novogardiam A. 1477. expugnavit, cuius urbis quanta fuerit potentia ex antiquo proverbio patet, Quis potest contra Deum & magnam Novogardiam? Eius successor Basilius, qui ab Imperatore Tatarorum Precopensium *Mendlikirei* A. 1515. victus & tributarius factus est. An. 1518. provincias glaciali Oceano vicinas Betsoram, Papinam, Samagediam, Vgrojam, Obdoram & Condoram subegit, ac Moscoviticum Imperium usque ad flumen Obi ac Novam Zemblam extendit. Sub eo Ducatus quoque *Smolensko & Pleskovia* accessit. Quo rerum successu inflatus Basilius *Tzarum* seu Imperatorem sese appellavit. Extat apud Herberstenium prolixa de titulis Principum Russiæ dissertatio, ubi negat Magnum Moscoviæ Ducem rectè appellari posse Regem. Id certum Russos non semper eodem uti titulo. Nam in legationibus ad Polonos non nisi magnum Ducem sese vocat. Quoties verò cum Imperatore & Pontifice Romano, Turca, Regibus Sueciæ ac Daniæ, Tzar, i.e. Regem & Imperatorem sese vocat. Sub ejus filio *Ioh. Basilide* II. duo regna Tatarica Casan & Astracan accessere, ac Imperium Moscoviticum usque ad mare Caspium & Persiæ fines prolatum fuit. Et hoc summum Russiæ incrementum. *Ioh.* Basilides omnium Tyrannorum immanissimus fuit, de cujus vita ac moribus scripti commentarii omnem pene fidem superant.

superant. Ei successit An. 1484. *Theodorus* seu *Fedor Iaanovvitz* ingenio socors, qui socium in imperio fecit Borisium Fedrovvitzium. Hujus Theodori opus est vallum illud ingentis longitudinis inter Tatariam Precopensem & Russiam, quod desectis arborum truncis superingesta terra constat, ad prohibendas Tatarorum quotidianas invasiones, quemadmodum pari consilio Chinam muro à Tataria interseptam novimus.

XLVII. *Novam Imperatorum Russiæ familiam condidit Michael Fedrovvitz.* I. Post excessum *Theodori Russia* per integrum decennium inauditis jactata fuit tempestatibus, ac theatrum horrendarum miseriarum fuit, cujus tragœdiæ quam luctuosa continuatio tam levia initia & fœdi exitus fuerunt. Fuerat *Iohanni Basilidi* filius alter nomine *Demetrius*, quem iracundus Pater, nescio qua occasione baculo percussum sive interemerat, sive relegaverat. Id satis constat *Demetrium* antè Patrem obiisse. Cum *Theodorus* negligentius administraret Russiam, quam populi ingenium fert, atque insuper careret legitima prole, Iesuitæ in *Polonia* mirum exorsi sunt facinus. Habebant illi in collegio quodam suo juvenem origine Russum, cui nomen *Gregorius Strepius* sive *Grisca Vtrepaja*. Hunc à prima juventute ad futuram tragœdiam egregie instruxerunt, ac præceptis imperii ita informarunt, ut totam Russiam miserè deceperit. Quamprimum mors *Theodori* innotescebat, qui An. 1605. defunctus, Borisio adfine Imperium invadente, ex privata schola progressus *Gregorius* Demetrii dudum defuncti nomen ac personam adsumere, sese legitimum hæredem jactare,

jactare, invasorem Borisium, atque apud mutabile vulgus plus fidei reperire, quàm ipsi credidissent fraudis architecti. Favebat præter Pontificem Romanum Rex Poloniæ *Sigismundus* non ignarus omnia hæc simulari; sed tanti erat hostilem Russiam quocunque modo turbari. Brevissimo tempore Grisca Vtrepaja tanquam genuinus Demetrius universæ Russiæ Monarcha fit, nullo Russorum quidquam mali suspicante. Statim celebrantur nuptiæ inter ipsum & Palatini Sendomiriensis filiam, ac Poloni in Russia paulo insolentiùs sese gerere, quàm exteros & hostes antiquos deceret. Ipse Pseudo-Demetrius quanquam satis appositè personam suam gereret, tamen intra aliquot menses manifestam præbuit suspicionem non ex vero Russiæ Ducum sanguine ortum, qui tam alienus ab eorum moribus esset. Cur enim præferret suæ nationi Polonos? Cur in religione Græca exercenda negligentior esset? Sed hoc præcipuum fraudis argumentum fuit, quod, cum omnes Russi circa Meridiem somno indulgeant, omni aula & civitate altum stertente, solus Demetrius pervigil plateas obiverit. Haud diuturna interposita fuit mora: statim conspirarunt Proceres Russiæ, & adorti ex improviso Polonos magnum eorum numerum una cum ipso Pseudo-Demetrio interfecerunt. Quo peracto facinore exposita cæsorum corpora in publico urbis Moscoviæ foro, & nuda, ultimísque afficta contumeliis ab omnibus aspiciebantur & contrectabantur, ut ne quisquam amplius dubitaret revera extinctum Demetrium sive verum sive falsum.

XLVIII. Cæso Pseudo-Demetrio Russi An. 1606.

1606. Basilium Ibanovvitz Zuci magnum Ducem elegerunt. Mox in Occidentalibus Provinciis crebrescere fama miraculo evasisse Demetrium ac propediem in regnum reversurum. Quippe eo ipso tempore, quo Moscoviæ interficiebatur Demetrius, sparsa latè fama fuit, conspiratum quidem à sicariis in vitam ejus fuisse, ceterum per medios hostes elapsum in Polonia auxilii quærendi ergo versari. Tam subtiliter hic dolus instructus fuit, ut quidam Ludimagister oppidi Sogotiæ, cui nomen Ioh. denuò assumeret personam jam secundum interfecti Demetrii, adiutus auxiliis Cosaccorum. Digna lectu sunt, quæ de eo tradit Petrus Petræus in Chronico rerum Moscoviticarum.

XLIX. Contra hunc Pseudo Demetrium II. in Septentrionali Russia tertius emersit Demetrius, scriba quidem Moscovita qui ab Ipanogrodensiscriba quidem Moscovita qui ab Ipanogrodensibus, Iamensibus, Coporiensibus, & Meskoviensibus pro Magno Duce & vero Demetrio receptus fuit. Sed eius imperium mox evanuit, ac superstes ipsi mansit Pseudo-Demetrius Secundus. Interea Moscovitæ senserunt sibi illudi à Pseudo-Demetriis ac meros impostores esse qui illud nomen adsumerent. Igitur pertæsi motuum horum A. 1612. exterum Principem quærere cœperunt. Sed divisis studiis alii ex Polonia, alii ex Suecia. Quippe durantibus his in Moscovia turbis specie ferendorum auxiliorum Poloni ab Austro, Sueci à Septentrione Russiam latè vel vastarunt vel occuparunt. Sueci auxiliabantur Zuscio; Poloni Demetrios, quicunque essent, defendebant. A. 1610. *Iacobus de la Gardie* magnus exerci-

exercituum Suecicorum Imperator, quod nulli unquam concessum, & ipse & centuriones eius gladiis suis accincti magnum Ducem Zuscium viderunt & allocuti sunt. A. 1611. Poloni urbem Smolensko, Sueci urbem Novogardiam expugnarunt, ac eo tempore irritum fecerunt illud proverbium superbum & insolens. Quis potest contra Deum & magnam Novogardiam? Sex millia Suecorum ingentem urbem, in qua amplius 100000. Russorum aperta oppugnatione ceperunt. Igitur Russi Australes capto & in Poloniam misso Zuscio Magno Duce *Vladislaum Sigismundi* Poloniæ Regis filium nuper defunctum magnum Russiæ Ducem crearunt. Septentrionales verò *Carolum Philippum Gustavi Adolphi* Suecorum Regis fratrem. Vterque egregiè deceptus fuit à Russis. Poloni urbem Moscoviam A. 1612. funditus incendio & ferro everterunt, ac tum temporis inæstimabiles Russorum Principum thesauri ab antiquo congesti perierunt. Sueci Polonos iterum ex Moscovia ejecerunt; quo facto, cum Russi viderent sese non nisi prædam & ludibrium esse exterorum, ex propria iterum gente Imperatorem quæsiverunt. Primus huius consilii & author & administer homo in infima plebe in urbe Pleskoviensi lanius fuit. Eo authore creatus Magnus Dux *Michael Fedrovvitz* florens ætate ac virtutibus juvenis, qui statim eundem lanium quæstorem suum constituit. Huic sese opposuit Pseudo-Demetrii Secundi vidua, *Margaritha Gorgona*, quæ ducto Ivvan Martinovvitz Carusci Cosaccorum Duce, Provincias Orientales Russiæ Casan, Astracan, Siberiam,

Rezan,

Rezan, Colugiam & alias Provincias titulo regni pro filio suo adhuc impubere Pseudo-Demetrio IV. occupavit. Duravit hoc regnum per biennium, donec tandem Demetrius IV. cum matre sua & Patre captus & à Russis interfectus fuit. Ita solus superstes Michael Fedrovvitz primo omnium pacem cum Suecis sancivit, à quibus ipsi restitutus fuit Magnus Ducatus Novogardiæ. Sueci omnem Livoniam, Ingriam, Careliam, & multas ad Mare Album Provincias in perpetuum retinuerunt.

L. Hic Michael Fedrovvitz miserrimè adflictum Russiæ imperium prudentia, moderatione animi, ac perpetua cum vicinis pace ita recreavit, ut nunquam felicior fuerit, quàm sub ipso. Vnam accepit eamque atrocem A. 1634. à Polonis calamitatem. Cum enim obsedisset Smolensko, ingens ipsius centum millium exercitus à paucis Polonis ad turpissimam coactus fuit deditionem. Nota historia est. Ab eo tempore armis planè abstinuit Michael, amator exterorum, & supra quam eius gentis ingenia ferunt, summa humanitate excultus. Obiit An. 1645. 12. Iulii, eique successit filius Alexius Michalovvitz adhuc minorennis, sub quo horribilis iterum seditio Moscoviæ A. 1648. fuit.

LI. Ratio status M. Ducis in eo (1.) ut Principes & Magnates (die Knesen vnd Boiaren) qui plurima possident prædia & divitiis abundant, in aula perpetuò vivant, & bona per Præfectos administrent, hoc fine, ne quid contra Ducem tentent. (2.) Vt in scholis erudire non liceat juventutem, præterquam quod legere & scribere

doceantur

doceantur. Hinc si de re quadam abstrusa quæstio oritur; eam solum Deum & Magnum Ducem scire aiunt. (3) ut religionis perpetua sit unio. (4) ut nemo peregrinetur, & Imperii finibus exeat. Russicum itaque Imperium planè despoticum tyrannis est legitima, quia omnia ibi secundum leges fiunt.

LII. Consiliorum ratio in gravioribus negotiis ita instituitur: Conscribuntur à Patriarcha Episcopi, Abbates & Monachi, qui ad diem Veneris (is enim arduis negotiis maximè impenditur) ad locum publicum sese recipiunt, & Imperatorem præstolantur. Eo accedente sese proripiunt, & duobus digitis fronti ac genubus admotis, dextrum latus Principis osculantur. Nobiles interim in ambitu parietum conclavis sedent; postea quidam ex scribis recitat, cur fuerint convocati, causáque expositâ petit consilium: Patriarcha respondet pro more; reponit Scriba; mox post brevem consultationem Patriarcha à Principe in cōclave deducitur: quorum sermonibus in secreto absolutis, totum negotium læto finitur convivio. Certum igitur est, quod M. Moscoviæ Dux multa cum Kneesiorum & Boiarorum id est, Ducum & Baronum voluntate peragere inque multis Patriarchæ sui consilio parere soleat.

LIII. M. Dux ad utilitatem suam sacra administrare curat per Patriarcham, quem ipse creat, & quando ipsi lubet, munere suo privat. Episcopis subsunt *Poppi* sive Presbyteri die Papen. Possunt autem interdum vix legere & cantare. Russiæ itaque sacra non ad erudiendum populum sed ad confirmandum dominatum, dum populus manet

D rudis,

rudis, instituuntur. Hinc rudis plebs in rebus, religionem spectantibus, se credere dicit, quod Dux & Patriarcha credit: Patriarcha ille summâ pollet auctoritate, maximúmque post Imperatorem honorem tantâ cum potestate obtinens, ut in Ecclesiasticis quædam mutare possit, nec à quoquam ipsi contradicatur.

LIV. Vtut Russi satis sint apti ad militiam (inedia, laborum ac frigorum admodum patientes) tamen ratio bellandi apud eos non est probata, quia populus non est institutus arte militari, & hactenus Russi armis non sunt satis instructi. Præcipuum autem militiæ Russicæ robur in *Strelicis* sive sclopetariis peditibus consistit.

LV. Magnus Zaar ex amplissimis regionibus, quas tenet, aliquot milliones auri percipit. Præcipuè autem vectigalia fiscum ejus ditant. Vnum emporium S. Michaelis Archangeli quotannis 600000. Thalerorum ærario inferre solet.

LVI. Per sylvas & deserta limites Russiæ muniuntur. Extrema enim Imperii dum vacua colonis relinquuntur, terra sylvescit, densisque arboribus & imperviis tesquis defenditur, haud secus ac civitas aliquo vallo.

TEXTVS

TEXTVS CONRINGII

De

REPVBLICA POLONORVM.

TITVLVS XI.

I. PErgimus nunc ad proximam Remp. Poloniæ, quæ & magnam Russiæ partem tenet, & utraque Gens eâdem penè utitur lingua, & sic ejusdem sine dubio originis: Nulla verò in antiquis monumentis Polonorum fit mentio, nisi quod Iornandes lib. de reb. Geth. (qui vixit in Italia tempore Iustiniani, natione Ostrogothus) meminit; Gothos transiisse super Vistulam in terram Palorum, quod ego Sphalma Typographorum esse puto, & legendum Polorum; Post hunc apud nullum scriptorem reperias vocem Polonorum; altum enim silentium usque ad *Sec.* IX. quo à Scriptoribus rerum Germanicarum res illorum memorari cœperunt, quia partem Germaniæ constituerunt.

Moschi, & Poloni sunt eiusdem originis.

Polonorum quando fiat mentio in historiis.

II. Quando verò fuerint, & quomodo sub Imperium Germanicum redacti, de eo vid. lib. de finibus Imperii: de quo verò in Polonicis monumentis altissimum est silentium; & aliud planè tradunt, scil. partem Germaniæ Regno Poloniæ olim fuisse subjectam, quæ omnia ficta esse ostendi.

Polonia quondam Germaniæ subiecta.

Poloni rerum suarum antiquos scriptores non habent.

III. Ipsi verò Poloni rerum suarum non habent antiqua monumenta, quod fatentur ipsi, & nil habent antiquitatis notum antè *Martinum Buglossium*, cujus opus tamen nunquam prodiit in lucem, nec enim permittunt illi prodire, sed supprimunt, forsan quia multa narrat, quæ non placent, nec ad palatum sunt. Cæperunt autem proprio marte conscribere superiori Seculo demum, ita ut omnia scripta Polonica non excedant tempora illius seculi. Quando verò præclaros acceperunt Scriptores, & unum vel alterum, qui possit ad antiquitatem provocare, ex eo appulerunt animum ad studia, inprimis eloquentiam. Quod autem attinet ad Reip. cõstitutionem, exhibet eam *Martinus Cromerus* Polonus, vir doctus, prudens, eloquens, cujus descriptio est omnium optima. Legi etiã solet eius Resp. Polon. in Batavia edita, quanquam nomen non sit appositum, idem prosecutus est 30. libris omnem historiam Polonicam. Ex iis apparet, multum eum dedisse amori patriæ, & studiosum fuisse libertatis, ingenio Polonorum communi; deduxit verò illam usque ad Sigismundum M. seu Augustum. Secundo loco possis numerare *Matthiam Mechovium*, doctum itidem Scriptorem, multùm verò debet Cromero. Per prudenter verò prosecutus est historiam usque ad ann. super. Seculi. 1587. *Salomon* Neugebaverus, edita illa historia in Germaniâ, ideoque vili pretio parata, digna verò lectu est, quia omnia perquam compendiosè complectitur: in libris 6. prioribus maximè secutus Cromerum, cujus etiam compendium dicere posses; reliqua ex variis excerpsit; Natione fuit Germanus.

Martinus Buglossius. *Scriptores rerum Polonicarum.* *Cromerus.* *Matth. Mechovius.* *Neugebaverus.*

Meretur

Meretur porrò non exiguam laudem *Heidensheimus*, qui Stephani Regis res prosecutus est, quo nemo in Regno gessit majora. Recētiora persecuti sunt & alii; & *Pauli Piasecii* Chronicon non est contemnendum, non quidem ob facundiam, quam nullam habet, sed propter candorem & veritatem, id quod multi Polonorum ægrè ferunt, & illi Chronico perquam infesti sunt, ubi solet veritas odium parere. Prolixè autem res Polonorum prosecutus est *Stephanus Lubiensky*, cujus opera omnia grandi volumine sunt edita Antvverpiæ. Est etiam alius, qui forsan adhuc vivit, qui descripsit res Vladislai Principis, nondum tamen Regis, *Kob,erzycko*, florentissimi styli Scriptor, quem sine admiratione non legi. Hoc tamen Poloni commune habent, ut sint grandiloquentes. Nec enim amant tristem illum Taciti stylum, sed jucundum & luxuriantem Livii. Elegans etiam, parva licet, est historia Sigismundi Regis, conscripta à *Stanislao Orichovio* ob elegantem, qua nitet, latinitatem. *Simon Starovolscius* dedit etiam nobis elegantem Chorographiam totius Poloniæ, qui satis eam descripsit, non dissimulans vitia gentis suæ, ob quæ aliquando concidet tota Polonia: addictus verò nimis est Religioni Pontificiæ & acerrimè insectatur (institutus procul dubio in Scholis Iesuiticis) omnes dissidentes. Dantisci primum editus in forma 24. recusus dein Wolferbyti, additâ egregiâ tabulâ, quæ meo judicio inter omnes tabulas Poloniæ est optima, unà cum indice locupletissimo, qualis debet esse penes omnes Chorographias: possunt etiam consuli libelli, qui alibi sub initium

Heidensheimus. *Paulus Piasecius.* *Steph. Lubiensky.* *Koberzycko.* *Orichovius.* *Starovolscius.*

belli, Suecico-polonici prodierunt; qui me curante, hic cusi sunt ut sunt de controversiis Succo-polonicis, de jure, quod in Livoniam prætenditur. Alia descriptio Reip. Polo. peti potest ex Philippo Honorio & Theatro Politico Nicolai Belli. Singulare caput de ingenio Polonornm est in *Ioannis Barclaii* Icone animorum, frementibus Polonis, qui volunt suæ gentis gloriam & famam apologiâ singulari contra Barclaium directa tueri.

Barclaius descripsit ingenium Polonorum.

IV. Mappæ terræ Polonicæ sunt variæ. In Batavis quidem nullæ sunt editæ plenæ & perfectæ ex parte totius Regni, sed Regnum Poloniæ saltem propriè sic dictum continent. Sunt & aliæ Mappæ speciales, qualis est Lituaniæ. Egregia sanè Mappa edita est à Ioh. Blaeu, item Borysthenis & Brussiæ, quas consulere est operæ pretium. Gallus quidam confecit tabulam (qui se appellat Geographum Regium) quæ continet omnia quæ sub Regno Poloniæ. Tabula Bunonis est omnium exactissima, nisi quod veterem etiam Poloniam habeat, comprehendit omnes partes ejusdem Reip. & distinctè exhibet omnes Palatinatus, in quos Polonia distincta est.

Mappæ Geographicæ Poloniæ.

V. Nunc quæ ad causam materialem pertinent, differam, ubi notandum olim planè aliam fuisse Poloniæ faciem, & propriè ad Poloniam nihil pertinuit, nisi quod Poloniæ majoris & minoris nomine comprehenditur, deinde & Silesiæ. Hæc per 300. annos à Polon. Regno avulsa est, neque hodie censetur portio Regni Polonici, licet supersint Principes Silesiæ Lignicenses & Briegenses, qui orti ex antiquâ familiâ Piasti sc. Poloniæ Regis.

Causa Materialis Regni Poloniæ.

Poloniæ facies antiqua.

Silesia hodie non pertinet ad Poloniam.

VI.

VI. Cùm verò Polonorum res nimis crevissent, & tam amplam Regionem parere difficilè videbatur, consultum Germaniæ videbatur, ut divideretur in tres, vel quatuor partes, in Poloniam majorem, & minorem, Masoviam, & denique Silesiam. Avulsâ denique Silesiâ, reliqua omnia in corpus unum concreverunt, Et 1. quidem *Russia Rubra* ingens ditio. 2. *Prussia* tota, quæ dividitur hodie in Electoralem, quæ pars ante annos aliquot divulsa, & omnia sunt sub Regimine Electoris Brandeburgici, qui olim erat Vasallus [add. *Quomodo Borussiæ Ducalis Souverenitas ad Electorem pervenerit, in Diario Europæo egregiè refertur.*] 3. tota *Livonia*, exceptâ unâ Esthoniâ; felicitate Suecorum verò superiori bello omnia penè illis cesserunt. *Duces Lignicenses & Bricg. Poloniæ vetus & nova divisio. Russia rubra. Prussia. Livonia.*

VII. Maxima accessio Poloniæ facta; cum æterno fœdere connexa fuit Poloniæ Regno *M. Ducatus Lituaniæ*, quo tempore Iagellonem, paganum adhuc, & M. Ducem Lituaniæ sibi Regem creassent Poloni, qui eâ conditione electus erat Rex ut sc. accresceret Regno Ducatus; quam diu verò superfuerunt ex familia Iagellonica Reges, nunquam consentire poterant in plenam conjunctionem, quia illis competebant jura hæreditaria in Ducatum & Monarchiam, Regno verò Electitia, & precaria. *Lithuania.*

VIII. Vltimus verò familiæ Iagellonicæ Sigismundus Rex paulo ante obitum suum, cùm videret deficere familiam masculam, consensit in plenam conjunctionem, quod factum superiori seculo. Excrevit ergo Polonia in ingentem amplitudinem: Sed quemadmodum facilius est *Quando Lithuania perpetuo accesserit Poloniæ. Polonici Regni decrementa.*

acquirere, quam tueri, ita paulatim iterùm partem Russiæ, Poloniæ, Lituanicæ, & totam Livoniam amiserunt. Plus intra 10. annos amiserunt hac ratione, quam intra aliquot secula acquirere potuerant. Ita Livonia tota est hodie penes Suecos: Prussia Ducatus, penes Electorem Brandeburg. qui jam redditus est plenus Dominus illius Ducatus, sive *souverain*.

Livonia hodie est iuris Suecici. Prußia Ducalis iuris Brandeburgici.

Partes integrantes Regni Poloniæ.

IX. Ad corpus verò Regni Polonici pertinent. 1. Poloni ipsi propriè sic dicti, & alii populi, qui à Polonis multum sunt distincti. Ad illos pertinet *Polonia maior & minor*, *Masovia* quæ provincia tenetur à gente verè Polonicâ. Tota Silesia aliquando habitata fuit à Polonis solis; verum intra 400. annos fuit sejuncta, & novos tandem accepit incolas, qui magnam partem sunt Germani. 2. Præter Polonos ad corpus Reip. pertinent *Russi*; his annumerari debent *Lituani*, qui cœperunt demum cum Regno hoc conjungi ante annos 250. præter propter, cum Poloni, extinctâ priorum Regum familiâ, acceperunt Iagellonem, Lituaniæ Ducem: non tamen Lituania plenè fuit conjuncta, quia solum hæreditarium jus Poloni habebant in Lituanos, & illis nolebant plenam concedere libertatem: Tandem verò post Iagellonem in paria jura & civitatem adoptati sunt sub Sigismundo Rege, & communis cæpit esse portio Regni Polonici Lithuania.

Silesia hodie à Polonia seiuncta.

Lituania hodie cum Polonia plenè coniuncta.

X. Præter Lithuanos, pertinent ad Remp. Polonicam *Russi*, non quidem omnes, sed perquam multi. Horum autem alii primariò pertinent ad

Poloniam,

Poloniam, alii ad Lituaniam. Illi Russi partim armis victi à Lituanis, partim à Polonis, tandem se asseruerunt in parem libertatem. *Hâc arte multos Poloni devicerunt populos, quod sc. in parem libertatem in omnibus assumerent, perinde ut Romulus cum vellet instituere Remp. Romanam.* [add. *Notetur hæc ars devictos populos in potestate retinendi.*] Pertinent ad Remp. Poloniæ hodie *Russi rubri & albi*, qui nobilissimam regni Polonici constituunt partem; nobilissimam enim terræ & fœcundissimam tenent.

Russi quomodo ad Poloniam venerint.

Russorum divisio.

XI. Prussi etiam constituunt Regni partem. Prussi antiqui fuerunt populi planè distincti à Polonis rudes & barbari, quibus cum Polonis, posteaquam nomen dedissent Religioni Christianæ, perpetuum quasi bellum fuit: Non tamen eos potuerunt vincere, quare evocarunt militiam Sacram Germanam Marianam sub Imperatore Frid. II. Hi brevi momento totam sibi Prussiam subjecerunt, & Germanicis populis Prussiam ita repleverunt, ut non nisi exigua pars veterum incolarum supermaneret; fuit itaque Prussia sub Imperio M. Magistri militiæ Marianæ diu; cum autem illi Equites admodum impotenter subditos regerent, non potuerunt eos Germani diutius ferre. [add. *Ita nullum imperium est diuturnum, nisi benevolentia subditorum munitum.*] Hinc magna pars descivit, cæpítque conjungi Poloniæ, quæ conjunctio facta fuit, cum Iagello eligeretur in Regem Poloniæ, & cum Polonicis conjungerentur Lituanicæ vires. Antea vires militum Germanicorum superabant Polonos, sed post illam conjunctionem superaverunt sæpius Poloni militiam

Prussorum antiquorum status.

Milites Mariani Prussos sibi subiiciunt.

Quando Prussia Polonis subacta.

litiam illam ſacram, ita ut coactus fuerit magnus Magiſter jura à Polonis accipere. Ex eo tempore magna Pruſſiæ pars ſubducta fuit Magni Magiſtri Imperio, in qua primas tenuit, *Dantiſcum, Elbinga, Thorunium*, quæ Vrbes tum temporis cæperunt cum Poloniâ conjungi: Suſceptæ autem in parem libertatem cum Polonis, quod arriſit illis urbibus.

Mutatio circa Pruſſiam. XII. Superiori ſeculo Albertus Marchio Brandeburgenſis cum eſſet Magnus Magiſter militiæ ſacræ, noluit Majorum exemplo jurare in verba Regis Poloniæ; hinc ortum bellum graviſſimum, & ſuperatus à Rege Marchio. *Origo Ducatus Pruſſiæ.* Cùm verò haberet Regem avunculum, tranſactum inter illos, ut partem Pruſſiæ poſſideret Marchio feudi nomine, & crearetur Dux Pruſſiæ, & ſic in clientelam receptus eſt Poloniæ. *Quomodo hodie Pruſſia dividatur.* Ex eo tempore fuit diviſa Pruſſia in tres partes; in Pruſſiam Regalem cujus urbs Dantiſcum. 2. Epiſcopalem. 3. Ducalem, cujus urbs *Regius mons.* *Danzig que Konigsberg.* [add. *Konigsberg, ab Ottocaro R. Bohemiæ condita*] Cæterum hodie eò devenit potentia Electorum, ut Poloni coacti fuerint omne jus fiduciarium in Pruſſiam Ducalem remittere, ita ut non amplius in clientela Regia ſit, ſed Elector tanquam Dominus Pruſſię nullum recognoſcat ſuperiorem. *Boruſſia Ducalis, hodie abſolutâ poteſtate ab El. Brandeburgico poſſidetur.*

Livonia qua ratione Suecis & Polonis ceſſerit. XIII. Similiter cum ſuperiori Seculo Livonia paruiſſet Equitibus Germanicis & graviſſimo bello affligeretur à Moſco, nec præſidium quidem inveniret in Germanis, coacti fuere ex parte Regno Sueciæ, ex parte verò Regno Poloniæ ſe ſubmittere. Et ſic *Eſthonia* facta portio Regni Suecici, *Livonia* pars Poloniæ. Vltimus verò

Magnus

Magnus Magister fuit nobili familia Kettlerorum in Westphalia, qui secutus exemplum Marchionis, omne jus tradidit Reip. Polonicæ, & factus Vasallus Regni Poloniæ, respectu partis Lituanicæ, quæ dicitur *Curlandia* ante annos 100. præter propter, quæ revera est pars Livoniæ. Esthonia Succis cessit, Livonia verò propriè sic dicta, & Curlandia, facta feudum Reip. Poloniæ eodem jure, quo Ducatus Prussiæ; Hodiéque Dux Curlandiæ est Vasallus: at Livoniæ magna pars ferali illo tricennali bello armis occupata Gustavi Adolphi Suecorum Regis: & post pace constituta, coacti fuerunt Poloni Suecis dare omne jus in Livoniam, ita ut hodie vera pars sit Reip. Suecicæ, quemadmodum Esthonia fuit ante ann. 100. cujus primaria Vrbs *Revalia*, illius verò sedes Episcopalis *Riga*. *Curlandia.* *Livonia & Esthonia hodie pars Regni Sueciæ.* *Revalia & Riga.*

XIV. Russia Lituanica tamen hodie non omnis est in manibus Magni Ducis Moscoviæ, utrum autẽ ejusmodi status mansurus sit, tempus docebit. Videntur enim ita concisæ esse Regni & Reip. Polonicæ vires, & limites angustiores multò, quàm fuerunt ante 100. annos.

XV. Vicinos verò habent Poloni ab Occidente Germanos, Silesios & Marchiam Brandenburgicam. Ab Oriente habent Moscum & Tartaros Præcopenses. Ab Austro Regnum Hungariæ, & Dominium Turcicum in Moldaviâ, & Valachia: quæ provinciæ propinquæ admodum sunt, & in Clientela Turcarum. Habet etiam mare Balticum circa Dantiscum & Curlandiam. *Vicini Poloniæ.*

XVI. Non ambitur verò Resp. Poloniæ montibus vel fluminibus, aut magnis Sylvis, sed undequa- *Poloniæ ratione finium non adeò secura.*

undequaque patet, non habet altos montes, niſi verſus Hungariam; pro munimento ferè nihil habet, ideoque incurſionibus patet omnium vicinorum populorum, quod indicat minus benè ſe habere Remp. Poloniæ; nam quo altioribus montibus, vel fluminibus majoribus regio aliqua munita eſt, eò tutius ſe habet, nec cujuſvis incurſionibus & inſultibus expoſita eſt. [add. *Inde eſt, quod Turcâ ann.* 1672. *Poloniam invadens tantos progreſſus fecerit, ac fortalitium Caminiez etiam unguibus ſuis nunc, proh dolor! teneat.*]

Qualitas ſoli Polonici. XVII. Solum Polonicum non eſt ubivis idem, ſed alia atque alia ſoli ubertas, de hac præclarè admodum diſſerit Starovolſcius: Poloniæ propriè dictæ terra maximam partem eſt fertiliſſima omnium rerum, quæ ad vitam ſuſtentandam ſufficiunt; caret tamen metallis, auro, argento & ære; ferri fodinas verò habet per paucas, & omnis generis frumento affatim abundat; Ruſſia Polonica & Polonia major inprimis. Fodinas tamen habet ſalis in Polonia minori propè Cracoviam inexhauriendas, quæ intra 300. annos cœperunt perfodi. Tanta verò copia ſalis foſſilis nullibi in Europa invenitur, hinc immenſa vectigalia dependuntur.

An Polonia metallis dives.

Salis fodinæ Polonicæ.

Soli Lithuanici qualitas. XVIII. Lituania non æquè fertilis eſt, ſed horrida ſylvis & fœda magnis paludibus, hinc præbet ingentem vim ligni, & eorum, quæ aliàs in ſylvis naſci ſolent, & poſſunt. Narrat Starovolſcius intra 300. ann. Lituaniam adeò cœpiſſe excoli, ut Sylvæ illæ cæperint eſſe minus horridæ, quam ante hac; in multis etiam locis tanta copia fructus producat ſolum ut dubiam palmam

fecer it

fecerit Poloniæ; Prussiæ alia est conditio.

XIX. Polonia etiam habet multas urbes munitas. *Cracovia* non nihil munita est, & *Leopolis Russiæ & Samoscia.* In Lituaniâ paucissimæ urbes munitæ sunt, ibi omnia adhuc horrent. Prussia verò, ut est exculta per colonias Germanorum, hinc etiam more Germanorum habitatur, & habet urbes elegantes, & munitas accuratè, totáque vivendi ratio Germanica est. Eminent autem urbes *Dantiscum*, *Thorunum*, *Elbinga*, *Marieburgum*.

Munimenta Poloniæ.

Vrbes Prussiæ.

XX. Moribus & institutis multùm conveniunt Russi Lituani & Poloni. Inter Polonum tamen & Lituanum est aliquid discriminis. Possunt autem in Poloniâ propriè sic dictâ & Russiâ polonica populi & Incolæ in tres classes dividi. 1. in eos qui habitant in urbibus, seu oppidanos. 2. Agrestes. 3. Nobiles. Plebs agrestis tota est servilis conditionis per universam Poloniam, nec ad ullam dignitatem admovetur. Oppidani Poloni permagnâ parté sunt origine Germani & illorum conditio melior, quia illis data à Regibus eadem privilegia & immunitates, quæ obtinent in Germania, & eodem, quod observatum ante hac Magdeburgi, utuntur jure Weichbildico Magdeburgensi. In Rep. verò Polon. & Comitiis non multum valent, nisi quod ante paucos annos data potestas Cracoviensibus, & sedes in Comitiis Regni, ringente nobilitate. Eorum verò autoritas est perexigua.

Mores Polonorum.

Conditio rusticorum in Polonia.

Oppidanorum conditio.

Cracovia habet sessionem in comitiis.

XXI. Si quis verò velit describere mores Polonorum, debet attendere ad mores Nobilium, qui soli sunt Cives Reip. Polonicæ. Agrestes enim toti

Nobiliū status & conditio in Polonia & Lithuania.

toti ſunt ſervi, & in Rep. nihil valent oppidani. Par eſt ratio Lituaniæ, ubi penes nobiles eſt autoritas Reip. Contra ſe habet res in Ruſſia, ubi populus totus eſt oppidanus, niſi quod Nobiles nonnulli in agris vivẽtes, cẽſeantur eadẽ dignitate cũ Nobilibus Poloniæ, nec ruſtica plebs hic tota ſervilis eſt. Habet autem Polonia ingentẽ Nobilium numerum, ut dixerim reperiri centum millia Nobilium, plures longè reperiuntur ruſtici, ſed horum conditio miſera.

Conditio incolarum in Polonia Rußica.

Nobiliũ Polonorum numerus.

XXII. Egregie ſc. deſcripſit mores Polonorum Iohan. Barclayus in Icone animorum. Longè præclarius Starovolſcius. [add. *Quidam Polonus vindicem ſuæ gentis egit adverſus Conringium; ſed à diſcipulo eius quodam ſub nomine Marinii defenſus.*] Sunt autem ingenio non hebeti, ſed ſic ſatis excitato, labor verò & ſtudium deeſt, quæ ſi adeſſent, poſſent quid præſtare. Quod ad morales virtutes attinet, de iis agit Starovolſcius. Experientia teſtatur, Polonos eſſe ingenio aperto & candido, non ſimulare nec diſſimulare callentes, ratio, quod ſint animi generoſi, cujus proprium eſt non ſimulare, quod autem ſint tractabilia ingenia & placida hoc docet experientia: Ad familiaritatem ſunt propenſi admodum; ſi illis blandiaris ad omnia habes paratos, ratio, quia elato ſunt animo. Si itaque eos colis, eos habes benevolos & benignos; ſi non, etiam parum te attendunt: univerſa verò Europa non habet tot homines, qui norunt linguam Latinam, quam Polonia: poſſunt enim plerique exprimere ſenſum ſuum. Ingenium in univerſum elatum & ſuperbum eſt atque generoſum, nihil humile ſpirans; hinc in Poloniâ non

Imperium Polonorum.

Virtutes & vitia moralia Polonorum.

Poloni Latinæ linguæ præ cæteris periti.

non temerè reperias opificem Polonum; quia censetur quoddam vile præ se ferre, plerique verò Opifices Germani sunt. Operam dant eloquentiæ & stylo exercendo, quo utuntur grandiori & florido, adeoque apto eorum ingenio. Educantur ad studia per Iesuitas, quorum ingens est numerus & authoritas, & ingentibus aluntur sumptibus. Inter Iesuitas verò & Academiam Cracoviensem nunquam benè convenit; gravissimas enim controversias per aliquot lustra aluerunt, nec dubitarunt Cracovienses asserere, in tanto numero Iesuitarum neminem esse, qui posset docere extra chartam, & indicium est parum esse apud eos eruditionis, quod nemo causam belli nuperrimi à Suecis prætensam elumbem, recolere voluerit, vel etiam potuerit, vel etiam justam asserere Polonorum defensionem. Qui operam dant contemplativæ scientiæ, non tam pauci reperiuntur, verum etiam parum excolitur illa. Ab illa verò generositate animi etiam dependent mores; hinc fit quare adeò in victu & amictu sint luxuriosi in Polonia; ut nullus populus Europæus in tantâ vivat luxuriâ: totum patrimonium in una gerunt veste, vivunt opiparè & dapsiliter. Ideóque Societas Indica in Batavis nusquam per universam Europã aromata vendere potest majori copia, quam in Poloniâ. Quid nunc fiat, non possum dicere, nam materia luxus, & pecunia bello Suecico periit & defecit. Temperantiam colere propemodùm vitium est, ideóque maximè proni in adulteria, & scortationes in eo sunt usu, ut inter vitia non numerentur. Fortes verò se præbuerunt in nonnullis prœliis, sed in nuperrimo bello fortitudo illa admodum

Poloni quare opificia non ament.

Iesuitæ magnæ sunt apud Polonos autoritatis.

Poloni sunt luxuriosi.

Poloni sunt intemperantes.

admodum desiderata. Videtur verò panicum terrorem injecisse Deus O. M. Polonis, ut effrenatam illorum superbiam, peccandíque libidinem aliquantum castigaret. Simul ac enim Rex Sueciæ adveniret, dedit se universa Polonia, nec solum dedidit, verùm etiam absque necessitate jurarunt in verba impotentis hostis: Credo hoc factum Deo volente. Huc pertinet, quod Poloni sint crudeles in miseros victos, quod apparet in nupero bello, ubi, contra datam fidem, dicunt hoc Sueci, quod crudeliter captivos tractarint, eósq; multis vulneribus ad inferos miserint. Imò in Russicos sunt admodum sævi Nobiles, quod Barclaius in Icone animorum ita exaggerat, ut à quoquam Polono defensum, quasi hoc jure liceat. Sunt etiam alias sic satis feroces & gloriosi. De militia Polon. scripsit egregiè Starovolscius.

Poloni crudeles in victos, feroces & gloriosi.

XXIII. In tribunalibus ex arbitrio Iudicis proceditur, non jus datur, nec audet diffiteri Starovolscius; hinc justitia laborant Poloni. [add. *Iustitia cerebrina ut plurimum novicla. Ex optimè scriptis legibus ut ius reddatur necesse est. vid. Lersneri Tract.* Ob es besser nach geschribenen Rechten / oder nach Gutduncken zu urtheilen.]

Iustitiæ defectus in Polonia.

XXIV. Ex his apparet Remp. Poloniæ admodum malè esse constructam: ubi enim cives omnia perdūt luxu, & sunt infecti malis moribus, scortantur, nec obedientes sunt dicto Magistratuum, non potest non sequi pessimè se illam habere Remp. Nonnihil meliora sunt ingenia Lithuanorum, sed non multum. In Prussia etiam luxum

Quare Respub. Poloniæ sit malè constituta.

Lithuani & Prussi quomodo cōpuncti.

luxum & morem Polonicum adoptari manifestum est, quia se componunt ad mores Polonorum quantum possunt, nec volunt videri minores. In Batavis tantus non est luxus, quàm Dantisci; nam in Bataviâ qui sunt ditissimi paupere utuntur mensa, licet serica veste incedant.

Causa finalis Reip. Polonicæ.

Salus Populi in Polonia quæritur, sed non iuxta veram felicitatem.

XXV. Omnes Respublicæ sunt in duplici differētia: in aliis quæritur cōmodum Dominantium primariò, in aliis commodum populi. In Polonia non quæritur salus Dominantium, sed populi, per quem intelligo Nobilitatem; Nobiles enim ad omnia admoventur officia. Cæterum illud commodum Reip. non perinde videtur collocatum esse in vera felicitate, quæ non usque adeò attenditur, quàm vita luxuriosa. Poloni hodie non ita insudant dilatandis Regionibus suis, sed satis habent, si possint sua tueri. Majores studuerunt admodum ampliando Regno, nunc non item: sic sunt mutati mores; & qui antè 100. annos frugales erant, nunc sunt luxuriosi; qui antea invicti, nunc vinci didicerunt. Victi autem à vitâ luxuriosâ, in quâ nequaquam consistit felicitas civilis, sed in omni sufficientia rerum, conjuncta cum vero virtutis exercitio & studio.

Hodierni Poloni dißimiles maioribus suis.

Vera felicitas civilis in quo consistat.

Polonorum zelus religionis examinatur.

XXVI. Interim dixerit quis Polonos esse studiosos æternæ saltem salutis, ideò quia religionibus admodum sunt deditì; nec enim tam multos ibi reperias atheos, quàm in Italia. Antè 100. ann. usque adeò invaluit numerus Protestantium in Polonia, ut præcipua munia fuerint in eorum manibus, & clericorum Pontificiorum exigua autoritas. Verum Sigismundo III. Rege incredibile dictu est, quantum se iterum erexerit

Protestantismus robur egit in Polonia, sed iterum labefactatus.

Pontificia Religio, & Clerus ad maximam emersit dignitatem, ut cœnobia admodum multa & collegia infinita extructa fuerint. [add. *Ita Anti-Christus semper persequitur Christum in suis membris.*] Superest etiam nunc sic satis magna multitudo Protestantium, longè tamen minor, quàm Catholicorum.

Sociniani & Arriani eiecti è Polonia.

XXVII. Fuit etiam haud parvus numerus Anti-Trinitariorum seu Socinianorum & Photinianorum, item Arrianorum, quorum nusquam alibi major copia, quam in Polonia fuit. Verum in nuperrimis Comitiis exire coacti fuerunt confiscatis bonis. [add. *Laudabile hoc Polonorum factum. Quomodo enim Trinunus Deus gratiæ suæ radios eo diriget, ubi Maiestas illius læderetur.*]

Iudæorum multitudo in Polonia non est cum interesse Regni coniuncta.

Iudæi, itidem nusquam in tanta copia & libertate vivunt quàm in Polonia, omniáque vectigalia, solutâ ingenti certáque pecuniæ summa ad se traxerunt. Hinc rusticos & cives denudarunt omni auro & argento, idque in Nobilitatis favorem, qui locarunt prædia Iudæis: Hinc ortum illud nefandum & abominabile bellum Cosaccicum, cujus historiam edidit nuper Dantisci Pastorius in 4. [add. *Quod caper est in horto id Iudæus in Republica. Exemplo hic nobis sunt Poloni, quorum sangui-sugæ sunt Iudæi. En solæcismum Politicum.*]

Rußica Polonia cui religioni addicta.

XXVIII. Russia verò Polonica, & Lituania habet populum addictum Religioni Græcæ Ecclesiæ. Inter illos nonnulli uniones inierunt cum Pontifice Clemente VIII. quorum posteri dicti fuerunt *Vniti* sc. cum Rom. Ecclesiâ, at populus Russicus hos quam maximè odio habet, & testatur Piasecius perpetuum fuisse desiderium ex

Vniti in Russia Polonica quales.

eo tempore in comitiis, reliquos etiam ad ſacra Romana trahendi. Habent præter Epiſcopum etiam Archiepiſcopũ Vniti ſedi Romanę & alios ſuos Epiſcopos & Archiepiſcopos, qui plus quam odio Vatiniano proſequuntur reliquos Epiſcopos. Cum autem Coſacci per vim cogerentur ad Pontificia ſacra, ac occluderentur templa Græcis; Hinc ortum bellum Coſaccicum: voluerunt enim armis defendere avita ſacra magno utriuſque malo ac detrimento. [add. *Inde patet, quod conſcientiis à maieſtate civili nulla poſſit inferri vis; cum illarum imperium ſolus Deus ſibi reſervaverit.*] Scopus igitur Reip. Polon eſt vita luxurioſa Nobilium, quanquam in tanto numero non deſint viri Religioſi. Olim fuit alius ſcopus, quantum vero hodie mutatus ab eo! [add. *Uti ex ungue cognoſcitur Leo; ita ex Reip. ſcopo eius rectus vel corruptus ſtatus. Luxuriæ Polonicæ niſi obex ponatur, de vita illius Regni tandem actum erit.*]

Cauſa Efficiens Reip. Polonicæ. Status Regni ſub familia Piaſti.

XXIX. Quoad cauſam Efficientem hujus Reip. diſtinguenda hic ſunt tria tempora. 1. enim longè alia fuit ratio ſtatus Poloniæ florente familia Piaſteâ. Fuit tum temporis Reſp. magis monarchica, & hæreditaria, magnáque Regum authoritas, uti ex Cromero, & Neugebavero apparet. Excepit hanc familiam Iagellonica, quæ floruit anno Chriſti 1400. uſque, donec à 100. penè annis interiit: Durante hac familia, Reſpublica paſſa ingentem mutationem. 1. facta ſucceſſio electitia, quæ antea erat hæreditaria. 2. Crevit autoritas Nobilitatis in tantum, in quantum antehac nunquam; cum primis extinctâ familiâ Iagellonicâ: Tunc enim creatus Henricus Galius,

Mutatio Reip. ſub familiâ Iagellonicâ. Initium ſucceſſionis electitiæ in Polonia. Nobilitatis autoritas quando creverit.

Stephanus Bator Transſylvanus, Sigiſmundus Rex Sueciæ, adeóque Exteri ad clavum imperii vocati ſunt, ſemper tamen in novas leges jurarunt, ex quibus crevit autoritas Nobilitatis. Conceſſerunt Nobilitati multa privilegia, maximè Reges agellonici, qui erant placidi, detractâ magnâ Regibus authoritate. Vis etiam multa Regibus extorſit privilegia, quæ nolentes volentes coacti fuerant confirmare, vid. Starovolſcium.

Exteri quando in Reges electi.

Regiæ autoritatis in Polonia decrementum ex privilegiorum conceſſione.

XXX. Qualis autem hodie ſit ſtatus, ſi quærimus per omnia requiſita Summæ Poteſtatis, nihil verè competit horum Regi: non poteſtas belli & pacis, non ferendarum legum, non vectigalium, aut tributorum indicendorum, nec etiam poteſtas judicandi de capite cujuſdam Nobilis. Hinc apparet Regimen nihil minus eſſe quàm monarchicum. Illud eſt ſi penes unum ſunt jura Majeſtatis. Atqui hic in Polonia penes unum non ſunt, Ergo Vid. Starovolſcium. Interim ad jura Majeſtatis etiam pertinet conſtitutio Magiſtratuum, & judiciorum, ſeu poteſtas judicandi. Habet & Rex in poteſtate ſua conſtitutionem omnium Magiſtratuum pro lubitu ſuo; & hac parte valet majore vi ac poteſtate, quam Imperator noſter.

Rex Poloniæ non habet ſummam poteſtatem.

Reſervatum Regis Poloniæ.

XXXI. Sunt autem Magiſtratus in duplici differentia ſcil. Sacri, & Profani ſeu ſeculares. Ad illos pertinent Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, hos omnes creat Rex, quod indicat, hac parte participare Regem de juribus Maieſtatis. Magiſtratus profani ſunt etiam in duplici differentia, alii majores, alii minores. Alii officiales Regni propriè dicuntur. Majores ſunt, qui appellantur

Magiſtratus Regni Poloniæ.

Palatini,

Palatini, quod idem est, qui vocatur lingua polonica *VVeivvoda*, qui idem est, ac apud nos Princeps ein Fürst oder Hertzog; nisi quod apud nos sint illi perpetui, & multum de juribus Majestatis participent; apud illos verò tantum sint ad vitam: omnes verò Palatinos creat Rex solus: Proximi his sunt *Castellani*, Starostæ. (quamvis ultimi paulò minoris adhuc sint gradus.) qui idem sunt ac apud nos Germanos olim erant Comites die Graffen. Hos etiam constituit Rex, quod arguit jus aliquod Majestatis Regiæ. Sunt autem, in universa Polonia Palatini 34, seu 34. Fürsten. Hos constituit Rex. Castellani, quorum alii dicuntur majores, alii minores, sunt 76. Constituit Rex omnes Officiales Regni, quorum sunt 10. 1. *Mareschallus Regni* Poloniæ supremus. 2. Mareschallus Curiæ. 3. Mareschallus Ducatus Lituaniæ supremus. 4. Mareschallus Curiæ M. Ducatus Lituaniæ. 5. *M. Cancellarius* Regni Polonici. 6. *Vice-Cancellarius* Regni Polon. 7. *Cancellarius* Ducatus Lituaniæ. 8. Vice-Cancellarius Ducatus Lituaniæ. 9. *Thesaurarius* Regni Polon. 10. *Thesaurarius* M. Ducatus Lituaniæ: Præter hos constituit Rex pro arbitrio suo omnes *Duces militares* Kron-Feldherzen. Nam Polonia & M. Ducatus Lituaniæ suos habent Duces militiæ, quos constituit Rex, & reliquos ut vexilliferos Regni, *ut manifestò appareat eximiam vim esse Maiestatis penes Regem.* Proventus etiam ærarii Regii habet in suis manibus; potéstque de iis disponere, prout illi placet. Est & hoc Regnum

Weivvoda quales, & quomodo à Germaniæ Principibus differant.

Castellani & Starostæ Comitibus antiquis Germanis similes.

Numerus Palatinorum & Castellanorum.

Officiales Regni Poloniæ.

Mareschalli Pol.

Magnus Cancellarius. & reliqui Cancellarii.

Thesaurarii.

Duces militares. Autoritas Regis Poloniæ in constitutione magistratuum & circa ærarium. Regnum Poloniæ est mixtum.

revera mixtum, & falluntur egregiè qui purè & merè Aristocraticum esse asserunt.

Autoritas Regis circa iudicia.

XXXII. Fuit deinde etiam penes Reges solos usque ad Henricum constitutio omnium judiciorum: Cæterum hodie mutatum nonnihil, ut sc. Rex judicia non solus constituat, sed dicatur aliquid decisum autoritate Regis in tribunalibus Regni Polon. Ius dicitur auctoritate Regis Regnique Senatorum electorum. Rex in Vrbibus habet potestatem judiciorum, ibi constituit Consules per Capitaneos suos, qui autoritate Regia illis Vrbibus præsunt Regiis; At circa Nobiles res aliter se habet, qui non possunt condemnari nisi in Comitiis.

Senatores Regni Poloniæ.

XXXIII. Porrò in Regno Poloniæ, qui habent libertatem deliberandi de Rep. ii sunt duo ordines. Alij dicuntur Senatores, alii sunt Cives. Senatores habent potestatem præconsulendi cum Rege, sed non habent potestatem decidendi, perinde ut olim apud Germanos se habuit Resp. (ut apparet ex Tacito.) ubi ait, de majoribus rebus consultant omnes, de minoribus Proceres: ita de majoribus possunt Senatores cum Rege præconsultare, sed non decidere. Ad Senatum

Qui sint Senatores Regni Polon.

verò Regni pertinent. 1. Omnes Archiepiscopi & Episcopi. 2. Omnes Palatini, quicunque enim est Palatinus Regni, est etiam Senator Regni. 3. Castellani, sed non omnes ei demum appellantur majores, minores illuc non pertinent & rectè hoc

Senatorum illorum potestas.

observavit Staro Volscius. Denique pertinent illuc 10. Officiales Regni. Hi Senatores habent potestatem de minoribus rebus cum Rege statuendi; de majoribus habent quidem potestatem

præ

præconsultandi, sed non decidendi.

XXXIV. Decidendi verò potestas res majores est penes Nobiles, per quos intelligo omnes, qui sunt in Rep. Poloniæ. Ergó non nisi in comitiis de majoribus rebus quicquam concludi potest. At impossibile est omnem Nobilitatem illuc convenire posse, ideóque suos legatos mittunt ad comitia. Quando comitia indicta sunt, conveniunt in singulis Satrapiis Nobiles, (& delegati Vrbium) Zum Conventions tag) ubi agitant de iis inter se, quæ in comitiis proponi debent. Eligunt dein ex numero suo aliquem qui mittitur ad comitia, & dicitur Polonis lingua Polonica, Nuntius terrestris, der Land-botte. Hi legati habent potestatem omnia constituendi in comitiis unà cum Senatoribus Regni, ita tamen, ut eorum autoritas prævaleat, & si quid constituendum est, Senatores non habentur ut Senatores, sed ut Nobiles; nec maioris sunt authoritatis, quàm infimi Nobilium; Et autoritas Comitiorum est penes Nobiles seu delegatos Nobilitatis Poloniæ; Inter illos hodie etiam admittuntur *Gedanenses*, & *Cracovienses*, frendentibus Polonis: quoniam & Nobilitas Polonica & Lithuanica revera constituit Rempub. Reliqui verò non sunt cives sed, subditi: videri itaq; potest Remp. esse Democraticam, si verò reliquos annumerare velis civibus, Aristocraticam.

Nobiliũ potestas in Polonia.
Comitia Poloniæ, quomodo sint ordinata.
Nuncius Terrestris Nobiliũ.
Autoritas Nobilium in comitiis prævalet.
Gedanenses & Cracovienses etiam intersunt comitiis.

XXXV. Potestas constituendi Magistratum est quidem penes Regem, sed non potestas ex quibus velit. Aristoteles 4. pollit. observandum esse ait quis constituatur, quemadmodum consti-

Quomodo Rex Pol. circa constituendos magistratus versetur.

Magiſtratus ex ſolis nobilibus eliguntur.

tuatur, & ex quibus cauſis conſtituatur Magiſtratus, & ita dicit differre Remp. Modus conſtituendi eſt electio mera ex ſola Nobilitate Polonica, non ex peregrinis. Nemo peregrinus poteſt fieri Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, vel Caſtellanus, vel Palatinus, quod indicat reſtrictam eſſe poteſtatem Regiam; Regis quidem eſt eligere, ſed quoniam non ex omnibus, hinc reſtricta eſt, & Ariſtocratica eſt ex parte. Revera eſt mixtum Imperium, adeóque libertas magis obtinet.

Nuncii Nobiliũ in Comitiis factionibus inter ſe diſſident.

Defectus Comitiorum Pol.

Intereſt ut Nunciorum illorum poteſtas legibus circumſcribatur.

XXXVI. Penes Nuncios Nobilium, ut dixi, eſt poteſtas decidendi de rebus majoribus, inter quos omnia diſſidiis & factionibus ſcatent, & non tam habent curam Reipub. quàm privati commodi. Hinc comitia ſemper ſunt turbulenta & confuſa, magno Reip. malo, nec habent ſic ſatis benè conſtitutas leges, ut ſecundùm eas fiat deciſio. Et ipſa comitiorum decreta fiunt irrita, ſi modò unus contradixerit. Laborat planè eodem morbo, quo olim Romæ Senatus Romanus inter quem & Tribunos Plebis erat diſſenſio magna. Quando enim intercederet Tribunus Plebis, erat ſtatus irritus. Hinc nihil ſalutare concludi poteſt. Si legibus conſtricta eſſet nimia illa licentia terreſtrium nunciorum, tunc optimè ſe haberet Reſp. & niſi hac parte mutetur, non poteſt diutius ſtare. Status talis ſe habuit ante hoc ferale bellum, quo in ſummum diſcrimen Reſp. eſt deducta. Qualis nunc ſit ſtatus vix poſſum dicere; ingens mutatio cœpit intra biennium.

XXXVII. Habet Regnum militem Polonicum ex Nobilitate conſcriptum, conducti-

tium,

tium, qui nunquam antehac jus suffragii in Rep. multò minus quicquam decidere poterat de jure Regni; at sub prætextu non solutorum stipendiorum [add. *Notetur quantum in solutione stipendiorum militarium situm*.] tumultuari cœpit, & arcto fœdere inito vehementer turbare Remp. & incipere ad se trahere vim omnem Reip; & vult præscribere omnibus ordinibus Regni, quid putet consultum, & velit actum. Appellat se nomine *Sacræ Ligæ*: In Lituania cœpit pari modo tumultuari miles conductitius, & idem conspirat cum Polono, conatur ulterius ad se trahere curam Reip. Ex novellis accepimus quod miles miserit legatos, & proposuerit aliquot centum capita, seu propositiones, quas vult decidi secundùm arbitrium suum. Hoc est novum & insolens admodum; non curant Regem, non Senatum, illi confœderati, non etiam Clericos, quibus pinguia bona sua eripuerunt, & ad se traxerunt bona etiã Regia. Certè hic aliquid monstri latet, uti verisimile admodum est, nec Remp. esse in eo loco, in quo ante,hac fuit; an rediturus sit idem status, nescio. [add. *Hodie emplastrum quidem huic vulneri obductum; an inde sanitas reditura sit, dies docebit. In summa: Polonia hodie iacet, & laborat; Et quis tandem exsurget Æsculapius, qui malis eiusmodi medicinam faciet?*]

Miles Regni quomodo comparatus. Militum Poloniæ ausus contra Regni statum.

XXXVIII. Non facilè autem fieri potest, ut sponte suâ miles se patiatur in ordinem cogi, nec etiam per vim 1. Quia miles in manu habet arma, reliqui Poloni inermes, & valdè inexpertes belli, olim quidem fuerunt bellicosi: Accedit, quod lateat sub illis militibus, magnus numerus

An miles Poloniæ possit in ordinem cogi, & quomodo.

pauperum

pauperum militum, qui ſponte ad officium redibunt; fortaſſis ad calendas Græcas: Ita enim cum ingenio humano comparatum eſt, ut ubi potentiam ſuam timere videant homines, nunquam libenter arma deponant. Quod attinet reliquam Nobilitatem potentiorem, illa non audet tentare, quia ab illo milite blandè admodum tractatur, nec illis quicquam eripiunt, ſed tantum Regi & Epiſcopis, ringatur licet Pontifex; non enim illi curant omnia anathemata. Non poſſum ſatis mirari, petere Epiſcopos à Rege, ut quicquam illis concedat; quaſi hoc ſit in Regis poteſtate; ipſi deberent hoc facere; Sic ſunt illi Clerici animati, ut omnia per alios facere velint.

Clerici volunt eſſe immunes ab oneribus Regni.

XXXIX. Nota quod hactenus Archiepiſcopi & Epiſcopi nihil voluerint contribuere ad onera Regni, hinc ſemper ingens diſſidium inter Clericos & Senatores agitatum fuit, & meritò; Nam iniquiſſimum eſt, quod Clerici nihil conferre velint, cum tamen poſſideant pinguiſſima bona. Hinc uſque adeò malè habentur à Polonis; & credo, ridere in ſinu reliquos Nobiles, quod ita vexentur Clerici. Niſi & vis aliqua externa accedat, Reſp. mutabitur in aliam formam. Quod verò de ſucceſſione ante Regis obitum nihil audire voluerint, hoc ideò fit, ut ſc. dein ipſis ſpes adeundi Regnũ pateat. Nuperrimæ Novellæ nobis tradiderunt, quod ſcil. Rex Polon. miſerit legatum Romam ad Pontificem, petendi permiſſionem imponendi Clericis tributa & exactiones, quia neceſſitas ſumma & ſalus Reip. exigeret; id quod Papa 8. Cardinalibus dijudicandum tradidit.

XL. Nota; in Polonia fuere ante hac familiæ Re-

giæ tres præclaræ. Prima dicta *Lechica*, à primo authore Lecho, seu fabula, seu historia vera; Narrat Bohemi & Poloni, utrique genti fuisse conditorem, seu Ducem, Polonis Lechum, Bohemis Zechum. Hinc appellant se Poloni Lechos, & Bohemi Zechos. Illa Lechica familia duravit usque ad seculum IX. post natum Christum. Hac autem extincta familia, cùm totam ruinam minaretur, divino quodam fato rusticus quidam fuit creatus Rex, dictus *Piastus*, ejus familia rerum potita, & per gentem Polonicam dein satis diu regnavit jure hæreditario usque ad sec. XV. post Natum Christum circiter an. 1400. Qui post hunc secuti, omnes alterius fuere gentis; Ille autem rusticus fuit Polonus. Extinctâ hac familiâ electus in Regem *Iagello* M. Dux Lituaniæ, Gentilis & idololatra tum temporis adhuc; Hic denique Christianam colens Religionem, Remp. optimè rexit. *Familiæ Regum Poloniæ.*

XLI. Extinctâ hujus familiâ ante ann. 100. iterum cœperunt eligere Regem ex exteris. (noluerunt enim suæ gentis aliquem creare.) Habuerunt autem aliquam rationem familiæ Iagellonicæ propter benè merita, & elegerunt Regem Stephanum, Ducem Transsylvaniæ, sed eâ lege, ut duceret in uxorem filiam ultimi Regis, adhuc Virginem. Cum Stephanus autem sine liberis discessisset, Henricus Valesius Gallus electus est, quod mirum, quia Galli moribus Polonorum planè non conveniunt. Verum simulac Rex Galliæ, frater, obiisset, clanculum effugit è Polonia. Id ægrè ferentes Poloni, abrogarunt eum, & elegerunt in Regem Sigismundum, filium *Extinctâ familiâ Iagellanicâ electio Regum variè instituta.*

Regis

Regis Sueciæ. Qua tamen in re ratio habita cognationis fuit, cum Sigismundi mater una fuisset filiarum Regis ultimi. Illa familia adhuc durat, brevi extinctura. Sigismundo successit Vladislaus IV. huic frater Casimirus, Rex Polonorum cum quo extincta jam tota familia, & tota progenies mascula Gustavi Suecorum Regis. [add. *Casimirus an.* 1671.*resignavit Poloniæ sceptrum; in eiusque locum de novo electus indigena Princeps Michael VVarnovviski , spésque Neoburgici, Lotharingi, Condæi & Moschi irritæ sunt redditæ.*]

Casimiri Regis ingenium. XLII. Quod Regis Casimiri ingenium attinet, non est laudandum, siquidem fas est dicere de Regibus; ita enim res suas gessit, vel corruptus est status Reip. Polonicæ, ut semper fuerit contemptui, & licet nonnulli Proceres eum amaverint, maxima tamen pars aut eum contempsit, aut etiam odio habuit. Duxit in matrimonium uxorem fratris sui, quod in Christiano orbe inauditum, vel etiam nunquam permissum, nisi quod superiori Seculo Henricus VIII. Rex Angliæ idé fecerit, maximo Reip. malo. Ad causas conteptus accedit orbitas liberorum, qui tacita sunt munimenta domus & Principatus. Si enim liberi non adsunt, licet Rex magnus fuerit, facilè tamen in contemptum venire potest. Quid post futurum sit in Regno Polonico, dicere non habeo, novit Deus. [add. *In regno electitio profectò optimum munimentum ad spem electionis futuræ, si adsint liberi. Cæterum benedictio Dei Casimiri Regis matrimonio adesse haut potuit: Causæ sunt notæ; quicquid etiam Buchholzius ICtus olim Rinthelii Professor, in favorem eius scribat; quem refutavit Theologus Avemannus.*]

Infelix exemplũ matrimonii cum defuncti fratris uxore.

XLIII.

XLIII. Non defuerunt ex Proceribus, qui serio cogitaverint de successore creando vivo adhuc Rege, ipse etiam Rex & Regina; diverso tamen studio. Rex inclinavit in domum Austriacam, cujus Duces spe iam devorant Poloniam. Regina verò propensa est in Gallos, ut sc. ex Ducibus Andegavensibus quis eligatur, vel etiam hodierni Ducis filius. Fœderati verò huic consilio obnituntur; nolunt enim agi de successore aliquo, vivo adhuc Rege; quo fortassis hoc volunt, ut ipsi vellent, vel etiam possent sui ordinis in Regem eligere; Mirum si inter ipsos possint convenire, & mirum quod sine cęde & sanguine ea consilia sunt suum effectum sortitura; Certè de Electione certabunt Poloni, cum cæde & sanguine, tandémque exterum aliquem evocabunt tædio belli civilis. [add. *Quod ad discordias electionis attinet, verus Politicus augur hic Conringius, ut acta publica de electione moderni Regis, docent: Exterus tamen haut fuit electus, sed indigena; quia factiones exterorum Candidatorum erant valdè potentes; quorum unus si fuisset electus, Polonia sine dubio adhuc hodie civili arderet bello. Vid. scripta Politica hac de re in lucem emissa.*] Cum igitur Rex sit contemptui, & alii arma in manu habeant, non est mirum eum nihil posse. Quinam sint potiores, qui hodie administrant Remp. difficile est dictu; Rex ipse quidem non satis tutus est, & optimè meritus de Rep. Zarneckius: Illius interitum quæruntur confœderati.

Successionis Casimirianæ negotium examinatur.

XLIV. Interim notandum, ne hodie quidem ad Regimen aut dignitatem admitti; nisi

Magistratus Regni Poloniæ indigenis non peregrinis conferuntur.

solos Polonos, id quod videtur eorum artibus effici, qui adspirant ad Regiam dignitatem, ut arceant peregrinos. Antehac res belli & pacis semper per solos indigenas sunt administratæ, imò solos Nobiles.

Origo Cosaccorum.

XLV. Verum hodie in vicinis campis Tartarorum, & Turcarum, jam ab aliquot seculis cœpit colluvies hominum contineri, partim Polonorum, Tartarorum; Turcarum & aliorum. Hæc colluvies orta ex plebe Polonicâ, non ex Nobilibus. Illa diu jam habitavit in campis illis, nec unquam potuit aliquâ disciplinâ coerceri à Polonis, nec etiam à vicinis populis: Semper autem adhæsit Polonis, quibus fuerunt præsidio. Dicti autem sunt Cosacci Poloni.

Cosacci adhærent Polonis.

Cosacci unde dicantur.

Ex rapinâ vivunt.

XLVI. Cosak est capra, quod sc. sint levis armaturæ, & caprarum in modum hinc inde vagentur. Gens hæc quoque maximè vivit ex præda in campis vastis in Podolia, & quidem si bellum desit, alunt se suis armentis, & non parva manus eorum habitat in insulis Borysthenis amnis, & dicuntur Cosacci Kiovvienses seu Insulares. Cum primis illi hactenus soliti sunt prædam agere ex Tartarorum & Turcarum regione, ac non parvis scaphis, quas ex corio consuunt, delati in Pontum Euxinum, non dubitant prædari præ foribus Constantinopoleos, & nemo potuit eos in ordinem cogere.

Cosacci quomodo in fidelitatem Regis Poloniæ venerint.

XLVII. Verum cum Stephanus Rex Poloniæ superiori seculo animadverteret, eam hominum colluviem perquam utilem esse Reip. Polon. cæpit eos levi ac perpetuo stipendio conducere, adeóque Regno Poloniæ devincire, & perfecit,

ut

ut 40000. pecuniam acciperent quotannis ex ærario Regio, quilibet Ducatum, fuerunt de hinc Cosacci fideles homines semper, seu milites Reip. Polonicæ.

XLVIII. Sed ab Vladislao Rege multis affecti injuriis. *Maxima* fuit utique *iniuria*, cum ipsi essent Græcæ Religionis, uti tota Russia, effectum esse artibus Iesuitarum, ut clauderentur illorum templa, & per vim introducerentur sacra Pontificia. Hoc indigenè admodum tulere. *Altera* causa & *iniuria* est, quod Rex curaret omnem coctionem cerevisiæ, & spiritus vini, quo Poloni maximè utuntur, illis eripi. (jus sc.) adque Iudæos transferri. Hoc irritavit admodum Cosaccos cum à Iudæis admodum carè cogerentur emere cerevisiam & spiritum vini. *Tertia iniuria* fuit quod cum Cosacci haberent campos latissimos, in quibus habebant potestatem pascendorum armentorũ, Vladislaus, inductus à Nobilibus, cæperit in ditionem privatam concedere, & quidem *Konietz Polskii*, qui erat Imperator bellicus: hic voluit Vrbes & Arces erigere atque instruere. Cùm autem animadverterent Cosacci, hoc agere Polonos, ut exautorarent omnes Cosaccos. (fateor eorum vires potuisse suspectas reddi, sed homines armatos velle uno impetu inermes reddere, hoc est periculosissimum; sensim & hoc faciendum fuisset.) ita factum fuit, ut Cosacci, arreptis armis, non dubitarint insurgere adversus Polonos.

Cosacci quomodo à Polonis irritati & iniuriis affecti.

Koniecz-Polsky.

Cosacci à Polonis desciscũt.

XLIX. Initio non malè res successit Polonis, & Cosacci semel atque iterum cæsi, nec dubitarunt conditiones sic satis duras inire. Nec illas

Bellum Polonorum cum Cosaccis.

verò servarunt Poloni. Hinc ortum novum bellum, cui Ducem præfecerunt *Zmilinski* Secretarium, qui noverat legere & scribere. Hic stuprata uxore & filiâ à Polonis Nobilibus, [add. *Nota stupra violenta magnum Rebusp. attrahere malum.*] omnes Cosaccos ad rebellionem excitavit, omnem etiam plebem Russicam ad 200000.

Zmilinsky.

L. Ita valedixere, Reip. Polonicæ, & nonnulli jurarunt in verba M. Ducis Moscoviæ. Hi sunt fructus irritatæ plebis. Sunt autem illi homines fortes, & intenti prædæ, pauperes quoque. Contrà magna Polonorum pars est imbellis, & student divitiis. Quod verò conquiescant hodie Cosacci, fit, quia pacem emerunt confœderati à Cosaccis. Vt mihi videtur, Cosacci constituunt novam aliquam Remp. Illos quod attinet, qui coniurarunt, illorum nomina sunt ignota, nemo verò inter illos reperitur, qui sit oriundus ex præclara Nobilitate Polonicâ. Nam opprimuntur omnes, qui olim fuerunt celebres, nisi quod *Lubomirsky* & *Saphiæ* commendent inter Lituanos. Sub Rege Sigismūdo & Vladislao ratio habita fuit maxima Nobilitatis, nulla verò pauperum: nunc contra, qui primo fuerunt loco, hodie sunt nullo. Nam *Zarneckyus* est ex infima Nobilitate, nec ad illam dignitatem pervenisset, nisi defectu Nobilitatis, & ob bene merita insignia. Nam si vis saltem locum facit Nobilitati, nec reliquorum, qui virtute pollent, habetur ratio tandem res eò devenit in Rep. ut illi, qui infimo sunt loco, admittantur. Hæc est rota rerum humanarum.

Cosacci hodie novam constituunt Rempublicam.

Nobiliū Polonorum hodiernus status.

Lubomisky & Saphia.

Zarneckius.

EX-

EXCERPTA MISCELLANEA DE REGNO POLONIÆ EX OPTIMIS HUIUS ævi Scriptoribus.

I. PRovinciæ Poloniæ junctæ sunt 1. Roxolania, non Moscovitica, quæ & *Russia*, sive *Ruthenia*, nigra seu minor dicitur. Refertur partim ad regnum Poloniæ, partim ad Ducatum Lithuaniæ. 2. Podolia, 3. Lituania, quæ in 4. Palatinatus dividitur 1. Est *Vilnensis*, ubi Vilna metropolis. 2. *Trocensis* 3. *Mynensis*, 4. *Novogrodensis*, in quo *Novogrodeck*, 4. Samogitia, quę nullas habet fere urbes: gens adhuc idololatriæ Ethnicæ dedita, barbaráque est. 5. Livonia. Hæc inter Narvam & Dunam fluvios includitur. 1. Estiam, quam Sueci hodie tenent. In hac urbes præcipuæ *Revalia*, *Narva*, *Derpt*, *Pernovv*, 2. Lettiam, quam Sueci hodie maximam partem tenent. Hæc urbes habet Rigam, *Kockenhausen*, quam Moscus hodie tenet, *Crentzburg*, *Duneburg*, ad Dunam fluv. quod Moscus possidet, *VVenden*, *VVolmer*, ad Treideram fl. 3. Curlandiam & Semigalliam in

qua *Mitovia*, aula Ducum Curlandiæ, qui adhuc vasalli sunt Regis Poloniæ. 6. Masovia, distribuitur in 2. Satrapias, *Polocensem*, ubi *Polotzko* ad Vistulam. *Cirnensem*, ubi Warsavia, ubi Regis aula. *Pultovvsky*, *Kamieniecz*, ad Buck fluv. Hoc fortissimum propugnaculum ann. 1673. Turca cæpit. 7. Podalassia, 8. Borussia. Olim dividebatur in XII. Ducatus; hodie duplex est, 1. *Regalis*, ubi Dantiscum, totius Europæ granarium; Thorunium, in Culmensi territorio, ubi Culma, olim metropolis: Elbinga, in Mariæburgensi Satrap. nitida urbs, habet Mariæburgum. 2. *Ducalis*. In medio sive meditullio Borussiæ Ducalis sita est Regiomontum, ubi Academ. celebris.

Mores Polonorũ huius tẽporis. II. Quæ recentiore ævo virtute & nomine Orbi satis innotuit *Polonorum* gens, priscorum Sarmatarum crudelitatem & barbariem omnem diu exuit. Ingenia Polonis aperta & candida sunt, & teste *Ioanne Botero*, falli magis, quàm fallere apta; minimè proterva, aut pertinacia, sed mitia ac tractabilia; quæ tamen potius exemplis, quàm vi flectuntur. Magistratibus suis obsequium, quo imperia mitigantur, minimè detrectant; comitatis, civilitatis, hospitalitatisque studio maximè commendabiles. Amicitiæ jura cum extraneis, ad familiaritatem etiam usque, prono & aperto colunt animo; adeo, ut etiam illorum mores, quibus cum vivunt, feliciter imitentur. Teneram sobolis suæ ætatem in addiscendis tam vernaculę, quàm Latinæ linguæ literis ut plurimum exercent; neque vero in Romano, quàm Polonico agro, Romana lingua tam facili usu communis

est. Plebeiæ Conditionis homines, agriculturæ vel opificiis addicti sunt; nobiles militiam vel sacra curant. Longinquas peregrinationes libenti animo suscipiunt, & facilè omnes linguas peregrinas addiscunt; ingenia sua magis in alienis inventis addiscendis, quam novis sponte suâ inveniendis, occupant. Non defuerunt tamen Polo Polonico insignes Astrologi, & Mathematici, solo Geometræ, foro & aulæ Oratores, Poëtæq; insignes, qui patriam ingeniis suis claram reddiderunt. Rem familiarem diligentius curare non ita pridem Poloni occœperunt, quod ab extraneis quæstus caussa in Poloniam commigrantibus didicerunt, & tantum hodie in illo profecerunt studio, ut quæ olim Senatoris filiæ centum marcarum dos fuerat, nunc simplicis alicuius Nobilis; quinimo alicuius mercatoris sponsæ, centesima dotis portio sit. Equidem insolens hodie non est, ut centum millia florenorum elocandis liberis suis parentes adnumerent; nec solum illi, qui nobiliore conditione præstant, exoticis pellibus, pannis, serico, purpura & auro vestiuntur, sed & vilioris conditionis ditiores Regni subditi. Equi etiam Polonorum auro, margaritis, argento, non minus quam mensæ pateris purè argenteis, onerantur. In quem usum magnas Magnates impendunt opes. Quod victum huius gentis attinet, is in mensis ditiorum exquisitus, tenuioris fortunæ hominibus parcus ac parabilis est. Maxima proventuum pars à Nobilibus in aromata & vina impenditur. Antiquitus panis ex siligine, potus ex hordeacea sufficiebat aqua; hodie vini & mulsi copia etiam plebi

non infrequens est, imprimis in civitatibus & locis Hungariæ proximis. Habitus Polonorum licet tantæ mutationi, atque aliarum gentium, non sit obnoxius; compertum tamen est, illum aliquoties, ad minimum ter intra decem annos, mutatum esse. Ædes suas tapetibus pretiosissimis non Magnates solum, verum etiam mediocris conditionis viri mirificè exornant, & Persicos amant apparatus. Iter facturi, fœminæ quidem carpentis, rhedis, curribus; viri ut plurimum equis vehuntur, & in dedecore ponunt, pedestre iter conficere; id quod plebeium & citra decorum Nobilitatis esse existimant. In publicum prodeuntes Dominos grex famulorum, splendidè vestitorum, consequitur, simili colore vestium, quo Dominus exornatus; id quod etiam in fœminis observare licet. Cæterum cum nihil mortalis habeat conditio, quod humanus non premat error; observarunt auctores, quod natam Polonorum ad libertatem, omnésque virtutes, præsertim bellicam, egregiam indolem ut plurimum soluta libido inquinet; quam tamen plerumque in prostratæ pudicitiæ mulieribus nonnulli (magnus enim in Polonia virginitatis & matrimonii honor est) brevi errorum pœnitentes, extinguunt. Ad furta & inertiam quodammodo proclivis plebs dicitur Polonica, neque sorditiem, paupertatis ut plurimum sociam, facile vitabit. Comessationibus & compotationibus, vitio Septentrionis, crebrius indulgent, & conviviorum multoties iteratam amant consuetudinem, in qua vel Thracicas bibendi leges imitari multi consueverunt. Vbi mero incaluerunt, facile

cile in contentiones, & ex illis mox in pugnas exardent, gratiam tamen & odium in aperto gerentes. Incuſantur à reliquis Nationibus nimis profuſæ liberalitatis, vel potius prodigalitatis, quodve non niſi ſplendido & pretioſo veſtium apparatu, & famulorum pone ſequentium prolixo grege contenti ſint. *Ioannes Barclaius* ipſis barbaras quaſdam *in Euphormione* exprobrat leges, quæ in commiſſis homicidiis antiquitus ſunt obſervatæ, ut ſolutâ in hanc rem conſtitutâ pecunia, qui homicidium peregit, à pœna capitali liberaretur, præſertim ſi fuerit Nobilis. Contra hæc & alia quæ durius *Barclaius* quandóque de Polonis accepit, (cum cæteroquin plurima ex vero ſentiat) auctor *Poloniæ defenſæ* non multis abhinc annis prodiit, qui cum multa egregia non minus quam vera de Polonia referat; videtur tamen in quibuſdam humani aliquid paſſus; ubi de non puniendo pœna capitali homicidio, ſed pœna tantum pecuniaria & carceris annui ſupplicio expiando, legem in Polonia antiquitus uſu receptam, & adhuc obtinentem, nec juri naturali nec divino contrariam eſſe ſtatuit. Quin legem illam de homicidiis inter alias Politicas & judiciales, eáſque nec imperatas, nec prohibitas nobis, ponit. Verba ipſius auctoris hæc ſunt p. 82. *Poloniæ defenſæ* conſignata: *Leges nempe Hebræis datas alias morales fuiſſe, quæ præcepto Decalogi potiſſimum continentur, & quibus omnes tenentur Chriſtiani: alias ceremoniales, quibus non modo non tenentur, ſed etiam prohibentur uti: alias denique politicas & judiciales, eáſque nec imperatas, neque prohibitas nobis. Inter iſtas poſtremas*

 poni-

ponitur hæc de homicidiis, in qua vt non discedendum temere concedam, ita hoc audacter affirmo, per illam non esse vetitum supremæ civili potestati, mitiora sanciendi pro ingenio & natura populorum. Hæc ille. Verum, cum tanti viri pace, leges de homicidio nec imperatas, neque prohibitas, adeóque politicas & purè judiciales esse, id nec antiquæ orthodoxæ Christianæ Ecclesiæ, neque nobis ex illa pendentibus, neque juribus unquam persuadebit, vel ex sacris probabit.

Religio. III. *Poloni* anno salutis 965. Religioni Christianæ nomen dederunt, quod sub Rege *Myesco* factum: cumque plurimi adhuc S. Baptismate non essent initiati, sed idololatriæ porro vacarent, publicatum est decretum, ut sub pœna capitali omnes idola demolirentur, quæ postmodum in profundum conjecta sunt, mox imperatum, ut S. Baptismum VII. mensis Maii susciperent tam Vrbes, quàm oppida, quod factum est. Inde verò orta consuetudo, ut incolarum majoris Poloniæ liberi Dominica Lætare formam aliquam idoli lignei portent, quam aquæ ex recepto more immergunt. Nobiles tempore *Miecislai* hunc servabant morem, ut cum S. Evangelium legeretur, medios gladios suos stringerent, quos iterum condebant, quum verba, *Gloria tibi Domine*, canerentur. Hic verò mos postea usu exolevit. Ab illo igitur tempore constanter Christianam Religionem Polonia professa est. Tempore *Vladislai Jagellonis*, Confessio *Hussitarum* in Polonia innotuit, paulo post etiam *Lutheri* Augustana, & ad verbum Dei exacta confessio in multorum animis in Polonia illuxit, cujus hodie adhuc libe-

rum

rum exercitium à Romana diſſentientibus permiſſum eſt. Maxima verò Reipublicæ Polonæ Magnatum pars *Romanam* ſequitur Eccleſiam; alii, ſed numero pauciores, *Reformatæ* ſunt addicti Religioni, tam Principum genere illuſtres, quam Nobiles. *Lutherani*, qui in *Polonia* agunt, ut plurimum ex Germania mercatores ſunt, & ſe intra Vrbes continent; in *Pruſſia* tamen Barones & plurimos Nobiles huic Confeſſioni addictos reperies. Qui *Græcam* Eccleſiam agnoſcunt pro ſua, in *Ruſſia* multi ſunt, qui tamen à Moſcovitis, eidem etiam addictis confeſſioni, multum diſcrepant. Illi in Polonia ſuum habent Epiſcopum Metropolitanum *Kiovienſem*. Præter *Anabaptiſtas*, qui in *Pruſſia* lares ſuos fixerunt, *Sociniani* etiam *Poloniam* invaſerunt, cœpítque in Polonia illorum Confeſſio anno 1552. cujus auctorem *Socinum*, illiúſque dogmatis progreſſum. Cl. *Boxhornius in Hiſtor. Vniverſ. ad finem* expoſuit. Nec deeſt *Iudæis* in *Polonia* commorandi libertas, qui magnis gaudent privilegiis, ut vix in toto orbe melius illis ſit atque hic. A tempore Regis *Caſimiri II.* cognomento *magni* in Polonia agunt, & Poloniæ oppida Vrbéſque incolunt. In *Lithuania* multi ſunt *Tartari*, qui *Mahometica* ſacra profitentur; multi etiam in hac ſunt opinione, reperiri in *Lithuania & Samogitia* rudera *paganiſmi*, quod creduntur ſerpentes adorare, quos domi, *Gvvaites* dictos, fovent. Certo anni tempore ſacerdotem vocant, ſtratæque mappâ menſæ cibus imponitur: tunc ſerpens per albam prorepens mappam, de cibis guſtat, quos aſſidentes, felici cum omine fortunati anni, dein comedunt.

Leguntur ſuperiora & hæc apud *Matth. Michov. Rer.Pol.l.2. Crom.Rer.Pol.Lud. Decium de Veter. Pol.l.1.* & alios.

IV. Regimen Politicum Regni Poloniæ, Secundùm Starovolſcii Iudicium. Hoc Regnum, ex tribus primis & ſimplicibus Rerumpublicarum formis videtur eſſe compoſitum; quod vel unius, vel paucorum imperio, vel multorum omniúmque, quadam juris æqualitate contineatur. *Rex* enim electione, non ſucceſſione creatus imperat, & abſolutus Legum executor eſt, quæ in ſolennibus Regni comitiis confiteri ſolent. Eſt vero & *Senatus*, ex præcipua Nobilitate Polona lectus, cuſtos Legum patriarum. Secundùm hunc eſt *Nobilium Ordo*, qui *Nuncios* unius cujuſque Provinciæ ſuffragiis electos, & veluti Tribunos aliquos populi denunciatos ad Comitia mittunt Legatos, qui ſuperiorem potentiam, & alicubi excedentem auctoritatem reſtringant. Et ita unanimi omnium conſenſu ac ſtudio, certis finibus, ſummam rerum tenentium poteſtas in ſacrum ac equeſtrem ordinem, & utrique ſubjectos homines, atque bona, circumſcripta eſt. Cæterùm *Sacerdotes* juri, quod Regi in illos competeret, exempti ſunt, idque ab initio ſtatim ſuſceptæ Religionis Chriſtianæ. De *equitis* autem vita, & fama non niſi in Comitiis Rex cum Senatu judicat, certis aliquot exceptis cauſis. Senatu verò & Tribunis inconſultis nullum decernitur bellum, neque fœdus percutitur, neque tributa ac vectigalia ſubditis imponuntur, nec novæ Leges ſcribuntur, aut nummus cuditur; nulla rata habetur de bonis Regni alienatio, nemo in Nobilium ordinem aſſumitur,

ſumitur, aut ulla res gravior ad Rempub. pertinens conſtituitur. Rex verò ipſe Epiſcopos & Abbates nominat, Palatinos, Caſtellanos, Mareſchallos, Cancellarios, ærario Præfectos, Ducéſq; militiæ creat, reditus Regni diſpenſat, præfecturas diſtribuit, Comitia indicit, Magiſtratus omnes & judices eligit, denique univerſos Reipub. honores ſolus, prout illi placet & libet, de Repub. bene meritis diſtribuit. Porro *Senatores*, qui Regi adjuncti, & in partem curarum conſiliorúmque publicæ rei cauſa vocati ſunt, ex omnibus provinciis, tam ſacri quam Politici ordinis, CL. numerantur. Nam Vlatiſlaus B. M. Rex tres antiquo adjunxit numero, *Epiſcopum Smolenſcenſem, Palatinum & Caſtellanum Czernichovienſem.* Dicti Senatores quadruplicis ordinis ſunt: *Epiſcopi, Palatini, Caſtellani, & Officiales majores*, qui omnes jurejurando Reipub. obſtricti, ad hoc Collegium & Conſilium admittuntur. Hæ dignitates perpetuæ ſunt, nec niſi cum vita deponuntur: nec quiſquam hîs exui poteſt niſi per maximam vel mediam capitis diminutionem, nimirum libertatis, civitatis, ſive nobilitatis & bonæ famæ amiſſionem, aut ſi quis altiori gerendo magiſtratui præficitur. Numerantur autem 2. *Archiepiſcopi, Gneſnenſis, & Leopolienſis*; *Epiſcopi* vero XV. *Cracovienſis, Cujavienſis, Vilnenſis, Poſnanienſis, Plocenſis, Varmienſis, Luccorienſis, Præmiſlienſis, Samogitiæ, Culmenſis, Chelmenſis, Kiovienſis, Camenecenſis, Vendenſis, Smolenſcenſis.* Hi omnes hoc, quo modo ordine enumerati ſunt, eodem etiam ſuffragia ſua dant. Palatini ſunt 34. *Cracovienſis, Poſnanienſis, Vilnenſis, Sendomirienſis, Caliſſienſis, Trocenſis, Siradienſis,*

radiensis, *Lancicienſis*, *Breſtenſis*, *Kiovienſis*, *Inoulodiſlavienſis*, *Ruſſiæ*, *Volhyniæ*, *Podoliæ*, *Smolenſcenſis*, *Lublinenſis*, *Polocenſis*, *Belzenſis*, *Novogrodenſis*, *Plocenſis*, *Vitebſcenſis*, *Maſſoviæ*, *Podlachiæ*, *Ravenſis*, *Breſcienſis*, *Culmenſis*, *Mſciſlavienſis*, *Mariæburgenſis*, *Braſlavienſis*, *Pomeraniæ*, *Miſcenſis*, *Vendenſis*, *Derpatenſis*, *Parnavienſis*, *Czerniechovienſis*, & *Capitaneus Samogitiæ*, qui ſolus ex omnibus omnium Provinciarum & diſtrictuum Præfectis Senatum ingreditur. *Caſtellani* tam *majores*, quàm *minores*, numero ſunt 87. *Cracovienſis*, qui omnes Palatinos antecedit, primúmque locum poſt Epiſcopos inter Politicos Conſiliarios capit; *Vilnenſis*, *Trocenſis*, *Poſnanienſis*, *Sendomirienſis*, *Caliſſienſis*, *Voinicenſis*, *Gneſnenſis*, *Siradienſis*, *Lencicienſis*, *Samogitiæ*, *Breſtenſis*, *Kiovienſis*, *Inouladiſlavienſis*, *Leopolienſis*, *Volhyniæ*, *Camenecenſis*, *Smolenſcenſis*, *Lublinenſis*, *Polocenſis*, *Belzenſis*, *Novogrodenſis*, *Plocenſis*, *VVitebscenſis*, *Cernenſis*, *Podlachiæ*, *Ravenſis*, *Preſcienſis*, *Culmenſis*, *Mſciſlavienſis*, *Elbingenſis*, *Braſlavienſis*, *Gedanenſis*, *Minſcenſis*, *Czernichovienſis*. Horum omnium præcipua in Regno Poloniæ dignitas & auctoritas eſt, ad quam de Repub. virtutibus benè meriti ex gratia Regia conſueto more evehuntur, ex qua etiam alii minoribus gaudentes honoribus dependunt. Atque hi dicuntur *maiores*, quia cum reliquis Senatoribus, tam Eccleſiaſticis, quàm Politicis, etiam ſecretiſſimorum conſiliorum participes ſunt. *Minores* verò non item, ut ſunt *Sandecenſis*, *Medirecenſis*, *Viſlicienſis*, *Biecenſis*, *Rogoſnenſis*, *Radomienſis*, *Zavichoſtenſis*, *Lendenſis*, *Sremenſis*, *Zarnovienſis*,

Malogoſtenſis,

Malogostensis, Vielunensis, Præmissiensis, Haliciensis, Sanocensis, Chelmensis, Dobrinensis, Polanecensis, Præmetensis, Crivinensis, Czechoviensis, Naclensis, Rospiriensis, Biechoviensis, Bidgostiensis, Bræsniensis, Crusvicensis, Osuecimensis, Camenensis, Spicimiriensis, Inoulodensis, Covaliensis, Santocensis, Sochaczoviensis, Varsoviensis, Gostinensis, Visnensis, Raciosensis, Sieprcensis, Visogrodensis, Ripinensis, Zacrocimensis, Ciechanoviensis, Livensis, Slonscensis, Lubaczoviensis, Covariensis, terræ Siradiensis, Vendensis, Derpatensis, Pernaviensis, Coariensis, terræ Lenciciensis, Conariensis, terræ Cuiaviensis. Hos dein *Officiales* sequuntur *Regni X. majores*; *Mareschallus Regni Polon. supremus, & Mareschallus curiæ Regni*; *Mareschallus magni Ducatus Lithuan. supremus, & Mareschallus curiæ Magni Ducatus Lithuaniæ*: *Cancellarius Regni Poloniæ, & Vicecancellarius*, ac *Thesaurarius regni Poloniæ*; *Cancellarius, Vice-Cancellarius & Præfectus Thesauro magni Ducatus Lithuaniæ.* Sunt verò & alii *officiales* extra ordinem Senatorium positi, trifariámque divisi: alii, qui totius *Regni* aut *magni Ducatus Lithuaniæ officiales* dicuntur, ut *Generales exercituum, Referendarii, Pocillatores, Dapiferi, Vexilliferi*, & similes alii; nonnulli *aulæ Regiæ officiales*, ut *Camerarius supremus, Præfecti & Vicepræfecti stabuli, culinæ, curruum, venatores, Secretarii*; & alii *districtuum* seu *Provinciarum officiales*, ut *Vrbium Præfecti, Iudices, Gladiferi, Quæstores, Tribuni*, &c. *terrestres* dicti *officiales*. Hi verò omnes tales solius creantur Regis arbitrio, & quidem è solis Nobilibus, qui postmodum ad Senatoriam evehuntur dignitatem, & quorum

opera Rex in legationibus, commiſſionibus, finibus regundis, exactionibus publicis, & aliis utitur. Habet autem Regnum Poloniæ potiſſimum tres *Vaſallos*. Primus eſt *Dux Pruſſiæ*, [add. *Hodiernus Elector Brandeburg. primus Suverenitatem ratione Boruſſiæ indeptus*] alter *Dux Curlandiæ*, tertius *Princeps Valachiæ*. Qui omnes Regem, tanquam Regni Feudatarii, ſuperiorem agnoſcunt, & in ſignum recognitionis penſiones debitas ſtato tempore pendunt; pro membris tamen Regni non numerantur, veluti cæteri incolæ Regni Poloniæ, nec veniunt ad comitia aut ſuffragia in electione Regis, ſed loco extraneorum habentur. Deficiente in illis prole maſculâ, (*Valachiâ* exceptâ) Principatus coronæ denuo velut membra corpori inſeruntur. Quemadmodum etiam non ita pridem pars *Pomeraniæ* ita adiuncta fuit, cuius *Duces Stetinenſes* homagium Regibus Poloniæ præſtabant. Horum Vaſallorum ſubditi in cauſſis gravioribus ad ſupremum Iudicem ac Dominum, Regem, recurrunt, & ultimas appellationes ſuas expediunt. Excipiuntur tamen hic *Moldaviæ* ſive *Valachiæ* populi, quod Principes ipſorum Turcam potius ſupremum Dominum agnoſcant, licet Majeſtatem Regis Poloniæ cæteroquin reverenter habeant, ipſíque ſtatis temporibus munera mittant. Olim tributa directè pendebant, à Rege inveſtiti in illius jurabant verba; nunc à Turca, Principatus inſignia, corporíſque habent cuſtodiam, quamvis fœdere inter Polonos & Turcas ante bellum Chotimenſe utrimque in hoc conſenſum & ſancitum ſit, ne provinciam illam cuiquam Turcarum

rum Imperator unquam præter Poloniæ Regis voluntatem committeret, utque is, qui eam accepturus esset, Regi Poloniæ se fide obstringeret.

V. Polonia, teste *Michovio*, usum monetæ diu ignoravit, in cuius tandem pervenit notitiam sub *Vencislao* Rege, anno 1297. coronato, postquam grossi Bohemici cusi, & in Poloniam introducti sunt. *Sigismundus Augustus* primus fuit, qui rudi pondere aurum sub certa forma cudi jussit. Quondam Reditus Regis Poloniæ majores fuerunt, quàm nunc *Cromero* & *Neugebavero* esse creduntur. Tenebantur rustici 12. grossos Bohemicos pro quolibet jugere Regi pendere. Incolæ oppidorum quotannis obstricti erant, dare in usum Regiæ aulæ pecora, frumentum, avenam, aliáque cum certa nummorum summa. Nec Nobiles ab his erant exempti, qui ad equos, aliáque animalia, canes, venatorúmque sustentationem præstandam tenebantur. Bona monasteriorum, tanta non gaudebant libertate; quin licitum erat Regi, in illis pro lubitu venari, piscari; contra privatis, nec in propriis fundis sine indultu Regis idem fecisse impune cessit. Cum Rex per Palatinatus reddendæ justitiæ ergo iter faceret, tunc quilibet Regem eiúsque comitatum propriis accipere expensis, tamdiu, quamdiu ipsi ibi manere volupe fuit, obligatus erat. Maxima autem Regum Poloniæ tam in Ecclesiasticum, quàm Nobilium, ordinem clementia, & singularis gratia, his justis oneribus illos exemit, ut hodie non nisi respectu prioris debitum minus solvant. Præter hæc, omnium Palatinatuum subditi Regis familiam hodie sustentant, solventes quicquid

Divitiæ Regni Poloniæ.

ipsis

ipſis imponitur. Sola autem mineralia & ſalis fodinæ Regi maximos faciunt reditus; tum Tributa & vectigalia, mercatorum advenarum mercibus impoſita. *Tributorum* aliud *vetus*, aliud *novum* eſt. *Vetus* exiguum eſt, & ab iis tantum, qui in Regno mercatum exercent, exigitur. *Novum* majus eſt, & ſolvitur pro bobus, equis, frumento, lana, corio, cera, aliiſque, quæ extra Regnum vehuntur. Ab his tamen Nobiles & Eccleſiaſtici exempti ſunt, quod non emant eo fine, ut iterum vendant. Iudæis portoria pro annua ſumma elocantur, & privilegia mercaturæ conceduntur. Quantum ad ipſius Regni, eiúſque incolarum divitias, exploratum eſt, quod Poloni ex frumento, ſiligine, hordeo, melle, cineribus, lignis, leguminibus, lino, corio, bobus, pellibus, malis navium, cereviſia, equis, martibus, pellibus Zobellinis, panno, ſerico, tapetibus, unionibus, piſcibus, feris, ſtanno, chalybe, tum aliis, quæ tam exportantur, quàm invehuntur, incredibilem colligere poſſint opum vim. Nullus autem in Polonia, ipſique innexa Pruſſia, mercatu celebrior locus eſt, quam *Gedanum*, Vrbs, totius Pruſſiæ & Poloniæ ocellus, & Europæ granarium. Vbi, ob mare alluens, ingens peregrinorum mercatorum reperitur confluxus, merciumque peregre advectarum incredibilis & precioſa varietas. Eius nundinas Dominicales, menſe Auguſto celebrandas, tot peregrinæ viſunt Nationes, ut inter præcipuas Europæ nundinas ab auctoribus numerentur. *Cracovia* etiam, à mercatorum ex Italia, Hungaria, Germaniáque ingenti confluxu, divitiarum nobilis eſt Civitas,

ut

ut alias tam *VVilnæ*, quàm Borussiæ mercatu celebres taceamus civitates. Nobilibus Poloniæ divitias, frumentum & boves portant; qui cum pro more Sarmaticæ indolis ad leges luxus & omnium deliciarum plerúmque vivant, situ & custoditu graves non fovent thesauros, sed illorum largissimum proventum in splendido vestium apparatu, dapibus omni genere aromatum conditis, famulorum numero, vinóque Vngarico, festivis proluunt animis. Hinc sera in fundo parcimonia; in penuriâ pœnitentia nonnullos inconsultos eventuum æstimatores subit, qui frequenti sane exemplo, posteris præter inanem rerum, algáque viliorem Nobilitatis jactantiam, ultraque viriles animos, relinquunt nihil. Quod si rerum suarum curatius satagerent, nullum dubium est, vix ullam Nationem, illos divitiis superaturam. Sed quæ in privatis Nobilibus hic commendari meretur parcimonia, in magnatum aulis, officiorum dignitate insignibus, locum vix reperiet sibi decentem. Multum enim illi magnificentiæ, & plus exprompta debent liberalitati.

Vires Poloniæ.

VI. Præcipuæ Polonorum vires in numeroso & expedito equitatu consistunt. Nobiles, omnibus cæteroquin exempti oneribus, ex legibus Regni in castra cum Rege ire tenentur, quam expeditionem *Pospolite rvszenie* vocant; nimirum urgente necessitate. Tum per omnes Palatinatus patenta Regia mittuntur. Tertiò facta denunciatione, quilibet Nobilis suo se sistit Palatino, hinc ipso duce ad certum deducitur locum: suis etiam expensis Nobilitas Regnum tueri tenetur, propriòque militat ære. Numerus omnium, qui ad

arma

arma conſcripti ſunt, Nobilium, cum ſuis equitibus, 200000. facilè explere poteſt. Peditatus Polonicus parvi ſemper habitus eſt, in cujus defectum extraneus Germanus miles conducitur. Incolæ Vrbium certos in bellum armare ſolent pedites, illóſque in caſtra Regia mittere, vel pro certo conducendo militum numero imperatam pecuniam exſolvere. Quondam *Coſaci* antemurale Poloniæ dicebantur; illi nimirum qui ad *Borysthenem* accolunt, quod manu fortes, bellóque ſtrenui eſſent milites, & Turcico nomini implacabilius iraſcerentur. Verum illorum perfidia quantis malis non ita pridem Poloniam afflixit! qui, ut ad priſtinum redeant obſequium, voto nunc certior ſpes eſt. De origine Coſacorum quædam notavit *Pierre d'Avity in deſcript. Polon.* quos cum *Soranzo in Ottomanno* Nobiles Polonos, ſed laxiorem vivendi & convivandi ob licentiam ad egeſtatem redactos, eſſe autumat. Modus pugnandi Polonis peculiaris eſt; ſiquidem eadem velocitate, quâ fugiunt, etiam ſequuntur, more Scytharum antiquo; mox fugam ſiſtunt, & vehementius, quam cautius opinione victoriæ inductos hoſtes claudunt, urgentve, & cæde involvunt. Quod ſi quis Nobilium paterfamilias vocatus in bellum ire, vel eius loco filium adultum aut fratrem eo mittere detrectaverit, ejus bona ſecundùm leges Regni Fiſco adjudicantur. Viduis tamen, pupillis, qui quartum decimum annum nondum ſunt aggreſſi, ægrotis, ſenibus, alium ſuo loco mittere conſanguineum vel ſervum permiſſum eſt. Qui ob negotia Reipubl. abſunt, vel munere aliquo funguntur togato, vel

militari,

militari, & in præsidiariis agunt locis; tum alii, qui rebus Ecclesiasticis præsunt, ab hac exempti sunt proficiscendi necessitate. Si quis nobilium ab hostibus capitur, pro ipso à Rege lytrum solvitur, & postliminio reverso equi, quos pro Repub. perdidit, restituuntur. Fortalitia in Polonia, quæ præsidio essent Reip. nulla sunt, neque verò per leges Regni à Nobilitate tolerari possunt, quamvis sæpius de illis consilium fuerit agitatum.

VII. In Palatinatu Siradiensi urbs *Petrikovia* est, universæ Poloniæ tribunal, in quo Nobilium controversæ caussæ deciduntur à judicibus hujus loci propriis; ut quod Spira in Germania, hoc Petricovia in Polonia sit.

VIII. Cracovia merito regni totius metropolis nobilissima & celeberrima audit, quæ cum nitidissimis, non Germaniæ solùm, sed & Italiæ, Vrbibus conferri potest. Quod Athenæ in Græcia fuerunt, hoc merito *Cracovia* in Polonia hodie est. Equidem singulari morum elegantia, comitate, affabilitate, cultissimos alit mortales, qui ad Italorum morem magnificè vivunt, splendida inhabitant, non ædificia, sed palatia, in cultissimo habitu corporis, & delicato mensarum apparatu multos facientes sumptus. Quem hoc solum producit sexum muliebrem, forma corporis amplissima pulcerrimáque est; illæ suavitate sua, non incolarum solum, sed & peregrinorum, omnia humanitatis officia & amoris desideria in se haud immerito convertunt; adeò ut mirum videri non debeat, si hic locorum quandóque plus justo liberior amor sibi in præcordia hominum tantùm

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

imperium indulgeat. Erat quondam Cracovia Regum Poloniæ Regia, arce splendida insignis, in cujus locum postmodum *VVarsavia* venit, quod velut in medio omnium Regni Poloniæ provinciarum, ideóque publicis habendis Comitiis magis idonea esset, quod eo commeantibus ex omnibus provinciis æqualis sit distantia.

IX. Ardentissimos Religione *Catholica* Cracovia alit incolas; quibus illa tantum sæpissimè suadet malorum, ut insontes peregrinos, ob diversa sacra suspectos, certis anni temporibus sedibus suis proruant, injuriis & contumeliis afficiant; ad ultimum crudeli morte quandoque tollant mortuorum cadavera de ferali cista extrahant, pedibus per sordes platearum tracta, tandem suspendant; magis religiosi, quam humani, quam pii. *Iudæis* contra magna permissa hic est libertas, qui cum sacris peculiarem suam habent civitatem.

X. Russis Polonicis qui manuum tractant operas, firmæ ad laborem ferendum vires sunt, cui etiam diebus festis & dominicis operam navant; quærentibus, cur non in die dominicâ ab opere cessent, respondent; quod tam hac die, quàm in aliis, comedere oporteat.

Mores Lithuanorum nostri temporis.

XI. *Lithuanorum* plebs valdè rudis & simplex est, ut ad ferendum jugum nata velut esse videatur. Nobiles subditos suos ut mancipia tractant. Gens Lithuana, inculta incivilis, moribúsque crudelis est: prædones & fures plurimos fovet, qui eo scelerum delabuntur ob nimias, quibus indulgent, comessationes, quæ illos ad vitam pauperem & inertem traducunt. Si fides penes

Micha-

Michalonem, in Lithuania propter ſcelus latrocinii plures in uno menſe, quàm in Moſcovia & Tartaria per centum annos, ſuſpendi ſolent. *Herbersteinio* teſte, virgines *Kiovienſes* ultra ſeptimum annum, pudorem virgineum prodigunt, cum quarum in hac ætate propoſita formâ etiam pudicitia exponitur. Raptoribus tamen illarum pœna capitis, & confiſcationis bonorum, irrogatur. Servi quinque per hebdomadem dies, dies in opera ſuorum dominorum impendunt, lunæ diem tantum ſuis liberam habent curis; die dominicâ etiam in ſervitia dominorum impensâ. Frumentum ſuum ad focum ſiccare conſueverunt, quod poſtea in granariis excudunt. Qui liberioris ſunt conditionis, à laboribus ſe utplurimum vindicant, & in popinas deflectunt, in illis dies noctéſque potui indulgentes. Cereviſiâ, & vino aduſto pro potu utuntur, cui mulſum optimæ notæ addunt. Hoc in Magnatum aulis per plurimos annos aſſervatur. Author libri *Teſoro Politico, l.* 3. dicit, in Aula Illuſtriſſimorum Principum *Radzivilliorum* mulſum ultra 100. annos integrum fuiſſe ſervatum. *Kiovienſes* à primis incunabulis natationi, navigationi, piſcationi ſe dant, quæ exercitia illorum corpora admodum reddunt expedita. Conviviis Lithuani ſæpius intereſſe amant, in quibus à meridiano ſole ad medium noctis uſque genio indulgere ſolent. Potentiorum menſas peregrina vina & opiparus ferculorum apparatus onerat. A primo mane aduſtum vinum omnis ſexus & ætatis homines bibunt. Veſtitus incolarum, non ſecus ac Moſcovitarum, longior eſt: mulieres valdè ſplendidum habitum

amant. In matrimoniis contrahendis quondam nullus habitus respectus est apud Lithuanos, divitiarum vel stemmatis; sed ille, quem armorum gloria commendabat, quamvis is vilis conditionis esset, fœminam tamen ex nobilissima familia ducere poterat. Hæc consuetudo multis magnos fecit ad virtutem stimulos. Hodie tamen paritas conditionis & stemmatis in matrimoniis servari solet. Fœminæ nuptum datæ, in dotem certam bonorum accipiunt partem; inde obsequentiores illas sibi mariti experiuntur. Natura illarum ad quærenda cum aliis vicina consortia valdè prona est.

Regimẽ. XII. Longo olim tempore Lithuania per *magnos Duces* regebatur, donec tandem Regno Poloniæ per *Iagellonem*, dictum *Vladislaum*, anno 1386. uniretur. Hodie, qui ipsi cum imperio præsunt, suos *Palatinos & Castellanos* habet, qui cum *Episcopis* Senatores Regni sunt. *Nobiles* in subjectos sibi subditos liberæ potestatis, & sæpè violentiæ exercent imperium; adeo, ut, qui misera magis premantur servitute, alios alibi vix invenias. Equidem illi qui mancipia suis sunt dominis, pecudum more cum uxoribus & liberis vendi solent. Illi, qui libertate gaudent, & vivendi mediis destituuntur, filios, filiásque suas, vel semet ipsos, aliis vendunt, ut solùm apud emptores cibum habere possint. Præter debita, quæ ruricolæ tam Regi, quam Dominis suis, solvere tenentur, obstricti quoque sunt uxores ducturi certam pecuniæ summam aulis pendere, si illis postea natus infans diem suum obeat. Iudices rei judicatæ decimam partem capere solent. Homicidia, præser-

tim

tim à Nobilibus commiſſa, pœna tantum pecuniaria expiari ſolent. Duo *Palatini* vicini juſtitiam ibi locorum adminiſtrant, præter id, quod ſua publica obeant negotia. Illud verò partes litigantes malè habet, quod fixum judiciis illi judices non habeant locum, ſed modo hic, modo alibi jus dicant. Si cui ob facinus mortis pœna adjudicata eſt, dominus condemnati illum cogere poteſt, ut ſe ipſum ſuſpendat. vide *Michovv. Sar. Eur. l. 2. Herberſtein. Lithv. Michalov. fragm.*

XIII. Eſt prope *Kioviam* in Lithuania exiguus mons, ſuper quem mercatores ſæpius iter facere neceſſum habent; quod ſi currus mercibus onuſti ibidem loci rumpantur, vel pars mercium effluat, omne id quod ſolum attingit, Regi proprium cedit. Cum *Iacobus Laſcovius* à Sigiſmundo Auguſto An. 1572. eſſet miſſus, qui Samogitis unum Deum concionaretur, ipſi reſponderunt: *quare tu nobis unum prædicas Deum, tanquam potentiorem noſtris Diis? Nunquid ignoras, plures plus habere potentiæ, quam unum, & facere plura, quam unus facere poſſit.*

XIV. *Lechus*, primus Polonicæ Reipub. conditor ac Princeps fuit. Quidam illum indigenam, alii Sclavonia, Dalmatiáque oriundum exiſtimant. Principi lex natura erat, populíque, cui imperabat, genius. *Polonia* tum pecuniam ignorabat; oppida erant rara, & proventu ſubditorum Rex ſuſtentabatur. Lechus reperta firmavit, novíſque ſtruendis animum adjecit. Primum exſtruxit *Gneſnam*, quondam Principis, nunc primi Antiſtitis Regiam, ubi Aquilę nidus repertus, omen naſcentis Imperii. Adepta no-

men à nido civitas, avísque illa Regni mansit insigne. Eo regnavit tempore, quo eunte in præceps Roma, Vandali Galliam, Hispaniam & Africam, Gothi Italiam inundaverunt. Quàm diu gubernarit, quibúsque liberis spem succedendi reliquerit, ex defectu historiæ, certi quicquam haberi nequit.

XV. Mortuo Lecho, cum nondum constantem formam Polona Respub. nacta esset, Regiaque soboles Regno aut deesset, aut apta non esset; primarii viri delecti sunt, vernaculo nomine *VVoievodæ* (hodie *Palatini*) hoc est, Duces belli dicti. Qui Magistratus non absimilis decemviris Romanis fuit. Sed hi discordiis turbarunt Rempub.

XVI. Cum Polonia intestinis, externísque laboraret bellis, uni denuo summa rei commissa fuit. Is fuit *Cracus*, vir opulentus, Vistulæque accola. Hic ægrè persuasus Imperium accepit, hostes fœderibus vel vi mitigavit. Domi ambitionem aliáque discordiarum semina sustulit. Iudices litium per provincias constituit. Novam Vrbem ad Vistulam, à suo dictam nomine *Cracoviam*, excitavit, quæ regni caput, relicta Gnesnâ, facta.

Lechus II. XVII. Duos reliquerat Cracus filios; quorum minor *Lechus* Imperium vi rapuit, fratrémque *Cracum* in sylvas venandi caussa eductum obtruncavit. Hunc quasi fato mortuum, acerbè luxit, magnificóque extulit funere; sed innotuit scelus, missúsque in exilium est parricida.

Venda A. C. D. CCL. XVIII. Fratribus vita functis, sorori illorum *Vendæ* imperium delatum est, virgini ingen-

tis

tis animi, supráque sexum prudenti. Sed cum Venda Princeps potius, quam Principis uxor esse mallet, se sponsam ambientem *Ritigerum*, Principem Germaniæ, spreverat. Hic quod precibus impetrare non potuit, manu conjugium capere decrevit. Hosti amatori, cum magnis copiis Poloniam invadenti, obviam processit virgo; dúmque in irritum omnes Legationes, & conatus abirent, vecors amore, & illusi conatus pudore, Dux sibi manus intulit. Venda triumphum de armis & amore agens, Cracoviam ingreditur, séque in Vistulam præcipitem dedit, & Diis manibus devovit.

XIX. Extinctâ cum Venda stirpe regnatrice, Imperii moles ad *Palatinos* revoluta est; sed brevi is Magistratus, antequam corrumperetur, desiit. Successit enim *Præmislus*. Is erat aurifaber, qui singulari stratagemate *Pannones* & *Moravos*, tum Poloniam infestantes, per galeas decepit, Polonísque cædendos præbuit. Suspendit enim felle vel lithargyro illitas galeas, castra hostium contra: quæ sole lucente, hostium excivêre copias. Mox sublata ab auctore, fugæ suspicionem faciebant, à Polonis cœptæ. Hinc ad persequendum hostem *Pannones* accincti, & in interiora sylvæ penetrantes, circumventi à Polonis, internecioni dati. Hoc propter inventum *Premislus* à Polonis Rex creatur. Tranquille imperavit, nullos post se reliquit liberos. *De XII. Palatinis, & Premislo sive Lesco I.*

XX. Post fata Premisli, nullo relicto Regni hærede, nova de Principatu orta est contentio, in eámque tandem descenderunt sententiam Poloni, ut fortunæ electio committeretur, sub hac *Lescus II ab an. Iↄ.CCLX. ad an. Iↄ. CCCIV.*

conditione, ut qui eques primus ad metam præfixam pervenisset, Princeps foret. Sed cum quidam dolo ageret, & campi arenas, ubi decurrendum erat, noctu tribulis ferreis impediret, relicto sibi integro tramite, equóque soleis ferreis munito; effusis in cursum aliis, lapsantibúsque, impostori victoria cum Principatu cessit. Sed comperto dolo, supplicium ipsi loco coronæ datum est. Eandem viam vir quidam tenuissimæ sortis pedes non sine risu adstantium ingressus erat, & certantibus aliis, post structorem doli ad metam pervenit primus. Hunc, velut Fato ostensum, Poloni Principem renunciant, pauperem licet, nec unius equi dominum. Hic habitum modestiámque in regno retinuit, sobriúsque fuit. *&c.*

Piastus ab ann. Io. cccxxx. ad an. Io. ccclxi.

XXI. Misere defuncto & à muribus depasto Popielo Iuniore, magna de successione orta sunt dissidia. Rejecti námque Regnum poscentes filii patruorum, à Popielo sublatorum. Interim omnia rapinis & latrociniis fœdabantur, accedentibus ad publica mala finitimorum machinationibus. Post longè agitatas contentiones, eligitur Princeps, quem nemo speraverat, *Piastus*, oppidanus Crusviciæ, parvi agelli dominus, integer tamen vitæ, & in egentes promptus. Is, ortâ in Comitiis annonæ caritate, omnem multitudinem frumento refecisse dicitur, nihil ideo imminutis dapibus. Hoc viso miraculo, Poloni Principem Piastum salutant. Gessit Principatum felicissime, quem fato acceperat. Bella sub illo nulla fuere. Latrocinia & interna dissidia auctoritate sua composuit. In posteris suis diu Regnum tenuit.

Cru-

Crusviciam, dein interitu Popieli inquinatam mutavit, *Gnesnámque* ſedem tranſtulit. Ex uxore ſua *Repicha* filium unicum ſuſceperat. Superavit, rariſſimum mortalibus, annum viceſimum ſupra centeſimum, abſtinens gulæ & libidinum, quæ multis exitio fuere.

XXII. Secutus Patrem Locticum *Caſimirus*, filius eius, pacem cum *Crucigeris* init, quæ Polonis non placebat. Eligitur arbiter litis *Pontifex*; mittuntur ab hoc Legati, qui Polonis *Cujaviam*, *Dobrinum* & *Pomerelliam* adjudicant, Crucigeris grandem multam irrogant. Sed hi, nihil omnia curantes, occupata retinent. Cæterum Caſimirus, libidinibus deditus, Regia prole carebat. Elegit igitur ſucceſſorem *Carolum*, Vngariæ Regem, ſorore ſua genitum. Hinc in *Ruſſiam* movit, nunquam antea ſubactam à Polonis, à Caſimiro in provinciam redactam. Sumpſerat tum arma *Iohannes Bohemiæ Rex* contra Polonos, unicum ſolatium ſenectutis ponens, ſi manu muros *Cracoviæ* attigiſſet. Repulſus verò à Polonis, in Gallia interiit. Poſt hæc, Caſimirus conditis domi legibus, judiciis conſtitutis, arcibúſque ſtructis, utilem ſe Reipub. probavit. Hic introduxit in Poloniam *ius Magdeburgicum*; condidit quoque partem Vrbis Cracoviæ, *Caſimiriam* adhuc hodie dictam. Sed ſucceſſor Caſimiri electus *Carolus*, decedit, cuius in locum ſuccedit eius filius *Ludovicus*, à quo Poloni immunitatem tributorum paciſcuntur. Eodem anno Caſimirus *Ruſſiam* perpacavit, pulſis turbatoribus *Lithuanis*. Paulo poſt *Maſovia* corpori Poloniæ juncta eſt. Hoc tempore *Germani* plurimi,

Caſimirus magnus.

Ab ann. clↄ. 338. ad ann. clↄ. 370.

mi, Regis clementia exciti, in Poloniam migraverunt. Dictúsque inde est Casimirus *Pater plebeiorum*, quod vilioribus etiam peregrinis faveret. Post hæc, quod prælio cum *Valachis* inito infelicior factus est Casimirus. Cùm Valachi incisis sylvis, & arboribus super Polonos ruentibus, magnam partem militum Polonorum obtruncarent, reliquos in fugam actos ceperunt. Hæc mala pestilentia & annonæ caritas secuta sunt. Casimirus verò, dum omnibus venerationi esset, inter venandum, dum incautius cervum insectatur, equo excutitur, solóque affligitur. Moriens multa Ecclesiis donavit, Princeps alias magnus, nisi libidinibus corruptus. Præfuit Regno ann. XXXVII. vixit LX.

Ludovicus Vngarus. Ab ann. cIↃ. 370. ad ann. cIↃ.382.

XXIII. Defecit tandem in Casimiro illa *Piasti* progenies, tot per secula regnatrix. Regnum igitur ad *Ludovicum Vngarum*, destinatum successorem, devenit, sorore Casimiri genitum. Venit tandem, diu dubius, in Poloniam. Removit verò filias Casimiri. Paulo post redit in Vngariam, matri *Elisabethæ* Poloniæ administratione relicta. Prole carebat masculâ, duas susceperat filias; quarum una Sigismundo Cæsari nupsit, alteram sceptro Polonico destinavit. Soli Proceres quidam *maioris Poloniæ* nouum Regem aspernantes, *Vladislaum*, Ducem Cujaviensem, ex Vladislai Loctici fratre oriundum, Principem sibi constituunt. Is mente imbecillior, ditionibus suis perditis, Monachus factus. Inde in Poloniam reductus, cum omnia pro dominatu tentasset, à *Subinio*, assecla Ludovici, vincitur.

Vladislaus Iagello. Ab ann. cIↃ. 386. ad ann. cIↃ. 434.

XXIV. Ingressus Poloniam *Iagello* Lithuanus

nus eiurat Gentilismum, nomen *Vladislai* assumit, celebratis cum *Hedvige* nuptiis coronatur Rex, & in *Lithuaniam* proficiscitur. *Lithuanos* ad veram fidem convertit. Hinc discedens, fratrem *Skirgellonem* summæ rerum præfecit. Discordia dein inter Regem, Reginámque fere ad divortium usque orta est, tanquàm prisco proco *VVilhelmo Austriaco* faveret. Sed purgavit se Regina juramento, delatórque mendacium se dixisse de Regina confessus est. Quod pœnæ genus apud Polonos probrosissimum habetur. *Crucigeri* postquam *Lithuaniam* invadunt, contra quos non erat consultum arma expedire. Regina interim moritur, multa pauperibus & Academiæ legans. Cum autem denuo *Crucigeri* Poloniam lacesserent, bellum contra illos decernitur. Cæduntur igitur 50. millia Crucigerorum, & Poloni magna potiuntur victoria.

XXV. Ex Casimiri filiis declaratus Rex est *Sigismundus*. Primam curam adhibuit in ærario Regni restaurando, unde in tributi pensionem consensum, scriptúsque miles, qui excubias in finibus Regni pro incolumitate Reipub. ageret. Primum bellum contra *Lithuanos* ac *Moschos* gestum est. Post *Valachi* Russiam adorti, quos Poloni usque ad Tyram flumen prosecuti, ubi plurimi cæsi sunt. Post hæc, plurimæ exterorum Principum Legationes Sigismundum coluerunt. Adfuit & Pontificis Legatus, incitans ad jungenda cum Vngaris contra Turcos arma. Secuta mox de *Tartaris* ad *Lopusnam* victoria. Hanc excepit *bellum Moscoviticum*. Sed restituit *Glinscius* ereptum *Smolenscum* Regi, cujus in gratiam rediit. Interière

Sigismũdus I. Ab ann. cIↄ. Iↄ.6. ad ann. cIↄ.Iↄ.48

post

post prælio XXX. millia Moschorum. Pax igitur petenti hosti in quenquennium concessa. Incitaverat Moschos *Maximilianus* Cæsar; ad hunc sibi conciliandum adjecerat Sigismundus animum; Legatósne ad ipsum mitteret, an ipse Cæsarem adiret, ambiguus, posterius elegit. Ingressus igitur primum *Posonium*, Vngariæ Vrbem, fratrem *Vladislaum* visitat, cum quo, præmissis Legatis, *Viennam* Maximilianum invisurus abit. Ibi per XIV. dies humanissimè à Maximiliano exceptus est cum fratre Sigismundus, æternúmque invicem initum est fœdus; quod ut esset arctius, neptim suam *Mariam Ludovico*, Vngariæ hæredi, Cæsar locat. Ipse vicissim nepoti suo *Annam*, Ludovici sororem destinat: ita propensissima voluntate se excipientes discesserunt. Reducem Regem mors Reginæ *Barbaræ* dolore affecit; ducta dein *Bona Zfortia*, Iohannis Galeatii Ducis Mediolanensis filia. Tum *Tartari* magna strage Regios fuderunt. Sequutum est *bellum Prussicum*, atrox, sed exitu non infelix. Huic Marchio Brandeburg. *Albertus*, sorore Sigismundi genitus, Cruciferorum præfectus, denegans juramentum Regi occasionem dedit. Grassabantur mutuis cædibus ac occupationibus locorum hostes; suspensa dein in quadriennium sunt arma. Post comitia Thorunii sunt habita, ubi privilegia Prussorum Rex confirmavit, ne munia dignitatésque nisi indigenis darentur. Sequuta est in Polonia pax, nisi quod ipsam *Tartaricæ* incursiones inquietarent. Vergentibus ad finem cum Cruciferis induciis, plebs *Dantiscana* Lutheri dogmatis assensu seditionem movit. Ausa est obluctari Magistratui, occupata sunt templa

per vim, innovati ritus Ecclesiastici. Mox scriptis literis orant Regem, confirmaret ipsis sacra, cæterum in obsequio futuris. Rex non refragatus est precibus, metu, ne denegatis petitis, ad Crucigeros confugerent, brevi induciis elapsis arma resumpturos. Verum inducias pax excepit æterna. Rex post Vrbem ingressus, pœnam de auctoribus seditionum sumpsit. Eo tempore commissum est bellum *Vngarorum* cum *Solimanno*, cui Ludovicus Rex immixtus florem Vngaricæ Nobilitatis perdidit. Pervenítque nobilissima Vngariæ pars ad *Turcam*. In Polonia interim Rex filium *Sigismundum Augustum*, primum Lithuaniæ Principatui, mox Regno inaugurat. Post *Tarnovii* victoria de *Moldavo* Polonos exhilaravit. Resumpsit dein vires *Moldavus*: cui totas Regni vires opponere Rex necessum habuit. Nobilitas verò, ad bellum excita, penè in seditionem adversus Regem efferbuit. Orta tempestas turbidos viribúsque fidentes in diversa egit compositúsque est tumultus, relictis, qui arcerent hostem. Mutatus dein est in *Moldavia* Dominatus & à *Solimanno* surrogatus est, *Stephanus* frater, profugo *Petro*. Indictum tunc erat à *Carolo* Imperatore *Concilium Tridentinum*. Ad hoc invitatus Sigismundus, Legatum ad concilium mittere recepit. Paulò post fatalis terminus Sigismundo imminebat; qui gloriosissimus fuit Princeps, inter tres Heroes, quos illud seculum produxerat, à *Paulo Iovio* positus. Fuerunt autem illi *Carolus V.* Cæsar, *Franciscus I.* Galliæ Rex, & hic *Sigismundus*. Vixit annos LXXXII. quorum dimidium in regni administratione exactè consumpsit. Præter *Sigismundum*

mundum Augustum, 6. filias reliquit. Princeps singulari pietate & justitia, prudentiáque. Dicitur adeo corpore firmus, ut florente ætate ferreas equorum soleas manibus diffringeret, funes cannabinos crassiores rumperet, fasciculos chartarum lusoriarum discerperet, & quæ plura de illo narrantur.

Sigismũdus II. Augustus. Ab ann. cIↄ. Iↄ. 48. ad an. cIↄ Iↄ. 76.

XXVI. Hic à Patre quidem vivo Rex nominatus, à Regni tamen curis, volentibus ita Polonis, abstinuit nonnihil. Offendit ipsos solutior illius vita post mortem *Elisabethæ Austriacæ*, & magis etiam ducta in matrimonium Radzivillia, vidua Palatini Trocensis. Habita igitur sunt comitia, ubi varia de Rege confirmando dissidia. Rex literas ad Senatores interim scribit, & de nonnullorum conqueritur contra se injuriâ. Interea *Cracoviæ* Studiosi gravissimas moverunt turbas, postquam sibi justitiam non rectè administrari quæsti essent, relicturósque Academiam minarentur. Quod dum susque déque haberetur, fecère, quod dixerant, agminéque egressi, *se ire in universum Orbem* ingeminabant. Dilapsi dein quilibet in patriam suam, omine quodam *Lutheri* doctrinam postmodum per Poloniam sparserunt. Suspecta tum erat *Episcoporum* potentia Ordini Equestri. Eo tempore *Orichovius* Canonicus Premisliensis propter oppugnatum cælibatum motus munere & ditione fuit. Is dein affinibus potens, matrimonii Sacerdotum fuit acerrimus defensor. Ipseque uxorem duxit *Chelmsciam*. Inde gravissima odia. Rex Comitia Petricoviæ indixit, ubi decreto Regio ab Ordine Nobilium tam pertinaciter reclamatum est, ut nemo Episcoporum

potestatem

potestatem suam exercere auderet. Insurgebant etiam tanquam in hæreseos damnatos *Olesnicios*, *Stadnicios*, *Ostrorogios*, *Lassovijos*. Postea Rex *Gedanum* ingressus, dissidentes in Religione comitate mitigavit. Post *Regiomontum* petiit, ubi magistri tormentarii culpa penè periisset, dum tormenta pro significanda lætitia exploduntur. Globus namque *Visniovecii* caput, pone sequentis, abstulit. Prædixerat *Foxius* Mathematicus eo die periturum Regem: culpam frementes Poloni in *Albertum Brandeburgicum* conferebant, hic in magistrum tormentorum; qui, vehementius ira ab Alberto petitus, ereptus est à Rege periculo. Grassabantur eo tempore immaniter in Livonia *Moschi*, ubi *Basilides* infandam exercuit tyrannidem. *Poloniam* pestis populabatur. Rex Varsaviæ Comitia indicta habere non potuit, & ab infecta Vrbe *Knischinum* venit, ubi eum lento morbo fatum sustulit; Principem moderatum justitiæ, literarum, imprimis secretiorum, amantissimum, nec bellis obscurum, magis tamen auctoritate, quàm manu res peragentem. In hoc *Iagellonica* linea defecit, postquam 200. ferè annis in Polonia regnasset.

XXVII. Maxima & præcipua Reipub. Polonæ ratio Status, publica cura pro innata Genti tam conservanda, quàm ad posteros demittenda suâ libertate semper fuit existimata. Hanc paterna Regum auctoritas, & filiale subditorum obsequium absolvunt. Duos velut extremos polos Poloniæ Regnum habet; alterum Borysthenes, alterum Balticum mare metitur. Ab utroque cum clementia vel severitate habito, & magna rerum incre- *Ratio Status Regni Poloniæ.*

incrementa, & omni restitutione majora damna in Rempub. promanare possunt. Quanto tonitru Borysthenes hactenus Poloniam perterruerit, adhuc sæviens belli Cosacici tempestas, magno fuit miseris documento. Nullum firmius est contra *Turcam* præsidium milite *Cosaco* in fide perstante; contrà nemo hoc pejor patriæ hostis; cum non tantum sua vi nitatur, sed & vicinorum *Tartarorum*, qui in omnes rapinas excubant, & in societatem sceleris adscita potentiâ se nocentissimos probant. Ad oram maris Balthici crebri spirant aquilones, ad quorum rigidam vim declinandam, nullæ satis esse possunt excubiæ. Certissima verò præsidii vis sita esse videtur in populi Prutenici fide, gratiâ & benevolentia Regis, & conservatione privilegiorum antiquorum beatâ.

Judicium Politicum. XXVIII. Qui ad exactam libram judicii Politici formam Reipub. Polonæ ponderarunt, non pauci Statuum accurati censores hoc de illa existimant, quod potius singulari providentia divina, quam humanis consiliis & prudentia, hæc tot difficultatibus innexa, & tamen peculiari Polonorum genio respondens Regiminis forma in Polonia conservetur. De qua nec sapientissimis mortalium expeditum satis esse potest judicium. Quod his notavit Boccalinus: *Non solo il censore, ma il sacro collegio tutto de' Virtuosi pereccellente, ammisero la giustificatione della Monarchia Polacca.* Caussam autem tot semper in illa emergentium difficultatum, Auctor libri Le tresor Politique l. 1. p. 337. tetigisse videtur, cum ita inquit; *Les cœurs des Polonois sont si muables, à cause qu'ils se laissent emporter à leurs interests, &*

passions

passions particulieres, qu'on ne peut qu'avec de la difficulté faire iugement de leurs actions futures. Hanc mutabilis in Polonis ingenii caussam his *Boccalinus* verbis videtur expressisse: *Perche la Polonia essendo natione che non sa vivere in una assoluta libertà, hà talmente in horrore tutta la servitù. De Polonorum* moribus ita sentit Lipsius: *Sarmatia vel supra Hesperiam est exculta. Bodinus l. 5. de Rep. c. 1.* ad finem, Polonos etiam Germanis ipsis in linguæ & morum elegantia præfert, cum ita dicit: *Orientalium item prolatio mollior est; vt Poloni, quàm Germani, mollius loquuntur, sunt etiam urbaniores & cultu elegantiores. Iac. Augustus Thuanus lib. LVI.* Histor. hoc de Polonis fert judicium: *Regio* (Polonia) *ferax, oppidis ac vicis & castellis frequens, fluviis crebris irrigua, & adhæc generosa Nobilitate abundans; quæ armorum curam ferè cum literis coniungit. Itaque & Regionum visendarum gratia Nobiles & primores adolescentes crebro lares paternos deserunt, & magnam secum doctrinæ copiam & optimarum rerum usum non mediocrem, ex peregrinationibus collectum, domum referunt.*

XXIX *Borussis* civilia, & ad omnes artes & scientias docilia sunt ingenia. Peregrinos valde amant: quibus omnia amicitiæ jura cum benevolentiâ probant. Insignes hæc ora produxit Mathematicos, inventionibus novis per totum Orbem clarissimos, & operibus suis immortales. Cæterùm Borussi læti & affabilis sunt animi, aperti pectoris, in amicitia fidi & constantes. Novorum tamen cupidi, idque ob studium libertatis. Pro qua vel gravissima non detrectabunt *Descriptio Borussiæ. Mores huius temporis.*

pericula. In victu & amictu ſumptuoſi, boni tamen in reliquis œconomi.

Religio. XXX. Veteres *Pruſſi* paganæ idololatriæ ſtudioſi erant, & certos Deos colebant, tum verò etiam annoſas & patulas quercus. A tempore *Crucigerorum*, qui illam terram; ut & Lithuaniam; per arma ad Chriſtianam Religionem compulerunt, Chriſtianæ Religioni Pruſſi nomen dederunt. Illa verò hodie in varias opiniones diſſidentium diviſa eſt, & *Romano-Catholicos*, *Auguſtanos*, & *Reformatos* habet. Inter diſſidentium Religiones, primum locum obtinet Lutheranorum Confeſſio, quæ cum Pontificia publicam ſacra exercendi tantum habet libertatem: Reformatis aliiſque per conniventiam illa permittitur. Quondam omnes in Ducali Boruſſia Duces, Pontificii erant, uſque ad *Albertum primum*, qui Religionem Catholicam ejuravit. In ipſa hodie Elector Brandeburgicus, ut Regis Poloniæ ratione Ducatus vaſallus, Reformatæ eſt Religionis, quam tamen ſubditis imperandi poteſtatem non habet. *Anabaptiſtæ* in plurimis quidem locis agunt, ſed ſine libero Religionis publico exercitio. Frequentiſſimi reperiuntur in Civitatum ſuburbiis, & ditione illa, quæ *VVerder* vocatur. In Regali Pruſſia duo ſunt *Epiſcopi*, *Varmienſis*, qui Brunſbergæ agit, & *Culmenſis*. In Ducali quoque Pruſſia duo erant *Epiſcopi*, *Sambienſis*, & *Pomeſanienſis*.

Regimen Politicum. XXXI. Olim *Pruſſi* ſub imperio erant Germanico, à quo ſe poſteà vindicarunt. (occaſionem defectionis vid. apud *Schönborn. Polit. l. 5.*) Poſtea ab *Ordine Teutonico* directi ſunt, qui totam

Borussiam ab Ethnicismo vindicarunt, & ad Religionem Christianam adduxerunt. Ultimum, ejurato tunc Crucigerorum in tyrannidem mutato imperio, se in fidem *Regis Poloniæ* & tutelam permiserunt, salvis tamen omnibus privilegiis, & immunitatibus libertatis. In Regali Borussia Senatus vel *Consilium* est, constans ex *Varmiensi Episcopo*; qui ipsi præsidet, & altero *Culmensi*. Præter Episcopos *Palatini* sunt *Culmensis*, *Mariæburgensis*, & *Pomesaniæ*. Hos sequuntur *Castellani*, *Gedanensis*, *Elbingensis*, *Culmensis*; tum *Subcamerarii*, sive à Cubiculis, *Thorunii*, *Elbingæ* & *Gedani*. Hi *Consiliarii Prussiæ* vocantur. Ultimum *Capitanei* sunt, curam fortalitiorum & redituum Regionum habentes. Ad Consilium Prussiæ etiam Civitates spectant, *Thoruninum*, *Elbinga* & *Dantiscum*, quæ suos ad conventus territoriales delegare solent delegatos. Hi mense Majo *Mariæburgi*, & Festo S. Michaëlis, *Grudenti* convocari solent, aliisque temporibus pro negotiorum necessitate. Conventus illi vocantur *die Landtâge*, vel *Seimiken*, ad quos Nuncius Terrestris Regio nomine mitti solet. Episcopi, illorúmque collegæ, suos in oppidis habent *Gubernatores*, *Burggrafios*, *Judices*, *Advocatos*, *Magistratus*; in causis Ecclesiasticis suos *Officiales*, qui magna pollent auctoritate.

XXXII. Principales in Borussia Urbes sunt *Gedanum*, *Thoruninum*, *Elbinga*, quæ magnis gaudent sibi à Regibus Poloniæ concessis, & in coronatione cujuslibet novi Regis juramento confirmatis privilegiis. Ratione ordinis, *Thoruninum* præcedit. Illæ suos habent Magistratus peculiares,

libero votorum suffragio electos. *Burggrafii* civitatum à Rege ex nominatis Præconsulibus & Consulibus ad annuum imperium eliguntur. Exacto anno, novus in locum prioris eligitur, quod tamen *Thorunii* accuratè non observatur. *Præconsules & Consules* perpetuâ ad vitam fruuntur dignitate. Constat autem Regimen ex tribus ordinibus; primus est *Senatorius*, 2. *Scabinorum*, 3. (ut Gedani) *Centum virorum*. De his peculiaris erit dicendi locus. Magistratus Territoriales, qui sunt perpetui, Rex in Prussia creare solet, exceptis Gubernatoribus, qui ad libitum Regis mutari possunt Palatinus solos constituit Scabinos. Iudicia Nobilium quotannis plerúmque bis coram judicibus terrestribus & Scabinis, in præsentia Palatinorum, certis in locis peragi solent. Ab his ad consilium Prussiæ, & inde ad Regem, appellatio fieri solet.

Descriptio Reipub. Gedanensis. Mores.

XXXIII. Qui Vistulam accolunt *Gedanenses*, eos decentior, quàm sublimior, habitus, formáque venusta commendat. Excitatæ indolis & aperti pectoris sunt; Ingenia ad omnes artes & scientias felicissima habent, quæ præsertim studiis mathematicis insigniter eluxerunt. Hac autem præcipuâ feruntur laude, quod publicæ honestatis, humanitatis & affabilitatis accuratissimi cultores sint, & suum Magistratum cum reverentia & debito honore amoréque habeant, morúmque elegantiæ, tam erga suos, quàm verò peregrinos, impense sint studiosi. Vt ornatè facundéque loquantur, cupide elaborant; hæc solicitudo, si ullius, certè provectioris ætate juventutis curas & animos maximè versat; quin more gentis, ex benè

vel

vel ſecus habito ſermone, quid in homine virtutis ſit reliquum, judicium faciunt. Amicitiæ jura arctiſſimè & intimè colunt; quæ ut conſtanter ſervent, crebro ſe invicem ad convivia invitant, & humaniter accipiunt: ſi quid irarum & offenſæ inter illos conceptum, illico utrinque quæruntur arbitri, qui diſſidentiũ componãt animos; immortales iræ hic rariſſimè inter cives reperiuntur, quamvis ſæpius litibus fori diſtineantur. Alienas calamitates & miſerias prompta ope emendare ſtudent, nec ob fortuita erubeſcunt, ſed in uſum pauperum publicis ſumptibus ædes habentur. Quæ alibi leviore vel nulla puniuntur pœna adulteria, hic capitali expiantur ſupplicio. Exterarum Nationum amantiſſimi ſunt, quibus apud illos ad omnia officia & fortunam felix patet aditus; adeò ut vix ullibi externæ virtuti major honor quam hic habeatur, vixque ſimilem huic in tota Germania locum reperies, in quo tot peregrini in omnibus publicis officiis commodè acceptéque vivant. In vivendi ratione ſibi liberaliter indulgent; privatim ad parcimoniam victus, brevem quidem, ſed cibis exquiſitis gratam menſam amant; ad convivia, & nuptiarum ſolennia ſumptibus & ferculis delicatis effuſiores. Cultus & habitus parcimonia illis contra adeò non obſervatur, ut etiam ultra genus & fortunam plerique nimis ſplendido veſtitu, etiam in præjudicium legis ſumptuariæ, peccent. Sexus virilis honoratior nigro veſtitu cultus eſt; fœminas, præſertim virgines, verſicolores ſericæ veſtes gratiores reddunt. Forma veſtium aliquid paterni, nec non parum Gallici moris redolet, pro diffuſo in humeros

crine virgines tutulos; nuptæ vittas auro & argento squalentes gerunt, cum palliolo sericeæ materiæ, quondam pellibus zobelinis ornato, & ad cubitum brachii promisso, in distinctas velut partes confluente. Linguam omnes sonant Germanicam; qui dignioris sunt conditionis, purè & nitidè loquuntur; plebs rudius, & diversa velut dialecto, quam ibi noto titulo *Kaslausch* appellant. Polonicæ linguæ usus non magis hic utilis, quàm frequens admodum est. Igitur parentes filios suos peradolescentulos ad capiendam hanc linguam in Poloniam ablegant; cujus utilitatem maximè illi experiuntur, qui mercaturam cum Polonis, eo quotannis ingenti numero confluentibus, exercent. In educenda juventute nonnihil peregrinis videntur peccare; quod multi laxiores in disciplina familiæ nimis indulgendo, affectus suos ament. Dicendum nunc aliquid de publicis Gedani solennitatibus, & primum ad nuptias ibimus. Illæ cum pompa splendide peragi solent. Constituto illis die, sponsus & sponsa peculiares domus, & in hoc festum exornatas, (de quibus ad Templum prodeant) habent. Primus exit sponsus, cum multis amicorum nuptialium paribus, & ordinem, inter duos Præconsules, vel Consules medius, pro dignitate personæ, ducit. Sponsum ex sua domo sponsa mox sequitur, quam eximius virginum grex præcedit, matronarum consequitur. Digniores, & proximiores sponsam præeunt, cujus latera duæ proximæ agnationis claudunt. Templum ingressi, variorum instrumentorum suavissimâ excipiuntur musicâ, mox fœdus matrimonii coram Ministro Ecclesiæ contrahitur; ad altare

templi

templi communis ſortis; ſi ex Senatoria familia, in *S*acello Magiſtratus. His peractis, ſponſus cum ſuo comitatu in domum nuptialem præit, ſequitur ſponſa, quam hic ad limites ædium humaniter excipit, mox ab hoſpitibus nuptialibus pro conſueto more dona feruntur, qui prolixa gratulatione ad ſponſum & ſponſam defunguntur. Mox, ut accumbant menſis, rogantur. Sublatis dapibus, ad choreas ſolenni itur ordine. Duo agnatione proximi juvenes ſaltu ſeorſim præcedunt choraulas, ſequitur ſponſus cum ſponſa; hos patres & proximi agnati, & quos ſeverior commendat ætas. Poſtea juvenes & virgines ſaltandi tangit ordo, tum verò honoratiores convivas. In his igitur ad mediam uſque noctem continuo ſeduli, ad ultimum ſponſam in ſponſi deducunt ædes, præeunte muſicorum ſuaviter modulantium choro: ibi iterum inſtructis dapibus menſis accumbitur, ſaltatur, diſceditur. In hac ſolenni feſtivitate nemini niſi cum magno dedecore & exiſtimationis jacturâ, intra pocula licentius peccare fas eſt. In funeribus hic obtinet mos; ex ædibus defuncti ingens linteum ſuſpenditur velum, cui, ſi virgo eſt, ſertum affigitur. Cum funus effertur, Scholarum diſcipuli aliquot ſacros hymnos in mortis memoriam cantant, funúſque præcedunt, quod proximè agnati pullati nigra veſte ſequuntur, vultu & habitu ad mœrorem compoſito. Dein cujuſlibet exequiatoris legitur nomen. Sequitur mox matronarum lugentium numerus, quarum primæ, & prima agnatione mortuo *j*unctæ, tum verò virgines, à mulieribus in hunc uſum accitis ducuntur; & lamentabilem mœſtiſſimúmque vultum lin-

teolis involvunt, ne lachrymis rubentes vulgent oculos. Si persona Magistratus vita decessit, lugubris auditur per dies aliquot campanarum pulsus. Musica in templis, & conciones peraguntur funebres, in quibus vita & virtutes defuncti recensentur. Ante finitum luctus tempus, ad secundas nuptias transire velle, indecorum habetur. Ad servandam inter cives mutuam concordiam, certa anni tempora publicis destinātur conventibus; inter alia festum est S. Martini celebre, in quo in publica mercatorum porticu solenne habetur convivium, ad quod invitantur omnium Ordinum Magistratus, & si qui adsunt, peregrini Domini. Illud privatorum, qui in hoc collegio sunt, sumptibus peragitur, ut quotannis alius ex fratribus collegii invicem succedat. Hic mos nullis legibus abrogari potest, ob severas à veteribus in eius abrogatores comminationes. Recensiti Gedanensium mores etiam in aliis civitatibus Borussiæ, ut *Thorunii* & *Elbingæ*, maximam partem obtinent.

Religio. XXXIV. Potissima & præcipua Civium & incolarum pars Augustanam *Lutheri* sequitur confessionem. Nec ulla alia Religio hic per vetera Regum Poloniæ decreta, & huic Vrbi concessa privilegia libertatem habet, quam hæc cum *Catholica.* Hic loci dicti *Reformati* sua tamen hic habent per conniventiam publica cum templis exercitia. Suprema verò Ecclesiarum cura ad Magistratum spectat. In suburbiis multi reperiuntur *Anabaptistæ*, qui sine publico sacrorum usu tolerantur. *Iudæis* non nisi in nundinis S. Dominici annuis aliqua hic commorandi conceditur facultas.

XXXV.

XXXV. Regimen Gedani Politicum triplex absolvit Ordo; *Senatorius*, *Scabinorum*, & *Centumvirorum*. *Senatorii* sive *Consularis ordinis* XVIII. sunt personæ: & unus *Syndicus*. Ex his 4. sunt *Præconsules*, dicti *Burgermeister*, primariæ dignitatis. Ex his, & aliis Senatorii ordinis primariis junctim 8. personis delectis, à Senatu Regi per literas transmissis, eligitur quotannis novus *Burggrafius*, qui in supremo honore positus, Regis nomine Vrbi præest. Qui hac Regali gratia, & illustri dignitate hoc anno iterum fruitur, est Dn. *Adrianus de Linda*, Præconsulum primarius, vir gloriâ majorum, & meritis insignis. Ex Præconsulari subsellio singulis annis novus creatur *Præses*, caput summum Senatus, & ipsi adjunctus *Vice-Præses*. Primarii 4. *Præconsules* 4. ditionibus, veluti provinciis, cum imperio & jurisdictione præsunt. Sunt verò illæ, *VVerdera*, *Neringa*, *Hechta*, & *Helensis* ditio. In *Consulum* ordine XIV. reperiuntur Magistratus Personæ, quibus certa commissa sunt officia, huic ordini propria. Vocantur illi *die Kammer-Herren*, sive ærario Præfecti, *die VVett-Herren*, Censores, Iudex; *die Bavv-Herren*, ædiles; *die Hilffgelder-Herren*, *die Accise-Herren*, qui in exigendo cerevisiæ tributo præsunt, *die Pfalkammer-Herren*, &c. In *Scabinorum* ordine XII. semper numerantur. In hunc eliguntur juris & literarum periti, tum verò ex ordine Secretariorum bene meriti, & prudentiores cives. In gravissimis negotiis triplex convocari solet Ordo, Senatorius, Scabinorum, & centum Virorum; cui ultimo adjunguntur *die* 4. *Haupt-Zunfften*,

sive 4. viri ex mechanicis. In creatione Magistratus hic servatur ordo. Ex prudentioribus eliguntur *Scabini*, ex scabinis *Consules*, ex Consulibus *Praeconsules*. Divisa autem est civitas in duas partes praecipuas. Prima vocatur *Vetus Vrbs*, quae cum curia peculiarem suum habet Magistratum, Consules, & Scabinos, exceptis Praeconsulibus. Ille verò Magistratus, à verae Vrbis Senatu primario eligitur, & dependet, nec nisi in quibusdam jurisdictionem exercet. In primaria Civitatis parte, quod hic non omittendum, multae antiquissimae & nobiles, illiúsque loci Magistratu per longam successionem fungentes reperiuntur familiae; quarum origo indubitata in antiquis Prussicis & Polonicis annalibus reperitur, quibus etiam tempore *Sigismundi Augusti*, Regis Poloniae, jura Nobilitatis partim collata, partim confirmata sunt. Vltimum, qui jam *Consules* Gedani vocantur, quondam dicti sunt *Senatores*, ut *Consulum* antiquitus nomen illis 4. primariis tantum tribueretur. Placuit tamen ad procerum Poloniae desiderata, quod illi *Senatores* vocentur, illa permutare nomina, ut Senatores *Consules*, Consules *Praeconsules* vocarentur.

XXXVI. Privatorum opes mercatura rerum variarum, tum verò frumenti, ad insignem summam provehit. Hanc vicinum Balthicum mare, & huic conjuncta Vistula, valde promovent; ad quam si crebrius exercitium mechanicarum artium (quod hic peregrinis, qui non fruuntur jure civitatis, interclusum est) accederet, maximis incrementis exemplo aliarum civitatum Gedanum augeri posset. Vires eius tam in fortissi-

fortissimis propugnaculis, & munitissimo *Munda* portu, quam in omnigeno & copiosissimo armorum apparatu, & armamentariis; præcipuè verò in provida Patrum vigilantia sitæ sunt. Adeo ut, quantum in huius occupatione nova imperia molientibus, & sua augere nitentibus, præsidij situm sit, *Campanella* optimè intellexerit, Regi Hispaniæ suadens, inter alios paucos portus, Gedanensem curaret occupare. Verum talium speculatorum huic Reipub. nocitura consilia supremum avertat Numen.

XXXVII. Prussia & Livonia propter opportunitatem maris, portuum, & fluminum ibi concurrentium aliis provinciis, civitatibus & fabricis ornatiores, commerciis quoque ex concursu mercatorum ditiores sunt; cùm enim ibi diu dominati sint equites Teutonici, ædificarunt civitates in morem Germanorum; arces quoque & loca præclara, quæ se extendunt ad longum littoris maris, amplius quàm per octingenta miliaria, habent multos & oportunos portus, dominantúrque omni mercaturæ, inter Poloniam & mare Balthicum. Est ea res magnæ consequentiæ; fluvius enim Vistula, qui ortum habet in extremitate Silesiæ, transfluit totam Poloniam minorem, & partem majoris, Mazoviam, & Prussiam, conditque se mari Balthico, infra Gedanum, quo conducit per plusquam quadringenta milliaria navigationis, (quo spacio recipit diversos alios fluvios) bonam partem siliginis, frugum, mellis & ceræ regni. Ab alia parte Duina flumen nobilissimum, (quod oritur ex lacu Ruthenigo auctum aquis, findénsque mediam Livoniam)

con-

condit se mari sub Riga, ad quam urbem magnus concursus est.

XXXVIII. Poloniæ opes consistunt in copia frumenti, frugúmque omnis generis, quibus tanta copia abundat, ut anno 1590. partim subvenerit necessitati Genuensium, Thusciæ & Romæ ubi fame, non caritate extrema tantùm laborabatur. Abundat quoque Polonia melle & cera infinita; cum enim omnes hæ Provinciæ Septentrionales Polonia, Lithuania, Russia, Muscovia, à natura vino donatæ non sint, eius loco contulit illis mellis quantitatem incredibilem, ex quo hi populi conficiunt inter alia potionem delicatam & sanam. Apes mellificant partim in sylvis, ubi arbores aut carie, aut hominum industria excavatas reperiunt, aut in alveariis, quæ rustici in campis posuerunt, aut in terræ puteolis, omnique in loco, ubi vel minimam opportunitatem reperiunt. Abundat quoque Polonia lino & cannabe, gregibus & armentis, equis quoque bonis & multis, sylvestres equi quoque satis frequentes sunt. Thesauri regni consistunt in salinis Bacænæ, & Velifcæ, quæ loca in territorio Cracoviensi sunt.

XXXIX. Poloniæ regimen potius Reipublicæ, quàm Regni est, quod Nobiles (qui magnam autoritatem in Comitiis regni obtinent) Regem eligunt, dantque illi autoritatem, quàm volunt, ut tamen ipsorum potestas major sit. De electione Regis non habent legem, nec statutum aliquod, non regulam aut formam scriptam nec traditam. Tantùm hoc scitur, apud Archiepiscopum Gnesnensem, Interregni tempore, supremam

ſupremam autoritatem eſſe: ipſe denunciat Dietas, præſidet in Senatu, proclamat novum Regem, ſicut quod, cum Archiepiſcopo Leopolis, & ſuis Suffraganeis qui tredecim: Palatinis qui 28. Caſtellanis majoribus, qui 30. numero erant antequam Rex Stephanus inſtituiſſet novos Epiſcopos, Palatinos & Caſtellanos in Livonia, quam ipſe acquiſiverat, pauci alii interſunt Regis electioni. Habent ibi quoque quandam autoritatem Nuncii terreſtres (ita appellant quoſdam quaſi Agentes Circulorum nobilitatis, qui in Provinciis habentur.) Comitiorum tempore conveniunt hi, in loco Senatui vicino, eligunt ibi duos Mareſcallos, per quos ſignificant Senatui, quid deſiderent, ſed cum autoritate fere Tribunitia: crevit enim parvo abhinc tempore eorum autoritas exiſtimatióque in tantum, ut authores, & capita potius, quàm miniſtri, & participes deliberationum publicarum regni ſint, fuítque unus, qui exemplo Clodii, renunciavit dignitati Senatoriæ, ut fieret Nuncius. Hi omnes ſimul, cum novus Rex eligendus eſt, reſtringunt magis magíſque potentiam Regis, nec eam nimis excreſcere ſinunt.

XL. Quamvis autem corona Poloniæ, à decreto nobilitatis dependeat, non tamen legitur ipſos unquam ſucceſſores regios excluſiſſe, aut præteriiſſe, nec regnum in aliam familiam tranſtuliſſe, excepta una vice, cum Ladiſlaum deponentes (qui tamen poſtea fuit reſtitutus) elegerunt Wenceſlaum Bohemum. Filiarum Regum quoque ſemper ratio habita eſt, ſicut olim Hedvigis, quæ Iagelloni ab ipſis collocata fuit, &

Annæ,

Annæ, quæ Regi Stephano in uxorem data. Sigiſmundo III. non parum profuit natum fuiſſe Catharina, Sigiſmundi Auguſti, & Annæ ſorore, ut coronam Poloniæ adipiſceretur. Etſi autem Regis autoritas ita ab electione dependeat: ejus autoritas tamen, cum electus eſt, in multis rebus abſoluta eſt. Ipſius muneris eſt convocare dietas, aſſignare tempus, & locum ut ipſi placet. Eligit conſiliarios laicos, nominátque Epiſcopos, qui deinde manent Conſiliarii. Eſt abſolutè Patronus redituum coronæ, & Dominus eorum, qui ei immediatè ſubſunt. Eſt abſolutus executor decretorum in Dietis factorum, eſt ſupremus Iudex nobilium in criminalibus. Habet in manu omnes modos remunerandi beneficióque afficiendi, quos ipſi placet.

XLI. Vivunt nobiles in Polonia, in magna libertate, faciúntque quod ipſis placet. Decreta Regis (ſicut ipſimet dicunt) non durant plus quam tres dies: verſantur cum Rege, non tantùm, tanquam cognati (quod faciunt Franci) ſed ut fratres. Sicut Rex cum plenaria authoritate, eos qui immediatè ſubſunt, regit; ita & nobiles diſponunt independenter de ſuis vaſallis, in duos ipſorum unicuique imperium plus quàm Regium eſt, habéntque ipſos ferè pro mancipiis.

XLII. Pecuniis Regnum non admodum dives eſt, excipiendo enim portum Gedanenſem non habet emporium alicujus exiſtimationis. Merces autem, quæ ex portubus Pruſſiæ & Livoniæ evehuntur, non ditant regnum pecunia, imò vix pannis ex ſeryco & lana, qui ex Flandria & Anglia: vino, ſaccharo, aromatibus, fructibus, qui

ex

ex Hispania, & Lusitania advehuntur, sufficiunt. Eo usque ab alia parte quoque defertur vinum Malvaticum sive Creticum, cujus dolium 70. aureis venit. Cum denique regnum mercaturæ addictum non sit, nec civitates mercimoniis deditæ sint, nec populi industria polleant: nobilitas autem magnanima sit, profusa in expendendo, quæque in victu & vestitu plus quam in reditu habet, consumat, cúmque condimenta ciborum (aromatum Poloni plus absumunt quàm ulla natio) vinum, panni è serico, & potissima pars laneorum ipsis ab extraneis adferuntur, fieri non potest, ut regnum auro & argento dives sit. Opes enim uniuscujusque regni consistunt in eo, ut multæ merces inde evehantur, paucæ inferantur: ut exeuntia pecunias externas eo trahant, illata non efferant. Ea in re consistunt opes regni Neapolitani & Ducatus Mediolanensis: illud emittit maximam frugum vini, olei, serici, croci, equorum, fructuum, & aliarum rerum quantitatem, quæ maximam externarum pecuniarum vim eo pertrahunt: hæc suppeditat multis regionibus frumenta, oryzam, pannos, ferramenta & merces omnis generis, recepítque parum rerum. Si regnum Neapolitanum & Regnum Siciliæ ita abundarent operis artificiosè factis, sicut fructibus & bonis, quæ natura largitur, divites essent, nec ulla alia regna eis possent comparari.

XLIII. Illud maximum est, quod nobiles propriis expensis, pro defensione regni Regi inservire obligati sunt. Serviunt hi equis, armis instructi partim sicut nostri cataphracti equites, partim aliquanto levioribus, partim sicut Tartari; di-

cuntur hi Cosacchi, horum ars est furari, depopulari, omnia vastare pessundaréque. Eunt in bella pompose ornati sagis & vestibus, quæ auro, argento, milléque variis coloribus discriminantur. Ornant se quóque pennis & alis aquilarum, exuviis leopardorum & ursorum, vexillis labarísque multis variisque. Hæc aliáque ornamenta ipsos suis visendos, hostibus terribiles faciunt, suósque animos ad feritatem ferociámque incitare possunt. Ipsorum equi mediocres sunt, sed agiles, & Germanicis longè animosiores. Fidunt Poloni tantum magno numero sui equitatus, ut non verentes ullius hostis vires parum de munitionibus extruendis solliciti sint, suúmque exercitum in locis apertis, adversus hostes, pro patria, liberis, libertate, omnibúsque suis bonis, magno animo pugnaturum credunt. Hostibus se nunquam, etiam in quacunque fortuna, terga obvertere profitentur. Sigismundus Augustus tentavit, ut in Comitiis regni, deliberaretur de munienda Cracovia, propter Cæsaris vicinitatem, sed Polonis id persuadere nunquam potuit, tum quod nolint Regibus medio præsidiorum commoditatem dare, invadendi merum Imperium & absolutam dominationem: tum quod dicunt, sua pectora defendendo regno sufficere. Pedestrem militiam non habent, quod omnis Regni populus divisus sit in mercatores, & artifices, (qui oppida incolunt) rusticos, & villicos, qui ruri in subjectione degunt. Sunt itaque arma in manibus Nobilium tantum, qui pedibus non militant. In necessitate peditibus Germanicis & Hungaricis usi sunt, habuítque Rex Stephanus, in expeditione Livoni-

ca, ſub ſignis, plus minùs 16. peditum Germanorum & Hungarorum millia. Quod ad tormenta bellica, eorúmque apparatum ſpectat, regnum iis ſatis inſtructum eſt: tum quod nobiles ſatis illorum in ſuis arcibus habeant; tum quod illorum indigentiam pati non poſſit, ob Germaniæ vicinitatem, quæ metallorum ferax eſt, habétque multos magiſtros fundendi tractandíque tormenta, atque omne, quod ad uſum armorum facit.

XLIV. Poloniæ vires ſunt & numero & natura tales, ut pauca Europæ regna eas æquent, non ſuperent. Vna res eis deeſt, nempè agilitas: ſed ad firmitatem cujuſcumque ſtatus quatuor res requiruntur, nempè ut vires ſibi propriæ, numeroſæ, validæ, & agiles ſint: Propriæ, quia ægrè ei credi poteſt, quod alterius eſt: Numeroſæ, ut in rebus adverſis & incommodis, ſemper aliquæ ſuperſint: Validæ, quia numerus abſque fortitudine parum juvat; immo potius moleſtiam, quàm auxilium adfert: Agiles ut facilè colligi poſſint, impellíque quo exigit neceſſitas. Polonis deeſt dictarum quatuor qualitatum ultima, agilitas nempè, quæ à rebus duabus dependet: una eſt Principis autoritas; altera, prompta pecunia. Rex poteſtatem non habet in Polonia aliquid decernendi, bellum indicendi, onera ad conflandum pecuniam imponendi, abſque conſenſu Comitiorum. Sed Comitia & conſultationes, quibus multos intereſſe opus eſt, ſimiles ſunt machinis ex pluribus partibus multiſque inſtrumentis conſtantibus, quæ progreſſum alicujus momenti, non niſi longo tempore faciunt. Sed in rebus bellicis ſunt ii Principes expeditiſſimi, qui ſoli imperare poſſunt:

qui pecunias in promptu habent; alioquin in indicendis diſponendíſque Comitiis, ut decreta propoſitioni reſpondeant, deinde exequendo, colligendóque pecunias, tanti temporis jactura fit, ut ad expeditionem parum ſuperſit, fugiátque occaſio. Barones & Nobiles Poloni tam magnos ſumptus faciunt inviſendo Comitia, hærentes degentéſque in iis, ut ad bellum vires non ſuperſint. Fieri poſſet ut ad defenſionem ſtatus promptior expeditiórque reſolutio inveniretur; quod imminens periculum omnibus pavorem incutiat: ſed ad aliquid acquirendum credo ibi futuram magnam tarditatem; ſpes enim boni non adeò afficit, quam timor mali. Vidimus tamen Moſcum abſtuliſſe Sigiſmundo Auguſto Statum Poloſcenſem & Smoloczenſem, nec hic tamen præſentiit, aut vindicavit, ſicut tanto Regi regnóque conveniebat. Idem Moſcus abſque obſtaculo invaſit Livoniam, quæ ſe ſub umbra, & protectione Sigiſmundi Auguſti contulerat. Tempore quoque Henrici Andegavenſis Regis Poloniæ, Ioannes Moldaviæ Princeps (qui magno animo & claris victoriis, per aliquod tempus bella adverſus Turcas geſſit) à Polonis præter pacta fœderis, inter ipſum & Sigiſmundum Auguſtum, deſertus fuit. Dicamus tamen vires Poloniæ per ſe numeroſas, independentes & validas, tantum agilitatis & promptitudinis habituras, quantum in Rege valoris, roboris & efficaciæ erit. Ejus rei fidem fecit Stephanus Bathoreus cujus tempore Polonia non ſolùm conſervavit ſibi nomen & exiſtimationem regni, quod ſe à viribus extraneis defendere queat: ſed quod etiam magni momenti acquiſitiones de potentibus

tentibus hostibus facere valeat. Cùm autem dixerimus de agilitate, quæ res viribus cujuscumque status necessaria est, non præter institutum erit, causas ipsius agilitatis adjungere. Præcipuæ sunt (sicut diximus) autoritas Principis, qui motum dat, & vis pecuniæ, quæ ipsum conservat; vidimus enim potentissimos exercitus, propter tarditatem torporémque, tempus inutiliter trivisse & præclarissimas victorias, nullum fructum peperisse aut fecisse propter pecuniarum penuriam, sine qua moveri non potuere milites. Multum quoque ad rem facit militum qualitas; negari enim non potest, peditem Germanum & Bohemum ab agilitate laudari non posse, quæ laus absque dubio, Italo, Hispano & Franco debetur, non ob id solùm, quod corpore melius constituti sint, sed quod plus est, quod in bello minori contenti sint. Quamvis enim vinum non habeant, non pavent, nec cadunt animis, si carnes desunt; & quomodocúmque cedat, ferunt diutius inopiam & incommoditates. Levis equitatus magis agilis est, quàm Cataphracti, & tractatio sclopetorum, quàm lancearum. Id considerantes Franci ultimis bellis lancearum usum, in quibus ipsorum militaris gloria consistebat, reliquerunt, utuntúrque earum vice sclopetis, sicut equites Germani ense. Sed quo judicio id fecerint excutiet alius. Hic non dico, equitem levioris armaturæ in rebus bellicis absolutè cataphracto esse meliorem, id dico, quod expeditior promptiórque sit. Multum quoque facit genus equorum: Flandrici multum superant Frisicos & Germanicos: nec minus præstant Hungarici

Polonicis, Afturco, Turcicus, Barbaricus prædictis ſunt velociores.

XLV. Ingens Nobilium Polonorum non tam libertas, quàm licentia eſt, qui ſe propemodum *Regis fratres ac æquales* arbitrantur; Si eligendus Rex leges à Nobilibus præſcriptas non vult accipere, proclamant *Piaſtum*, id eſt ruſticum aliquem, qualis fuit Piaſtus, ſe velle eligere. Perpetua ſunt certamina inter *Senatores* & *Nobiles*. Regi *Senatores*, Regno *Nobiles* favent. Omnium Nobilium Polonorum par eſt autoritas: uno diſſentiente, reliqua irrita ſunt ſuffragia, unúſque Nobilis jus habet intercedendi in Comitiis Poloniæ. Cùm cæteri omnes conſenſum præbuiſſent, unus Nobilis ſurrexit, & ſe hoc *non probare* dixit. Rogatus cauſam, dixit: quia *Nobilis ſum*: neque ante ratum putarunt eſſe decretum, quàm ipſius *conſenſus* impetraretur.

XLVI. In Comitiis Poloniæ prævalet autoritas *Nunciorum* terreſtrium, qui ſunt deputati *Nobilitatis* & cauſam *libertatis* publicæ contra Regem & Senatores Regni, ſtrenuè agunt. Semper enim metuunt *Nobiles* Poloni: ne à Rege ſuis privilegiis ſpolientur. Habent autem privilegia ingentia. Quippe ſuis *Subditis* cum *abſoluta* poteſtate dominantur, in illos jus *vitæ & necis* habent. Ita ſinguli ferè *Nobiles* ſinguli ſunt *Reges*.

XLVII. Militia *Polonorum* Equeſtris *eſt*. Pro tot privilegiis *Nobiles* propriis impenſis militare coguntur. Sola ibi *Nobilitas* tractat arma: *Cives* ad mercaturam vel opificia: *Ruſtici* ad ſtivam relegantur. Hinc quia Nobilibus Polonis turpe videtur, pedibus incedere, omnes

equestrem militiam sectantur. Et hoc est illud robur militiæ Polonicæ; *centum millia* Nobilium stant in procinctu ad *defendendum* regnum. De finibus *prolatandis* non sunt solliciti. Inter Equites censentur *Cosacci* levis armaturæ, quorum unicus scopus est omnia vastare, deprædari & incendere, tam hosti, quàm amicis terribiles. Quod si Poloni opus habeant *peditatu*, illum non ex sua gente, sed ex *Germanis & Hungaris* conducunt.

XLVIII. *Polonia* est Europæ *Ægyptus*, ac inprimis *Belgii* horreum. *Messes* Polonicæ totam ferè Europam sterilitate ingruente alunt, ac propterea tota *Europa* optat pacem Poloniæ, ut illius uberrimâ frumenti copiâ saturetur. Ac ipse Deus fluvio *Vistula* totam Poloniam permeante, & apud *Dantiscum* in mare Balthicum se exonerante, tanquam aliquo *Nilo* beare voluit, ut suas merces Europæ reliquæ impertiretur. Emporium Mercaturæ Polonicæ in mari Balthico *Dantiscum* est, pro cuius libertate hactenus Belgæ tam acriter pugnarunt, ne nimirum à Polonia avelleretur.

XLIX. Hostes *Polonorum* Sueci, Moscovitæ, Tartari & Turcæ *sunt*. Inter *Suecos & Polonos* hostilitates exercentur tribus de causis. (1) propter *Livoniam* (2) propter *prætensionem* lineæ *Sigismundi* in Regnum Sueciæ. (3) propter titulos & insignia. Sed hæ controversiæ tot bellis decisæ brevi evanescent extinctâ lineâ Sigismundicâ. *Tartari* Præcopenses, *Voliniam & Podoliam* infestant. Deliberatum aliquando in Comitiis Poloniæ de Pestilentia illa Tartarica vel

penitus *exſcindenda*, vel ſaltem *refrenanda*: promptiſſimum remedium videbitur, ſiquidem Inſulæ fluvij *Boryſthenis*, præſidiis communiantur, quem tranſire Tartari in Poloniam excurrentes debent, ſed res effectu caruit. Ita hodiéque *Tartari* annuis excurſionibus Poloniam deprædantur, vel ut *amici* vel ut *hoſtes*: ipſis enim perinde eſt, quo titulo Poloniam invadant, cum ſemper præda, inprimis verò hominum agminibus graves, in Tauricam ſuam revertantur. Tartari igitur non ſtudent occupari, ſed tantum deprædari & vaſtari Poloniam. Maximus autem procul dubio hoſtis Poloniæ eſt *Turca*, præſertim poſtquam *VVallachiam, Moldaviam ac Tranſſylvaniam* occupavit, clauſtra Regni Poloniæ, ac quia *Tartaros* ſibi obnoxios habet. Hodie Turca maximos facit progreſſus in Polonia, & niſi Deus O. M. periculum avertat, actum erit de illâ Republicâ.

L. Heſthera *Iudæa* Iudæis *à* Caſimiro M. *ingentia Privilegia impetravit*. De quibus videantur *Conſtitutiones* Regni Poloniæ. Sic *Eſther* ſub Rege Ahaſvero: ut nomen illud quaſi *fatale & ſavorabile* videatur Iudæis. Ab eo tempore *Iudæi* omnia ferè vectigalia Regni Poloniæ poſſederunt, gravi cum oppreſſione Indigenarum. Atque hæc una ex præcipuis fuit cauſis, cur Coſacci nuper rebellarint.

LI. Polonia *ob Regum* Electionem *eſt* turbulenta. Quanquam Regnum Poloniæ ſit *Electivum*, nunquam tamen Poloni præteritâ familiâ Regiâ exteros elegerunt, ſed ſi quando deficiat familia Regia, tum demum oriuntur graves factiones, antequam

tequam in novum Regem conspirare possint. *Competitores* Regni Poloniæ sunt (1) *Moscus* ob eandem linguam, originem & viciniam. (2) *Tartarus* Præcopensis, qui tribus inprimis rationibus nititur. 1. Se esse *potentem* ac vel 100000. Equitum in aciem producere posse. Se esse *parcum* & paucis contentum, quippe cui *caro equina* cibum, *sanguis* vel *lac*, potum præbeat. 3. Quod ad Religionem spectat, de qua audiat in Polonia disceptari, se illam susque deque habere, *Tuus* inquit *Lutherus*, meus *Lutherus*: Tuus *Papa*, meus *Papa*. (3) Domus *Austriaca*, quæ diu Poloniam Bohemiæ & Hungariæ conjungere voluit, quod inprimis apparuit post mortem *Stephani* Batori: tum enim Poloni in duas factiones scissi, alii quidem *Sigismundum* Regem Succiæ, alii *Maximilianum* Archiducem Austriæ elegerunt: sed victus atque captus *Maximilianus* prætensioni suæ in Poloniam renunciavit, jure tamen atque titulo sibi reservato. (4) Rex *Galliæ*, inde à temporibus *Caroli IX*. Quippe Poloni exstincta familiâ *Iagellonidum* in *Sigismundo Augusto*, Regem creaverunt *Henricum* Ducem Andegavensem, fratrem *Caroli IX*. Regis Galliæ, à quo tempore Galli, ne Domus *Austriaca* ad Regnum Poloniæ perveniret, semper aliquam partem foverunt, præcipuè postquam *Vladislaus* ejusque frater *Iohannes Casimirus* uxorem ex Galliâ Ducem Nivernensem, duxissent. Ita hodie agitur de filio Principis Condei, Duce *Anguinio*, ad Regnum Poloniæ post obitum Ioh. Casimiri promovendo, vel alio Gallicis partibus addicto.

LII. Polonia *declinat*. 1. Propter amissam

Moldaviam & VValachiam. 2. Propter defectionem *Cosaccorum & Russorum nigrorum* cum tota *Vkreina.* 3. Propter *Lithuaniam* à Moscovitis magna parte occupatam vel vastatam. 4. Propter bellum civile inter *Regem & Nobilitatem*, cui Dux *Lubomirsky* est, nuper prælio victor.

LIII. *Polonia primò Duces habuit:* Ab A. C. 550. primus Reipubl. conditor fuit Lechus, cujus familia per 150. in Polonia Principatum annos tenuit. Hac extincta 12. primarii viri, Waivvodæ dicti, aristocraticè rempub. rexerunt.

LIV. *Secundam familiam condidit Cracus.* A.C.700. Hic structa Cracovia ad Vistulæ ripam, eo sedem regni ex Iezna transtulit. Variæ fabulæ de hoc Craco traduntur ab illis, qui originem ejus Romanam ex Gracchis esse volunt. Huic Lechus II. & Virago Venda successit, post quam iterum 12. Palatini, & quæ sequuntur satis incerta & multis fabulis involuta.

LV. *Tertiæ familiæ author Piastus est.* A. 830. Poloni regnum detulerunt ad rusticum quendam, cui nomen Piastus, à quo certior Poloniæ historia incipit. Hujus familia diutissimè regnavit usque A.1386. Ex hac Miecislaus primus religionem Christianam in Poloniam introduxit, cujus successorem Boleslaum Chobrium *Ottho* III. Imperator Romanus Regem creavit, à quo tempore Polonia regnum fuit. Regius titulus iterum sub Boleslao Audace, qui sanctum Stanislaum Episcopum Cracoviensem nefarie occiderat, iterum amissus: quippe eorum temporum ea fuit superstitio, ut existimarent neminem posse esse Regem absque consensu Pontificis Romani. Cumque

Polonia

Polonia propter cædem Stanislai excommunicata esset, abstinuerunt à condendo Rege, & titulo Principum contenti fuerunt. Ita per 215. annos Polonia principatus tantùm fuit usque ad Premislum & A.C. 1295. Primus enim Premislus post tam diuturnum interregnum Gneznæ regium diadema recepit, & ad successores suos perpetua serie transmisit.

LVI. *Silesia à regno Poloniæ defecit.* Cum inter *VVenceslaum* Bohemiæ Regem & *Vladislaum* IV. cognomine Locticum graves exarsissent contentiones de regno Poloniæ, à nonnullis creatus fuit Rex Henricus Dux Glogoviensis in Silesia. Cúmque is ad regnum pervenire non posset, Silesiam saltem à Polonia abalienare conatus fuit. Ita omnes Silesiorum Ducatus, quorum 17. sese in clientelam Iohannis Regis Bohemiæ dediderunt, nec recipere Silesiam Poloni ab eo tempore potuerunt, quæ hodiéque regni Bohemici provincia censetur.

LVII. *Poloniæ Lithuania accessit.* An. 1386. Causa antecedens fuit deficiens Piasti in Casimiro Magno posteritas, quod factum An. 1370. Ita regnum Poloniæ ad *Ludovicum* Regem Hungariæ sorore Casimiri genitum pervenit. Quo sine prole extincto *Sigismundus* Marchio Brandeburgensis successor quidem utriusque regni constitutus, sed ad neutrum pervenit propter animi superbiam ac insolentiam morum, nec Poloni tamen consentire poterant in Regem. Reliquerat *Ludovicus* Hungarus filiam *Hedvvigim*, sed qui cum tali sponsa regno potiretur, discrepabant. Vtriusque expectationem tertius procus inopinato sese ingerens,

gerens, barbarus quidem & Dæmonum cultor, sed ingens potentiæ ac opum Iagello Lithuaniæ Magnus Dux intervertit. Hic duabus conditionibus Hedvvigis conjugio potitus fuit, Christianam amplectendo religionem, & Poloniæ Lithuaniam conjungendo.

LVIII. *Lithuania Magnus Ducatus est.* Lithuaniæ nomen ante A.C.1200. ferè incognitum & ipsa gens contempta vicinorum Russorum & Polonorum servitio pressa fuit, adeò ut propter inopiam nonnisi vilissimas res in tributum penderent. Primus An. 1252. Mendogus Vir militia clarus Principatum gentis hujus oppressæ sumpsit, & felici armorum successu eam à vicinorum contumeliis vindicavit.. Huic successerunt complures brevi omnes imperio, donec An. 1279. Vitenen miles obtruncato Domino suo Duce Lithuaniam occuparet. Huic An. 1300. successit Gediminus, qui fines Lithuaniæ longissimè per Russiam protulit & à finibus Prussiæ usque ad pontum Euxinum protendit, unde Magni Duces appellati. Hunc excepit An. 1325. Olgerdus, cujus filii fuerunt Iagello & Skirgello. Cum ergò Iagello major natu regno Poloniæ per matrimonium potitus fuisset, primo omnium Lithuaniam exterminato idolorum cultu fide Christiana imbuere cœpit, ídque pro illorum temporum conditione satis prospere successit. Sed in conjungenda cum Polonia Lithuania major difficultas. Opponebant se enim illi Skirgello frater & Vidoldus patruelis. Denique frustra reluctanti extorserunt Lithuaniam, quæ suos retinuit magnos Duces usque ad A.C.1501. quo demum tempore *Alexander*

Lithua-

Lithuaniæ Dux creatus Rex Poloniæ unionem tam diu desideratam ad finem perduxit, à quo tempore idem & Poloniæ Rex & Lithuaniæ Dux censetur. Familia Iagellonis, qui in baptismo Vladislai nomen accepit, extincta fuit in *Sigismundo* Augusto An. 1576.

LIX. *Borussia & Livonia regno Poloniæ accesserunt.* 1. In expeditione, quam *Frid.* Barbarossa An. 1190. in Palæstinam suscepit, exortum fuisse sacrum quendam Ordinem, quem Teutonicum à patria, Hierosolymitanum à loco, Cruciferum ab insignibus appellarunt, notum est. Amissa terra sancta, cum hi Equites potentia & opibus plurimum valerent, à Conrado Duce Masoviæ contra Barbaros, Borussos, Lithuanos, Livonos, & Russos evocati fuerunt hac conditione, ut quicquid Barbaris eriperent tanquam suum possiderent. Itaque An. 1226. in Borussiam Cruciferi venerunt ac intra 56. annos universa potiti sunt, sede quasi regia ab Ordinis Magistro Mariæburgi posita, tanto rerum successu, ut An. 1311. Dantiscum cum tota Pomerellia, denique Samogitia accederent, & Ordo 55. civitates, 48. arces, ac 19000. pagorum possideret. Ex tantis opibus ac potentia lapsi in superbiam suos tyrannice & avare opprimere, Principúmque vicinorum odia in se concitare, præsertim Polonorum. Hinc civitates Borussiæ ab ipsis deficientes in *Casimiri* Regis Poloniæ clientelam sese tradiderunt, ac post grave bellum An. 1466. divisa Borussia in duas partes fuit, Superiorem ac Inferiorem, quarum illa Regis Poloniæ, hæc Cruciferorum, sed beneficio Regum Poloniæ. Molestè tulerunt Imperatores

Germaniæ

Germaniæ nobilissimam provinciam à suæ gentis hominibus ad exteros devolvi. Vnde *Maximiliani* I. instinctu *Fridericus Saxoniæ* Dux & Ordinis Magister à Polonis defecit; sed frustratus auxiliis rem infectam deseruit. Ei successit *Albertus Marchio* Brandeburgensis, trigesimus quartus & ultimus Ordinis Magister, qui transactum cum Ordine videns, deposito Cruciferi habitu, A. 1525. à *Sigismundo* Poloniæ Rege Dux Prussiæ creatus fuit, & Academiam Regiomontanam fundavit. Cuius extincto filio *Alberto Friderico Iohannes Sigismundus* Marchio & Elector Brandeburgensis successit; & Ducatum illum tanquam feudum Polonicum ad Nepotem suum transmisit. 2. Ad Livoniam convertendam & contra barbaros defendendam *Innocentius* III. A. 1104. Ordinem Ensiferorum instituit, qui paulo post à Cruciferis in societatem recepti. Præcipua horum contra Russos bella fuerunt, à quibus fracti atque insuper intestinis dissidiis debilitati Polonos respicere cœperunt, in quorum potestatem *Godhardus Ketlerus* ultimus Ordinis Ensiferorum Magister A. 1561. pervenit, á Sigismundo Augusto Dux Curlandiæ & Semi-Galliæ creatus, in qua dignatione posteritas eius hodiéque durat.

L X. *Extinctis Iagellonidis regnum Poloniæ exteros Reges habere cœpit.* Cum Iagellonis posteritas per 186. annos regnasset, tandem in *Sigismundo Augusto* A. 1571. extincta fuit. Poloni post biennii interregnum *Henricum* Ducem Andegavensem *Caroli* IX. Regis Galliæ fratrem elegerunt. Qui cum regios reditus nimiis largitionibus

nibus vehementer attenuasset, intellecta fratris sui morte & pertæsus morum Polonicorum cum nonnisi tres menses ac dies 26. regnasset, furtim aufugit, ac insciis omnibus in Galliam evasit. Poloni ea contumelia irritati evocare ipsum, cúmque non compareret, regnum ipsi abrogare, & Rempublicam suam ad interregnum revocare. Post biennii novum interregnum divisis Polonorum studiis, aliqui *Maximilianum* Imperatorem, plures *Stephanum Bathorium* Trans-Sylvaniæ Principem ad regnum evocarunt. *Maximiliano* favebant Dantiscani; unde à *Stephano* arctè obsessi, sed irrito conatu. Magnas deinde res contra Russos in Livonia & Lithuania *Stephanus* gessit, & vix similem Poloni regem habuerunt. Sed undecimo regni anno absque prole extinctus Poloniam in novum interregnum coniecit, in quo iterum discordes Proceres alii *Maximilianum Austriacum*, *alii Sigismundum Ioh.* III. Suecorum Regis ex *Sigismundi Augusti* sorore filium designarunt, qui succederet. *Maximilianus à Zamoscio* regni Poloniæ Cancellario in Silesia captus regno renunciare coactus fuit, quod in potestate *Sigismundi* permansit.

LXI. *Polonia Sueciæ coniuncta, mox avulsa.* Conjunctio A. 1593. mortuo *Iohanne* III. Rege Sueciæ ac Patre *Sigismundi* facta fuit. Mox ortæ inter Suecos & Polonos controversiæ, quibus occasionem dederunt Iesuitæ sese contra juramentum à *Sigismundo* præstitum in Sueciam prætextu Religionis Catholicæ intrudentes. Accesserunt alia irritamenta. Quippe pravo consilio seductus *Sigismundus* peregrinos milites

Sueciæ

Sueciæ cervicibus imponebat, & partem Livoniæ à patrio regno ad Polonos transferre conabatur. Hinc conquesti Ordines Sueciæ violata ab illo juramenta & pacta, gubernatorem crearunt *Carolum Ducem Sudermanniæ* patruum *Sigismundi.* Cum in dies novis injuriis exacerbarentur animi, tandem *Sigismundo* regnum publicè abrogatum, illúdque in *Carolum* hactenus gubernatorem translatum A. 1599. qui etiam A. 1607. Sueciæ Rex coronatus fuit. Hac occasione diuturna illa inter Polonos ac Suecos exorta fuerunt bella, quę nondum pace, sed induciis tantùm ad tempus composita sunt.

LXII. *Polonia ingenti motu concussa.* A. 1647. Causa antecedens obitus Vladislai Regis: proxima duplex, Iesuitæ Russis templa sua eripientes ac liberum religionis exercitium impedientes: tum Nobilium in rusticos tyrannis, quos instar vilissimorum mancipiorum immaniter tractabant, & pro lubitu tanquam bestias obtruncabant. Hinc velut in furorem acti per Russiam & Lithuaniam contra Dominos insurgere, Iesuitas aliósque sacrificulos ingenti numero interficere, Cosaccos & Tataros in Poloniam & ad prædæ societatem evocare. Hæc mala incrementum sumpserunt ex propriis Polonorum dissidiis, qui, quod plerumque in interregnis fieri solet, de Rege creando disceptantes communem interea hostem repellere vel noluerunt vel non potuerunt. Metuebat tota Europa, ne illa Tatarica barbaries usque ad mare Balthicum omnem Poloniam raperet: atque ita neglecto agrorum cultu generalis Occidenti fames, quam haud leviter Provinciæ

jam

jam sentiebant, induceretur. Post longas contentiones creatus tandem Rex Vladislai frater *Ioannes Casimirus*, qui segnibus ad bellum gerendum Polonis in Russia à Cosaccis circumventus eas conditiones pacis accepit, quas præsens necessitas suadebat. Hodie Barbarus Turca in Vkrainâ & Russiâ tantos facit progressus, & multi de defensione illius Regni desperent.

LXIII. Si dicerem, Poloniam scatere ferri, plumbi, sulfurísque metallis, necnon cæruleo colore Lazurii, quem pingendo suo palatio Deus ipse selegit: si recenserem, Lituaniam Cereris esse horreum; & Russiam adeò fœcundam, ut messe facta ex semine deciduo ager fiat restibilis sequente anno, nec nova semente egeat; & in Podolia semen quomodocunque in agrum conjectum centuplum referre fructum, eámque ibidem esse pratorum ubertatem, ut boum cornua vix è gramine appareant: si ostenderem, *salinis Cracoviensibus* nullas in universo orbe extare pares: atque earum concamerationem, cui & oppidum impositum est, columnis è sale excisis fulciri; quæ porticus efficiunt tam amplas, ut non opus sit inter ambulandum caput demittere, si referrem, mel nusquam melius, quódque minus ceræ habeat albúmque sit, quam in Samogitia reperiri; sylvásque illis summis abundare opibus, cum stipitibus cavatis mella passim promantur: si memorarem, in pomariis suburbanis Cracoviensibus, Sendomiriensibus, Varsaviensibus, Torunensibus, Gedanensibus, Elbingensibus, item Vielisceensibus & Bochnensibus, totóque tractu submontano ac Sciriciensi, pyrorum, pomorum,

Matth. de Mich. Chr. Polon. l. 1. c. 3. M. Crom. l. 1. de Polon. Neugebaverus rer. Pol. l. 1.

morum, prunorum, persicorum, cerasorum, ac nucum nobilitatem certare cum Hungaricis & Italicis: si denique enarrarem, ex XXXII. Palatinatibus Polonicis ad alias exteras ditiones exportari siliginem, triticum, hordeum, avenam, & alia legumina; linum quoque, lupulum, coria boum, sebum, alutam, mel, ceram, succinum, picem, cinerem, malos, asseres, cæterámque materiem fabricæ aptam; cerevisiam præterea, boum & equorum vim penè infinitam: si, inquam, hæc omnia, & quæ alia multa coacervari possent, pro singularum præstantia rerum pari verborum ornatu exequerer; quid tamen, & quantulum sic dissererem pro Poloniæ inter Europæas regiones principatu? Cum Anno Christi MCCCLXIII. tempore carnisprivii, Imperator Carolus IV. nuptias celebraret Cracoviæ cum Casimiri Magni Poloniæ Regis nepte Elisabetha; quibus etiam intererant Ludovicus Hungariæ, Valdemarus Daniæ, & Petrus Cypri, Reges; Duces insuper, Otto Bavarorum, Ziemovitus Masoviorum, Boleslaus Suidnicensium, Vladislaus Oppoliensium; & Bogeslaus Stolpensium, sponsæ pater; *Verincus Germanus*, Consul Cracoviensis, non tantùm nuptiarum illarum apparatum regio nomine quàm splendidissimè administravit; sed ut privata quoque magnificentia Poloniæ opulentiam testaretur, Imperatorem, & illos Reges ac Principes omnes, lautissimo aliquot dierum excepit convivio, & insignia munera singulis, inprimis Casimiro Regi donum *centum amplius florenorum millibus* æstimatum, dedit: hoc tamen in homine privato quid fuit aliud, quam solennis vanitatis

Cromer. de rebus gest. Pol. l. 12. Al. Guagnin. rer. Polon. tom. 1. Neugebaur. l. 3.

opum

opum apricatio, majori luxus & fastus, quàm animi ventrísque benè morati argumento? Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Et licet ultra privatum pecuniæ modum fortuna quem provehat, auro tegat, purpura vestiat, & eo deliciarum perducat, ut terram marmoribus abscondere, & non tantum habere, sed & calcare possit divitias: ab illis tamen animus nec erit melior, nec major, sed majora cupere semper inde discet. *Sen. Ep. 16.*

LXIV. Cum superioribus annis Turcorum Sultanus à Polonis certas militum copias auxiliares ad bellum, quod cum Persa gerebat quodam consuetudinis antiquæ prætextu posceret; Stephanus Rex has illi negabat dicens, *Candidam Polonorum aquilam antea inplumem & viribus suis destitutam nunc rejuvenescere, pennas recepisse, ungues & rostrum exacuisse.* Poloni enim supra illos Civilitatis, Literatum, Religionis, plenissimos honorum titulos, præ aliis nationibus maximè sunt *animosi* & natura *fortes*; quique non facilè aut voluptatibus frangantur, aut periculis terreantur. Mortem per decus obitam, immortalitatis instar, vitam per dedecus retentam, quavis morte pejorem putant. Ignominiam ut fugiant, nihil non fecerint; ut mortem, nihil. Et quemadmodum in majore Polonia prope *Sremum* oppidum, in colle quodam, *ollæ, amphoræ, cacabi, & alia vasa sponte nascuntur*, quæ, dum sub terra effodiuntur, mollia sunt, in aërem autem exposita, durescunt: ita Poloni fermè omnes ex utero matris militares animos in lucem secum ferunt, quos postea severiori parentum & popularium disciplina firmant, aptósque magnis conatibus reddunt;

Ciccarella in Sixto V. Genebrard. in Chron. l. 4.

Muretus ad Sacr.

Comer. l. 1. de situ Pol Neugebaver. rer. Pol. l. 1.

dunt; ut exinde fremitus armorum non magis curent, quam foliorum ſtrepitum ſive dejectum aquæ. Quinetiam antiquitus in univerſum Polonia omnis tantopere fortium facinorum famam captabat, ut etiam *fœminæ* militarent; ſiquidem nulli nubere fas erat, niſi tres prius hoſtes in prælio ſtraviſſet: quam tamen rigidam nimis conſuetudinem, ne virginitas puellis eſſet ſupplicium, ſuſtulit Piaſtus, & mulieres ſexui conſentaneas artes tractare juſſit. Quid dicam de *Boleſlao Tertio*? qui.

Forcat. d. l.

> *quinquaginta pugnavit prælia ſignis*
> *collatis, caſu non variante fidem;*

& toties vicit, quoties pugnavit; qui in hoſtilibus etiam Henrici IV. Cæſaris caſtris tot tantíſque laudibus, compoſitis ad id carminibus, in cœlum uſque efferebatur, ut Cæſar capitali pœna, ne id fieret, ſancire cogeretur: uti & poſtea Cæſarem iniquiſſimas conditiones pacis proponentem circa Vratiſlaviam vicit, miſerabili Germanorum ſtrage; cum planities etiam, in qua pugnatum erat, inde à canibus in cadavera gregatim ſævientibus, & itinera infeſtantibus, *canini campi* appellationem acceperit. Reliquerat ille moriens quinque filios, *Vladiſlaum*, *Boleſlaum*, *Miecziſlaum*, *Henricum*, & *Caſimirum*: ſed inter quatuor grandiores natu omnia, quæ tunc erant Polonicæ ditionis, partitus; principatu & ſumma rerum penes Vladiſlaum, qui ætate erat primus, conſtituta; Caſimirum natu minimum in partitione omnino prætericrat. Cauſam ſciſcitantibus reſpondebat; *Currum à quatuor rotis geſtari, Caſimirum verò ſuum in medio currus ſeſſurum, ac tandem ad ſummam*

rerum

rerum perventurum esse. Quod & factum est. Et ne priscos tantum Polonorum Principes ac Reges laudem: quasi illi soli Virtutem & Felicitatem habuerint in satellitio: quid jam dicam de *Sigismundo Primo?* Sigismundus ille per omnes vitæ actus secundissimo fortunæ flatu usus; Princeps alioqui pacis & concordiæ amans, & ab omni ambitione atque alieni invadendi cupiditate alienus; quippe qui regnum Daniæ & Hungariæ tenuerit; quot tamen bella is gessit? cum quibus gentibus conflixit? Nempè, cum potentissimis Moscis (quorum magnum Ducem Mechmetes, prudentissimus tot Sultanorum consiliarius, tanti faciebat nuper, ut secundum suum Principem Muratem III. nullum toto terrarum orbe Mosco potentiorem esse arbitraretur) cum ferocissimis Tataris, cum acerrimis Valachis, cum ipsis Turcis, vel ipsa victoriarum perpetuitate terribilibus; & cum nostris Germanis: quibus omnibus ille fuit formidolosus. Et quidem ille Sigismundus, ejusque successores Reges, non modo inanes Germanorum nostrorum conatus eluserunt sæpius, sed etiam Prussiam atque Livoniam, amplissimas provincias ab Imperio Germanico avulsas, cum insigni Germanici nominis macula suæ ditioni adjecerunt: quod licet Pruteni Equites molestissimè tulerint, ac multoties apud Imperii Ordines de contumelia ista questi sint; nihil tamen Imperatores audendum sibi putarunt adversus Polonos, à quibus Germanorum exercitus toties repulsos ac fractos esse intelligebant. Et quid opponeret Germania innumerabili, & qui cæterorum Christiani orbis Principum opes superat, equitatui Polonico?

Th. H. l. 1.

Th. H. l. 69.

Bod. de Repub. l. 1. c. 9.

Nam *Rex ex ſolis Nobilibus, qui privatis ſumptibus regno militare adſtricti ſunt, centum quinquaginta millia gravioris & levioris armaturæ militum cogere, & in aciem, ſi neceſſitas ferat, educere poteſt.* Quem hoſtem tantus Nobilium exercitus non fuget, diſſipet, fundat & confundat? Quem vel nomine tantùm non terreat, præſertim ſi vires generoſiſſimorum *Koſakkorum* acceſſerint, qui jam creberrime clades Turcorum & Tatarorum virtutis ſuæ experimenta fecerunt? Viri omnino fortiſſimi, &, quod hodie in communi omnium ferè gentium militaris diſciplinæ laxitate mirum, prædæ ſunt hoſtes: quod præcipuè in bello Livonico inſigni exemplo teſtati ſunt, *cum dux hoſtium captus* ingentem ſummam pro liberatione offerret, quippe qui *ſexies librati in ſtatera corporis pondus, bis auro, ter argento, ſemel margaritis, appenſum polliceretur*, nihil tamen invictos Koſakkos permovere poſſet. Quid? quod extra illas dotes incomparabilis hæc *Polonica Nobilitas* non ſolum generis antiquitatem præ ſe fert; plurimis rerum Polonicarum & Ruſſicarum ſcriptoribus uno ore atteſtantibus, Italum quendam *Palæmonem*, & alios ſocios profugos, *Vrſinos, Columnas, Iulianos, Cæſarianos, Gaſtaldos*, Lituaniæ Nobilibus familiis originem dediſſe; plebem autem Lituanorum ex Gothis ortam eſſe: verum etiam ſingulari complurium familiarum dignitate, potentia & opibus fundata, ſanctiſſimum Reipub. & aureæ libertatis conjugium generoſiſſimè tenetur. Quemadmodũ enim *alcinæ ungulæ*, ſi ſtatis temporibus abſcindantur, præſentiſſimum adverſus comitialem morbum ſunt remedium: ita auguſtiſſima *Senatus*

Th.h.l. 56. Mur. ad Sacrat.

Th H.l. 58.

Guagnin. rerum Pol. tom.1.

Dudit. in Apolog. ad Imp. Max. II. Th. H. l. 56.

Polonici autoritas, qua Regem imprudentius imperantem objurgare & corrigere licet; summæ *Radiviliorum* (ex quibus *Ianusius* uxoris hæreditate universas opes ac possessiones *Ducum Slucensium*, qui incredibili privatarum opum apparatu vel aliquibus Germaniæ & Italiæ Principibus comparandi erant, acquisivit) *Ostrogiorum*, *Zbarasiorum*, *Zaslaviorum*, *Chodkieviciorum*, *Chlebowiciorum*, *Voloviciorum* in Lituania; in Polonia verò *Tenciniorum*, *Tarnoviorum*, *Firlejorum*, *Lesciniorum*, *Ostrorogorum*, *Zboroviorum*, *Lascorum*, *Czarnkoviorum*, *Latasciorum*, *Samoisciorum*, *Zebridoviorum*, *Zolkieviorum*, *Prochniciorum*, *Ossoliniorum*, *Olesniciorum*, *Tarlonum*, *Sienieniorum*, *Stadniciorum*, *Opaliniorum*, *Herburtorum*, *Gorajorum*, *Sobiesciorum*, & heroum aliorum penè sine numero, quibus pares alibi gentium, imò vix similes inveniantur, virtutes, & vires maximæ; Poloniam salvam, incolumem, & florentem semper præstant.

LXV. Vel fertiles agri in Podolia tam sunt duri ac petrosi nonnunquam, ut bisseni boves aratro uni ducendo vix sufficiant: ubi quoque interdum tanta vis frigoris, ut radicitus arescant arbores, & aqua ex editiori loco effusa, priusquam terram contigerit, in glaciem concrescat. Quanquam hæc cœli intemperies aliquando Poloniæ bono cessit. Cùm enim Anno Christi CIↃ.CCCC.XVIII. septuaginta Turcarum millia in Russiam penetravissent; derepente immensum gelu cum copiosissima nive in illos tanta vehementia grassatum est, ut supra quadraginta millia alserint, multique interfectorum equorum ventribus

A.Guag. rerum Pol. t. 2.

Cromer. l.1. de situ Pol.

Neuge. rer. Pol. l.1.

Zwing. M. Apodem. l.2. c.33. ex Cromero.

 bus

bus etiamnum calentibus sese illatebrasse fuerint deprehensi. Quæ res Turcis Religionem incussit, ut sibi persuaserint, Russos & Polonos divinitus defendi.

LXVI. In universum mores Polonorum ad censuram vocanti, ut de *Religione* Christiana primum loquar; quot ea superstitionum & errorum monstris deturpatur à Polonis? quam illa impurè habitat in Polonia? Muhametani Tatari, infames ritus prope Vilnam summa licentia observant. Imò sunt hodiéque inter Lituanos & Samogitas quam plurimi, qui serpentes quosdam, *Givoiitos* patria lingua dictos, domi suæ fovent, & Numinis instar colunt, eósque certo anni tempore precibus sacrificuli evocant ad mensam fercula singula delibatum: & penatibus illis non comparentibus nec prægustantibus, magnas calamitates sese subituros esse credunt pessimi ominatores. Neque hisce tamen profanis & misellis Diis finiunt idolomaniam suam, cum aliquibus in locis Russiæ, Lituaniæ, ac Samogitiæ, agrestis plebs in honorem Diaboli etiam solennes epulas sub finem mensis Octobris instituat. Namque patribusfamiliarum cum uxoribus, liberis, & servis ad locum ferali convivio destinatum convenientibus, mensáque gentili more instructa, & jam vitulo, porco & porca, gallo & gallina, & cæteris jumentis domesticis, in futurum sacrificium adductis: tum incantator quispiam, verba quædam demurmurans, animal immolandum baculo percutere orditur, quem dein reliqua turba sequitur, clamando: *Hæc tibi, ô Ziemiennik Deus* (sic Dæmonem appellant)

Neuge. rer. Pol. l. 5. Guagn. H. Pol. t. 1. Guagn. rer. Pol. t. 2. Camer. M. H. cent. 1. c. 69.

pellant) *offerimus, gratiásque tibi agimus, quod nos hoc anno incolumes conservare dignatus es; nunc verò te rogamus, vt & in posterum nos tueri ab igne, ferro, peste, & inimicis quibuslibet defendere digneris.* Inde carnes mactatorum animalium vorant; particula prius ab unoquoque ferculo decerptâ, & in omnes ædium angulos cum hisce verbis projecta: *Hæc, ô Ziemiennik, nostra holocausta suscipe, & comede benignus.* Adeò verò superstitionibus dediti sunt Samogitæ; ut etiam aratris ex puro puto ligno factis, quibus solis utuntur, singularem quandam virtutem tribuant. Idcirco quidam provinciæ Præfectus, qui colonorum labores levaturus ferreos vomeres, veluti agricolationi aptiores, fabricari mandaverat, cum mox à reformatis vomeribus per aliquot annos segetes agricolarum expectationi ob aëris inclementiam non satisfacerent, ille vulgi, agrorum suorum sterilitatem ferreis vomeribus pertinaciter adscribentis, seditionem metuens, confestim amoto ferro agriculturam moribus & vomeribus antiquis restituit. Alias in reliqua plebe Polonica, quantumvis nullis idololatricis cultibus fœdata, videre est insignem in religionis notitia ruditatem; penè ad exemplum plebeiorum Moscovitarum; ex quibus *Dominicam Orationem* pauci sciunt, dicúntque *Orationem Dominicam scire, dominorum & sacerdotum, qui nullis laboribus occupantur, opus esse; sibi autem in Deum & filium eius Iesum Christum, & Spiritum Sanctum simpliciter credere, satis esse:* item *Confessionem sacram Principibus convenire, ac potissimum ad Magnates atque Nobiles pertinere.*

Guagn. rer. pol. t. 1. Neugeb. in Com. Mosc. c. 12.

LXVII. *Mala tractatio Dominorum* Plebem Polonicam durioribus exercet operis, quam ut quicquam temporis pro capitibus Christianæ religionis addiscendis habeat reliquum? Nimirũ quod Ditmarus, Episcop⁹ Merseburgẽsis, jam ante quingẽtos annos de Polonico populo scripsit, *illum more bovis esse pascendum, & tardi ritu asini castigandum, & sine pœna gravi non posse cum salute Principis tractari*: hoc Nobilitas in subditis non perfunctoriè hodie exequitur. Præcipuè tamen in Lituania rusticorum conditio est durissima. Nam ut quisque dominus famulorum caterva stipatus domum coloni alicujus ingreditur, impunè quidvis facere, res quascunque rapere, absumere; & colonum etiam verberibus crudeliter cædere potest. Nec colonis ad Dominos suos sine muneribus aditus patet: & admissi illico ad officiales reiiciuntur; qui nisi donis mitigentur, justè decernunt nihil. Et profecto in Lituania quodlibet judicis verbulum, aurum est. Præterea singulæ septimanæ in operas ita distribui solent; ut coloni quinque aut sex dies negotiis dominicis impendant, die vero Solis res privatas curent; & sic plerunque diebus Solis (nam ne festis diebus quidem sunt feriati) quodvis opus absolvant, arando, occando, runcando, pastinando, metendo, triturando, & id genus. Ideóque si quis Roxolanum interrogaverit; *Quare Dominico die laboras?* continuò is respondebit, *Quia & die Dominico comedere oportet.* Atque Nobiles insuper non solùm in glebæ adscriptitios, quos *Kmethones & Clophos* vocant, jus vitæ & necis passim usurpant: sed & si quis ex istis fortè capitis

Lib. ult. Chr. G. Barclai. cont. Monarch. l. 4. c. 13.

Guagn. rer. Pol. t. 2.

Neuge. rer. Pol. l. 3.

capitis fuerit damnatus, tum de se ipso, jubente domino, supplicium sumere, suisque manibus se suspendere, minis, loris, & fustibus impellitur. Quæ dira consuetudo haud dubie Vitoldo Lituaniæ Duci originem debet; cujus severitatem, imò immanitatem, adeò extimuerant provinciales; ut si quando dixisset duobus pluribúsve; *Ite ocyus, ac laqueo vos appendite*; nemo imperium subterfugerit, auditúsque nonnunquam sit, qui currens hortatus alios, *Eamus quam properanter*, ingeminaverit, *ne bilem Domini commoveamus*. Quanquam & *leges* Polonorum, potissimum *Casimiri magni* (qui tamen *rusticorum & plebeiorum Rex* appellabatur; & ex eo ingentem æquitatis laudem erat meritus, quod barbarum morem jurisiurandi conceptis verbis dandi abrogaverat; in quo si quis verbo lapsus esset, atque adeo si titubasset, causa quantumvis justa cadebat) non parum illam sævitiam exasperasse, aut firmasse videntur: cum Rex ille in Divinæ sapientiæ arcem, profanum humanæ stultitiæ arietem, *rigorem legum divinarum*, ut ajebat, *correcturus*, impio impetu immitteret; atque cædem Nobilium à Nobilibus admissam aureis XXX. vindicandam; si plebeius Nobilem occidisset, pœnam pecuniariam duplicandam; si Nobilis plebeium interfecisset, etiam ex insidiis, pœnam X. aureorum esse, injustissimè statueret. Qua impunitate occidendi proposita, innumerabiles cædes consecutæ sunt: ut Sigismundus I. Rex, qui alias corpore fuit ita robusto, ut ætate florenti ferreas equorum soleas manibus diffringeret, funes cannabinos crassiores rumperet, ballistam manu intenderet, & chartu-

Guagn. rer. Pol. t. 2.

Silv. in Paral. Alf. l. 2. c. 19.

Neuge. rer. Pol. l. 3.

L. 2. Statut. Pol. c. 15. art. 6. Arnis. de iure M. l. 2. c. 3. n. 8. Bod. de Re. l. 1. c. 5. & l. 6. c. 6. Neugeb. in vitis Reg. Polon.

larum lusoriarum fasciculos discerperet, tamen istam subditorum feritatem non vinceret, nec in comitiis Petricoviensibus inficiari potuerit: ex levitate pœnarum neminem vel in ipsis templis amplius tutum esse. Atque Sigismundus ille, auctis regni opibus, pœnas geminabat quidem; & præterea legi subrogabat, ut sicarius LVIII. hebdomadas carcere publico attineretur; hoc tamen pessimo corollario, quod triennii præscriptionem cuilibet homicidio indulserit; & patronum, qui clientem sive Kmethonem suum interemisset, ab omni seu publica seu privata accusatione liberum esse voluerit.

A. Ch. 1523.

H. Treutler. scribit, Stephanum regem hæc emendasse: Vol. 1. disp. 1. th. 9. lit. b.

LXVIII. Popielus II. R. Poloniæ patri Popielo per omnia similis, cum amari à suis non mereretur, & metui mallet, veritus, ne regno exueretur, simulato morbo patruos omnes, quorum autoritatem maximopere reformidabat, accersit; & invaletudinem exaggerans, quasi jam jam moriturus, eorum fidei uxorem ac liberos commendat; tum singulos blande appellando, in signum amoris poculum, cui astu reginæ venenum erat mixtum, circumlatum præbibere se fingit, quod tamen ne extremis quidem attigerat labiis. Ex quo cum patrui ordine bibissent, & postea salutato rege abirent, statim vi veneni in furorem versi, & tandem ingentibus cruciatibus examinati sunt: quos dein Regina, quasi mariti sui vitæ insidiatos, justáque Dei vindicta percussos, subito periisse divulgat: & tanquam sepultura indignos in lacum *Goplum* projici mandat. Cœleste autem & justum Numen hanc atrocitatem non prætermisit inultam. Nam ex cadaveribus interemptorum putre-

Neuger. rer. Pol. l. 2 Guagn. H. Pol. l. 3.

putrefactis enati *mures* inusitatæ magnitudinis, impium parricidam cum scelerata uxore atque liberis fugientem quoquoversus per aquam flammámque persequuntur; nihil claustris, nihil abigentium satellitum auxiliis quicquam impedientibus: postremóque diffugientibus omnibus domesticis, *absumptis prius filiis Lecho & Popielo, atque uxore etiam, ille ultimus lenta morte à muribus in arce Crusvicia corrosus & depastus est*: eventu docente, in fatis filii & nepotum fuisse votum Popieli patris, subinde sibi imprecati soliti; *O utinam à muribus corroderer!* Eandem verò murium carnificinam, divinitus jussam, passi olim fuisse creduntur; alius Polonus, *Mieczislaus Dux Cujaviæ*, qui inopum, pupillorum, ac viduarum bona injuste diripuerat; & in Germania (patriæ nævos!) *Hatto II. Archiepiscopus Moguntinus*, qui pauperes, spe accipiendorum frumentorum facta, in horrea quædam vocatos, admotis ignibus nefariè combusserat; atque *VVilderolfus Argentinensis Episcopus*, qui cum S. Attalæ reliquias apud S. Stephanum intervertere vellet, nec posset, tum in ipsas ira monialeis conversa quasdam expulerat, dona & bona, quæ placebant, in suum dominium transtulerat. Quod tamen de *Hattone* & *VVilderolfo* (cur enim dissimulem?) sic tradunt scriptores quidam, illud viri docti anilibus, meris, ac putidis fabellis adscribere solent.

A. Ch. 823.

Neuge. rer. Pol. l. 3. *Trithem. in Chr. Hirs. Eysengr. in Chr. Spir. l.* 10. *Camera. M.H. cent.* 2. *c.* 12. *Galliman. in Wilderolfo. N. Serar. Mog. rer. l.* 4. *in Hat.* 2. *Silv. in Parall. Alfons. l.* 2. *c.* 13.

LXIX. Suitrigalus Dux Lithuaniæ, cum modulum vitæ haberet culinam, nunquam è domo pedem movebat, quin dispensatorem percontaretur, *An librum, quem sibi de arte popinaria accuratissimè componi curaverat, secum afferret*: apud

apud quem etiam *cœna non minus ſex horarum* erat; *nec fercula minus quam triginta & centum*, dum ille ligurit, apponebantur. Optaſſem Suitrigalo convivam *Dietzelaum Cracovienſem Archidiaconum*, qui intererat Concilio Baſilienſi; in quo exautorato Eugenio, cum novi Pontificis eligendi cauſa in conclave more majorum diſceſſum, atque cibaria lege electoribus fercula circumſcripta eſſent, Dietzelaus lautius largiúſq; epulari aſſuetus, iſtam diminutionem ferculorum ægerrimè ferebat, & aliquando avicularum patina ad oſtium conclavis intercepta, ubique ſpolium conqueſtus ac publicè teſtabatur, nunquam diem, poſtquam Sacerdos fuiſſet, tuliſſe pejorem. Cæterum rogatus, ne male acciperet, quoniam idem quoque obtigerit Cardinali Arelatenſi, *Proh* (inquiebat) *Cardinalem mihi æquiparas? hominem Gallicum, parcum, eventrem, aut* (*vt verius loquar*) *non hominem? Ego apud eum meo infortunio ſum locatus, omnia quæ facit perluſtris mihi cortina indicat, nec adhuc aut bibere eum, aut comedere vidi: & quod mihi moleſtius eſt, inſomnes noctes, inſomnéſque dies ducit, aut legit ſemper, aut negotiatur; nulla ei minor, quam ventris eſt cura: mihi nihil cum eo commune eſt. Ego Polonus ſum, ille Gallicus: mihi ardet, illi friget ſtomachus: illi ſanitas, mihi mors ieiunium eſt. Ego ni multum comedam, & multum dormiam, citò deficiam. Illi econtrario omnia ſunt. Ieiunent Gallici, & Poloni comedant*. Et acerbabat incommodum ignavia famuli, qui Dietzelao ſemper ultimus cibaria adferebat. Ex qua re ortum in oſtio Conclavis proverbium fuerat: *Vltimum eſſe, qui prior eſuriret.*

Æn. Sylv. de geſt. Baſil. Concil. lib. 2.

LXX.

LXX. Olim Dux quidam Oppaviæ vxori adventanti, quam in Lituania duxerat, obviam procedens, cum in comitatu illius adolescentem offenderet forma egregium, robusto corpore, in plumis jacentem, pensili curru advectum, & quæreret: *Quisnam esset?* (existimaverat autem, conjugis suæ fratrem, aut propinquum aliquem esse) postquam ex responso intellexisset: *Apud Lituanos more patrio nuptas, quæ Nobiles quidem essent, unum pluresve concubinos pro viri facultatibus alere consuevisse, qui negligenti vel alia quavis causa impedito marito, in oneribus matrimonii ferendis & sustinendis veluti succenturiarentur; illúmque succiplenum juvenem propterea adductum fuisse, qui ipsius infrequentiam suppleret;* Dux nebulonem illum vicarium canibus laniandum objecturus erat, nisi ab amicis intercessum fuisset.

LXXI. *Duces Giedrocenses* in Lituania cum sint pauperrimi, & vix colonorum conditionem adæquent, atque in famulatu plerunque vitam tolerent; tamen, si alio quam *Ducum* nomine appellentur, non sine acerba injuriæ exprobratione graviter irascuntur: sicuti & genus suum ad Ducum Lituaniæ prosapiam referunt, ac insignibus Ducatus Lituaniæ antiquis utuntur. Nec quoscunque alios dupondios & minorum gentium Nobiles, quibus tota Polonia, & pene omnes eius casulæ mirificè scatent, fecerim pluris. Cùm enim paulò lautiores & opulenti proceres satellitio gaudeant populoso, & id ex solis ferè Nobilibus illis diobolaribus ferruminent: isti tamen minimè omnium, quæ aliàs ministrorum *Guagn. rer. Pol. t.1.*

rum ac famulorum ſunt, munera obeunt, ſed Domini juſſa arroganti reſponſo avertere ſolent, *Ruſticum quærendum eſſe, qui ignobilibus laboribus defungatur.* Propterea ſinguli huiuſmodi famuli plerunque alios aliquot famulos, & iſti iterum alios, atque hi rurſus ſuos pueros ad quartum uſque ordinem, habent: qui omnes eiuſdem domini impenſis aluntur, & ab eodem ſalaria ſua accipiunt. Et inter illos officium ſuum facit optimè, qui pro ſanitate domini bibit fortiſſimè: plerique ad menſam tantum miniſtrant, cætera immunes: ideóque ſtatim à prandio cœnáve, inclinatis de more gentis coram domino genubus, apertíſque capitibus, quo volunt, evagantur, & quandoque triduo, quatriduo, vel integra etiam ſeptimana in ganeis ac popinis luxuriant: domino, ubi interim fuerint, raro interrogante: aut ſi interroget, reſpondebunt illi, *Pro ſalute Domini ſe hilariter bibiſſe*: pro qua adfectus benevoli ſignificatione non modo gratias agit dominus, verum etiam bibones illos honorario quodam liberaliter remuneratur. Qua quidem in re latrunculus quidam appoſitè ſcenæ ſe attemperaverat. Cum enim Epiſcopi cuiuſdam aulam, ſive potius menſam diu eſſet ſectatus; tandem reliquis aulicis mercedem & ſtipendia petentibus, & ipſe ſe immiſcebat: quibus adverſus eum murmurantibus, quod nulli omnino alicui miniſterio obnoxius mercedem expectaret; Epiſcopus ex eo quærebat, *Cuinam inſerviret? Tibi reverendiſſime Domine*, ait ille, *inſervio; & ad aliorum exemplum officii mei partes gnaviter impleo:* & rurſus Epiſcopo, *Ecquod illud eſſet officium?* interroganti,

Guagn. rer. Pol. t. 2.

Quotidie,

Quotidie, inquit ille, *bis ad mensam tuam largiter edo & bibo.* Ad hæc Episcopus subridens illi deinde stipendium solvit. *Silv. Ep. 101. Lazius Gen. Aust.*

LXXII. In *Guilielmo Austriaco* quos fidei fecerunt Poloni Nobiles ludos? Cessante veterum Poloniæ Regum stirpe invitant illum in Poloniam, ei Hedvvigem postremi regis Ludovici filiam dant in uxorem, & regnum Poloniæ in dotem, atque Reipub. gubernacula committunt: sed non diu post, nulla injuria, sed odio tantum in Germanorum nomen concepto, temere inflammati, Guilielmo & regnum & nuptam auferunt: nec contenti abominabili hoc facinore, novum & memoria nostra inauditum scelus adoriuntur, ac reginam, quæ alteri nupserat, novo regi, barbaro Lituano copulant, etiam reluctantem. Post hæc, tanquam parum fuisset, Gulielmum summo scelere de solio & matrimonio perfide deturbasse; cum Imp. *Albertus II.* regnum Bohemiæ uxoria hæreditate sibi debitum vendicaret, Polonica Nobilitas & factiosorum quorundam ac rebellium Bohemorum suscepit patrocinium: quos tamen Albertus fortiter profligavit; jam antè de Polonorum levitate ita certus, ut Vladislai Lituani, Poloniæ Regis, unicam filiam in matrimonium crebro oblatam, facete abnuerit, *Iniuriam patrui Gulielmi obstare causatus.* Inde mortuo Alberto, in filium ejus *Ladislaum*, adhuc infantem longè sceleratius grassati sunt Optimates Poloni. Hic enim licet hæreditario jure possideret Hungariam, & apud Albam Regalem jam more solenni inauguratus esset; illi tamen perfidis Hungaris, & privatis cupiditatibus lenocinantes, *Com. lib. 2.* *Cuspin. in Imp. Alberto II.*

Vladislaum

Vladislaum V. Regem suum Polonum in Hungariam deducunt, legitimum Regem puerum regno patrimoniali spoliant, & ea agunt omnia, quæ prædones in alieno facere sueti. Deus, Deus autem innocentiam pueri Ladislai respexit, & ultrice dextera Polonos involvit *clade Varnensi*, qua non solum Christiano nomini labes violatæ fidei adspersa, (Murate II. Sultano in ipso prælio, cum hostiam Ecclesiastico ritu consecratam, quam antea pacis inviolabiliter observandæ ab Vladislao acceperat pignori, è sinu proferret, erectis ad cœlum oculis, vernacula lingua altum exclamante; *Crucifixe! Crucifixe! vide gentem tuam perfidam, quæ te mihi pignoravit, nihilóque minus adeo religiosè sancitam pacem per summum scelus violavit; si Deus es aliquis, fac ut periurii pœnam luat.*) Vladislaus Rex occisus; verum etiam Polonia ipsa sic exhausta & exanguis reddita est, ut tum vix reperiri potuerit, qui regnum illud suscipere vellet. Non hic audio, qui pro Polonis de ultimo discrimine, à Turcis Hungariæ impendente, callide objiciunt; tanquam necesse fuerit, pro regni & Christiani orbis salute prudentiorem Regem, & quidem Vladislaum è Polonia, repudiato Ladislao pupillo, intrudere in Hungariam. Si ita obtinuerit hoc factum, ut ad exemplum trahatur, rarus patri succedet filius. Et poterant Vladislaus & Poloni, si ipsis Reip. Christianæ atque Hungariæ salus tanti fuisset, poterant in communi periculo laboranti Hungariæ suppetias ferre, aut quasi tutorio nomine pupillo infanti regnum conservare: sed eidem illud, ne matre quidem & universis regni ordinibus consentientibus, & quantocunque

Cusp. in Amur. II. Iov. in Amur. II. Leüncl. in Ann. Turc. & in Pand. H. Turc. c. 116. 117. 118.

Silv. d. Ep.

Turcici

Turcici belli metu urgente, nullo jure adimere poterant. Et quid aliud obtendere possunt illi Borussię interceptioni, illi Livoniæ aversioni? Quid? quod *Sigismundus Augustus* Rex, cum Livonorum patrocinium contra Moscorum magnum Ducem suscepisset, fœdere tamen cum ipso Mosco percusso clientes non tam turpiter deseruisse, quàm hosti prodidisse fertur. Sigismundus Augustus Rex ad bellum sociale Turcicum requisitus, se in causam descensurum negavit, nisi prius Cæsar juri (quæ inter plures durissimas conditiones una fuerat) quod in Borussia sibi tribuat, Imperii nomine renunciet, idque comitiorum decreto sanciatur. Sed dum Germani rei feliciter gerendæ expectant occasiones; interim Poloni, ut quasi in antecessum pœnis exerceantur, vel domesticis scissi dissidiis mutuum vapulant, vel cæduntur à vicinis Suecis, vel fustigantur à Moscis, vel à Turcis vexantur, vel etiam à Tataris exagitantur. Et quis Polonis cavebit, quin Tatari, iterum *auricularum* colligant messem in Nobilitate Polonica? Nam tempore Boleslai Pudici irruptionem Tatari fecerunt in Poloniam, & devastatis omnibus provinciis, urbibus pagísque incensis, demum totis viribus cum Polonis congressi sunt; sed cum pugnæ alea variè nutaret, tandem signifer Tatarus processit, vexillum gestans insigne, cujus pictura X. literæ figuram præ se ferebat, & in cuspide hastæ erat imago tetra nigráque capitis humani barbati. Id verò vexillum cum vehementius concuteret signifer, eo ipso quoque nebulam exhalabat densissimam ac fœdissimam, qua Polonis prospectum non modo

A. Ch. 1571. *Bod. de Re. l. 5. c. 6.*

Th. H. l. 50.

Guagn. rer. Pol. tom. 1. Neug. l. 3.

adimebat omnẽ, ſed & ſimul eos odore enecabat teterrimo, totúmque adeò exercitum hoſtilem miraculo rei ſtupefactum perturbabat. Tunc Tatari ferro urgere, vulnerare, ſauciare, trucidare; Poloni autem non ſecus quam à grandine fruges proſterni, calcari, perire. Quo prælio tanta multitudo Polonorum ex Principibus, Nobilibus, & plebe, occubuit; *ut Tatari ſingulis cadaveribus ſingulas auriculas dexteras præcidendo novem ingentes ſaccos expleverint.*

LXXIII. Polonia plerumque numero equorum magis, quàm viribus militum terrere ſolet: & cum peditatu non valeat, in bello, quod contra Moſcum geſſerat Stephanus Rex, externum militem ad domeſticum robur firmandum adſciſcere omninò neceſſe fuit: ut ita potius ad excurſiones & deprædationes, quàm ad ſtatariam & juſtam pugnam viros ſufficere poſſit. Nec multum præſidii ponendum in *Koſakkis*. Et quinam ſunt illi *Koſakki?* Limes regni Polonici, Auditores, & magni Ducatus Lituanici magna ex parte Boryſthenes eſt: qui in Moſcovia ortus modico in occidentem flexu, in meridiem deinde & Pontum Euxinum magnam aquarum vim trahens fertur, ſuperior fluminis pars ad Lituaniam pertinet: ad inferiorem diverſarum gentium confinia concurrunt: præter Moſcos & Polonicæ ditionis Ruſſos, nonnullæ Turcicæ præfecturæ attingunt: non longo etiam intervallo Valachi ei imminent. In hac tot nationum nec ſatis pacatarum colluvie, non poteſt adhuc, quamvis à tot ſeculis pax conſiſtere. Itaque immenſa ibi camporum ſpatia, multi agri inculti ac deſer-

Th. H. l. 69. & 72.

R. Heidenſtenius de bell. Moſc. l. 1.

ti ob latrocinia vel metum jacent. Confluere huc ad prædas ex hostico agendas solent, cum ex aliis gentibus, tum Polonis quoque & Lituanis; ut quisque est egentissimus, vel rerum capitalium damnatus, quosque vel fortuna eorum vel leges in patria esse non sinunt. Superioribus tamen temporibus, cum publicè bellum non esset, etiam ex primaria juventute quidam loca ea petebant, odio quietis. Magnam partem in aquis ac flumine piscatu & latrociniis vivunt; hostemque, ut ex quoque plurimum prædæ sperant, ducentes, Turcis tamen & Tataris infestiores sunt, magísque Poloniæ Regibus operam navant. Quod infimam Poloniæ partem, quæ ad flumen pertinet, tenent, à loco *Nisovii* appellantur: alias communi nomine vocantur *Kosakki*. Hi sunt, illi *Kosakki*: qui cum sint bipedum sceleratissimi, & hominum purgamenta, professione sunt prædones ac latrones immanissimi.

LXXIV. Cæterum Polonicæ Nobilitatis fides, etiam erga Principes & Reges suos, jamdudum degeneravit. *Poloni*, ait Radevicus, *nec Principibus suis fidem; nec natura propinquis debitam inveniuntur gratiam conservare*. Profecto *Lescum Nigrum* Proceres immani deseruerũt perfidia, evocato Conrado Masoviorum Duce, in cujus verba quoque juraverunt: unis Cracoviensibus illam nequam conspirationem detestantibus; qui omnia charissima, & vitam ipsam, legitimo obsequio & debitæ fidelitati posthabebant. Sed Lescus, qui in Hungariam profugerat; cum non contemnenda Hungarorum & Cumanorum auxilia à Ladislao Rege impetrasset, sta- *Radevicus in Append. ad Ott. Frising. l. 1. c. 1. Neuger. rer. Pol. l. 3.*

tim ducit in rebelles, pugnat ac vincit, victoriâque utitur sic moderatè, ut captivos dimiserit omnes, Proceribus culpam deprecantibus veniam dederit; Cracoviensibus autem pro constantia & fide gratias egerit; cuius urbis regimen *Germanis solis*, quorum fide in rebus dubiis præclare esset erectus, deinceps attribuit proprium; etiam habitu cultúque corporis sui ad eorum formulam conformato; ut, quanti Germanos faceret, vel sic ostenderet. In *Casimiro I.* Rege, an peccaverunt Poloni minus? Non ignorabant, filii Casimiri voluntates ad imperium matris *Rixæ* unicè componi: qua pulsa, filius quoque sequi cogebatur. Qui tamen in exilio isto animum ad literarum studia appulit; & Lutetiam Parisiorum devenit; illinc in Italiam porro; & denique pietate impulsus, in Cluniacensi cœnobio *Benedictinum Monachum* professus, Deo totum se vovit & sacravit. Interea turbæ & fluctus in Polonia, ut in navi rectore vacua; audacissimo quoque in flagitiorum multitudine ac magnitudine imperium aut opes quærente: ideóque jam oculi animíque melius consulti requirebant suum Casimirum; decretúmque publicè, ut missa legatione; ubi terrarum esset, investigaretur. Ad Reginam primo ventum; ab ea Cluniacum: & inveniunt Poloni non jam *Casimirum* suum, sed *Carolum*, (nam & nomen mutaverat) eundémque sacramenti religione, sed & *Diaconatus* vinculo obstrictum: sine cunctatione præterita excusant, patriæ discrimina & calamitates proponunt; illúmque, ut unicum præsidium & subsidium, Principem deposcunt. Ipse fortiter recusare,

A. ch. 1285.

Neuge. rer. Polon. l. 3. Guagn. H. Pol. t. 1. Lips. in M. Pol. l. 2. c. 3.

alienæ

alienæ poteſtatis ſe jam oſtendere, nec quicquam cum mundanis rebus commercii eſſe. Inſtant tamen legati; quos Caſimirus ad Abbatem, Abbas ad Pontificem Benedictum IX. reiicit. Atque iſte tandem indulget, nexúmque religionis diſſolvit, data etiam venia conjugii; cum hac tamen pœnitentiæ Polonis indictæ lege; *ut illi caput poſthac in coronam tonderent ritu monachali*; itémq; de plebe ſinguli quotannis obulum unum (qui etiamnum S. *Petri numus* dicitur) in luminaria & cercos Divi Petri Romam conferrent; nec non ſinguli Equites feſtis ſolennibus, dum ſacra peraguntur, *faſciam lineam candidam* in modum ſtolæ, qua in ſacris utuntur Sacerdotes & Diaconi, è collo ſuſpenſam ferrent. Omiſſis illis veteribus, quibus ſeculorum contumax barbaries forſitan patrocinetur nonnihil; quid tamen non audent recentioribus moribus imbuti Nobiles Poloni? Quam contemptim habebant Stephanum Batorium, novum Regem, juribus & imperiis ejus toties obtrectantes? At Princeps talibus capiſtris frenari inſolens, qua erat animi altitudine ac robore, maſculè denunciavit ſceptri reverentiam faſtidientibus, *liberum ſe hominem natum, nec victus nec amictus, antequam in Poloniam venerit; indigum; rogatum ab ipſis & vocatum veniſſe, atque ab eorum manibus coronam capiti ſuo impoſitam: jam igitur non fictum, non pictum, ſed reapſe Poloniæ Regem eſſe, qui regnare & poſſit, & velit, & qui ipſos imperandi præceptores pati nolit.* Eodem Rege dein comitia Varſaviæ celebrante, cum ibi Sboroviorum cauſſa præcipuè agitaretur, productæ ſunt literæ *Chriſtophori Sborovii* ad fratrem

Reidan. Annal. l. 3.

A. ch. 1585.

superiore anno supplicio affectum; quibus de ingratitudine ac injuriis regis atque Ioan. Sarii Samoiscii Cancellarii graviter conquerebatur, *nec se flexurum genua coram isto Bahale, nec Stephanum Regis nomine dignum esse* scripserat; insignia quoque regia, qui dentes lupini sunt, contumeliosè *dentes caninos* appellaverat. Citatus Christophorus homo barbara crudelitate insignis postquam non comparuit, læsæ majestatis reus per Regni tribunum pronunciatur; & confestim Viennam (huc enim se receperat proscriptus) legato ad Cæsarem misso ad pœnam deposcitur captivus; Cæsare tamen re deliberata nefarium legato, sicuti petebatur, non tradente, sed regnis ac ditione omni sua actutum exire jubente. Paruit mandato Cæsareo Sborovius: exemplo tamen insolentis sævitiæ de se relicto. Nam institorem Io. talerorum solutionem petentem, & postridie redire jussum pecuniam promissam exigentem, Sborovius arrepto cultro, unóque & altero vulnere inflicto, sanguinem profluentem poculo excipere, & bibere miserum hominem cogit; qui vitæ redimendæ anxius simul atque immanè hoc poculum hausit domo ejectus est, & quarto post die sive ex vulnere sive metu exanimatus decessit; sicario mox facinore perpetrato equis conscensis cum sequacibus in Marcomannos profugiente, ubique in itinere similis truculentiæ exemplis editis.

Th. H. l. 83.

LXXV. Poloni gloriantur, quod *ferè soli mortalium ex regionibus longinquis Reges sibi adsciscunt*; quasi nulli apud eos imperio digni nascerentur; vel, quod verius est, quod nemo, nisi peregrinus & ignarus rerum Polonicarum, velit sub

G. Barclaius cõtra. Monarch. l. 3. c. 3.

ſub regii nominis velamento ſplendidam ſervire ſervitutem. Poloni enim, ſi rem propius intueamur, nec regnum habent, nec regem; ſed oligarchicum regiminis genus, fucata regni ſpecie & inani regis titulo adumbratum. Et rectè cenſuerat Chriſtiana Cæſaris filia, Vladiſlai II. uxor; *Summum illud jus & autoritatem Monarchiæ in Polonia umbratilem eſſe.* Et Rex quidem ita Senatus poteſtati ſubjectus eſt, ut nec in rebus domeſticis, nec etiam in ducenda uxore, libero fruatur arbitrio; adeóque Iagello, cum tertium & quartum matrimonium ſine Senatus conſenſu contraxiſſet, perpetuis ob id jactatus fuerit diſcordiis. Staniſlaus Orichovius tamen planiſſimè rem expedit, qui in oratione de LL. Poloniæ ad regni proceres ſic verba fecit: *Rex Poloniæ nihil aliud eſt, quam os quoddam regni veſtri, vobiſcum coniunctum, libero ac legitimo veſtro ſuffragio; ut is prorſus nihil agat, nihil moliatur, ac ne loquatur quidem, niſi id, quod ex intimo ſenſu veſtro publicè ſit profectum.*

Cromer. l. 6. de reb. Pol.

Neugeb. Polon. H. l. 3.

Cromer. rerum. Pol. lib. 18.

Vide & H. Arniſæum in Doct. Polit. l. 1. c. 8.

LXXVI. De Polonia reperiuntur hi rythmi

Clarum Regnum Polonorum,
Eſt Cœlum Nobiliorum,
Et Infernus Ruſticorum,
Paradiſus Iudæorum,
Aurifodina advenarum,
Cauſa luxus fœminarum,
Multis quidem dives lanis,
Semper tamen egens pannis,
Et copiam in lino ſerit,
Sed externam telam quærit,

Merces externas diligit,
Domi paratas negligit,
Caro emptis gloriatur,
Empta parvo aspernatur.

LXXVII. Regnum Poloniæ non potest dici Monarchia sensu Politico, quum Polyarchiam, Monarchiæ prævalentem admixtam habeat. Primi Regium titulum in hoc Regnum introduxerunt Piastini, qui & ipsi diu Principum appellatione contenti fuerant. Vltimus ex eâ in Polonia coronam usque ad an. 1370. gessit Casimirus Magnus. Inde unico interiecto Ludovico, ex Vngariæ Regibus ob matrem accersito, ad Lithuanicam stirpem sceptrum devenit, in Iagellone vel Vladislao: Hæc rerum potita est usque ad mortem Sigismundi Augusti, quæ an. 1572. contigit. Inde denuo interiecto Stephano Bathorio, Suecica familia solium conscendit. (D. *Spenner.* in Indic. part. 1. Theat. Nobilit.) E Piasti Regia familia hodie unus superest Georg. Wilhelmus, Dux Lignicensis, Brigensis, & Wohlensis, qui per exempla Maiorum laudabiliter grassatur, & in spem Patriæ lætissimè excrescit. Rex Poloniæ præter splendidissimos titulos, quibus compellatur, neminem subditorum cœnâ dignatur, suppliciter à Nunciis terrestribus rogatur, ut hoc vel illud statuat, cum interim hoc magis sit in manu eorum qui rogant, quàm qui rogatur. Th. Dresn. in judic. Processf. Regn. Polon. tit. 1. De Poloniæ potentia vid. egreg. Vernulæ. Decad. 1. Dissert. Pol. 2. Orat. 4. Rex Poloniæ cum Senatu judiciis & deliberationibus præsidet, honores, prçmia, pænásque consentientibus

omnibus

omnibus ordinibus distribuit, leges condit, tributa imperat; bella infert, fœdera init, & monetæ bonitatem cum universâ Nobilitate æstimat. *Piasec.* in Chronic. pag. 455. *Starovolsc.* in sua Polon. pag. 77. Revera itaque Poloni Regni sui majestatem in electam personam tantum personaliter derivant, & devolvunt, idque vigore constitutionis de an. 1607. 1609. & 1631. (Vid. Theat. Europæ Tom. 3. pag. 12.) Rex Poloniæ à Senatu, Nobilibus singulis (modo velint ad electionem venire, & suo jure uti) atque Legatis Civitatis Dantiscæ, Cracoviæ, & Vilnæ suffragantibus, eligitur. Piasec. in Chronic. pag. 442. 444. & 453.

LXXVIII. Si rem propius intueamur, Poloni nec Regnum habent, nec Regem, sed Oligarchicum regiminis statum, fucatâ regni specie, & inani Regis titulo adumbratum. Ita Adam. Pisetzky de Kranichfeldt. Tract. de Statu seculari cap. 1. pag. 109. Et Status Regni Poloniæ perpetuò habent administrationem sociam jurium Majestaticorum, ut asserit Marinius in Dissert. de Scopo Reip. Polon. Stanislaus *Orichovius Legem* 31. *D. de legib.*, in qua asseritur; quod Princeps sit solutus legibus: *vocat carmen servitutis*. Egregiam in Regno Poloniæ observamus mixturam & temperamentum, ut Regius quidem fulgor in amplissimo Regno refulgeret, sapientissimis tamen Senatorum ac Nobilitatis animadversionibus intra æquitatis terminos contineretur.

LXXIX. Poloni dividuntur in Nobiles & Plebeios. Plebeii alii Vrbani, qui præcipuarum urbium

urbium incolæ per certos delegatos ad comitia, ubi ad suffragia vel potius ad auscultationem admittuntur, vocantur. Pagani partim Regi immediatè, partim Nobilibus mancipiorum instar subsunt. Nobiles autem magnam sibi arrogant potestatem cum Rege de administratione Reip. deliberantes vel per Senatorium ordinem tantum, vel per comitia, quæ constant Senatorio & Equestri. Nobilitas dividitur in Ecclesiasticam & Civilem. Ecclesiastica constat Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, præpositis *&c.* In Nobilitate Civili si qui sunt, qui se Principes, Comites aut Barones appellant, hi vel sunt ex antiquâ Russicorum Principum familiâ oriundi, vel de exterorum Regum aulis bene meriti, & propterea splendidis titulis ab iis insigniti: In suffragiis tamen ferendis non plus valent quàm cæteri. Legit Rex proprio arbitrio certos sibi Optimates non modo ex Ecclesiastico Ordine, sed etiam Politico, & quidem eos, qui dignitatibus (v. g. Waivvodæ, exercituum Duces, Castellani, Starostæ *&c.*) pollent, quos Senatorum nomine appellat, eósque tempore ac loco, sibi commodè viso convocat, cúmque iis de statu regiminis, civilibúsque judiciis generalibus deliberat, reservato sibi executionis tenore. Si verò res maioris momenti est, convocat Rex (aut eo defuncto Archiepiscopus Gnesnensis) Warsaviam comitia, ad quæ non modo Senatorius ordo convolat, sed etiam reliqui Nobiles (qui ordinem Equestrem constituunt) in certos districtus distributi Deputatos suos (quos Legatos terrestres, German. Landbotten appellant) qui

omnes

omnes unà cum Rege deliberant.

LXXX. Filii Regis etiam per liberam electionem ad regni habenas admittuntur. Non autem temerè in Historiâ Poloniæ reperias, Regem aliquem obtinuisse, ut sibi vivo successor filius designaretur; nisi excipias Vladislai Iagellonis exemplum, cui hac in parte quicquam præter mores regni indultum. Ita videlicet semper creditum in Polonia, quod, vivo Rege novum eligere, non electio, sed successio potius sit. Mancipantur siquidem hac ratione vota, quæ libera esse debent; ut non, qui optimus, sed qui proximus sanguine Rex dicatur.

LXXXI. Polonia exteros Reges habere cœpit, quum ann. 1572. familia Iagellonidum in Sigismundo Augusto extincta fuisset. Tum enim electus Henricus Valesius Dux Andegavensis, & post illum Stephanus Bathoræus Princeps Transylvaniæ; dein Sigismundus Rex Sueciæ, cui tandem post Vladislai fata ann. 1648. Ioh. Casimirus successit, fratris viduam, Mariam Ludovicam, Ducem Nivernienſem, ne Regnum novâ dotis constitutione gravaretur, uxorem sibi ducens. En iterum Gasum Mirum juri divino & humano contrarium! Hic resignato sceptro, ivit in Galliam, ubi à Rege factus Abbas de *Saint Germain*, reditúsque annuos habuit 100000. An. 1672. mortuus ex hac vita tanquam è theatro exiit.

LXXXII. Rex non potest munus aliquod tribuere peregrino, quod cautum in conventu Cassoviæ ann. 1374. inter Ludovicum Regem & ordines: *ne extero cuiquam Præfecturam arcis aut*

oppi-

oppidi conferret. Prudenter Buchananus l. 14. Hist. Scot. monet nunquam securè extero alicui, & quidem potenti, curam munitorum locorum in Regno locari, ne scil. Tyrannidi sedem struat, & ad Regnum occupandum consilia flectat. In comitiis Iedlinensibus ann. 1430. Vladislao Iagellone Rege cautum; *ne honores sacri ac profani ullis, nisi indigenis mandarentur*; & quidem admittuntur qui virtuti, non vitiis, operam dederint. Rectè enim *Savedra* Symb. 52. monet: Munera Reip. in hominem improbum deferre, esse optimo cuique adimere animum ac vires, robúrque malitiæ addere.

LXXXIII. Stephani Regis tempore in Comitiis Warsaviæ an. 1578. Tribunal constitutum, Petricoviæ & Lublini, quum antea ipsi Reges judiciis præessent. Vid. Demetr. Sulicovius Rer. Polon. pag. 102. & sequ. Iudices ibi tantùm sunt annui, ne ob tantam potestatem insolescant. In Polonia à Magistratuum oppidanorum judiciis ad Præfectum, à Præfecto ad Regem datur appellatio. In quibusdam verò Polon. partibus, ubi jus Saxon. viget, ad Civitatem Magdeburg olim appellabatur, in cuius locum Casimirus II. Iudicium appellat. ordinavit Cracoviæ. Ab hoc tamen & provocatio ad *judicium, quod VI. Civitatum vocatur*, admittitur.

LXXXIV. Piasecius in Chron. pag. 59. & Starovolscius scribunt quasi Rex non habeat jus vitæ & necis in Nobiles. Marinius tamen cap. 7. Dissert. de Reip. Pol. scopo, aliter se rem habere, quàm quod vulgo credatur, de Nobilis scil. alicujus capite non nisi in Comitiis dijudicari à Rege posse,

posse, memorabili Stephani Bathoræi exemplo demonstrat, qui non dubitavit per Ioh. Samoiscium capitis pœna Samuelem Sborovium multare. Et valdè incongruũ esset, inquit Marini* si Nobilis sit latro ut prædo deprehensus, in comitiis demum de justitia consultari, an puniri possit.

LXXXV. Cromerus putat Regem Poloniæ jam ab initio susceptæ Religionis Christianæ in Sacerdotes nihil prorsus juris habuisse. Et ita communiter Scriptores Pontificii docent, contra quos doctum calamum suum strinxit Arnisæus, de Exemptione Clericorum, contra Rob. Bellarminum, quem hactenus non refutarunt Papisequæ. Quinpotius hodie in Polonia contrarium videmus, & notat Dn. *Funcius* severissimum ex Novellis decretum adversus *Nicolaum Prazmovvsky*, ArchiEpisc. Gnesnensem, cujus verba sunt hæc: Demnach der Pater Nicolaus Prazmowsky/ Ertzbischoff zu Gnesnen / wieder die Republic wenig gutes im Sinn gehabt/ als welcher auch mit seinem vorhin geführten Wandel gnůgsam an Tag gegeben/daß alle außwertige Prackiquen zusambt den darauß entstehenden einheimischen Kriegen/ wie den auch die vorgehabte hintertreibung der freyen Wahl / vnd alles vnheil / so die Republic getroffen/ von ihm herrůre/ alß haben wir solchen wieder eßtt / den H. Catholischen Glauben/ den Kőnig vnd die Republic begangenen Vbelthaten nicht långer

zusehen

zusehen können: Entsetzen Ihn demnach seiner Ehrenstelle/ dignitet vnd Würde/ wie auch seiner im Senat activè vnd passivè habenden freyen Stimme 2c. Credo tamen quod turbis postea sopitis hic Archiep. in pristinum sit restitutus statum.

LXXXVI. Quod jura attinet, obtinent in Polonia (1) *Statuta Regni*, quæ post Casimirum M. à Regibus promulgata, atque dein Sigismundi Augusti jussu congesta, perque Ioh. Herburtum de Fulstein Senatorem an. 1520. edita (2) *Ius Saxonicum* s. Magdeburg. quod quidem in Polonia, susceptâ à Regibus fide Christianâ ita vigere cæpit, ut ad literam illud hodiéque in criminalibus sequantur Poloni. (3) *Constitutiones Regni* quæ post Sigismundum Regem latæ. (4) *Iura alia Provincialia Statutaria*, quæ Sigismundus III. Rex, Iustinianum æmulatus, per Leonem Sapieham Supremum Lithuaniæ Cancellarium in multis corrigi, multáque addi curavit. Ius Canonicum præterea examussim Poloni servant, & Concilium Tridentinum quoque operâ inprimis Stanislai Hosii Cardinalis, receperunt. Vid. Piasec. in Chronic. pag. 247. Arturus Dück l. 2. c. 11. nu. 9. asserit magnam quoque autoritatem jus Civile Rom. in Poloniâ habere. Cæterum aliquis tantum honor ipsi datur, ut etiam sit à reliquis Populis Septentrionalibus. Neq; enim credidere unquam Poloni, jus illud tantæ esse æquitatis, ut, quod huic convenit, ubivis salutare; quicquid dissidet, iniquum sit & noxium. Nec & credidere tantæ perfectionis & autoritatis esse, ut ad illud omne

jus tanquam ad cynosuram examinari possit ac debeat.

LXXXVII. Nuncii terrestres eam sibi sumunt in Comitiis licentiam, ut unus & alter omnia decreta reddat irrita. Hinc Piasecius in Chron. p. 15. illos *homines plerunque factiosos* appellat. Et Traianus Boccalini in Lap. Lyd. X. nihil magis improbat, quam nimiam istorum hominum, quam sibi sumunt, licentiam. Hinc rerum facies in Polonia surgit misertima.

LXXXVIII. Comitia Poloniæ sunt vel universalia, quæ hodie Warsoviæ, lege Regni latâ, peraguntur: vel Particularia, in quibus Nobiles in singulis Satrapiis προβουλίαν de rebus, in generalibus comitiis à Nunciis terrestribus proponendis, instituunt. Sub Sigismundo II. constitutum ut Comitia regulariter quolibet biennio habeantur, hodiéque lege definitum ut non ultra sex hebdomadas protrahantur. Membris Comitiorum beneficii loco an. 1632. accesserunt quoque Civitates Dantiscum, Cracovia, & Vilna. Senatores Regni in Comitiis universalibus habent quidem præconsultandi, non autem decidendi potestatem, quæ est penes Nobilitatis Nuncios terrestres.

LXXXIX. Primas Regni Poloniæ, Legatus natus, ac primus Princeps est Archiepiscopus Gnesnensis, qui jurisdictionem in Clerum habet, primum in ordine Senatorio locum tenet, & magna autoritate in Comitiis pollet. Interregni tempore Senatores Regni ad consultandum de negotiis publicis convocat, legationes externas audit, diem & electionem novi Regis indicit, electum nominat & promulgat, & postea in Comitiis

mitiis Coronationis, Cracoviæ celebrari solitis, diademate capiti imposito inaugurat. Inter Seculares Senatores præcedit Castellanus Cracoviensis.

XC. Scopum Reip. Polonicæ Dn. Conringius statuit esse vitam luxuriosam; cui se acriter opposuit Marinius, qui tamen melius rem gessisset, si amore patriæ non obstante, tacuisset: Experientia enim stat à latere Dn. Conringii. An Scopus Poloniæ, juxta Marinium, sit communis omnium civium æqualitas & salus? facilè quis in perturbata Polonia hodie deprehendere poterit. Melior autem rerum facies jam futura videtur dum non ita pridem, post multa sopita dissidia, nova confæderatio cum Rege pro defendendâ Libertate Patriæ Warsoviæ inita & juramento confirmata, cujus formula in Novellis deprehensa talis: Ich N.N. schwere zu dem Allmechtigen vnd dreyeinigen Gott/ ohn einigen geheimbten vorbehalten in meinem hertzen vnd Gemüth das ich für die religion vnd wollfarth des Vatterlandes/ für die dignitet vnd Ehre des Durchleuchtisten Königes Michaëlis (welcher durch freye Wahlstimmen erkoren worden) für die Rechte vnd Freyheit/ so in Rechten gegründet/ und für die Adel. prærogativ, mein Blůt vergiessen/ ia das Leben lassen/ vnd mit einem hauffen sambt anderen meinen Brüdern auff der Wahlstatt erliegen will. Auch will ich diese Compagnie nicht verlassen/ noch mich von dem allgemeinen

meinen hauffen der anderen absonderen ehe vnd bevor / so von innen alss aussen / das Vatterland in ruhigen Stand wird gesetzet sein. Keine böse practiquen will ich hingegen / auch keinen andern den außdrücklichen Gesetzen / vnd meinem gethanen Eyd zuwieder / zum Könige aufwerffen helffen 2c. So wahr mir Gott helffe / vnd seines Sohnes vnschuldiges Leiden.

XCI. Hodierna Regni Poloniæ ratio status præcipuè in eo, (1.) ut avita Membris libertas, Regi verò Piasto autoritas sua asseratur; nec tamen herile huic, sed civile relinquatur imperium (2.) Antiquæ Regni leges, sublatis abusibus, in usum revocentur (3.) libertas conscientiarum ac religionum denuò stabiliatur, neque tanta Clero, ac præcipuè Iesuitis, potentia relinquatur (4.) ne porrò successor, vivo adhuc Rege eligatur. (5.) Vt Cosaccos quos injuriis affecere Poloni, sibi rursus reconcilient, quam cõtra Turcas firmissimo illis possint esse præsidio. (6.) Magnam Maris Balthici, quod multis in Poloniam hostibus aditum præbere potest, curam habere, atque Dantiscum, tanquam validum propugnaculum, inconcussum & inturbatum relinquere.

XCII. Quartiani in Polonia sunt nobile hastatorum equitum genus, contra Tartarorum irruptiones à Stephano Rege instituti; & quia in comitiis Warsaviensibus an. 1562. quartam partem censuum Fisci Regii in perpetuum stipendium assignasset, inque castro illam Ravensi

deponi atque in huiusmodi præsidia erogari lege publicâ jussisset, inde *Quartiani* dicti.

XCIII. Cosaccos, conductitios milites, primus conduxit Rex Stephanus, ipsísque castrum *Techtimirocco*, cum territtorio ad ripas Borysthenis situm, dedit; concessit ipsis etiam potestatem Ducis eligendi, quem vellent, sed ita ut confirmaret Rex Poloniæ. Scripta hinc illorum sex millia sunt in militiam, quibus perpetuò ad ripas Borysthenis excubias acturis, atque Tartarorum latrocinia inhibituris, solveret stipendia. Cosaccorum natio, quæ ita in unam coaluit gentem, ex prædâ maximè vivit, quam sectantur ex Turcarum & Tartarorum regionibus. Nomen habent à prædando: *Cazac* enim Tartaris *prædo* est. In Hungaria, Croatia & Dalmatia eiusmodi homines *Morlachi* vocantur; in Pyreneis montibus *Bandoleri*; in Italia *Banditi*. Hi Cosacci manserunt usque ad Vladislai tempora, in fide Polonorum, & ann. 1638. contra Rempublicam tumultuari cœperunt, ut in Theatro Europæo legere est. Causæ erant variæ intérque has prima erectio propugnaculi Hudak, quod in ripâ Borysthenis ad coercendos eos exstruxerat *Konieccpolscius*; revera tamen ut Nobiles Poloni securitati prædiorum suorum contra Cosaccos prospicerent. Altera causa in injuriis à Præfectis Regiis illatis, reponebatur. Reddebant & exulceratos Cosaccorum animos intolerandæ Iudæorum rapinæ. Locaverant enim Nobiles plerique fundos Iudæis, insatiabili avaritiâ augendis possessionum censibus adsuetis. Accedebat; quod, adempto illis à Rege coquendi cerevisiam ac

spiritum

ſpiritum vini jure, inque Iudæos tranſlato, Coſacci admodum carè à Iudæis ſpiritum vini, quem Nectari ſuaviorem ducunt, emere cogerentur. Maxima cauſa erat, quod pernitioſis Ieſuitarum conſiliis, quum Coſacci Græcæ religioni eſſent addicti, omnia illorum clauderentur templa, pérque vim ſacra Romanenſia inducerentur. Vltima cauſa erat, quod Rex juberet exauctorare omnem Coſaccicum militem, quum eorum vires nimium creſcere crederet. Hiſtoriam inde enati crudelis belli accuratè deſcripſit Ioach. Paſtorius. Vkrainam hodie Coſacci tenent, ut patet ex damnoſis pacis conditionibus inter Poloniæ Regem & Turcam an. 1672. d. 18. Octob. initis, Punct. 7. ubi illam provinciam ita Coſaccis vult aſſertam Turca, ut, omni Polonicæ prætenſionis jure abdicato, eandem ipſi ſoli retineant. Videntur itaque Coſacci hodie peculiarem Rempub. (ſed Prædonum, uti Tartari & Piratæ in Africâ) conſtituere. Sanè ſocietatis civilis appellatio juris & honeſtatis publicæ dignationem involvit, à qua conventicula prædonum & piratarum ſejungi debent. V. Cyriac. Lentul. part. 1. Polit. pag. 19. 20. 21.

XCIV. Inter potentiſſimos Poloniæ vicinos hodie eſt Turca, præſertim poſteaquam non tantùm Wallachiam, Moldaviam, Tranſylvaniam, ſed & totam non ita pridem, (eheu!) *Camenecia*; adverſus minas Orientis hactenus propugnaculo (quæ urbs, mirâ ratione in arduo ſaxo poſita, ſæpè à Turcis ac Tartaris fruſtrà tentata fuerat) occupatâ, *Podoliam* & *Vkrainam*, clauſtra Regni, occupavit.

XCV. Prudenter monet *Fredro* in Polit. Fragm. pag. 254. exſtruenda in ſingulis Poloniæ Provinciis munimenta eſſe, ſed ea cautione, ut ne aliis, niſi vernaculis præfectis ac cohortibus in cuſtodiam dentur; tum ut ſufficientibus præſidiis ac commeatu muniantur. Hæc ille. Quod munimenta ſint neceſſaria Poloniæ, evincunt duę rationes (1.) quia Polonia patet rapinis hoſtium, qui per munitas arces impediri poſſent, ne ita excurrerent, prædáque ipſis eò faciliùs rurſus è faucibus eripi poſſet, (2.) quia exercitus Polonorum, ſi profligatur, non facilè ob defectum munimentorum ſe recolligere poteſt.

XCVI. Dn. Conringius Tr. de Finib. Imperii l. 1. c. 18. Poloniam ab Ottonis M. ævo ad Friderici II. tempora penè ſemper & ſubjectam & tributariam fuiſſe Imperio Germanico, non infirmâ inſtrumentorum fide ſubnixus, probare ſatagit, quicquid etiam Franciſcus Marinius cap. 3. Diſſert. de Reipub. Polon. ſcopo contra ea ſentiat, pollicitus ſe demonſtraturum; Reges Poloniæ nunquam & nulli tributarios atque ſubjectos fuiſſe.

XCVII. Lege apud Polonos cautum ne Piaſtus, hoc eſt, indigena Rex eligatur, niſi ſit Regis filius aut ejus frater. Tempore quidem Interregni poſt mortem Regis Sigiſmundi Auguſti, de Rege aliquo incola eligendo paſſim invaluit ſermo, multique tum coronam Regni affectarunt. Ambitum tamen illum impedivit Magnus Cancellarius Samoiſcius. Narrat Bodinus l. 5. de Rep. c. 5. ſe à Legatis Polonorum ad Henricum Valeſium in Galliam miſſis, percepiſſe, poſt exceſſum Sigiſ-

Sigiſmundi Auguſti, Senatuſconſultum factum; ne cuiquam civium ad Regnum via pateret. Eadem lis orta, quum Henricus Valeſius rediiſſet ad Gallos, Proceréſque Regni ad alium eligendum Regem Andrejoviæ an. 1592. confluxiſſent. Reſpondit verò, referente Piaſecio, Staniſlaus Stadrucky: *Se vereri, ne tali viâ ad dignitatem Regiam patefactâ, auriga quoque ſuus Piaſtum ageret, Regnúmque affectaret.* Hac lege ſemper uti, conſultum eſſe Reipubl. videtur *Marinio* cap. 4. de Scopo Reip. Polon. Maximil. *Fredro* de reb. geſt. Pol. ſub Henr. Valeſio ita de hac re: *Sumite Reges incolas, tunc uno velut ictu tollitis non ſuperbam æqualitatem, pro ea faſtum ambitionémque paucorum dominatum, vana nobilitatis nomina inducitis. Hic Regis frater, alter avunculus, ille nepos, ſpecioſa hæc ſunt credite mihi, nomina & tituli. Quum Sigiſmundus Auguſtus cum incola fœmina privatas egerat nuptias, inſciâ Republicâ, quos motus tunc in Repub. vidiſtis &c. Verebantur ne Rex, qui fœminam incolam duxiſſet, eo nexu, paratis intra Rempubl. è potentioribus quibuſvis partium fulcris, electionem liberam ſub unius domus traheret cultum.* Contrarius tamen huic eſt Epiſcopus Præmiſlienſis Paulus *Piaſecius* pag. 59. Chronic. inter alia ediſſerens; alienigenas non poſſe rectè rempubl. cujus nullam habeant notitiam, adminiſtrare, nullóque amore duci in Remp. Huic tamen Marinius ſeſe opponit, dicendo: Alienigenam poſſe brevi temporis ſpatio reipubl. ſtatum addiſcere; interim verò regimen fidis committere hominibus, quibus nota Reſp. magis: Aliud Piaſecii argumentum, nempè; quod alienigena Reip.

amore non ducatur, & quod regimen eo sit infaustum; non esse universaliter verum, cum contraria appareant exempla in Vladislao Iagellone, & Sigismundo Augusto. Vid. plurib. Marinius. Adeóque hujus & Maximiliani *Fredro* rationes argumenta Piasecii antecellere videntur, quia magis ad hypothesin, quàm thesin tendunt. Cæterum hac nostra ætate, contra quam lege cautum in Polonia, Electionis Piasteæ exemplum occurrit, postquam Ioh. *Casimirus* (merito *Casus-mirus*) in mediis Regni turbis Sceptrum à se abdicavit. Præcipua sanè tunc controversia, adhuc regnante Casimiro, de successore designando erat, scindebantúrque in duas Familiæ nobilium factiones. Exitus tandem fuit talis, ut posthabitis exteris Regni Candidatis atque Procis, *Condæo* nempè, *Lotharingo*, *Neoburgico*, ipsóque etiam *Mosco*, sub acerrimis eligentium dissidiis, *verè Piastea electione* Princeps indigena, *Michaël Korybus VViesnevvicki*, Rex Poloniæ crearetur. Regnat is hodie adhuc inter varias turbas, quas cum Cives ipsi, tum exterus hostis, Christiani nominis infensissimus, Turca dant. Det Deus ut antemurale Christiani Orbis Polonia rursus tandem ex alto in tranquillum portum reducatur. Annue Rex Regum, & Dominus Dominantium! In moderni Regis Poloniæ electionem compositi hi versiculi:

Qui non ambivit regnum sed VVisnevvick esse
Princeps, sat ducit Michaël esse regi!
Externi bonis certabant, illa Poloni
Cum mutuata sciant, se mutuare timent.

In

In Eandem:

Dum Neoburgensem, Lotharingum, Sarmata, Gallum
Cum Moscovitis præterit, adde sapit!
Michaël invidia non arsit, nulla petivit,
Numinis & Patriæ munere sceptra tenet.

In interregnum Poloniæ ad Polonos.

Syllaba, nil curas, brevis an sit longa, Polone,
Parvus, sive potens, qui tua sceptra petat.
Sit Patriota bonus, videam virtute potentem
Dicis, huic publicæ vota parabo rei.

Ad Eosdem:

Elige me Regem, dabo nummos, sæpe Polonus
Audit, & hos prudens accipit, alter abit.

XCVIII. Polonorum res descripsit *Martinus Nuglossus* qui tamen non est editus, & forsitan nunquam edetur in lucem. Inter editos Scriptores primam laudem meretur Martinus *Cromerus*, Warmiensis Episcopus, vir doctus, prudens & eloquens, qui ex genio Gentis Libertatem Polonorum acerrimè propugnat. Matthias *Michovius* itidem tempore Maximiliani I. Imp. scripsit duos libros de Asiaticâ & Europæa Sarmatia. Salomon *Neugebaverus* in sex prioribus suis libris Histor. Polon. epitomatorem Cromeri egit. Inter Polonicos Scriptores quoque excellit Reinh. *Heidensteinius*, & Paulus *Piasecius* res novissimas Poloniæ usque ad an. 1646. nobis exhibet: Idem egit Stan. *Lubienski*, cujus opus Antvver-

piæ editum; & Ioh. Demetr. *Sulikovius*, qui eleganter & lacteâ Livij eloquentiâ res Polonicas describit. Edidit & peculiarem Status Regni Poloniæ descriptionem Stan. *Krzistanovvic* Ictus Polonus. De interregno Poloniæ an. 1587. Horat. *Spanorchius* divinationem edidit. Non dubitavit *Frid. Marinius*, & ipse Polonus, adversus Nobiliss. Dn. Conringium Dissert. de Reipub. Polon. scopo edere, quâ status Regni Poloniæ novissimè describitur. Anonymus tamen Dn. Conringium, Præceptorem suum, benè vindicavit. Edita est etiam anonymi cujusdam doctissimi *Polonia Defensa* contra Barclaium.

TEXTVS

TEXTUS CONRINGII

De

REPUBLICA SUECICA.

TITULUS XVI.

I. ANtiquissima memoria in Tacito de moribus German. c. 44. reperitur Succorum, quos appellat Suevos qui revera populi Germanici, utpote lingua quoad Dialectum & originem eadem est, & mores institutáque revera cum Germanis conveniunt, nec genuina magis inveniuntur, quàm apud Suecos. *Sueci Populus Germaniæ.*

II. Suedorum autem vox magis convenit, quàm Succorũ. Dicuntur enim illi Swenske / Germani Dütsche / Dani Dänschke. Tacitus tamen nullam aliam gentem memorat in Scandinavia esse, quàm Suecos vel Norvegos, nec Danos, ratio hæc, quod tempore Taciti universa insula sub Imperio Suecorum fuit, & Dani ipsi fatentur, tantas vires Suecorum aliquando fuisse, ut totam Norvegiam sub Imperio suo, & Daniam habuerint, idq; non semel factum postea tamẽ excussisse iterum jugum Suecicum Danos & Norvegos. Præter civitatem autem intelligit Tacitus Respp. Suecorum singulares. *Rectius dicuntur Suedi, quàm Sueci. Sueci olim etiã Norvvegos & Danos habuerunt subjectos.*

III.

Finni nõ sunt originis Germanicæ. III. Quoniam hodie Finni ad Succiam pertinent, de iis etiam dicendum; & eorum cap. 46. Tacitus meminit, disertè autem ait: Finnos non fuisse originis Germanicæ, quippe eorum lingua à Suecica planè diversa, ut Sueci unum vel alterum verbum intelligere vix possint; Convenit *Lingua Finnorũ. Esthii.* autem cum ea, quæ apud rusticos in Esthonia obtinet, illi dicti *Esthii* Tacito, qui hodie & Esthoniam inhabitant. Dicit autem Esthios diversos esse lingua à Germanis. Describit autem Finnos quales hodie sunt Lappi. Post Tacitum memoriam Suecorum reperire non licet, præterquam in Iornande Ostro-Gotho, qui tempore Iustiniani in Italia vixit. Vocat eos verò Suedios.

Gothi ubi olim vixerint. IV Notandum tempore Taciti illos Gothos, qui Italiam occuparunt, vixisse olim in Pomerania inter Oderam & Vistulam, nec fuerunt amplius in Scandinaviâ. Hodie tamen dicuntur etiam Ostro-Gothi, & Westro-Gothi, sive reliquiæ supersint illorum populorum, sive etiam priscum nomen mansit, id quod etiam apud Bohemos obtinuit, qui dicuntur à Boiis, gente Gallicâ.

Monumenta rerum Suecicarum post Tacitũ & Iornandem. V. Post Iornandem non temerè vel nomen reperire licet Suecorum, quia nulla nobis monumenta supersunt. Prima memoria occurrit in monumentis aliquot conscriptis Seculo IX. & initio X. tempore Caroli Magni, cui infensi tum ii homines, qui annotaverunt res gestas. Primus *Adamus Bremensis*, qui vixit Sec. post N. C. undecimo, tempore Henrici IV. Imperatoris, de rebus Septentrionalibus librum conscripsit egregiè

egregiè ſatis. Eſt quidem parvus, ſed lectu dignus. Ex Adamo & aliis libris confecti qui nos juvare poterunt. Hiſtoria Erici Vpſalienſis egregiè deſcripta, & adeò feliciter, ut hiſtoricum nullum adducere poſſim ex Germanis, præter unum *Lambertum Schaffnaburgenſem*, qui hac in parte illi pondere & gravitate accedit. Superiori Sec. nonnulli res Suecicas majore curâ cœperunt tradere. Sueci ipſi duos habent fratres *Iohannem* & *Olaum M.* Ille inſtituit tradere omnem hiſtoriam Gothorum; qui tamen Getas cum Gothis confundit. Hi enim fuerunt Scythæ: & hiſtoriam Suecicam ſatis præclarè conſcripſit. Naturalem hiſtoriam Olaus dedit. Fuerunt Ioannes & Olaus gente Suecones, uterque patriam reliquit, quo tempore Religionis mutatio in Sueoniâ contigit: addictus enim erat uterque tenaciſſimè pontificiæ Religioni. Cùm abiret, erat Ioannes Archiepiſcopus Upſalienſis. Abiit autem in Italiam, ubi in re tenui admodũ vixit, & interfuit Concilio Tridentino ſumptibus Pontificis. In eundem titulum mortuo fratre ſucceſſit Olaus; Erici hiſtoria edita primum Holmiæ, dein, curante Loccenio, prodiit in Batavia. Superiori Seculo conſcripſit hiſtoriam *Albertus Cranzius*, qui meretur legi. Noſtro ævo res, ultimis temporibus geſtæ, conſcriptæ ſunt omnes. Non multa ſcripta ſunt ex quibus hauriri poſſit cognitio Status Suecici: Extat tamen Ioannis Boteri diſſertatio, quæ tamen parvi momenti. Alia etiam, quæ in Honorio reperitur & Nicolao Bello, verſa ex Italicâ linguâ, quæ mihi perquam placet. Quantum colligere potui, ea facta à Nuncio Papali, qui

Scriptores rerũ Suecicarum.

Lambertus Schaffnaburgenſis.

Ioannes & Olaus M.

Hiſtoria Erici Regis Suecorum.

Albertus Cranzius.

Honorius & Nicolaus Bellus.

qui degit in Suecia tempore Regis Ioannis; autor videtur mihi esse *Iohannes Antonius Possevinus*, Iesuita. Vidi in Catalogo librorum ab eo editorum etiam mentionem factam libelli de Republ. Suecorum. Fuit vir multæ eruditionis & magnæ dexteritatis in rebus perficiendis. In Batavis prodiit etiam libellus, miror verò illam dissertationem Nuncii non fuisse insertam. Gallicus Scriptor in Arcontologiâ suâ non malè etiam descripsit Rempubl. Michaël Wexionius conscripsit librum de Repub. Suecorum, ibi tamen quæ sunt politica, omissa; Liber est rarus. Habeo etiam descriptionem manu scriptam: num alia etiam fuerit edita descriptio, nescio.

Possevinus. *Wexionius.*

V. Resp. Suecorum olim non fuit adeò latè patens, atque nunc. Ex Adamo patet Sec. IX. tempore Henrici IV. arctiores limites illius Regni fuisse. Scania, Halandia non fuit Suecorum, sed tota habita fuit portio Regni Daniæ tum temporis, nec Ducatus Fenningiæ ad Sueciam pertinuit. Prima accessio facta post sec. XII. in Ducatu Fenningiæ seu Finlandiæ quam magna autem illa fuerit, nec Sueci inter se consentiunt. Sequitur Carelia, quæ pars fuit Russiæ; Cæterum diu non est ex quo Careliam sui juris fecerunt Suecones; nec verò ampliùs initium constat, quomodo Russis erepta. *Noteburgum*, ad Ladogam Lacum, semper habuere adversum, sed auspiciis Regis Gustavi Adolphi est Moscis ereptum.

Limites veteres Reip. Suecicæ. *Scania.* *Halãdia.* *Ducatus Fenningiæ.* *Carelia.* *Noteburgũ pervenit ad Suecos.*

VI. Quæ igitur hactenus recensuimus, jamdudum in partem Suecorum pervenerunt, sed, quæ jam afferam, noviter accreverunt. Incredibile dictu est quantum incrementum ceperit Suecia sub

Quæ noviter accesserint Sueciæ.

ſub Guſtaviâ familiâ, maximè Guſtavi Adolphi, & nuper Caroli Guſtavi. Habuerunt Sueci duos felices, & omni virtutum genere inſtructos Reges, quorum auſpicio incredibile incrementum accepit Regnum. Cis ſinum Finnicum eſt *Ingria* Ingermann-Land. Ea ab antiquiſſimis temporibus fuit Ruſſica provincia. Cæterum tempore Guſtavi Adolphi bellum cum recruduiſſet inter Moſcos & Suecos, armorum felicitate Sueci in ipſa viſcera Moſcoviæ penetraverunt, Novogardiam occupaverunt, tandémque Moſchi impetratâ à Suecis pace, Suecis coacti fuerunt totam Ingermaniam ſive Ingriam cedere.

Sub Guſtavica familia crevit Suecia.

Ingria pervenit ad Suecos.

Novogardia.

VII. Poſt Ingriam ſequitur *Eſthonia*, quæ fuit quondam Livoniæ pars, ſed aliquandiu à Livoniâ propriè ſic dicta fuit ſejuncta, & manſit ibi nomen antiquum Eſthiorum. Hæc Eſthonia ceſſit Suecis tempore Erici, Filii Regis Guſtavi. Quicquid eſt terrarum & oræ maritimæ ad Naruam fluvium, fuit Imperii Germanici. Sed cum M. Moſcoviæ Dux *Ioannes Baſilides*, erumperet in Livoniam & Eſthoniam, nec pares eſſent hæ provinciæ armis Ruſſicis, imploraverunt auxilia Germanica, & ſi mens non læva fuiſſet, debuiſſemus ſuccurrere, ſed ea fuit Reip. noſtræ facies, ut curam omnium vicinorum depoſuerimus. Ergo illæ coactæ fuerunt aliena ad auxilia reſpicere, & Livonia ſe dedit Regi Poloniæ, Eſthonia verò Sueciæ, cujus Metropolis eſt *Revalia*. Et ex eo fuit Eſthonia Iuris Suecici.

Eſthonia quomodo Sueciæ acceſſerit.

Germanorum negligẽtia in defendẽdis finibus.

Revalia.

VIII. Iam ſuccedit Livonia propriè ſic dicta, in quam antehac nihil juris fuit Regno Sueciæ: Sed poſtquam Sigiſmundo Rege bellum inter

Livonia quomodo iuris Suecici facta.

ter Polonos & Suecos ortum fuisset, non dubitarunt Sueci Livoniam, quæ erat Iuris Polonici, armis invadere. Primus id fecit Carolus, sed infeliciter pulsus est: Verùm Gustavus Adolphus fuit felicior, qui universam Livoniam Polonis eripuit, sed non firmâ possessione; ideóque inducias cum Polonis fecit, ut possessio Polonis manserit dubia, usque dum Carolus Gustavus iterum gravissimum bellum suscepit contra Polonos, quod ita finitum fuit, ut universam Livoniam coacti fuerint Suecis Poloni cedere, ut igitur hodie Livonia sit portio Regni Suecici firmâ & certâ possessione. Itáque omnia, quæ usque ad Duinam fluvium jacent, pertinent iam ad Regnum Sueciæ.

Insulæ maris Balthici. Gothlãdia, Oeselia & Dago ad Suecum pertinẽt.

IX. In ipso mari Baltico sunt duæ Insulæ, Oeselia, & Goth-landia, & Dago, quæ aliquando fuerunt juris Danici. Oeselia & Dago ab annis 100. Gothlandia verò ab annis penè 300. fuit juris Danici, Danísque ereptæ sunt sub Rege Christiano II. Quæ reliqua sunt ad mare Balticum, Russia Prussia, nondũ sunt juris Suedici, quam parũ verò abfuerit, omnibus notum est; Et si Carolus illam vim armorum, quam in Poloniam effudit, in has terras direxisset, fecisset fortassis omnem illum tractum sui juris.

Pomerania quatenus ad Suecos pertineat

X. Sequitur Pomerania, & quidem alia Cis, alia Trans Oderã. Quę Cis Viadrũ sita, est ditionis Suecicæ auspiciis Gustavi Adolphi & Reginæ Christinæ filiæ. Nam bello, quod gesserunt in Germania per annos 30. habuere Pomeraniam, ita tamen ut Pomerania in feudum cesserit; reliqua quæ enumeravi, non feudi jure, sed omnia summa potestate administrantur. Ita etiam cessit illis in-

sula Rugia, & ingens ille tractus terræ, usque in Ducatum Mechelburgensem; item Wismaria, munitum admodum oppidum ad mare Balticum situm, Vrbs quidem sola, sed perquam opportuna Regno Sueciæ; facilè enim è Wismariâ in Sueciam, & itidem in Germaniam perveniri potest. *Wismaria.*

XI. Porrò & inter Albim & Visurgim tenet Regnum Sueciæ terras Bremensem & Verdensem, quæ hactenus Archiepiscopatus nomine dictæ fuerunt. Etiam ultra Duinam nonnulla possidet, & apparet quantum in hac parte incrementum sumpserit. *Bremensis & Verdēsis Ducatus hodie pertinet ad Suecos.*

XII. Vlterius progressa est fortuna Sueciæ: nam nuperrimo bello à Danis per vim accepit optimam & robustissimam Daniæ partem Scaniam; nec Dania universa tot habet munimenta, quam una habet Scania, & opportunissimè sita; item Blekingiam & Halandiam, portiones Regni Danici, & à Christiano IV. pignoris loco datę erant Suecis, sed hodie in perpetuum iis cesserunt. [add. *Ego tanquam privatus, optarem ut Serenissimo ac Potentissimo Daniæ Regi rursus alia accessio, loco amicorum accresceret, ut Regiam Holsatiam, cū Comitatu Oldenburgico, in maius dilatare posset.* Ergo ad fretum Sundicum omnia tenet, cum antehac Regnum Sueciæ non nisi levi parte mare Septentrionale attingeret circa Noteburgum, quod condidit Carolus Gustavus; hodie verò illa non tantùm parte, sed ulterius omnia tenet in sua ditione: nam nupero bello quædam decerpsit, & quidem non exiguam partem Regni Norvegici, territorium sc. Borniense Occid. Si itaque illarum terrarum tractum videatis, apparet penè omne *Scania hodie est iuris Suecici item Blekingia & Halādia* *Sueci quid possideāt in Norvegia.*

mare

mare Balticum ſitum eſſe intra limites Regni Suecici, ſi excipias Pomeraniam citeriorem, Selandiam, Iutiam, partémque Holſatiæ. Quanti igitur momenti ſit Suecis mare Balticum, facilè quis perpendere poteſt, item quantum ſitum ſit in commerciis maritimis, & ut poſſis claſſe modò huic, modò illi ſuccurrere. [add. *Ego votis non fictis opto, ut Regnum Daniæ, ſub Sereniſſimo ac Potentiſſimo Chriſtiano VI. Rege mitiora ac feliciora fata ſemper comitentur. Vno verbo ardentiſſimis ſuſpiriis precor*; ut finis Daniæ, *quem tamen Deus O. M. prohibeat*, ſemper incipiat.]

Vicini Suecorũ. XIII. Si porrò fines & limites Regni conſideres, habet Regnum Sueciæ à parte Septentrionali nullum vicinum, à quo ſibi metuat; à parte Orientali habet quidem *Moſcum*, ſed adeò vaſtis regionibus diſtinctum, ut nihil ſit ab eo illis periculi pertimeſcendum: Propius verò attingit Moſcum circa Livoniam, Ingriam & Eſthoniam; Habet hic vicinum Moſcum Sueciæ Regnum, ſed minus fidum: verum ea eſt potentia Sueciæ, ut, ſi ſoluta ſit & libera ab armis vel Danorum vel etiam Polonorum, ultrò Moſcis bellum inferre poſſit. Circa Livoniam habet vicinos Polonos & Lituanos: Circa Pruſſiam & Pomeraniam ulteriorem, Electorem Brandeburgicum Suecus in Germania non habet magis formidabilem vicinum, quam Brandeburgicum, nec hic potentiorẽ Regẽ vicinũ, quàm Sueciæ Regẽ. Sequuntur Mekemburgici Duces, qui cùm ſint minus potentes, non eſt quod ſibi ab illis metuat. Habet deinde Danos, ſed quorúm vires ſuperiori bello ultra fidem fractæ ſunt.]add. *DEVS O.M.*

Sueci Moſchũ non timent.

Brandeburgenſis Elector Sueco formidabilis non verò Duces Megapolitani.

noſtrum

nostrum Christianissimum Daniæ Regem, Christianum VI. protegat, augeat, ac sospitet. Annue REX REGVM.] Ab Occidente habet ex parte vicinos Danos & Norvvegos, sed Norvvegia à Suecia discreta arduis montibus, ut ea parte nec Norvvegis nocere, nec Norvvegi Suecis possint. *Sueci an metuant Danos.*

XIV. Qod terram Regni Suecici attinet, audivistis, ingentem esse terrarum tractum, adeò ut nullus hodie in Europa sit Rex, qui adeò latum terræ tractum possideat: habet verò non ubivis eandem indolem. Quæ ad Sueciam propriè dictam pertinet illa usque in Ingermaniam habet se mediocriter; Nec enim abundant, nec egent incolæ iis, quæ ad victum pertinent; Aliquibus locis sterilior est, quibus tamen ab aliis locis succurri potest. Suecia circa Dalagandiam est metallorum ferax, non auri quidem nec argenti, cuius ibi exigua copia, imò nulla: sed ferri & æris optimi; nec enim ulla terra habet ferrum nobilius; & æs præstantius terrâ Suecicâ. Auspiciis Christinæ Reginæ creverunt metalla. Aliàs nec vini ferax, nec pomorum aut arborum in partibus Septentrionalibus, nec frumenti ferax. Sed Wester Gothia, & Smalandia habent huius affatim. Extrema ad Septentrionem est *Lappia*, omnium rerum egena, gens tamen suâ sorte contenta, vivit ex venationibus. *Finlandia* etiam magnam partem est sterilis, sed quibusdam locis abundat, quæ jam ita excoluntur, ut eæ partes, quæ antehac nil divitiarum regno attulerunt, hodie non parū afferāt: *Ingria* satis ferax, nō tamē excolitur propter defectum incolarum; interim

Terræ Suecicæ qualitas.

Ferri & Cupri fodinæ divites in Suecia.

Vinum, poma & frumentum deest Sueciæ.

Lappici soli qualitas & Finlâdici

Ingrici soli qualitas, itē Livonici & Esthonici.

quia magis vergit versus Septentrionem, frigori magis obnoxia. Sequitur *Livonia* & *Esthonia*, quæ sunt Provinciæ fœcundæ, nisi quod per bella continua damnum senserint eximium. Animalia habet Suecia quantum ad vitam sufficit, satis armentorum & equorum, sed staturæ minoris; par ratio Finniæ. De reliquis eis Mare Balthicum non est necessum dicere, sunt verò potiora, quam uti laxiori oratione singula describi debeant.

Animalibus an dives Suecia.

XV. Quod populum ipsum attinet, non respondet ingenti terræ amplitudini numerus hominum, licet aliquibus locis sit numerosus; Credo autem majorem numerum illas terras vix alere posse: olim quidem videntur terræ illæ majori copiâ hominum floruisse, sed coacti fuerunt illi præ inopiâ relinquere illas terras. [add. *Durante bello tricennali Sueci multis Germanis persuaserunt, ut irent in Sueciam, quæ ita rebus abundet, ut etiam animal* Das Elendthier *sua sponte in ædes incolarum veniat. Cæterùm miseriam dein* (das Elend) *reipsa multi sunt experti, ut refert Schulz. in Chronico.*] Memorant annales Sueciæ, non semel inde magnam hominum copiam emigrasse, præsertim Ost- & Westro-Gothos, relicto solo patrio alias sedes propter summam terræ egestatem, quærere coactos fuisse. Ingenium populi Suecici non est alienum ab aliarum gentium Germanicarum ingeniis, ad belli & pacis artes compositis. Non sunt superbi, nec etiam abjecto animo, nec etiam eâ levitate quâ Galli, nec fastu, quo Hispani, nec elevatione ani-

Suecia non est capax ad alendum numerosum populum

Ingenia Suecici populi qualia sint.

animi, quâ Poloni; Sed simpliciores, ut omnes penè Germani.

XVI. Circa virtutes morales Populus Suecicus satis benè se habet: nec enim ea vitia, quibus scatent Itali, Hispani, Russi, ibi observes, quanquam & suis non careant, uti nemo: Fortes sunt sic satis, & suis defendendis intenti, & si sors ita ferat, alienis etiam occupandis. Dixerim itaque hodie nullum Regnum ad belli artem ita compositum, ac Suecicum. Indiget hæc Resp. milite externo, sine quo extra patriam bellare non potest. Dixi Suecorum mores ferè convenire cum Germanorum moribus: Sed quemadmodum in universum cum ingenio humano comparatum est, ut rebus secũdis se extollat, sic in Sueciâ res illæ prosperiores nimium quantum corrumpere incœperunt mores pristinos, inque sequiora res secunda traxerunt mores ut Poëta inquit

Virtutes morales Suecorũ & vitia eorum.

Suecicũ Regnum ad bellũ bene cõpositum.

——————Sævior hoste

Luxuria incumbit sævumq; ulciscitur Orbem.

XVII. De virtutibus eorum intellectualibus hoc dicendum, quod ingenium eorum perquam aptum sit ad eas addiscendas, id quod ex multis indiciis apparet; unusquisque rusticus in Suecia eo polleat ingenio, ut quæ ad victum sibi sunt necessaria, vestes, calceos, tibialia, sibi ipsi possit conficere, rudius quidem, quam qui ex professo artifices se venditant, ita tamen ut iis uti possint; hoc tamen certum est quod artificia minus exerceant ad elegantiam: Arte factis enim tantùm utuntur foris allatis, id quod benè cessit

Virtutes intellectuales Suecorũ.

Artes mechanicæ in Suecia ad elegãtiam nõ cõpositæ.

Lubeca & Dantiscum Vrbes ex Suecia fiunt divites.

Lubeccensibus; Hi enim divitias unicè debent Regno Sueciæ, uti & Dantiscum. Rude æs & ferrum Suedi Lubecensibus exportarunt, & arte facta reduxerunt; sed hæc multum mutata sunt intra paucos annos, inprimis tempore Christinæ Reginæ. Omnis populi posteritas non potest satis agere gratias Tutoribus Regni. Illi enim omnia correxerunt, ut hodie non amplius rude ferrum & æs exportetur; nec amplius opus habent Sueci arte factis, cùm illa omnia jam abundè conficiantur in ipsa Suecia. Quod admodum prudens est institutum. Interim tamen nec hodie multos reperias artifices Suecos, qui artificiis operam impendunt, sed sunt Germani ut plurimùm artifices ibi degentes, & advenæ, qui optimè habentur. Peregrinos enim quoque habent Sueci perquam humaniter & benignè, & in patria jura libertatémque recipiuntur, & Nobiles Germani ad magnos evehuntur honores. Exemplum sit familia Wrangeliana; Wrangel fuit Nobilis Livonus, fuit tamen apud Suecos in maximâ dignitate, ut & eius filius hodie inter Primarios Regni Proceres emineat; quod Regno illi admodum salutare est; Cùm verò suam in bello videant fortunam, malunt operam dare rei & studio bellico, quam artificiis excolendis: Ad studia literarum apta sunt ingenia, non tamen adeò multum temporis iis impendunt, armis potiùs intenti: eadem hæc de Finnis dicenda sunt, licet sint hi paulò incultiores. De aliis dicere non puto esse necessum.

Defectus circa arte facta quomodo hodie sit emendatus in Suecia.

Sueci peregrinos & advenas bene tractăt.

Familia Wrangeliana.

Armis magis quam literarum studiis addicti Sueci.

XVIII. Scopus Asiaticarum Rerumpub. est utilitas Regnantium non populi. De Polonia

accipimus aliter. Apud Suecos verò ſpectatur cōmodum non modò Regnantium, ſed & populi, adeò, ut ſiquidem Rex populo fuerit gravis aut iniquus, ſuâ dignitate privari poſſit: Vnde liquet, quod eorum Rex ſit legitimus, & ſecundum leges regni regnare cogatur, ne populo ſit gravis, vel etiam ius antiquum ſtatutariū immutet. Vnde porrò liquet, quod ſi aliquid agendum ſit conjunctim cum onere populi, Rex cogatur prius conſenſum populi impetrare; ubi autem omnia ad commodum reguntur Dominantium, ibi nulla haberi ſolet ratio populi, ſed ei ſaltem imperari.

Cauſa finalis Regni Sueciæ. *Salus populi & imperãtium in Suecia ſpectatur.* *Rex Sueciæ non gaudet ſumma & abſoluta poteſtate.*

XIX. Hinc etiam apparet, quod Rex non poſſit bona Regni aut dignitates cuilibet dare, ſed cogitur illa, quæ lucri aliquid afferunt indigenis impertiri: (ſunt autem etiam peregrini indigenæ, ſi ſunt adoptati.) Notum aliàs, quod in Polonia ſoli Nobiles ſint Cives, reliquis ad dignitates aditus nō patet: Contrarium verò hic ſolet contingere, adeò ut etiam ruſtici & agreſtes jus comitiorum habeant, & ſuffragia ferendi, etiam de graviſſimis Regni negociis, nec ſunt mancipia, ſed pro libertate multum poſſunt agere. Patet hinc, non ibi dominantium ſolum commodum ſpectari, ſed & univerſi populi: Dederunt etiam Suecones iis populis, quorum libera deditio eſt, aut quos armis etiam Reip. adjunxerunt, jus Comitiorum: Sic Eſthones habent jus Comitiorum, Epiſcopus Revalienſis habet locum inter Principes Regni. Gotlandiæ Superintendens habet locum in reliquo Regni Sueciæ Clero. Num Ingermanniæ etiam datum ſit hoc jus, me latet.

Dignitatum qui ſint capaces in Suecia. *Ruſtici in Suecia gaudent iure comitiorū.* *Qui ſpōte aut armis Sueciæ acceſſerunt, habent etiã locum in comitiis.*

Quod & illi devicti in Schonia, Halandia, Blekingia in parem libertatem assumpti sint, certissimum est; Non dubito etiam in patria jura admissam esse Livoniam, cum facta fuit pars ditionis Suecicæ. De Pomerania & Bremensi Ducatu res est diversa, quia feudi jure tantum teneătur à Rege [add. *Optimam esse rationem in flore conservandi rempubl. si subditi æquabili iure & liberalioribus conditionibus tractentur, exemplo Sueciæ hic addiscimus.*]

Bona & vectigalia Regis Sueciæ. XX. Reges tamen Sueciæ habent eximia bona & vectigalia: hinc constat, quod etiam eorum spectetur commodum, quod cum apud omnes gentes non in una eadémque re collocetur: (alibi enim in vita beata, alibi in studio virtutis, alibi in potentia ampla, alibi in voluptatibus collocatur.) *Scopus regiminis in Suecia est vita verè beata populi* Hinc in Regno Sueciæ pro Scopo Regiminis habetur vita verè beata populi, & omnium in regno. Datur enim omnibus modis opera, ne quid ad exercendas virtutes desit. Sed hoc jam non est faciendum, quando jam nonnihil adspiret Regimen ad potentiam magnam, quod olim factum non est. *Adspirăt hodie Sueci ad magnam potentiă.* A Seculo enim XIII. usque ad Seculum Superius, nulla facta fuit Regni accessio, nisi quod circa ann. 1200. Carelia fuerit adjecta. Ast nuper sub familiâ Gustavicâ magnum accepit incrementum. *Causa formalis Regni Sueciæ.*

Regimen Suecicũ tempore Taciti & subsecutis temporibus. XXI. Quod verò modum regiminis attinet, credo Regnum Suecicum esse omnium antiquissimum inter Germanos: Sueciæ autem regnum semper suos habuit Reges ut testatur Tacitus lib. de morib. German. Duo sunt, quæ notat Tacitus 1. quod addictè reguntur Suones. 2. Quod Regina etiam

etiam si fœmina ad Regiam possit pervenire dignitatem, vel potuit, quod ipsum apud omnes Germanos fuit insolens, veluti apud quos non obtinuerunt Monarchiæ, nisi perquam limitatæ. Sed post tempora Taciti circa Regiam potestatem magna facta fuit mutatio. Ex Adamo Bremensi constat tempore Caroli M. Regiam potestatem fuisse valdè arctam, & legibus astrictam. Neque etiam in omnibus monumentis Suecicis videre est admissam Imperio fœminam: Christinæ id obtigit exemplo inaudito, quapropter quæ Tacitus narrat, valdè jam sunt mutata. Creditur autem fas esse, si Rex leges non observet, eum de solo deturbari posse, unde & olim plures Reges interempti, & Regno pulsi.

Regis Sueciæ limitata potestas.

Rex Sueciæ an possit deponi.

XXII. Successio Regia ita se habuit, ut Tacitus narrat de gentibus Germanis, videlicet non simpliciter quilibet jure hæreditario regnavit, sed tum demùm, si populus eum judicavit aptum, & si parentes ejus de Rep. essent benè meriti. Simulac verò defecit familia antiqua Regia, elegerunt quem vellent, modò hunc, modò illum, nisi quod Dani illis voluerunt imperare, licet initio tantum ex fœdere ita pactum esset, ut tria Regna Danicum, Norvegicum & Suecicum haberent unum Regem, trium horum Regnorum consensu electum.

Successio in Regno Sueciæ qualis olim.

XXIII. Misera fuit Regni Suedici facies ab ann. 1260. Laboravit enim tum temporis per 200. annos bellis civilibus; dein accepit Reges exteros, qui minùs benignè populum rexerunt. Ex his fuerunt Albertus Meklemburgicus; & Margaretha Danica, Ericus Rex Daniæ, & Christianus

Mutationes nõnullæ in Regno Sueciæ.

II. crudeles fuerunt Reges, & immaniter Succos habuerunt. Ibi quidem aliquoties, se in libertatem asseruere, verum non stabilem, dum perpetuo quasi laborarent dissidio inter se.

Turbatus Sueciæ status, quãdo rursus emẽdatus & in pristinã libertatẽ vindicatus.

XXIV. Superiori seculo cum esset Regnum vexatum à Christiano II. & is meruisset, ut Regno Daniæ pelleretur, tunc in libertatem se asseruit Suecia auspiciis Gustavi, nobili loco nati, qui clanculum è Regno Daniæ profugerat. Primò autem is receptus fuit Lubecæ; inde venit in Sueciam, tandem in Dalecarliam nonnullis in suam sententiam raptis, totum Regnum Sueciæ in libertatem asseruit. Quâ virtute meritus est ut populi consensu fuerit Rex electus. Is cum optimè Remp. administraret, hoc impetravit, ut in hæreditariam successionem, sed tantùm masculam, populus consenserit. Qua deficiente, ut aliquis ex filiabus oriundus, Germanus quamvis, eligeretur in successorem. Ex eo tempore Regnúm electitium cæpit esse hæreditarium, ita tamen, ut penè omnia redacta sint in Germanicum modum succedendi. Successit quidem Gustavo Ericus, sed cum non regnaret secundùm Leges Regni, regno est pulsus, uti & Sigismundo Gustavi nepoti contigit, cui suspectus fuit patruus Carolus.

Hodie Suecia hæreditarium Regnum.

Nova mutatio circa successionem Sigismũdo regnante item sub Gustavo Adolpho

XXV. Hoc regnante nova quædam lex de successione est constituta, ne quis Regnum administret, nisi sit ex posteritate Caroli, exclusâ Sigismundi posteritate. Interim tamen Sigismundus Regium sibi jus arrogavit, ejusque Filii Poloniæ Reges, utuntur adhuc titulo Regum Sueciæ. [add. *Hodie post pacem Sueco-Polonicam de anno* 1660. *titulus ille remissus.*] Tempore

Gustavi

Gustavi Adolphi nova lex condita de successione: cum enim deesset soboles mascula Gustavo, Rex autem esset bellicosus Princeps, & anhelaret bellum gerere cum exteris, conscius vicissitudinis armorum, priusquam iret in Poloniam, ann. 1627. cum Regni Proceribus conclusit, ut si non nasceretur mascula proles, filia Regimini succederet. Hoc quidem tunc ita constitutum erat. Cum autem Christina nec viro nupserit, nec etiam liberos reliquerit, imò se Regno abdicaverit, electus est in Regem aliquis ex familiâ Palatina, Carolus Gustavus. Sic pervenit Regia dignitas ad familiam Palatinam, & adhuc ita se habet successio. *Hodie Comites Palatini ad Rhenũ Sueciæ sceptrum gerunt.*

XXVI. Quod autem attinet Regiam dignitatem, Regnum uti dictum, est legitimum, & Rex unus non habet summam potestatem pangendorum fœderum, & licet talia omnia non quidem ex consensu populi fiant, tamen Senatorum Regni. Leges fundamentales promulgantur à toto populo, imò omnia decreta populi nomine eduntur tantùm, nulla Regis factâ mentione: nec Rex habet potestatem tributa indicendi, sed hic requiritur consensus populi vel certè Senatorum Regni, quin & Nobiles eâ valent libertate, ut Rex non habeat potestatem vitæ, necisque in eos, unde perspicuum summam potestatem non esse penes unum Regem, & propterea Remp. non esse plenè monarchicam, sed mixtam. Est enim quodammodo Democratica, quodammodo Regia. [add. *Etiam aristocratica.*] Nunquam enim est sine Rege, vel Vice-Rege, ideò licet Rex sit minorennis, tamen aliquis regia fungitur vice. Est autem in

Iura Mai. penes quem in Suecia? Rex Sueciæ nõ est absolutus. Leges quomodo ferantur in Suecia. Regnum Sueciæ est mixtũ

Potestas denominandi tutores est penes Regem.

in potestate Regis tutores nominare. Fuit hoc nuper quasi controversum, sed si consulamus antiquos annales, apparet, semper in potestate Regis fuisse nominare Tutorem. Ad tutelam verò nemo advocatur nisi sit unus ex Proceribus Regni, rarò Reginæ accepere jus tutelæ; nunc tamen vidua Caroli Gustavi cum aliis Proceribus tutelari fungitur dignitate, sed rarum hoc est, scio hac de re acriter fuisse disputatum. [add. *Hodiernus Rex Carolus iam in suam tutelam pervenit, & sceptra, ac habenas Regni ipse in manibus suis habet; de quo videatur Diarium Europæum.* FELICITER!]

Administratio Regni Sveciæ.

XXVII. Administratio Reip. ibi talis obtinet, qualem Tacitus memorat de veteribus Germanis quibus de majoribus rebus, quæ pertinuere ad Remp. consultare jus fuerat omnium; de minoribus autem Principum. Habet hoc Regnum Senatores Regni, qui regunt Remp. atque habent potestatem constituendi de minoribus rebus, non de iis, quæ spectant ad salutem Reip. uti sunt fœdera. Ad hæc enim ineunda convocandus est populus, sine hoc etiam non est fas Regi res Reip. majores constituere. Solet autem hodie Senatorum numerus esse 25. sed non est status numerus, olim enim fuit minor.

Senatores Regni Sueciæ de minoribus Regni rebus disponūt.

Numerus eorū.

Officiales Regni Sueciæ.

XXVIII. Quicunque sunt præcipui, hi sunt etiam Officiales Regni, ut est Drotset seu Reichs-Truchses. 2. Dux militaris Reichs-Feldherr. 3. Cancellarius Regni. 4. Amirallus. 5. Thesaurarius Regni. Sine horum saltem quinque consensu nō solet quicquam decidi, etiā in iis, quæ sunt minoris momenti. Iidem Senatores habent præconsultandi potestatem, quod ipsum in

Senatores quomodo in comitiis considerentur.

more

more fuit apud Germanos, ut refert Tacitus. In Comitiis verò hi non ſolent æſtimari ut Senatores, ſed in ſuis claſſibus habentur ut ſinguli. Notandum inſuper, quod Senatores olim etiam fuerint adſciti ex ordine Epiſcopali, hodie autem illis excluſis ſoli Nobiles ad hæc admittantur officia; in primis ad hæc 5. illa primaria officia admittuntur ſoli ex illuſtri familiâ nati. Revera igitur hac in parte Ariſtocraticam ſapit formam, aliquo modo tamen, quia ad negocia Regni minora adhibentur etiam ſelecti Primores ex populo, maximè tamen eſt Democratica. *Soli Nobiles hodie ad Senatoriam dignitatem evehuntur.*

XXIX. Antequam verò pergam, quomodo omnia gubernari ſoleant; Notetur quod populus diſtingui poſſit in claſſes tres. 1. in Nobiles, qui hodie ſunt primo loco: olim quidem non ita; cum enim Pontificia ibi adhuc obtineret Religio, primas habebant Archiepiſcopi, poſteà autem eorum autoritas decrevit, eorúmque bona redacta ſunt in fiſcum Regium, & quas antea obtinuere Arces, Vrbes, Caſtella, ea omnia iis ſunt erepta. [add. *Et quidem rectè, juxta illud Servatoris: Principes regunt & vocantur Domini vos autem non ſic.*] Ex eo tempore decrevit Archiepiſcoporum autoritas, ut hodie ſint ſecundo loco, & vix poſſint ſoli autoritatem ſuam tueri; quapropter in partes ſuas plerumque vocant ruſticos: nam vident ſe non poſſe autoritatem ſuam defendere ſatis, niſi adjuventur ab Epiſcopis. Ordo Nobilium iterum diviſus in 2. Claſſes 1. Sunt illuſtres. 2. vulgaris ſortis Nobiles. Olim non fuit magnus Nobilium numerus, & omnes fuerunt ejuſdem Ordinis, uti apud Danos olim factum eſt *Populus Suecicus in quot claſſes diſtinguatur? Inter ordines Regni Sueciæ olim priori Archi-Epiſcopi. Hodie Nobiles. Archi-Epiſcoporum Suevicorum autoritas decreſcit. Ordo Nobilium quomodo diſpeſcatur.*

Incrementum nobilitatis Suecicæ à quo. est, qui neminem ex suis ad majorem solito dignitatem pervenire passi sunt. Sed in Suecia ab Erico id mutatum est: Is cœpit creare Nobiles & Barones, quod & præstitit liberalitas Christinæ.

Defectus circa creationem Ducũ Regni Sueciæ. XXX. Quod attinet creationem Ducum, vereor ne hac in parte minus prudenter olim Regnum fuerit administratum. Hi enim Duces crebras excitarunt turbas, & in maxima pericula Remp. conjecerunt. [add. *Quid circa creationem Ducum & Comitum olim in Germania nostra contigerit vid. ap. Lud. Hugonem de Statu Regionum Germaniæ.*] Fuerunt filii tres Gustavi II. Ericus, Ioannes; Carolus; Ioannes creatus est Dux Finlandiæ, Carolus Sudermanniæ. Hi Duces fuerunt eâ authoritate, ut Regiam authoritatem penè conculcarent: Ioannes insurrexit contra fratrem Regem, & Carolus, nisi Dux fuisset, Sigismundi solium non affectasset; adeóque è re videtur esse, ut Regnum nullos amplius creet Duces, aut eorum potentiam circumscribat, nec Duces hæreditarios faciat. Nuper etiam Dux Sueciæ creatus est, sed Reip. damno: hæreditarii enim Comitatus & Baronatus non vacant periculo. In *genere* enim *prodest Reip. Civium inter se æqualitas; quo autem in Rep. inæqualitas est major, eò sunt majores, vel esse solent motus.*

Interesse R. Sueciæ circa creationem Ducum.

Reliquæ classes Ordinum Sueciæ. XXXI. 2. Classis est Episcoporum, & Superintendentum, qui non sunt sub Episcopis. 3. Vrbes, & 4. Agrestes.

Quis Magistratus Regni Sueciæ constituat. XXXII. Sunt quædam in primis Collegia, quæ quàm maximè funguntur Magistratus vice, non tamen habent plenam potestatem. Omnia autem

tem hæc Collegia constituit, Rex, & in universum Magistratum constituendi potestatem penes solum ferè Regem esse, patet ex hoc 1. quod creet omnes Senatores Regni. 2. Omnes gubernatores provinciarum. 3. Omnes Iudices provinciales, ita tamen ut populus aliquos judices præsentet, provinciales in primis, unde Rex aliquos eligit. *Collegia Regni Suecici.*

XXXIII. Sunt autem ibi Collegia varia. Primo *Collegium Iustitiæ.* Sunt autem talia Collegia seu judicia summa. In toto verò Regno primarium est 1. Stockolmiense; quod est Collegium verè Suecicum. 2. Lincopiense, quo Gothiæ Regnum pertinet. 3. Finnicum. 4. Esthoniense. 5. Dorpatiense zu Derpt in Livonia. Procul dubio enim in Livonia tale Collegium Reges etiam instituerunt. 6. *Collegium militare*, inde dictum, non quod belli potestatem habeat, sed eorum quæ munimenta belli & tormenta expedienda concernunt, postquam bellum decretum est. 7. *Collegium rei Maritimæ:* Classe jam tum tempore Taciti valuerunt Sueci; minor tamen justo eorum potentia maritima fuit aliquot Seculis usque ad Gustavum primum. 8. *Collegium Cancellariæ*; ubi expediuntur præ-primis quæ ad pacem faciunt universi Regni. Huic præest Cancellarius Regni, cui proximi sunt 4. Senatores Regni, & tandem Cancellarius Anglicus. 9. *Collegium Cameræ*, quod expensas Regis, & Regni reditus tractat; præsidet huic collegio Regni Thesaurarius der Reichs-Schatzmeister / cum 4. Senatoribus Regni. Ante paucos annos accessit novum *Collegium*, nempè

Collegium Iustitiæ. *Collegiũ militare.* *Collegiũ rei Maritimæ.* *Maritima potẽtia quãdo apud Suecos incremẽta sumpserit.* *Collegiũ Cancellariæ.* *Collegiũ Cameræ.* *Collegiũ Mercatorum.*

nempè *Mercatorium*, de commerciis sc. agens. Olim quidem commerciorum cura non erat magna, cum autem iam videant maximum momentum ad Remp. conferre commercia, fortunam quoque cumulum addere; constituerunt etiam peculiare Collegium, quod curam habeat negociorum: Si enim commercia florent, abundat

Colleg. Metallicum.

Resp. & contra: Hi autem qui præsunt Collegio, excogitare debent modos, quibus commercia crescere possint. Accessit 11. *Metallicum*, quod non

Interesse Regni Sueciæ non minimum in metallis.

ita pridem constitutum fuit; Videbant enim prudenter Sueci, res metallicas ita in diem incrementum sumere posse, si fodinæ se rectè habeant, itaque Magistratum peculiarem constituerunt, qui harum rerum curam ageret. Quod attinet res Ec-

Administratio rerum Ecclesiasticarum in Suecia.

clesiasticas, peculiaria sua habent consistoria, ubi probè omnia curantur.

XXXIV. Cum porrò in omni Rep. seu Regno duo veniant quam maximè consideranda tempora, pacis sc. & belli; etiam quemadmodum hac in parte Resp. hæc Suecica sese habeat, videndum

Quomodo Suecia ad belli tempora sit composita.

est. Quod bellum attinet, non possum non diffiteri, Regnum Sueciæ præ reliquis Europæ Regnis, quàm maximè esse compositum ad belli negocia. In Polonia sunt admodum omnia confusa, hic verò ordinata. Collegia etiam habent duo, quæ cu-

Sueci classe multum valent.

rant rem militarem, tam salo, quàm solo. Classe quam maximè hodie Sueci valent, non quidem ut cum Anglis vel Batavis compararentur, sed quod

Sueci tormentis bellicis abundent.

sint in Septentrione potentissimi classe. Habent in promptu incredibilem vim tormentorum bellicorum, & quasi optimorum, idque propter egregium ferri ærisque metallum, quo in tota Europa no-

nobilius non datur, ideò illa facilè fabricari possunt propter abundantiam materiæ.

XXXV. Nunc de eorum judiciis. Iudicant autem in Sueciâ non secundùm leges Romanas, nec secundùm leges aliarum gentium, sed habent proprias scriptas leges, & quidem breviter, aliàs antiquas satis, conditas tempore aliquorum Regum. Habent & leges communes cum omnibus gentibus, inter quas eminent illæ, quas jussu Christophori Regis conscripsit Nicolaus Raignaldus, Episcopus Vpsaliensis. Sunt etiam quædam promulgatæ ab aliis sequentibus Regibus, in primis à Gustavo Adolpho, quæ etiam sensim sunt editæ. Nostras etiam leges non curant [add. *Vide tamen Arthurum Duck, & VVexionium in Collat. Legum Suecicarum cum Romanis*] & apud eos legis peritia multò faciliùs comparatur, ut & aliis bonis studiis possint operam dare, quâ in re nostris sunt multò feliciores, quod nostri multùm desudare coguntur in legibus Rom. adeóque multùm temporis impendere. [add. *Dn. Conringius valde est insensus Iuri Rom. Cæterùm autoritas tanti viri tanti non est, vt nostrum corpus Iuris possit evertere. Resecentur inde modo inutilia, & in meliorem ordinem redigatur, & habebimus tam aureas leges ut Christianæ Respp. meliores ferre non possint.*]

Iudiciorum Suecicorum examen. Leges Suecicorum.

XXXVI. Res sacras quod attinet, Religio Christiana cœpit demum prædicari tempore Ludovici Pii Imp. Hic Rex Francorum ut erat reverà pius, ita dedit operam, ut gentibus Septentrionalibus prædicaretur Evangelium, & ascito in consilium Pontifice, ut Episcopus Hâmburgi constitueretur effecit, qui curaret Ecclesiæ Septen-

Religio Regni Sueciæ. Hamburgensis ArchiEpiscopi in Sueciâ autoritas; & quando illa extincta.

tentrionalis res, ut refert Cranzius in Metropol. Illi Archiepiſcopi Hamburgenſes dederunt operam propagandæ Religioni per uniuerſum Septentrionem, non per vim, ut Saxonibus imperavit Carolus M. Religionem, ſed predicatione Verbi Divini. Senſim autem ibi Religio propagata eſt, ut ne quidem Seculo XII. poſt N.C. omnis Suecia fuerit liberata à paganiſmo, & quidem Seculo XIII. omnium ultimi ad Religionem Chriſtianam ducti ſunt Carelii, niſi de Lapponibus hoc malis dicere, qui intra 70. annos Verbi Divini prædicationem demum audiverunt. Nec dixerim eos eſſe Chriſtianos, cum una ſaltem iis ſit Eccleſia, & interdum homines ab eâ abſint vel 100000. Ex quo autem Religio ibi fuit ſtabilita, prudenter viderunt Sueci; non eſſe è re Regni, ut exterus curam haberet Eccleſiæ, & ſic effecerunt, ut ſubducto Archiepiſcopo Hamburgenſi ipſi conſtituerent ſuos Archiepiſcopos, ita & Dani & Norvegi fecerunt; Sic expiravit Archiepiſcopatus Hamburgenſis: Hinc conſtituerunt ſuum Archiepiſcopum Vpſaliæ, ſub quo ſunt alii Epiſcopi, quanquam illi in ſuis Epiſcopatibus tantum valeant, quantum Archiepiſcopus.

Lappones an veri Christiani.

Archi-Episcopi Sueciæ.

XXXVII. Collocatio autem omnium Epiſcoporum eſt penes unum Regem: proximo loco poſt Vpſalienſem ſunt Epiſcopi Lincopienſis, Scagenſis, Alboënſis, Wexonenſis, Aboënſis in Fintandia, Wiburgenſis in Careliâ, Revalienſis in Eſthoniâ, forſan & novum Epiſcopum conſtituerunt Rigenſem. Habent Superintendentes, qui non ſubſunt Epiſcopis, & valent etiam magna autoritate, atque ad comitia vocantur. A

Constitutio Episcoporum in Sueciâ.

Superintendentes Sueciæ quâ ſint autoritate.

Wexonio numerantur 6. Sunt verò reverà plures, omisit enim Superintendentem Gothlandiæ & Schoniensem. Fuerunt autem olim Archiepiscopi & Episcopi in magna autoritate, & ditissimi fuerant Principes, sed illæ opes jam sunt illis subductę; Interim tamen honestissimè habentur. [add. *Prudenti sanè instituto. Non enim fiscus Ecclesiæ debet vincere fiscum Reip. Sic in Papatu regula antipolitica valet : Quod non capit fiscus, hoc capit Clerus.* Mâlè !]

XXXVIII. In omnibus Vrbibus celebrioribus sunt scholæ privatæ & collegia : Habent etiam scholam Vpsaliensem, Aboënsem in Finlandiâ, auspiciis Gustavi Adolphi erectam, & Dorpatensem in Estoniâ, ut hac in parte Regnum benè sit instructum, *nec est quod conquerantur Pontificii de destructis monasteriis & cœnobiis, cum Scholæ in eorum locum sint erectæ.* Verùm autem est, ibi nulla esse monasteria: olim fuit unum celeberrimum, dictum *S. Brigittæ*, quæ fuit filia Regia, & vixit aliquandiu Romæ, quę sanctimonia meruit, ut relata fuerit inter Sanctas. Extat legenda de eius vitâ & revelationibus, ubi hoc notaveris, quod non dubitaverit conqueri de Pontifice Rom, & eum Antichristi nomine insignire.

Scholæ Regni Sueciæ.

Monasteria in Suecia rectè in Scholas conversa.

S. Brigitta monialis.

XXXIX. Iam videamus eos, qui regunt Rempub. Dixi autem, uti antiquissimâ familiâ Regiâ extinctâ, cœperint Reges eligi exteri, donec Regnum pervenerit ad Gustavum I. cuius posteri omnes extincti sunt, excepto Casimiro Poloniæ Rege : Ex fœminea autem stirpe superant etiam aliqui, inter quos fuit Carolus Gu-

Familia Regia Sueciæ

ſtavus. Hic qui nunc Rex audit, infans eſt, quod quanti ſit inRep.momenti, quilibet videt prudens. Mirum erat, quod Chriſtinâ, cum occideretur pater Guſtavus Adolphus, adhuc tenerâ puellâ, feliciſſimè fuerit Regnum adminiſtratum à Tutoribus. [add. *Modernus Rex Sueciæ ad auguſtum Imperium Suecicum eſt evectus, & mirabilia pro Evangelicâ Religione faciat. Trinunus Deus conſervet Auguſtiſſimos Septentrionales Reges, ut hoſtes puræ Religionis Chriſtianæ nullam obtineant victoriam.*] Hinc non eſt, ut ne nunc quidem aliquid ſiniſtri ſperemus, licet Rex adhuc ſit infans. Aliàs verùm eſt: *Væ terræ, cuius Rex puer eſt.*

Adminiſtratio Regni poſt mortem Caroli Guſtavi.

Sed notum eſt, ſimul ac appetit mortem Carolus Guſtavus, quod Tutores omnia ſtatim compoſuerint, & pacarint totã Remp. quæ implicata erat cum omnibus vicinis, & aliorũ deſtituta auxiliis. Conſultum enim viderunt animum potius applicare ad pacis conditiones non ſine fructu, tum quoad Danos & Polonos, quam Moſcum potentiſſimum hoſtem. Renovarunt iidem Tutores fœdera cum Anglis & Gallis, quod indicio eſt, Remp. ab illis benè componi.

EXCERPTA

EXCERPTA MISCELLANEA DE REGNO SUECIÆ EX OPTIMIS HUIUS ævi Scriptoribus.

I. SUECI natura robusti: illi verò, qui Septentrioni proximi habitant, maximam partem statura parvi sunt. Fœminas naturali pulchritudine & sine fuco insignes habent, quas ingens commendat fertilitas. Peregrinas valde sunt humani, quibus jura hospitalitatis omni studio præstare solent. Peditatu æque ac equitatu maximè sunt validi, non secus ac in mari: ad mechanicas & alias liberales artes docilia habent ingenia, linguísque capiendis maxime idonea. Ita præter Suecicam linguam, etiam Germanica, Gallica, Finnonica, ipsis in vulgari usu est. *Mores huius temporis*

II. Vulgi mores utplurimum simplices sunt, nec ulla rerum cupidine, ignari mundanæ voluptatis, accenduntur. Verum mutati jam in his videntur esse, post bellum Germanicum, quod ignaras antea cultius vivendi illorum mentes felicior rerum successus etiam ad ignota vitia concitavit. Cæterùm frigora, tempestates, sitim, famem, omniáq; alia naturæ mala æquo ferunt animo.

III. Fœminarum hæc ibi præcipua laus eſt, quod ſapientes, modeſtæ, ab ebrietate abſtinentes ſint; quin & illæ quæ quæſtum corpore faciunt, optimè vultum caſtitatis ferre dicuntur. Illorum negotia ſunt, lanam & culum tractare, æſtate ad cœli lucem, quæ ipſis pernox eſſe ſolet; hyeme ad axungiam, ex vitulis marinis aliiſque monſtris extractam.

IV. Tendere arcum, propoſito præmio patres filios erudire ſolent; tum verò aliis certaminibus illorum imbuere animos. Vulgaria verò illorum exercitia in venationibus & piſcationibus ſita ſunt.

V. Frumenti magnam partem coquendæ cerevisiæ inſumunt, qua contenti, tenuioris conditionis mortales. Dignioribus vina in uſu ſunt frequenti. In annonæ caritate, multi panes ex farina corticis pini, vel ſinapis comedunt, aut etiam piſcibus ad ſolem duratis uti ſolent. Carne etiam abundant, cujus magnam partem ſale condire mos eſt; reliquus victus eſt, piſces recenter durati, fumati, butyrum, caſeus, cujus ſpecioſam ingentiſque magnitudinis figuram habent. Quidam illorum boreæ viciniores nullum ferme panis uſum norunt, ſed ejus loco piſcibus & feris utuntur. Mulſi potum, ſuccum ex pomis aliiſque expreſſum fructibus, in deliciis habent.

VI. Quod habitum ſpectat, ille ex lana, panno & ſerico illis paratur. Is quondam ſimplex & rudis erat, ſed hodie ob res in Germania & alibi bene geſtas, maximè cultus & ſumptuoſus, multùmque notans luxum, reperitur. Qui ad aulam ſunt, Gallico more; reliqui cives Ger-

manico

manico vestiuntur. In Septentrionalibus locis parentes liberos suos pellibus ferarum involvunt, præsertim ursorum; quin omnes plerumq; pellibus incedunt induti.

VII. Multarum linguarum communis illis est notitia, ut Finnonicæ, Livonicæ, Germanicæ, ipsius quoque Gothicæ. Habent adhuc veteres characteres numero 35. Multique reperiuntur subtili ingenio prædici mortales, qui quanquam Gothicæ & Latinæ linguæ ignari sint, sibi tamen certas effingant literarum figuras, quibus in corticibus, pellibus, papyro, *&c.* utantur.

VIII. Baculi astronomici notitiam parentes liberis suis à prima statim juventa inculcare solent; per huius usum futurum prædicunt tempus. Divinationibus adhæc valde incumbunt, in quibus unus, nigro vestitus habitu, strictum gladium manu gerens saltat, Rexque dicitur, reliqui choraulæ illum sequuntur. Multi, qui in *Finnonia* & *Lapia* sunt, veneficiis & incantationibus studere creduntur. Lapponibus non insolens est, ut ventos & turbines excitent, quando mare navigant.

IX. Inter Gothos Suecósque, sequioris conditionis homines multis ceremoniis in contrahendis utuntur matrimoniis. Equidem ubi pater sponsæ proci virtutes exploratas habet, his verbis ipsam illi tradit: *Ego tibi trado meam filiam, ut tibi honorem faciam, & ut sit tua uxor, quæ medium lectum tuum habeat, claves portarum & tertiam partem omnis pecuniæ, mobilium & immobilium:* ut alias taceamus solennitates nuptiales; quæ quondam plurimæ fuerunt; quæ cum sumptuosis

 nuptia-

nuptiarum conviviis hodie in Vrbibus lege abrogatæ sunt, quod multi, præsertim Nobiles, quondam in illa tantos profuderunt nummos, ut ad paupertatem brevi redigerentur. Igitur hodie in nuptiis digniorum nullæ apponuntur epulæ, sed bellaria tantum & vinum moderatius potum; reliquum tempus choreis & saltationibus transigitur.

X. Iura hospitalitatis hodie in Suecia adhuc usu frequentia sunt, præsertim tempore Nativitatis D.N.I.C. in quo mensas ad aliquot dies continuo stratas & dapibus plenas reperies, omnésque qui ædes intrant, ut comedant & bibant, invitantur; nec unquam commodius, minoréque sumptu per Sueciam iter instituitur, quam illo tempore, ubi apud omnes rusticos, jam paratæ inveniuntur mensæ, ad quas gratis accumbere licet, quin vitio recusantium voces vertunt. In illo Festo (quod 4. diebus sacrum colunt) variis ludis & oblectamentis animi gaudia testantur, quæ visa enarrare nimis foret prolixum.

XI. Hoc etiam in more Suecis est, ut in balneis crebrius lavent, & frigidam sæpius tentent, cui etiam, tenellæ ætatis infantes calidâ extractos immergunt. Igitur hos versus *Virgilii l. IX. Æneidos*, circa finem Magnus Sueciæ Cancellarius *Oxenstierna* de suis Suecis non immerito sæpius allegasse magnis viris dicitur, quibus Suecica indoles pulchre exprimitur.

Durum à stirpe genus: gnatos ad flumina primum
Deferimus, sævóque gelu duramus & undis.
Venatu invigilant pueri, silvásque fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.

At patiens operum, parvóque assueta juventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida
bello.
Omne ævum ferro teritur, versâque juvencum.
Terga fatigamus hastâ, nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutátque vigorem.
Canitiem galeâ premimus, sempérque recenteis
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

Inter reliqua vitia, quibus Sueci obnoxii sunt, invidia, superbia & diffidentia apud ipsos locum habere dicitur, quæ etiam ex secundo hactenus rerum successu profluxisse videntur.

XII. Rex *Gustavus* primum in Sueciam ingressum *Augustanæ confessioni* anno 1527. aperuit; occupans eodem tempore bona Ecclesiastica, nil nisi sustentatione Ecclesiasticis relicta. Quanquam verò tum mutata sit Religio, nihil tamen ab externis ceremoniis emendatum est. Remanserunt enim *Archiepiscopi, Episcopi, Concionatores*, & quædam *missæ* species. *Ericus*, sive Henricus patri succedens Gustavo, in eodem statu res Religionis reliquit, in quo illas defuncto patre invenerat. Rex *Ioannes* ejus frater, qui ipsi successit, Catholicus creditur, sed corde magis, quàm professione, servans Ecclesiæ jejunia, & quadragesimæ tempus. Vxor ejus, Regina *Catharina*, exercitium Religionis Catholicæ publicè profitebatur; cujus tamen conatus irritos fecerunt illi, qui bona Ecclesiastica tenebant, & ministri, qui uxores duxerant. *Sigismundus III.* Rex Sueciæ coronatus, post decessum patris, pristinam Religionem instaurare cupiens, paternam coronam, multæ seditionis gravem, cum tutiore Polonica permutavit. Hodie

in Suecia nulla alia toleratur Religio, quam Augustanæ confessioni consona, nec permissum est studiosæ juventuti in Catholicis Academiis vivere, sub pœna capitali, in transgressores hujus legis sancitâ. Cæterum ipse *Gothiæ* populus in plurimis locis Religioni *Catholicæ* adhuc favet; multi etiam ex Septentrionalibus populis hodie solem & lunam, pannumque rubrum, adorare dicuntur. Denique non pauci sunt Christiani, qui bis tantum in anno aut semel in Ecclesia comparent, locorum distantia ab exercitio sacrorum prohibiti.

Regimen Politicum. XIII. *Reges Sueciæ*, ab omni tempore, teste Olao M. à Senatoribus Regni, delegatis Provinciarum, & præcipuis Vrbibus electi sunt. Postea hoc Regnum hæreditarium factum est, tempore Regis *Gustavi*. Omnes Reges, antequam coronentur, ut antea, sic hodie jurare tenentur, se Christianam Religionem & Augustanam Confessionem tueri velle, nolle ullas leges novas præter consensum Ordinum introducere, sed Nobilium jura inviolata tueri. Si Rex plures quam unum relinquat filium, ipsi testamento Ducatus relinquuntur. Filiæ Regis 100000. Imperialium pro dote numerantur, qui à Statibus penduntur. Sex in Suecia numerãtur: *Status Principũ hæreditariorum, Nobilium, Clericorũ, Rusticorum, Militum, Civium* sive mercatorum. Hos inter tres sunt præcipui, qui maxima in Regno pollent auctoritate, Ordo *Clericorum*, *Nobilium*, & *Rusticorum*. Hi tres Ordines ad comitia, rebus majoris momenti occurrentibus, convocari solent, & de propositis à Regibus negotiis consultare. Præcipui dignitate

& offi-

& officiis sunt quinque. 1. *Regni Drotset*, sive Vice-Rex, 2. *Rychsens Marsk*, sive regni Mareschallus; 3. *magnus Cancellarius*; 4. *Regni Ammiralis*, sive supremus maris Præfectus; 5. *Schatzmeister*, aut ærario Præfectus. Ad hæc 5. summa in Regno officia, 5. præcipua annumerantur collegia, ut *consilium Regni aulicum*, sive *justitiæ*; *Consilium belli*; *Cancellariæ*; *Ammiralitatis*; & *Cameræ regiæ*. Quondam Rex XII. ordinarios habebat Consiliarios, & præter hos multos alios à diversis officiis. Hodie Senatorum Regni numerus auctior est. Totum Regnum divisum est non solùm in *Provincias*, *Ducatus & Comitatus*, sed etiam quælibet provincia in sua *territoria & præfecturas*, vulgò *Haradh* dictas, quæ parochias plures pauciorésve continent. In qualibet autem provincia certus est *Gubernator*, dictus *Lands-Herr* seu *Stathalter*: in qualibet præfectura superior, dictus *Lansman* sive *Leensmann*: in qualibet parochia suus *Nemdemann*, sive Nemdarius. Habet etiam quodlibet territorium suum *Vice-Comitem*, qui sicut Italis *poteста* est. Præter Vice-Comites, alii adhæc sunt Regni ministri, similes Galliæ Seneschallis; dicuntur *Lamans*, velut supremi judices. Hi tributum à populis exigunt, aliáque Regno præstant servitia. Quantum ad ministros, qui reditibus Regis præsunt, est imprimis *Commissarius*, qui mandatis sigillum annectit, ita ut nulla solvantur tributa sine hac signatione. Huic generali Commissario subest *Thesauro Præfectus*. Cum hoc Thesauro præfecto X. *magistri* sunt *Rationum*, qui omnium redituum calculum servant, &

rationes

rationes administrati officii Generali Commissario præstant, præsentibus aliquot Regis consiliariis. Sunt autem Thesauro Præfecto in singulis provinciis diversi *exactores*, qui imperata exigunt tributa, & in Regis thesaurum deferunt. Quantum ad Vrbem *Stockholmiam*, illi sunt 4. *consules*, qui per totam vitam in functione permanent, & in Politicis judicant. Duo ex illis quotannis alios successivè præcedunt, omnes verò 4. una cum 12. *Senatoribus* simul deliberaturi conveniunt. Leges, quibus Sueci utuntur, valdè sunt antiquæ, & inde à tempore *S. Erici*, Regis Sueciæ, usque in hoc durarunt tempus, exceptis Legibus Ecclesiasticis. Nullam unquam mentionem usurarum Leges Suecicæ faciunt, nisi casu ubi debitor à multis creditoribus fuerit vexatus, & si extra hoc quis ab alio usuras accepisset, etiam creditum amiserat, & usurarius pœnam subibat. Hodie tamen *Holmiæ* mos usurarum obtinuit. Adulteria, præsertim duplicia, sine ulla mitigatione pœnæ hic morte puniuntur. Iudici secunda vice rogato, & tamen sententiam decisivam differenti, pœna imponitur; qua ratione processus diu non durant. Nullus hic advocatorum & procuratorum usus, cum quilibet coram Iudice causæ suæ patronus sit. Quod si vero pars litigans vidua vel minorennis sit, proximi agnati processum curare tenentur. In defectu horum, Senatus ipse illis Tutorē constituit, & negotium intra breve tempus finitur. Mater liberorum suorum Tutrix & Curatrix post mortem mariti manet, quamdiu vidua est; si ad secunda transit vota, præcipuas vestes, & tertiam mobilium accipit; reliquæ 2. tertiæ liberis permanent.

Bona

Bona uxoris ſine illius conſenſu nemini licet vendere. Poſt obitum mariti decem menſes viduæ adjudicantur, quæ ſi poſthumum intra illos pariat, hæreditatem cum infante adit; verum ſi infans poſt X. menſem natus ſit, pro hærede non habetur. Fæmina adultera, criminis per 6. teſtes convicta, dotem perdit, omnéque acquiſitum marito cedit, qui illam ad mortem dandi poteſtatem habet. Iudicium quorundam criminum ſoli Regi integrum eſt, ut læſæ Majeſtatis, proditionis, &c. Proditores rotâ feriri, vel ſingulari Regis gratiâ capite plecti ſolent, ſi Nobiles ſint, niſi verò delicti gravitas ſuſpendii ignominiam exigat; tum argentea catena vel fune ſericeo ex arbore viridi ſceleratos tales ſuſpendere mos eſt. Vid. plura apud *Pierre d'Avity p. 654. in deſcript. Regn. Suec.* De ultimo genere hominum, ruſticorum nimirum, hæc notari debent, quod nullibi in Europa majorem, quam hic, habeant libertatem & poteſtatem, cum in comitiis oratores ſuos habeant & ſuffragia ferant. Duplicis autem ſortis ſunt, alii dicuntur *die Skatbönder*, qui ſua poſſident hæreditaria bona, ab iiſque quotannis certum pendunt tributum. Hi præter alios his gaudent immunitatibus, ut, ſi ingruente bello ſibi idonea poſſint parare cum equo arma, quamdiu ſtipendii mereant, liberi ab omnibus ſint oneribus. His adnumerantur illi; qui in fodinis cupri laborant. Altera ſpecies ruſticorum in Regalibus, Clericorum & Nobilium bonis habitat, ſuáque ſolvit tributa, & tales præ reliquis ruſticis aucupia & venationes exercere poſſunt. Vid. *Zeiler. in Beſchreibung des Königreichs Schvveden, p. 62. ſeq.*

XIV.

Divitiæ. XIV. Reditus Regni percipiuntur ex bonis Ecclesiasticis: ex fodinis, decimis frugum, tributis & vectigalibus. Quantum ad bona Ecclesiastica, priusquam Religionem Sueci mutassent, Archiepiscopus Vpsaliæ, sex Episcopi, plurimáque monasteria, latissimos possidebant fundos, ex quibus magnos accipiebant reditus. Verum hodie Reges omnia illa bona suæ fecerunt potestatis, qui Episcopis minores reditus constituerunt. Omnium mineralium decimæ Regi debentur; & si subditi venas fodinarum non tenerent in occulto, multò plures ex illis redirent proventus. Per totum insuper Regnum telonium & decimæ frumenti, butyri, casei, piscium, boum, rerúmque aliarum Regi penduntur. Cùm Rex aliquod bellum pro defensione Regni suscipit, omnibus id notum facit provinciis, quæ victui necessaria suppeditant. Nobiles tamen, illísque subiecti, ordinaria ad bellum tributa præstare non tenentur, sed cum contributiones generales consensu Nobilium indicũtur, illorum subditi mediã partem solvere debẽt eius, quod Regi immediatè subjecti solvunt. Porrò populus obstrictus est ad dotem cuíque Regis filiæ, quando in matrimonium datur, pecuniam conferre: accipit autem à longo tempore unaquæque 100. millia Imperialium, præter vasa argentea & suppellectilem domesticam. Reditus ex pellibus, quos solos Rex à Lapponibus exigit, magni sunt. Ex solo ære, quod ex duabus vel tribus eruitur fodinis, decimę Regis quondam ad 500. *Squipons* & ultra accesserunt, valor autem *Squipons*, 30. millium talerorum est. Præter vectigalia maritima, quæ hodie pro

certa pecuniæ summa mercatoribus elocantur, etiam insignes proventus ex ditionibus Livonicis, & Pomeraniæ, accedunt. Divitiæ privatorum, in copia pellium & ferarum, coriis, exuviisque sitæ sunt, tum verò in butyri, ferri, cupri, ceræ, sevi aliarúmque rerum abundantia.

XV. Quælibet Provincia suum habet peditatum & equitatum numero & robore potentem. *Vires* In Regno *Sueciæ* & *Gothiæ* numerantur circiter 32. vexilla pedestris militiæ: quodlibet 700. homines continet. Illæ copiæ in omnem occasionem paratæ & ferè omnes sclopetarii sunt. In *Finlandia* duæ sunt militum cohortes; una militum simplicis conditionis, altera Nobilium. In *Smalandia* & *Ostrogothia*, ut & *VVestrogothia*, quædam cohortes Nobilium equitum reperiuntur, & *VVestergothia* Nobilibus plus, quàm ullæ aliæ, abundat, neminique ibi præfectura militaris concreditur, nisi genere nobili. *Smalandia* sola quandoque 30000. armatorum exhibere potuit. *Livonia* hodie præsidiario Suecico milite instructissima est. Præter vires terrestres, quæ tam in abundantia militum, quàm accuratissima militiæ disciplina artibúsque militaribus (quibus Suecica gens notior est) sitæ sunt, etiam maritima Suecis potentia magna est. Quin Rex Sueciæ, in pace vivens, ut plurimum 50. navium bellicarum & ultra in promptu habet, sub directione Ammiralis sive Architalassi. Illi in omnem casum paratæ classi certus semper constitutus est navalis militis, & nautarum numerus, qui stipendia quotannis & alimenta ideò accipiunt, ut ad omnem nutum parati inveniantur. Præcipuæ navali classi certa

Holmiæ ſecretáque eſt ſtatio, quam nemini peregrino ſine periculo pœnæ carceris adire licet. Alia in *Finlandia* contra Moſcos excubat; quædam etiam in *Pomerania*, & aliis Suecicis ditionibus reperiuntur, ad bellum munitiſſimæ. *Fortalitia* quondam in *Suecia* ſatis multa fuerunt, quæ à tempore belli cum *Sigiſmundo* Rege Poloniæ & Sueciæ habiti diruta ſunt. Verum parum illis indiget Suecia, cum undique ingentis magnitudinis rupibus clauſa ſit, & deſperatum hoſtibus præbeat aditum. Adhæc portuum commoditas in omnibus Sueciæ ditionibus, non niſi ad magnos conatus audentibus viam aperit, cum maxima maris Balthici pars illis velut claudatur.

Ratio ſtatus. XVI. Cum provinciis diffuſa, populóque animoſo frequentiſſima ſit Suecia, quæ vix unquam æquo animo pacē ferre poſſit; ipſa verò Regio, cultu ſitúque aſpera, tantæ multitudini alendæ non ſufficiat, cum hodie coloniis plures Regiones non pareant: ex ratione Status Regni Sueciæ eſſe videtur, ut aliquo bello externo feroces populi ſpiritus exerceat, fœdera cum potentiſſimis & maximè bellicoſis Principibus ineat, ut foris majorem famam ſervet, domi ex alieno ditior vivat, commodáque habeat tempora. Cum verò vicinas Regiones habeat, quæ quidem alieno imperio ſubjectæ, non tamen ſatis ſua vi nixæ ſint; illas Regno ut adjungat, & data occaſione vi armorum accipiat, pro inſigni Sueciæ incremento habebitur. His deſtinationibus, mari Balthico Vrbes adjacentes in poteſtatem redactæ, non leve daturæ pondus; quin, ſi fieri poſſit, occupati jam per partes, tandem totius maris Balthici univerſum dominium.

XVII.

XVII. *Finlandii* pleni sunt (Olao M. teste) civilitatis, & peregrinis humani; modesti, & ad iracundiam tardi; vindictæ tamen nimium avidi, ubi irritati sunt. Forma præditi sunt eleganti, procerâ, facie pulchrâ, indole simplici. Inter bibendum utuntur vasis cornutis, quæ *Nosa* vocant, quæ extus multas habent pictas figuras. Fœminæ illorum venatum cum viris exeunt; nec aliud pueris præsidium est contra ferarum & tempestatum injuriam, quam inter vepreta: in quibus etiam seniores latitant; existimantes, quod multo feliciùs ita vivant, quàm si exstruendis domibus se fatigarent. *Finlandiæ Mores.*

XVIII. Conversi sunt *Finlandi* ad fidem Christianam circa annum 1155. Templa habent insigniter extructa, sed à tempore *Olai* Augustana Religio apud ipsos invaluit, quæ hodie adhuc ibi conservatur. *Religio.*

XIX. Rex Sueciæ suos hic habet per provincias *Gubernatores*, qui subditos arctè & severè tenentur regere, & ab ipsis tributa exigere, ut obsequii memores sint. *Regimen.*

XX. Omnium Sueciæ subjectarum Regionum *Finlandia* bonitate soli fertilissima est. Abundat equidem frumento, omnibúsque ad victum necessariis rebus, tum vero pecore & pascuo agro, ubi pingues nutriuntur boves. *Divitiæ.*

XXI. Hujus ditionis incolæ moribus similes sunt vicinis Lithuanis & Samogitis. Nomen inde habent, quod valdè sint crudeles, ut, si iter faciens apud rusticum pernoctet, periculum vitæ sæpius patiatur. Otio ejus incolæ valdè sunt addicti, imprimis sexus muliebris; existimantes, quod *Livoniæ Mores.*

indecora res vilísque sit, laborare. Hoc otium gentis cum vitio ingluviei & ebrietatis conjunctum est; magna adhæc laborant superbiâ, malitiâ & fraude. *Rigenses* morum elegantia, hospitalitatis jura, splendidus vestium & ciborum apparatus, præ reliquis commendat. Ruricolæ atro & vili pane victitant, habitúque Bohemico proximo utuntur. Fæminæ illorum colum ducunt, omniũq; miserrimè tractantur. Linguarum hic varia est dialectus. Equidem frequens illis est lingua *Curlandica*, *Estonica*, *Livonica*. *Revalia* & *Dorpatum* eodem utuntur sermone. Incolæ verò Vrbium, Arcium, & Castellorum Germanicè ut plurimum loquuntur, in quibusdam etiam partibus Russica lingua non infrequens est. Livonicè oratio dominica ita sonat. *Thabes mus, kas tus eckschan debbessis; Schvvetitz tovvs vvärtz; evack mums tovvs vvalstibe; tovvs praatzs buska, ekschkan debbes, tavvursan semmes: Musse denische mayse duth mums schodee. Pammate mums musse grake, kamess pammart musse parадue ken: ne evvedde mums jouna badeckle: pett passarga mums nuvvsse joune.* Cum sponsa in matrimonium elocatur, ipsi corona rotunda argentea alius caput exornat, omnésque fœminæ & virgines illam præcedunt, coopertæ rubris & invicem complicatis palleolis à capite ad talos propendentibus. Veris *Livonis* hic vetus remansit mos, ut ad demortuorum sepulchra cibos ferant, dicentes: *Exito miser ex hoc mundo in meliorem, ubi tibi Germani amplius non imperabunt, sed obsequentes erunt; omnia habes quorum in itinere indiges.*

XXII.

XXII. Livoni *Pontificiæ* Religioni addicti fuerunt, propemodum ad annum 1527. uſque. Ab illo tempore omnes ferè *Lutheranam* Religionem profeſſi ſunt. Hodie poſtquam ſub imperium *Suecorum* venerunt, nulla ibi alia Religio quam Auguſtana publicè docetur. Qui *Græcam* profitentur Religionem pauci clam vivunt. Quin apud multos reliquiæ Religionis *Catholicæ* remanſerunt. Qui ruri degunt, adhuc Religionem Catholicam tacitè fovent. *Religio.*

XXIII. Subjecta quondam hæc Regio fuit *Magno Magiſtro Ordinis Livonici*, qui (teste *Ioan. Leuncl. de Moſcor. bellis*) conjunctus fuit cum illo, qui Pruſſiæ præfuit, vel *Equitibus Teutonici Ordinis*, ſive *Crucigeris*, ſub *Conrado* illorum ſupremo Magiſtro, an. 1234. per ordinationem *Gregorii Papæ IX.* Ab hoc tempore Magiſtri Ordinis Livonici pro ſupremo Magiſtro *Magiſtrum Pruſſiæ* agnoverunt, ipſique certum ſolverunt tributum. Sed magnus Magiſter *VValterus de Plettenberg* ab imperio Magiſtrorum Pruſſiæ Magiſtros Ordinis Livonici liberavit, certa pecuniæ ſumma ultimo Magiſtro ordinis Teutonici *Marchioni Brandenburgenſi* perſoluta, anno 1513. Cumque is Princeps Imperii evaſiſſet (vid. *Thuan. l.* 21.) abſolutè Livonis imperavit, uſque ad annum 1515. Verum ad ultimum à *Sigiſmundo* 1. Rege Poloniæ coactus eſt, ut 2. conditionibus ſubſcriberet. Tandem *Sigiſmundus Auguſtus* extinxit ordinem Livonicum poſt deceſſum magni Magiſtri *Gulielmi de Furſtenberg*, omnia loca occupans, & *Ducem Curlandiæ* creans, qui ipſi præſtitit homagium an. 1427. Manſerunt igitur Duces *Regimen.*

Curlandiæ in fide Regum Poloniæ. Postremò *Rex Sueciæ* Livoniam (jure an injuriâ, quis in victore requirit?) sibi armis, certis initis conditionibus, subjecit, in qua hodie suum habet *Gubernatorem*, aliósque Regni ministros.

Divitiæ. XXIV. Mercatura his in oris florentissima est, ob incredibilem soli fertilitatem, quæ felici proventu producit frumentum, ceram, linum, cannabim, variáque pellium genera.

Vires. XXV. Idem armorum usus Livonos, ac Germanos hodie maximè commendat. His in bellum excitatus est animus, manúsque prompta. Equi illorum celeritate Polonicis nil concedunt, peditatu tamen deterior est Livonia, quod plures reperiantur in illa mercatores & mechanici. Hac tempestate Suecici militis numerosa præsidia, ubíque collocata, securam incursionum faciunt Regionem; quibus accedunt loca arte Architecturæ militaris munitissima, & magna incolarum frequentia. Ne in data fide *Rigenses* nutarent, arte quadam Rex Sueciæ in prudentiores personas Magistratus & Cives collatis beneficiis sibi illorum conciliavit animos. Hic gratus honoris liquor multorum pro patriæ libertate & privilegiis concessis fervida studia facilè extinxit.

XXVI. Nolo silentio præterire, duas res præclaras, quas Rex Sueciæ in militum commodum facit: una est, quod si miles ab hoste capiatur, redimit eum Rex; altera, quod si militis equus occidatur, Rex ei alium confert. Rex dat quotannis Capitaneis, & iis, qui equis merent, in solutionem partis stipendii vestem: olim apud Romanos id in usu erat, qui militibus sagas dabant.

XXVII.

XXVII. Suecus cum Mosco belligerando primas habet, quod Finlandia (quæ Russiæ contermina est) ob lacuum & paludum frequentiam, aditus difficiles, periculóque plenos habet, accíditque plus quam semel, ut hostium exercitus, in illis glacie concretis aquis, submersi sint perieríntque. Suecus habet maximam suarum classium partem hyeme eo in mari, in quo (sicut antè dictum est) tunc bellum geritur, sicut mari æstivo tempore. Habet arcem Viburgum, quam optimè instructam, & in finibus Magni Ducis Moscorum Narvam, Revaliam aliáque loca & arces, quibus tanquam frenis ipsum constringit. Vt dicam quod verum est: illæ munitiones utilissimæ habendæ sunt, quæ in hostium solo jacent, faciunt enim duos effectus, defendunt quod tuum est, & infestant hostium ditiones; tuum tanto melius defendunt, quanto ab eo longius distant, dum enim hostis se circum ea torquet, sunt tua tranquilla, potesque extra strepitum, damnúmque tuorum populorum redituúmque, ea procurare, quæ ad liberanda conservandáque pertinent: hostem tanto majori cum damno vexant, quanto ei viciniores sunt: hujus generis erat Caletum, dum in potestate Anglorum esset. Talia quoque sunt loca, quæ Lusitani & Castellani habent in Africa. Sed castella in tua ditione exstructa, non alii serviunt, quam quod tua defendunt, sed cum magno tuo incommodo; quotiescunque enim invaduntur, necesse est tuos populos damna gravissima pati, tuum regnum exagitari turbis, strepitúque involvi, ejusque partem hosti prædæ cedere.

XXVIII. *Dania, Norvvegia & Suecia*

frequẽter conjuncta & disjuncta regna fuerũt. Prima & Antiquissima conjunctio trium regnorum septẽtrionaliũ facta perhibetur sub Suibdagero Rege Norvvegiæ. Sed antiquissima illa adeo incerta & fabulosa sunt, ut major illis fides quam Amadisi commentis adhiberi non possit. Constat tempore Taciti Suiones (ita enim Suecos appellat) nec non Sithones (qui Norvvagi sunt) Reges habuisse proprios: ac in Suecia absolutam fuisse Monarchiam hæc verba Taciti in Germania sua ostendunt cap. 44. Apud Suiones unus imperitat nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi. Sed hæc servitus paulo post mutata in libertatem videtur. Ita enim Adamus Bremensis vetustissimus rerum septentrionalium scriptor de Suecis. Reges habent ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi sententia. Sithones seu Norvvagi γυναικοκρατίαν habuerunt. Videatur Tacitus in Germania cap. 45.

XXIX. *Norvvegia olim complures habuit Reges, donec in unius potestatem perveniret.* Nomen ejus temporibus Carolingorum Nordmannia. Ejus incolæ Normanni. Cumque illi Reguli inter se discordes essent, ac ipsa Scandia nimia hominum multitudine abundaret, exonerare se Normanni & veluti sacrum Ver in exteras regiones mittere cœperunt: quod inprimis circa A. C. 800. factum. Hinc illa Piratarum Normannorum immensa agmina per Gallias, Britannias, Germanias latrocinio infamia, ut precibus Christianorum solennibus addita tunc fuerit hæc formula, A furoribus Normannorum libera nos Domine. Nec antè destiterunt quam Carolo Simpici Gallorum

rum Regi *Neustriam*, Rollo Dux Normannorum eriperet, quæ hodiéque Normannia appellatur. Primus universæ Norvvegiæ Rex A.C.878. factus fuit Haraldus cognomine Harfagerus s. Comatus, conditor regiæ Harfagerorum familiæ, quæ per sex secula continuis successionibus in Norvvegia regnavit, donec in Olao A. C. 1388. extingueretur.

XXX. *Islandia Norvvagorum colonia est.* Acriter controvertunt Geographi, num Islandia priscorum sit Thule, de qua extant disceptationes Arngrini Ionæ Islandi & Iohannis Isaacii Pontani. Res tanti non est, ut in ejus examine inhærendum sit. Id potius inquisitione dignum, an quam hodie Islandiam vocamus sive Thule sit sive non incolas habuerit antè Norvvegorum adventum? Id quod Pontanus contra Arngrinum satis luculenter probat, & certè fieri vix potest, quin jam antiquissimis temporibus ex Scotia, Hibernia, Norvvegia, vicinis regionibus, ipsa ingens & habitabilis regio incolas acceperit. Quicquid sit, pulsi ab *Haraldo Harfagero* aliquot Norvvegiæ reguli circa A.C.900. sese cum familiis suis in Islandiam transtulerunt, & confluentibus quotidie aliis, paulatim tota habitari cœpit. De numero incolarum conjectura ex eo fieri potest, quod jam An. 1090. censu habito inventi fuerint in Islandia Meridionali mille, in Occidentali 1100. in Boreali 1200. in Orientali 700. eorum tantum, qui tributa Norvvegis præbebant, omissis pauperioribus. Initio liberi fuerunt Islandi ac suam habuerunt Rempub. donec Norvvegiæ Reges jus in eos tanquam suæ originis prætenderent, in quorum etiam po-

testatem postea concesserunt, & sub eorum sceptro hodiéque pacatam vitam agunt, remoti à turbis & bellis reliquarum regionum. Quis enim hibernum illud mare nulla spe prædæ ingrediatur. Nihilominus Turcæ Piratæ interdum in ea exscensionem faciunt, ac inde homines in Africanam captivitatem abripiunt.

XXXI. *Gronlandia Islandorum colonia hodie periit.* Supra Islandiam ingenti terrarum tractu sub ipso circulo Arctico ac frigida Zona Gronlandia jacet, regio antiquis non planè incognita, quibus notum fuit mare Gronium, & in eo regiones. Primus ex Islandia *Ericus Ruffus* traduxisse colonos in Gronlandiam adhuc desertam perhibetur, eúmque secuti plures, ita ut tandem Gronlandia divideretur in Orientalem & Occidentalem, quarum illa 11. hæc 8. parochias habuit. Ex Gronlandia Americam Septentrionalem primos accepisse incolas, & Mexicanos Norvvagorum per Gronlandiam propaginem esse Hugo Grotius antè aliquot annos nugacissimè commentus fuit, ejus quidem opinionis non ipse sed Abrahamus Mylius primus inventor fuit, ex quo omnia sua argumenta præterito nomine hausit ac pro suis venditavit. Extant doctissimæ contra eum Iohannis de Laet observationes, ubi ostendit nec rationem temporum, nec morum, nec linguæ, nec antiquorum traditionem pati, ut origo Mexicanorum à Gronlandis deducatur. Hujus Gronlandiæ omnis & notitia & memoria periit circa A. C. 1416. à quo tempore diu intermissa illa navigatio fuit. Causam referunt duplicem, tum magnam, qua Norvvegia exhausta fuerit, pestilen-

pesti entiam, tum ingentem vim glaciei, quæ ex mari Tartarico tempestatibus ejecta omnes in Gronlandiam aditus obstruxerit. Hodie aperta quidem iterum via, sed nulli apparent in Gronlandia homines, nullum humani cultus vestigium, ut vel extinctos omnes fuisse necesse sit, vel ad interiora ac remotiora migrasse. Reges Daniæ, quemadmodum in Islandiam, ita in Gronlandiam quoque dominium sibi asserunt: sed ab eo tempore, quo Gronlandi perierunt, Reges Scotiæ, Angliæ, Galliæ, Hispaniæ negare illis hoc jus, ac communem omnibus in eo mari navigandi & piscandi jus asserere, qua libertate hodie Batavi quoque frustra prohibente Rege Daniæ utuntur.

XXXII. *Reges Norvvegiæ jus prætendunt in insulas Orcades.* Orcades & Hebrides insulæ ad Scotiam sitæ incolas ex Norvvegia acceperunt, ac illius regibus diu subjecti manserunt. Vnde cum aliquoties bella inter Scotos ac Norvvegos ob earum possessionem orirentur, tandem Aquinus Rex Norvvegiæ eas cessit *Alexandro* III. Regi Scotiæ. Sed cum ne sic quidem cessarent controversiæ, *Christianus* I. Rex Daniæ, Sueciæ & Norvvegiæ, *Iacobo* III. Scotiæ Regi eas cum filia in dotem dedit, de qua transactione authenticas se vidisse tabulas Buchananus tradit. Ita Orcades à regno Norvvegiæ avulsæ in Scotorum potestatem venerunt.

XXXIII. *Helsingia potens per Norvvegiam & Sueciam regnum fuit.* Hujus regni quanta fuerit amplitudo, exinde patet, quod ad Sundam Daniæ fretum hodiéque Helsenburg & Helsinora veteres Helsingici regni reliquiæ extent, ut à

Scania usque in Potniam, Lappiam ac Scrick-Finniam extensæ fuerint. Tandem à Regibus Sueciæ destructum fuit, ac in provinciæ formam redactum. Nulla præterea ejus memoria superest.

XXXIV. *Tria Regna Septentrionalia denuo conjuncta.* *Olavus* Daniæ Rex A.C. 1380. defuncto *Haquino*, Norvvagiæ quoque Rex factus fuit, à quo tempore duo hæc regna Dania & Norvvegia perpetuo conjuncta manserunt. Ei successit Margareta mater, Semiramis Danorum, quæ *Albertum Megapolitanum* Sueciæ Regem An. 1389. prælio victum cepit, ac regnum ejurare coëgit. Ipsa trium regnorum, quod intra aliquot secula factum non fuerat Regina omni modo laborare, ut perpetua hæc & stabilis ad posteritatem trium potentissimorum regnorum conjunctio maneret. In eam rem convocati trium regnorum Ordines perpetuum inter se fedus ac unionem sub uno Rege pepigerunt An. 1395. Præcipua federis conditio hæc erat, ut in creando novo Rege Dania ac Suecia alternis vocibus primum suffragium haberent. Margaretæ successit Ericus Pomeraniæ Dux, huic Christophorus Comes Palatinus. Defuncto Christophoro ortum inter Suecos ac Danos de creando Rege dissidium fuit, cujus causa generalis naturale illud inter utramque nationem odium fuit. Singularis, quod Dani in electione Christophori primum suffragium contra pacta Calmariensia usurpassent. Ergo Sueci peculiarem sibi Regem *Carolum Canuti* filium An. 1448. Dani vero & Norvvegi *Christianum* I. Comitem Oldenburgensem elegerunt. Hoc dissidium novem

vem continuos annos duravit. Cum vero *Carolus Canutus*, deserto regno Sueciæ, clam cum thesauris suis Dantiscum aufugisset, *Christianus* I. etiam à Suecis Anno 1457. Rex susceptus ac coronatus fuit. An. 1459. Ducatus Slesvvicensis cum Holsatia ad Reges Daniæ pervenit. Cum enim *Adolphus* Dux Slesvvicensis & Comes Holsatiæ absque prole obiisset, *Christianus* I. Rex Daniæ, quod sorore ejus Heilvviga natus esset, ei in ditionibus illis successit de jure quæritur. Nam propior hæres erat *Adolphus* X. Comes Shavenburgensis, quem Christianus datis 43000. florenorum, & tribus in Holsatia præfecturis à prætensione removit. Nihilominus Comites Schavenburgenses aliquoties Regibus Daniæ quæstionem moverunt, & *Ferd.* II. Imperator illis investituram Holsatiæ dedit, quæ etiam non minima belli inter ipsum ac *Christianum* IV. causa fuit. An. 1469. Sueci denuo cœperunt tumultuari conquerentes *Christianum* I. pactis conventis non stetisse. Revocatus ergo ab exilio ad regnum fuit *Carolus Canutus*, eique An. 1470. mortuo successit *Steno Stur* non quidem Regis, sed Gubernatoris titulo. Hoc mortuo An. 1497. Iohannes Rex Daniæ *Christiani* I. filius iterum tria regna Septentrionalia conjunxit, quæ tamen unio non nisi sexennium duravit, semper reperientibus novas querelarum causas Suecis. Igitur An. 1503. denuo sibi gubernatorem creaverunt Virum Nobilem *Svvantonem*, cui An. 1513. successit Steno Stur junior, ac perpetua inter Danos ac Suecos bella fuerunt: donec An. 1520. cæso in pugna Stenone *Christiernus* II. Sueciam subjugaret.

XXXV.

XXXV. *Dania & Norvvegia ac Svvecia iterum dividi cœperunt.* Anno 1523. Caussa fuit immanis barbaries *Christierni* II. qui horrenda laniena Stockholmiæ edita, proceres ipsos obtruncavit, quorum facinorum auctor jactabatur venefica quædam vetula, cui nomen Sibricht, quæ Regis animum incantamentis occupasse creditur. Cumque non mitius in Dania regnaret *Christiernus*, tandem utriusque regni incolæ in illum insurrexerunt, eumque omnibus exutum regnis perpetuo carceri manciparunt, in quo post 36. annorum captivitatem An. 1559. animam exhalavit.

XXXVI. *Dania & Norvvegia Reges sibi ex Holsatia Ducibus crearunt.* Ejecto *Christierno* I. Dux Holsatiæ, creatus fuit Daniæ & Norvvegiæ Rex, qui renunciare omni suo in Sueciam juri, ac fedus cum Erico Suecorum Rege contra Christiernum ejusque defensores inire cœpit. Eo mortuo An. 1537. magnæ inter Danos exortę de novo Rege creando controversię cœperunt, qua usus occasione Christiernus captivus per emissarios suos auxilia cogere, ac ipsam Hafniam regni caput in sua etiamnum captivi verba adigere. Contra ejus factionem electus *Christiernus* III. *Friderici* I. filius regnum brevi pacavit, & ad posteros *Fridericum* II. *Christianum* IV. *Fridericum* III. transmisit.

XXXVII. *Apud Suecos Trollorum familia regnare cœpit.* Inter alios obsides, quos *Christiernus* II. ex Suecia abduxerat, fuit quoque *Gustavus Ericsonius* ex Nobili Trollorum familia, qui ingemiscens patrię suę calamitatibus ex Dania

inter

inter venandum habitu piſcatorio aſſumpto Lubecam clam evaſit, & ab illis in Sueciam clam traductus *Dalecarlios* montanam & aſperrimam gentem ad arma contra Chriſtiernum concitavit, atque ita popularibus ſuis vexillum ad libertatem oſtendit. Cúmque magna Suecię parte expuliſſet Danos, communi Ordinum ſuffragio Rex creatus fuit: Princeps prudentiſſimus & fortiſſimus, qui prima Suecicę potentię fundamenta jecit. Cumque videret illam creandi Reges libertatem paci publicę noxiam eſſe, ab Ordinibus impetravit, ut Suecia ex electivo regno fieret hęreditarium. Ei ſucceſſit Ericus qui graviſſimum per 8. annos cum *Friderico* II. Rege Danię bellum geſſit, ac tandem propter tyrannidem regno ſpoliatus & in carcerem conjectus miſere obiit. Poſt hunc regnavit *Ioh.* III. qui Livoniam Ruſſorum tyrannidi ereptam regno ſuo adjecit, ac Suecicum Imperium latè per Finlandiam, Ruſſiam, Ingriam ac Livoniam protulit. Ejus filius Sigiſmundus An. 1587. creatus fuit Polonię Rex, ſed hac conditione, ut Livoniam regno Polonię in perpetuum uniret. Hic An. 1593. Patri in Suecia quoque ſucceſſit. Sed quod eſſet Pontificios ac Ieſuitas cum religione R. Catholica in Sueciam clam introduceret, denique vim ac arma abnuentibus inferret, opponere ſe illi patruus *Carolus* cœpit, cujus flagrans apud Suecos gratia & authoritas erat. Hinc acres ſecutę inter Suecos & Polonos controverſię, quę mox in grave ac diuturnum bellum eruperunt. *Carolus Sudermanniæ* Dux primum Suecię gubernator, ac tandem An. 1601. Rex electus fuit, & imperium Sigiſmundo abrogatum. Hic *Carolus* hujus

hujus nominis IX. perpetua contra Russos, Polonos & Danos bella gessit, ac suam gentem armorum quotidiano exercitio ad bellum hocce Germanicum quasi præparavit. Causa belli Danici erat, quod *Carolus* in universam Lapponiam sibi arrogaret jus, ac à maritimis Vimmarchis tributa exigeret, tum quod uteretur titulo Regis Vandalorum. *Carolo* successit *Gustavus Adolphus* A. 1611. omnium, quos unquam Suecia habuit, Regum maximus ac victoriosissimus, qui contemptam hactenus Suecorum fortunam ad summam incredibili successu amplitudinem extulit. Hæc *Gustavus Adolphus* Caroli IX. filius & successor nodum Gordium gladio victore dissecuit, ac Sigismundum Regno Sueciæ renunciare coëgit A.C. 1627.

XXXVIII. Quanquam verò inter Suecos & Polonos, vel pace vel induciis hæc controversia utcunque sopita videretur, manserunt tamen ejus radices. Quippe Reges Poloniæ ex linea Sigismundi, quanquam Regno Sueciæ carerent, titulis tamen atque insignibus abstinere noluerunt. Inde antiqua odia inter utramque gentem recruduerunt, quæ tandem inter *Carolum X.* Sueciæ & *Johannem Casimirum* Poloniæ Regem in funestissimum illud bellum anno 1655. exarserunt, quo tota ferè Polonia conflagravit. Hoc bellum etiam an. 1660. pace mutata, Livonia Suecis cessa, & titulus R. Sueciæ à Polono remissus.

XXXIX. Suecia *bello Germanico & Danico maxima incrementa cœpit.* Obscura hactenus & Septentrioni ferè inclusa Suecorum potentia & gloria primum erupit, atque toti orbi innotuit, bello

Germa-

Germanico, quod *Gustavus Adolphus* anno 1629. gerere cœpit, incredibili cum successu, quod tandem anno 1648. pace Monasteriensi finitum fuit. Hoc bello & pace *Sueci* obtinuerunt præter ingentes thesauros ac inæstimabilem prædam, amplissimas ad mare *Balthicum* Provincias, Ducatum *Bremensem*, salva urbis libertate & *Verdensem*: omnem *Pomeraniam* citeriorem unà cum Episcopatu *Caminensi* ac Dominatum *Vismariæ* in Ducatu *Megapolitano*. Bello postremo Danico Sueciæ accesserunt. 1. in Norvvegiâ *Iemptia* & *Bahus*. 2. in Dania *Hallandia*, *Scania*, & *Bleckingia* atque aliæ in mari Balthico Insulæ.

XL. Omnium Septentrionalium Regnorum amplissimum & fertilissimum *Svedia* est. Ingentes in ea *lacus*, crebra *flumina*, *montes*, *sylvæ*. Sed *Australior* pars bonitate soli cæteras longè superat; *Septentrionalia* frumento carent. Sed pabulo, feris præstantissimarum pellium & piscibus abundat. *Metallorum* feracissima, & *ferri* ac inprimis *cupri* inexhaustæ venæ, sed pro magnitudine Regionis rarius habitatur. Suedi bellis aptissimi, & vix alia Regio meliorem militem producit, quod expeditiones ipsorum hodiernæ satis comprobant. Miles & Equitatu, & Peditatu, & navali quoque certamine præstans.

XLIII. Quod Comitia Sueciæ attinet, Status Regni Sueciæ per universalem denunciationem ad comitia Regni evocantur. Ad comitia verò in hoc regno indicenda non requiritur primariorum Statuum Regni consensus, uti in Germania Electorum, sed liberæ Regiæ potestatis arbitrio hoc ipsum relinquitur. Causæ ob quas

Comitia Regni Re pro arbitrio libero indicit.

Causæ ob quas Comitia regni indicuntur. quas Comitia Regni solent indici sunt (1) Novi Regis coronatio (2) religio (3) bellum (4) Pax (5) Collectæ (6) Vectigalia (7) superindictiones (8) Moneta (9) Ordinationes Ecclesiasticæ & Politicæ (10) Commercia (11) Mensuræ (12) Pondera, stateræ &c. In regno Sueciæ convocantur (1) *Personæ ad Comitia convocandæ.* Comites, Barones, Equites & Nobiles justæ ætatis in Suecia, Gothia, & magno Ducatu Finlandiæ (2) Episcopi, Superintendentes, ex singulis capitulis duo Consistoriales, & ex quovis territorio rusticæ Ecclesiæ Parochus unus. (3) Tribuni provinciarum militares, Locumtenentes, Majores, uti hodie appellantur, cum uno Equitum Magistro & Capitaneo cujusvis Legionis. (4) Ex civibus uniuscujusque urbis consul cum Senatore. (5) Ex singulis territoriis sive provinciis unus rusticus, quod in solo hoc & Daniæ Regno indultum est rusticanis, & quidem magno privilegio, cum tale quid in aliis Monarchiis huic genti denegetur, imò & in particularibus territoriis à conventibus excludantur. Ita vocati omnes in personâ comparere tenentur, nisi causam justam & necessariam docere possint. In hoc Regno nulli in *Quinam habeant ius sessionis in Comitiis Regni.* Comitiis suffragium competit, nisi illis, qui intra antiquos Sueciæ, Gothię & Finnoniæ limites domicilium vel fundum habent, reliquis exclusis. Qui ad Suecicas Diętas vocati sunt legitimationem personæ suæ in Cancellaria Regia exhibent.

Senatus. XLII. In Suecici porrò Regni comitiis quinque sunt Buleuteria, & per consequens tot directoria, (1) Nobilium, sub quibus comprehenduntur Comites, Barones illi, qui à Senatoribus

bus regni originem ducunt, uti & nobiles. (2) Ecclesiasticorum (3) Vrbium (4) rusticorum. Legati in suis destinatis domibus conveniunt. Conclave Nobilium tres classes constituit: Prima est Comitum & Baronum. Altera classis est Senatorii Ordinis illorum nempè, qui ab eo se oriundos probaverunt. Tertia est Nobilium; ubi computantur vota juxta majora cujusvis classis, & deinde juxta majora classium, ita ut duę classes tertiam ad se trahant. Habent & (5) milites in Suecia singulare suum buleuterium, cum quo & cętera conclavia communicant, & communiter in regno Suecię Recessus ita subscribuntur: Der Reichs Schweden Räthe und Stände / Grafen / Frey-herrn / Bischoffe / Adel / Clerisey / Kriegsbefehlhabern / Bürgerschafft / und ganze Gemein. sc. der Bauerschafft (Vid. Diar. Eur. part. 5. pag. 317.) Hęc buleuteria tamdiu inter se tractant, usque dum in unum consentiant. Directores sunt pręcipui collegiorum, nisi quod hoc munus in Nobilium conclavi competat Mareschallo provinciali, qui in singulis comitiis à Rege novus constituitur. Hic Mareschallus in Collegio, Nobilium votum concipi & recitari curat, estque discursus moderator. Porrò in Comitiis Suecicis in Collegio Illustrium uni familię non nisi unum competit votum, quod in Comitiis Imperii secus est. Modum votandi quod attinet, omne id quod collegialiter consultatur majora admittit. In Comitiis regni tres Nobilium classes habent tria vota, & pręvalent aliis Regni membris, quia numero excedunt Ecclesiasticos,

Vota in Comitiis Suecicis.

ſiaſticos, & meritis alios omnes.

XLIII. Hodierna Suecia triplo potentior eſt, quàm vetus. Nam pręter provincias antiquitus acquiſitas, Ingriam Ruſſis; Livoniam Polonis; Gothlandiam, Bornholmiam, Scaniam, Blekingiam & Halandiam Danis eripuit: Rugiam verò, Pomeraniam, Bremam, Virdámque Imperio ademit. Quę omnes provincię Suecię Regno vel pręvalent, vel ipſi ęquipollent. Nomen ſanè formidabile Sueci ſibi acquiſiverunt in Orbe Chriſtiano, dum imperio ſuo provincias enumeratas adjecerunt; Inſuper portuum commoditas, propugnaculorum impenetrabilitas, ſummáque prudentia, quam in fovendis amicis, & inimicis aggrediendis adhibent, inexplicabilis eſt. Hi ſi dominium Maris Balthici in ſolidum ſibi acquiſiviſſent, nullus foret vicinus, cui Suecica potentia terrorem non ſit incuſſura. Quin & Italia hodie à Suedis ſecreto magis quàm palam ſibi metuit. In memoria enim Italis hęret, quid antiqui Gothi in Latio peregerint, &, quum novi Gothi antiquis bellicâ virtute non cedant, prudentiâ verò politicâ aliíſque mediis ad Italiam ſubjugandam idoneis ſuperent, non ſine cauſa futurum iſtud incommodum ſibi imaginantur, ut jam taceam de religione Lutherana, quę poteſt eſſe itineris Italili vehiculum ac cauſa impulſiva ad glorioſos illos labores exantlandos.

XLIV. *Senatus Regni.* Guſtavus Adolphus videns regnum ab avo ſuo conditum, miniſterio Senatus carere non poſſe an. 1627. Holmię in Comitiis, conſentientibus omnibus Regni Ordinibus Senatum reſtrinxit ad 25. Senatorum

numerum,

numerum, quos omnes obligavit Holmiæ reside-re, & Regis Regnique commoda pro virili pro-movere. Hujus Senatus Præses ipse Rex, in quo deliberatur de interesse ac salute Regni. Præter hoc Consilium Status in iisdem comitiis intro-ducta sunt alia quinque consilia (1) Iuridicum, cui præest Drozetus (2) Militare cujus præses est Conestabilis (3) Navale, quod dirigit Admiralius (4) Cancellariæ, cui præest Cancellarius; & (5) Rationum, cujus Præses est Regni Thesaurarius. Consilium juridicum illud est, quod Galli Parla-mentum vocant, cujus jurisdictio se extendit su-per omnes totius Regni causas civiles & crimi-nales, & vel condemnat vel absolvit Regis subdi-tos juxta Leges Regni. Talia Parlamenta quatuor fuere instituta (1) Holmiæ pro Suediâ, cui præ-est Drotsetus, eique assident quatuor Regni Sena-tores & sex Literati. (2) Gonekopiæ pro utrâque Gothia, ubi præest unus ex Regni Senatoribus, habétque sex nobiles & sex Literatos sibi adsiden-tes. (3) Aboæ pro magno Finlandiæ Ducatu. (4) Dorpati pro Livoniâ & Ingriâ, & in his duobus ultimis idem observatur, quod Gonekopiæ ob-servari diximus. Ab his omnibus Parlamentis li-cet appellare ad consilium Regis. Præter hæc Parlamenta, unaquæque provincia habet unum judicem generalem, & aliquot particulares qui audiunt partes in primâ instantiâ. Ratione Pome-raniæ & aliarum Provinciarum, quas Sueci in Germaniâ possident, erectum est supremum tri-bunal Wismariæ (Vid. art. 10. Instr. Pac.) ad quod ex singulis illis provinciis appellatur. Secundum Consilium bellicum cognoscit de omnibus rebus

ad militiam pertinentibus. Conestabili in hoc judicio adsident Campi Mareschalli & Summi vigiliarum Præfecti. Consilium Admiralitatis habet inspectionem rerum omnium ad navigationem pertinentium, curátque ut naves ubicúnque sint in regno benè munitæ atque armatæ. Præter Præsidem Admiralem, duo Regni Senatores hic Assessorum munere funguntur, & quatuor Vice-Admiralii. Consilium Cancellariæ agit de rebus ad Comitia Regni pertinentibus, de tractatibus cum vicinis amicis & inimicis, de Legatis mittendis & excipiendis, servat acta & recessus Comitiorum, statuta, ordinationes, edicta, privilegia, tractatus, & alia omnia, quæ Regnum respiciunt. Cancellario in hoc Consilio adsident quatuor Regni Senatores. Quintum consilium ærarii, curam habet conservandi & augendi Regis reditus, eosdémque rectè dispensandi.

XLVI. *Militia Suediæ.* Militia ordinaria Regni Seciæ constat 8. Legionibus equestribus, & 24. pedestribus, non computatis iis, quas Suecia habet ex provinciis, quas acquisivit in Germania & Dania. Equites numero sunt 9600. Nam unaquæque legio constat 1200. personis. Peditatus autem numerat 28800. capita. Singulæ enim Legiones 1200. hominibus constat. Hi milites aluntur è regni provinciis servatâ proportione hominum & facultatum, & quidem facillimè; utpote quum decem ex regiis rusticis, & 20. ex Nobilium subditis unum alant militem. Equitatus ordinarius singulis annis consumit 249224. nummos argenti unciales; peditatus verò 208344. Militia extraordinaria totidem prorsus militibus tam pedestri-

pedeſtribus, quàm equeſtribus conſtat; ſed ſtipendium non accipiunt, niſi dum in expeditione ſunt contra hoſtem. Tunc autem octo legiones equitum conſumunt 41570. Imperiales ; ſingulis menſibus: Peditatus verò 53832. Vnde patet Sueciam exiguis ſumptibus ingentia bella gerere poſſe, ſempérque habere exercitus omnibus vicinis formidabiles.

XLVII. *Vires maritimæ.* Bello maritimo præeſt Magnus Regni Admiralis, qui ſub ſe habet duos Admirales, & quatuor Vice-Admirales, qui omnes Suecicis claſſibus præſunt, minor abſente majore; ita ut ſemper ſervetur ordo ad rectam rerum directionem neceſſarius: Nautarum caterva conſtat tribus legionibus, quæ excedunt numerum 3000. rei nauticæ peritorum. An. 1644. corona Sueciæ miſit contra Chriſtianum IV. Daniæ R. 42. naves bellicas, 4. naves incendiarias, octo triremes & 60. Scaphas. Navium omnium minima gerebat 12. tormenta, maxima verò 76. aliarum unaquæque gerebat circiter 30. tormenta ænea. Numerus nautarum & militum excedebat 10000. qui à Danis egregiam reportarunt victoriam. An. 1655. Rex Carolus Guſtavus cum claſſe 36. navium bellicarum Polonos aggreſſus eſt: Anno verò 1659. idem Rex Batavos in freto Sundæ cum 42. navibus bellicis adortus eſt. Nunc ob acquiſitam Scaniam & alia maritima loca crevere Sueciæ vires maritimæ. Claſſis 10000. hominum dubio procul conſumit ſingulis menſibus ultra 50000. Imperialium.

XLVIII. *Status Eccleſiaſt.* In Suedia eſt unicus Archiepiſcopus Vpſalienſis, qui habet 7.

ſuffraganeos Epiſcopos, Superintendentes 8. qui ſolo nomine ab Epiſcopis differunt. Epiſcopi ſunt Lincopienſis, Scarenſis, Stregnenſis, Aroſienſis, Vepionenſis, Aboenſis, Wiburgenſis, Revalienſis & Rigenſis. Superintendentes ſunt Calmarienſis, Gottenburgenſis, Marieſtadenſis, Narvenſis, Iemptenſis, Vibrenſis, Helmſtadienſis, Arnburſis. Hi Prælati omnes conſtituunt Collegium Eccleſiaſticum ſupremum, quod dicitur Conſiſtorium Eccleſiaſticum Regni, cui pręeſt ArchiEpiſcopus Vpſalienſis. Quia Scania antè paucos annos acceſſit regno Suecię, Pręſulibus iſtis acceſſit Archiepiſcopus Lundenſis. Templa in Suecia omnia ſunt ſplendida, & cupro loco tegularum cooperta. Reditus Eccleſiarum tales fuerunt, ut aliquando Regi auſi fuerint inſultare, ipſumque tanquam ęqualem, vel ſanè paulo ſuperiorem reſpicere. Sed Guſtavus I. Rex Eccleſiaſticis abſtulit quindecim prędiorum millia, atque ita ad obedientiam illos redegit.

XLIX. Pręcipua Regni Suecię Vrbs eſt *Holmia* dignitate atque divitiis reliquos ſuperemiñens, quę Regni Senatus & omnium Conſiliorum ſedes eſt; quod efficit, ut urbs ſit plena nobilibus & aliis, qui agenda habent vel in aulâ, vel in Conſiliis. Poſt Holmiam *Norcopia* aliis pręferenda videtur propter officinas cupreas, quas ibidem ędificari curavit *Ludovicus de Guerre*, origine Gallus & natalibus Batavus, qui ob egregiam Regno Suedię navatam operam tempore Chriſtinę Reginę factus eſt Baro. Hanc verò gratiam optimè meruit. Suecię enim Regnum locupletavit, & auxilium à Batavis pro Sueciâ obtinuit, dum

dum ancipiti Marte bellum cum Danis gereret. Gottenburgum Norcopiam ſequitur, quia ob commoditatem portus magnam mercaturę prębet utilitatem.

L. Suecia hodie debetur Carolo-Guſtavianis à Palatinis deſcendentibus, non quia filii ſunt & hęredes, ſed quia Carolus Guſtavus Palatinus primus acquirens ex pacto & providentia & pacto cum Regni Suecici Statibus contracto, ſibi & ſuis maſculis poſteris, illud Arctoum Regnum an. 1650. obtinuit. Ex Comitiis illius anni, quorum Receſſus in Theatro Europęo extat, patet, quod Status Regni Suecię perpetuo adminiſtrationem ſociam habeant jurium quorundam majeſtaticorum.

LI. Suecia eſt inſuperabilis domi, quia hoſtis in ſinum ejus vix penetrare poteſt, ab eo pręſertim tempore quo ſe extendit uſque ad fretum oreſundę. Nam pręter mare quo tanquam foſsâ ampliſſimâ defenditur, Malmoen, Landſcron, Helſinburg, Chriſtianſtad, & alię arces munitiſſimę illam optimè propugnant. Alię partes cinguntur vel montibus continuis, vel nivibus horridis, vel ſylvis quę difficilem prębent aditum. Si verò hoſtis penetravit intimius in regnum, tunc vel vi militum quos Suecia alit magno numero, vel annonę defectu, vel aliquali cunctatione retrocedere cogitur. Vires quas Sueci aliis mittere poſſint, ex miſſis in Germaniam, Livoniam, Poloniam, Daniámq; exercitibus & Claſſibus facilè apparet. Quamvis autē Sueci valdè ſint formidabiles Catholicis, tamen non poſſunt propriis exercitibus diu rem gerere, ac facere ſumptus, qui requirūtur,

nec diuturnum bellum propriis militibus gerere. Quod autem adeò ſint formidabiles, hoc ex eo eſt, quia dum ſe movent Sueci magna pars Germanię Lutheranorum cum illis movetur.

LII. Regnum Suecię hodie eſt verè hęreditarium, id quod primum in lineâ maſculinâ cępit tempore Guſtavi I. ideo, quod patrem Ericum de Ridboholm, Equitem Auratum, in Senatorem Regni & Pręſidem Alandię haberet. Vt autem ad fęminas quoque jure hęreditario Regnum tranſiret Guſtavus Adolphus impetravit. Vnde filia Chriſtina, quum anno ætatis octavo Patrem, in pugna Luzenſi victorem, glorioſâ morte amiſiſſet, in Regno illi ſucceſſit.

LIII. Regni Suecici illuſtres Indigenę, quibus Rex officia ſua, ut lege cautum, committere poteſt, ſunt quamplurimi. Habet enim 20. Comitum, 34. Baronum, 19. ex Senatoribus Regni ortum trahentium, & 596. Nobilium familias, quę Albo Regni inſertę.

LIV. Ratio ſtatus Regni Suecię hodie eſt, ut feroces Suecię populi bello aliquo externo exerceantur, cum potentiſſimis ac maximè bellicoſis Principibus fędera ineantur, quò foris fama ſervetur ut ex alieno Regnum evadat ditius. Ratio ſtatus Suecorum in Germania eſt, tutela libertatis Germanicę, in Pace Weſtphalica pacta, & Auguſtanę orthodoxę Confeſſionis patrocinium. Sueci etiam intendunt ac quęrunt Civitatis Bremenſis, toties tentatę poſſeſſionem plenariam, quam tamen potentes vicini pro viribus ſemper impedient.

TEXTVS CONRINGII

De

REGNO DANIÆ.

TITVLVS XVII.

I. SEquemur ordinem in hoc Regno ſemel inſtitutum. De Scriptoribus Daniæ, qui huc faciunt ſic accipite. In omnibus penè voluminibus, quæ extant de rebuſp. noſtri ſeculi, habemus aliquid, quod huc faciat. Extat narratio Boteri de Regno Daniæ, ut & Anonymi cuiuſdam in Theſauro Honorii & Gaſp. Ens. Agitur etiam de eâ in Archontologiâ Coſmicâ Gothfridi, & in libellis editis in Bataviâ. De rebus geſtis Danorum varii extant Hiſtorici, non multi verò indigenæ; intelligo etiam ſupereſſe Chronica ab ipſis Danis facta, quæ tamen lucem publicam non viderunt. Inter omnes Danicos Scriptores ſplendet *Saxo Grammaticus*, qui vixit Sec. XII. ingenio ſuperans ætatem ſuam, nec reperias aliquem, qui tum temporis tantâ valuerit eloquentiâ, & ſcribendi facultate; fuit Canonicus Rothſchildenſis. Perſecutus eſt hiſtoriam Danicam à prima origine, eius hiſtoria eſt antiquiſſima & deprompta ex cantilenis antiquis Danicis. Carmina

Scriptores rerũ Danicarum.

Saxo Grammaticus.

autem illa ſunt mirè fabuloſa, ut adeò potior eius hiſtoriæ pars ſit fabuloſa. Legere eſt apud Tacitum, eorum carmina fuiſſe antiquiſſimum annalium genus. Deſcripſit etiam quædam ex rupibus, qui characteres vocantur Runici, exinde Saxo monumenta ſua deſumpſit, ſed parum illa continent, & quæ hodie ad nos ſunt delata, ſunt exigua, & nonnulla ſuperant fabulas. Ab aliquibus ſeculis nemo fuit, qui habuerit curam rerum, & periti inſcriptionum, ſi qui fuerunt, rari fuerunt. Primus hic elaboravit aliquid *Andreas Bureus* Suecus, qui ante annos 60. aliqua de his ſcripſit; poſt illum *Olaus VVormius*, Danus medicus Haffnienſis, primum edidit librum tit. Literaturæ Danicæ. Editus in 4. & ante annos 10. vel 12. edidit eiuſdem argumenti majus opus tit. Monumentorum Danicorum: quod habet & monumenta Norvvegica & Suecica: perſecutus eſt Saxones ſui ævi, aut ei proximos fœcundè ſatis & floridè, an verò bona fide, meritò dubites. Satis liquet, eum fuiſſe animo in Germanos invecto, ideo, ſi hiſtoriam eius examines, non difficulter apparebit, eum nimis indulſiſſe affectibus & Patriæ. Ego in tractatu de finibus Imp. eum aliquoties accuſavi, & convici inſignium errorum. Perſecutus verò eſt penè omnia uſque ad ſeculum XIII., quo tempore ſolito cœperunt eſſe florentiores res Danicæ. Sunt & alii Hiſtorici Danici, inter quos & numeraverim *Andream Huitfeld* Cancellarium Daniæ, Nobili natum familiâ: De hoc notari poteſt, quod Saxonem rarò ſequatur, & fidem eius vocet in dubium. Poſt hunc res Danicas illi, qui non fuerunt

And. Bureus. *Olaus Wormius.* *And. Huitfeldius.*

runt natione Dani deſcripſerunt, inter quos *Albertus Cranzius*, vir ſuo ævo incomparabilis. *Cranzius.* Hunc ſequitur *Chytræus*, qui, vbi Cranzius deſinit, incipit. Omnia perſecutus eſt in Chronico *Chytræus.* Saxoniæ. Eſt opus præclarum, nec poterit quis ad accuratam populorum cognitionem vicinorum & Septentrionalium pervenire niſi habeat Chytræum: uſque adeò eius Chronicon magni fecit Thuanus, ut res Germanicas, magnam partem tranſtulerit in ſuum opus. Fuere etiam in Dania Ioannes Gliſcenter, & Ioannes Parcus, qui itidem ſcripſerunt historiam Danicam, ſed parvi ſunt momenti. Curante autem Chriſtiano IV. Rege res Danicæ acceperunt inſignes duos Hiſtoriographos. 1. eſt *Ioannes Meurſius*, Batavus, vir *Meurſius.* plurimæ eruditionis, cum primis in antiquitatibus Græciæ. Hic accerſitus eſt è Batavis in Daniam, Profeſſorem egit Soranum in Gymnaſio equeſtri, ibique tandem mortuus eſt. Hic primum ſingulari ope proſecutus eſt ultimæ familiæ Dano-Oldemburgicæ res geſtas Ioannis I. & Chriſtiani II. dein ſcripſit hiſtoriam Danicam ab origine gentis, *Saxonem ſecutus, ſed reiectis fabuloſis*, uſque ad familiam Oldenburgicam. 2. Hiſtoricus eſt *Ioannes Iſacius Pontanus*, Belga, ſed Haffniæ *Pontanus.* educatus. Locum invenit in Gymnaſio Hardervviciano, ubi hiſtoriarum Profeſſor fuit. Scripſit ille itidem hiſtoriam Danicam, ſtipendio Chriſtiani IV. conductus. Hic verò omnium præclariſſimè proſecutus res geſtas Danorum, ſemi Danus. Antequam incipiam aliquid de Regno Daniæ diſſerere, prius de Regno Norvvegiæ dicam.

Norvvegia olim cum Dania conjuncta.

II. Fuit autem Dania per 200. annos arctissimè conjuncta cum Regno Norvvegiæ, ita ut in servitutem & solitudinem penè sit redactum; cum antè hoc Regnũ Norvvegię aliquod fuerit distinctum regnũ. Quod ad ejus descriptionẽ pertinet, peti illa potest ex monumentis Danicis. Ego audio reperiri in Norvvegia Chronica, sed certi quid de iis disserere non habeo. Huc pertinet & Islandia portio Regni Norvvegici, & superest qui Islandiam descripsit Batavus *Blefkenius*. Hunc excepit aliquis *Ionas Arugrinus* Islandus. Hic conquestus est de contumelia genti illata, conscripsit annotationẽ Blefkenii, quâ plurimorum eum convincit mendaciorum. Scripsit etiam librum, Titulo Crimogreæ, qui liber non est contemnendus. Ex his, & libris, & Scriptoribus, quam optimè res Daniæ peti possunt. In descriptione verò hujus regni occurrit *Chorographia Daniæ, Norvvegiæ & Islandiæ*, dein magna peninsula cum aliquot Insulis. Peninsula, est pars Daniæ, dicta Iutlandia, & Ducatus Slesvicensis, qui ab antiquis iam temporibus fuit portio Daniæ. Cæterum ab aliquot Seculis habuit suos peculiares Duces, qui vinculo feudi Regi Daniæ sunt obstricti. [add. *Hodie Serenissimus Dux Holsatiæ ratione Slesvicensis Ducatus nullum recognoscit superiorem.*] Terminus Regni Daniæ ratione Saxonię est Eidora amnis iam ab aliquot seculis quod latè defendi in lib. de fin. Imp. Licet verò trans Eidorã multi vivant Germani, tamen reverà est terminus Daniæ, & ibi incipit Ducatus Slesvicensis.

Islandia portio Regni Norvvegiæ.

Scriptores rerũ Islandicarum.

Ducatus Slesvicẽsis pars Regni Daniæ.

Eidora fluvius est terminus Regni Daniæ.

Mutatio circa Ducatũ Slesvicensem.

III. Notandum autem quod Ducatus Slesvicensis per 100. annos fuerit divisus in duas partes,

partes, quarum una fuit in possessione eorum, qui simul fuere Reges Daniæ, altera autem possessa fuit à Ducibus Holsatiæ, hæc pars hodie nullâ ampliùs feudi ratione & vinculo astricta est Regi Daniæ: Nupero enim bello id ipsum Reges perdiderunt. Est igitur illa pars hodie sui iuris, nec ullum recognoscit superiorem. Reliqua pars adhuc ad Regnum Daniæ pertinet, quæ superest iure clientelæ pars Slesvicensis & tota Iutia. Præter Iutiam autem isthuc pertinent Insulæ quędam, quarum maxima est Selandia, Langelandia *&c.* Insula verò Alsen pertinuit ad Ducatum Slesvicensem. *Iutia.* *Selandia* *Langelandia.*

IV. Hactenus ab aliquot Seculis scil. 900. annis pertinuit semper ad Regnum Daniæ Scania, Halandia, & Blekingia, nisi quod semel tempore Regis Magni Suecus illas terras emerit à Ducibus Holsatiæ, qui tùm illas possederunt, verùm illas reddidit Danis: Perdiderunt etiam Gothlandiam Insulam, & Oeseliam, ut appareat ingens detrimentum cœpisse Regnum Daniæ intra brevè temporis spatium. *Decrementū Regni Daniæ.*

V. Reges Daniæ se jam ab aliquot Seculis (à 400. annis simul appellaverunt Reges Daniæ, Gothiæ & Wandaliæ, der Dähnen / Gothen vnnd Wenden König. Gothiæ ideò, quod partem Gothiæ obtinerent, nam Schania, Holandia & Blekingia, est pars Gothiæ qua de causa graves semper controversiæ ortæ inter Reges Daniæ & Sueciæ, cum hi potiorem partem Gothiæ, sc. Ostrogothiam, Westrogothiam, & alia obtinerent. Noluerunt Reges Daniæ, ut Sueciæ *Tituli Regis Daniæ.* *Controversia circa titulum Regis Daniæ.* *Quare Rex Daniæ titulum Gothiæ usurpet.*

Reges

Dani hodie nihil in Gothia tenent. Reges Gothiæ titulo uterentur: Hactenus autem semper obtinuit Danus Regis Gothiæ titulum. Cæterùm hodie perdiderunt omnia, ut nihil obtineant, quod ad Gothiam pertineat titulo tamen Regis Gothorum adhuc manente salvo. [add. *Quum titulus iste adhuc Serenissimo Daniæ Regi manserit salvus & incolumis, facilis coniectura Politica est, quod adhuc aliquid de Regno Gothorum in ipsius manu sit, aut forsitan hoc ideo fit, quod Reges Suecorum se etiam Vandalorum Reges adhuc hodie scribunt, quum tamen iste titulus Regibus Daniæ tantum competat. Et quamvis maxima pars doleat damnum Regno huic in ultimo bello illatum, tamen Germani nostri gaudent, quod Serenissimus Rex iam sub Nomine Regio Augustissimo vim Regiam simul complectatur.*]

Quare Daniæ Reges se vocent Wendorũ Reges. VI. Appellant se Reges Wendorum der Wenden König. Id vocabulum Latini, & alii cum Cranzio mutarunt in Wandalorum. In antiquis monumentis videas etiam Reges Daniæ se appellare Reges Sclavorum, sed quod jam sit illud Regnum Sclavorum, & quare, & quo jure se ita *Wendi sive Wãdali qui sint.* vocent, nec ipse Cranzius potuit declarare. Ego hac de re latè egi in libro de fin. Imperii, quomodo cæperit istud Regnum, & qua ratione ad Da- *Sclavorũ Regnum quodnã.* nos pervenerit: ostendo ibi eo nomine intelligi Wagriam, omnem illum tractum maris Balthici usque ad Borussiam, Ducatum Meklemburgicum, & Pomeranicum; Hic tractus olim appellatus Regnum Slavicum, cúmque habuerunt Reges Daniæ, sed tantum per aliquot annos, non diu. Mirum quod Sueciæ Reges à temporibus

Gustavi

Gustavi 1. sibi indiderint etiam hunc titulum Wendorum; fateor me nescire. Observavi autem antè Gustavum 1. neminem Regum Sueciæ, dictum fuisse Regem Wandalorum; nam antehac solùm nominati Reges Suecorum & Gothorum, non etiam Wandalorum. Ioannes M. cum inscriberet suam historiam Gustavo 1. appellavit eum saltem Regem Suecorum & Gothorum, licet appareat, & notum sit, eum etiam dici voluisse Regem Wandalorum. Quamvis verò Reges Daniæ usurpaverint titulum Regis Wandalorum, nihil tamen juris in illud regnum habuerunt, imò jam dudum desiit illud Wandalorum Regnum. Novi quidem aliquod juris habuisse in insulam Rugiam, sed hoc perparùm fuit, quod hodie etiam amiserunt. Titulum ergo habent: prætereà nihil [add. *Hoc cum grano salis accipiendum, & familiare est Regibus & Principibus, etiamsi Regna & Provincias dudum amiserint, titulum tamen nihilominus retineant. Ita v.g. Rex Hispaniæ, utitur titulo Regis Hierosolimitani; sed tanti nominis decus nunc alter habet. Dux Sabaudiæ titulum Regis Cypri usurpat; Cæterum Galli idipsum de*cifre *interpretantur.*]

Rex Sueciæ etiam utitur titulo Regis Wandalorum.

Titulus iste inanis.

VII. Situs Regni ita est compositus, ut nec facilè possit adiri, nec Dani possint infestare vicinos, nisi ex Iutia: Nam cum sit Peninsula patet incursionibus Germanicarum gentium. Et ex eâ possunt Dani in Germaniam pervenire. Quare contigit, ut, ex quo stetit Imperium Germaniæ non semel etiam Germani illas terras Iutiæ incursionibus infestarint. Legitur Henricus Auceps impetum in Iutiam fecisse, Marchionatum Slesvicensem

Situs Regni Daniæ.

Germanorum incursiones in Iutiam.

censem primum constituisse; sed non multò post, cum in libertatem se asseruissent Dani, majori felicitate eos domuit Otto II. Qui pervenit usq; ad ultimũ Iutiæ promontorium, qui *fertur hastam proiecisse in mare, ut ostenderet, se esse maris Dominum* [add. *Cæterum non nudum ferrum & spicula; sed Classes dominium maris asserunt ut hodie in bello Anglo-Hollandico videmus.*] quod adhuc nomẽ habet ab Ottone; vulgò vocãt **Ottensund.** Hic primus Episcopatus constituit tres, sc. per Iutiam, sed nec ea potestas diu duravit, cùm nostri Imperatores non essent classe instructi: Dani autem hostes, quia valerent classe, licet multarum & parvarum navium, potuerunt rursus Germanos expellere. Ante annos 40. etiam Ferdinandus II. Imperator Iutiam armis domare voluit: sed coactus est recedere. Nuperrime ibi quid contigerit, notum est. Rex Sueciæ etiam totã Iutiã armis occuparat proximo bello, verùm cum non valeret classe, ulterius progredi non potuit, donec glacie parata via est, aliàs reliquę insulę à pedestri itinere fuissent tutę. Similiter Schonia terrestri itinere tantum unà parte adiri potest, quâ jungitur Suecis, quibus nunc cessit. Hinc apparet, nihil esse reliquum, quo possint Dani invadi, nisi in Iutiâ. Insulę verò Danicę non habent multos portus & appulsus, imò penè iis carent, ideóq; navium appulsus infrequens est, & intuta statio, quod perquam commodum insulis.

Dani hodie tantum in Iutiâ possunt invadi. Insulæ Danicæ satis tutæ ab exterorũ invasione. Danorũ intentio circa dominium maris Balthici examinatur.

VIII. Christiano IV. Rege, cœperunt Dani non tantùm sibi arrogare aliquod ius in proximum mare, quod alluit terras Danicas, verùm in Universum marę Balthicum. Non memini me

legere

legere antehac factum esse à Rege quoquam Daniç. Hinc non dubitarunt, implorati à Dantiscanis, naves Polonicas, quç vectigal exigebant à Gedanensibus authoritate Regis Poloniç, depellere, & ex parte sui iuris facere, hoc prętextu, quod nemini vectigal exigere fas sit in mari Balthico, absque consensu Regis Danici, quia mare Balthicum sit iuris Danici: coacti fuerunt Poloni id devorare. Interim scriptis cœptum est contendi de dominio maris Balthici, & libri prodiere pro parte utraque.

IX. Quantum verò hactenus vidi, omne ius Danicum situm erat in eo, quod Rex Daniæ possideret claves maris Balthici. Claves verò illę sunt circa fretum Oresundicum, *Elsenburg* & *Elsingöre* cum castro *Croneburg*. Pręter illud nullum vidi prętextum alium, qui tamen valdè exigui est momenti. Possunt enim provincię illę, quæ sitæ sunt ad mare Balthicum, ut Lubeccenses, Meklemburgenses, Holsati, & Dantiscani exercere commercium per mare Balthicum, ne traiecto quidem freto Sundico, neque tamen hęc valet consequentia: Ego teneo claves freti. Ergo sum Dominus totius insequentis maris. Perinde si Rex Hispaniç occupasset fretum Herculeum, potuisset se nominare Dominum totius maris Mediterranei. [add. *Dominus Conringius affectibus hic nonnihil indulgere videtur. Sine dubio hodie mutavit animũ. In appendice huius Thesauri, quem inposterum editurus sum, pluribus hac de re agam.*] Alias, si velimus mores antiquos inspicere, credo hoc accolas maris Balthici nunquam autumasse, quod scil. mare non sit, nec esse possit

Claves maris Balthici.

possit in Dominio, quâ de re aliquid in lib. de Fin. Imp. monui. Ante 100. & ampliùs annos longè major fuit Lubecensium potentia, & Anseaticarum Civitatum, quam omnium Regnorum Septentrionalium, quoad classem scilicet: Tunc enim audita vox, quasi ad ipsam Daniam pertineret Dominium maris Balthici, & Dani sępius in angustias redacti sunt à Slavis, antequam colonię Germanię littus maris Balthici occuparant.

Situs Norvvegiæ. X. Norvvegia itidem cum Regno Sueciæ constituit ingentem Peninsulam: Si Sueciam verò excipias, apparet in tabula ingentem Norvvegiæ partem allui Oceano Septentrionali, & à Sueciâ distinguitur perpetuo jugo excelsorum montium: Hinc Regnum Norvvegicum non potest adiri itinere terrestri, nisi à solis Sueonibus quemadmodum itidem soli Norvvegi possunt Sueciam terrestri itinere invadere, reliqua verò tantùm classibus patent.

Islandia pertinet ad Norvvegiam. XI. Ad Norvvegiæ regnum pertinet & Islandia, quæ tota est non Danici, sed Norvvegici iuris. Est Insularum in Europâ omnium ultima, quare nonnulli existimant hanc esse Thulen, Romanis sic dictam, quam tamen sententiam egręgiè refutat Ionas, qui ostendit, per Thulen intelligi aliquam Insulam Orcadum.

Gronlādiæ notitia obscura. XII. Olim Gronlandia pertinuit ad Norvvegiam, & verò, ut apparet ex Arugrimo, Iona, aliquandiu inhabitata est ab incolis eiusdem cum Islandis originis. Cæterum ab aliquot seculis defecit inhabitari, & ab Europæis navigiis peti, ut ab aliquot Seculis memoria quidem illius fuerit, sed cognitio planè perierit, & dici possit vix,

quæ

quæ fuerit Gronlandia. In mappis quidem Geographicis fit & mentio Islandiæ, verùm nemo meminit illam iam amplius extare. Ab annis 80. ab Anglis & Batavis inventæ ibi sunt terræ circa gradum 70. & 80. usque, & videtur verisimile, hæc esse vestigia veteris Gronlandiæ; sed vestigia humanæ culturæ nulla fuerunt inventa, & ignoratur an peninsula, an verò insula fuerit, an terra continens? Aditur verò hodie à Belgis, & aliis illa terra, piscaturæ gratia. Dicuntur vulgò **Grönlands Fahrer.**

Orcades insulæ an ad Norwegos pertineant.

XIII. Olim quidem etiam Orcades Insulæ fuerunt iuris Norwegici, vicinæ Scotiæ, & etiam nunc ius prætendit Norwegia in illas; Sed reditus & fructus aliorum sunt. Possidentur enim hodie à Scotis. Ferunt Norwegi datas esse Orcades filiæ Regiæ in dotem, quæ nupsit Scotorum Regi, quâ de re in sequenti dissertatione de Regno Scotiæ pluribus. Datæ verò illæ in dotem, ita ut pecuniæ summa possit redimi: verùm Scoti hoc non crederent, etiamsi Dani eas redimere vellent.

Quare Dani affectent dominiũ Maris Septentrionalis. Grotii & Seldeni tractatus circa dominium Maris; item Pontani.

XIV. Interim observandum, quod, quia Norwegi tenent Islandiam, ut & olim Orcades, propterea non dubitent sibi arrogare dominium maris Septentrionalis. Sed nemo hoc illis concedit. Cum Hugo Grotius scripsisset de Mari Libero librum, non multò post alium opposuit Ioan. Sedenus titulo, Maris clausi, qui posterior adeò absurdè versatur in eo argumento, ut non dubitaverit universi Oceani Dominium arrogare Regi Angliç, quo verò nil magis absurdum dici potest. Cæterum Ioan. Isaacus Pantanus singulari libro

se opposuit Sedeno, & suscipit defensionem, scil. Mare Septentr. esse juris Norvvegici, & Grotium oppugnat, quod sc. mare non sit liberum, sed Septentrionale pertinere ad jura Regni Norvvegiæ. Cæterum nemo est, qui vanas illas voces vel tantillum curet. Nunc de ipsâ terrâ dicendum.

Causa materialis Regni Daniæ.

XV. Causa materialis populus sic satis magno numero in Daniæ Regno, nisi quod hodie haut satis justè incolatur, ob desolationem nupero bello factam. [add. *Hodie Dania rursus est populosissima.*] Norvvegia præ magnitudine Regionis incolis laborat, cum tamen anteà videatur copiâ abundasse: In universum olim Septentrio fuit populosior; quàm nunc, ut meritò quis dubitare possit, contemplans loci sterilitatem, tantum olim cætum hominum alere potuisse terram. Apparet hoc ex iis, quæ contigerunt Seculo X. & XI. Septentrionales enim gentes, cum primis Norvvegi & alii, qui dicti Normanni, piraticam exercentes, tantâ vi emigrarunt ex illis terris, ut aliquot 100000. in Galliam, Belgium; & alia loca emigraverint. Certè sec. XI. post N. C. incredibile dictu, quantam sævitiam exercuerint, vexaverint Galliam, Angliam, quam totam occuparunt, & Germaniâ, vicinam Frisiam, ac per Rhenum usque ad Aquisgranum pervenerunt, quam exciderunt, & deleverunt. Vid. Hist. Calixti Sec. IX. & X. Tanta verò eorum vis fuit, ut in Galliæ nobilissimâ parte semper invenerint sedes suas, sine quibus datis pax constitui non potuit, nisi eis sedes perpetua concessa; hodieque incolitur à posteris eorum piratarum provincia, quæ dicitur Normannia. Similiter in Batavis invenerunt sedes

Septentrio olim populosior quàm nunc.

Normãnorum excursio. Piratarum colluvies. Eorum sedes in Gallia.

des suas, sine quibus datis pax constitui non potuit. Credo hinc nomen accepisse Hollandos & Seelandos. Scio Hollandos iniquis auribus hoc audire: Ego tamen puto illud esse verissimum. Habemus Scriptorem Reginonem Abbatem, qui illam partem Bataviæ vocat, Dannemarkiam, quod teneatur à Danis, quique istam partem inhabitarunt ex Holandia & Selandia fuerunt. Hic nomen traxerunt Holandi & Selandi; hi à Selandiâ Danicâ; illi verò ab Halandiâ. Ego aliàs fortè ostendam illos populos, qui habitarunt in Septentrione, tenuisse Germaniam; pulsos dein iterum in Septentrionem, tenuisse has ipsas terras: Ipsum enim nomen Helmstet invenitur in Halandia: In Schoniâ habetur Schöningen / Warberg; Nostri ignorant originem vocis Leb, quod ibi est vocabulum appellativum & familiare. *Vnde Hollandi & Selandi nomen acceperint.*

XVI. Cæterum hodie Norvvegia deficit hominibus, ut vix inveniant, qui supersunt, unde vivant. Olim maximè vixerunt ex piscatura, nam frumentum ibi non nascitur, nisi in locis paucissimis. [add. *Sine dubio hodie alia illius Regni facies.*] *Norvvegia incolis hodie non abundat. Norvvegi hod. ex piscatura vivunt.*

XVII. Non amplius autem est juris Norvvegia tota Danici, sed multũ cessit Suecis nupero bello, uti est præfectura Bahuiensis. [add. *arx Bahus naturâ & arte munitissima.*] Cesserat etiã illis Drontheimensis Præfectura: Rediit verò illa ad jus Danicum. Dividitur autem Norvvegia in 5. Præfecturas, quarum quæ est propinqua Regno Succiæ, illa Suecis cessit; Tenent igitur hodie Præfecturam Bahusiensem. Drontheimensis verò nova pactione cessit iterum in jus Danicum. *Norvvegia tota hodie pertinet ad Danos. Bahus. Divisio Norvvegiæ. Ingeniũ Norvvegorum.*

XVIII. Ingenium populi aliàs bonum est sic satis, modò rectè excolatur: Nam à virtutibus moralibus sic benè est instructus, non tamen suis etiam caret vitiis. Norvvegi hodie planè facti sunt effœminati; non temerè enim reperias Norvvegum fortem. Non dixerim vitio naturæ id fieri, sed quod Dani dederunt operam omni modo, ut populus redderetur effœminatus, ut eò liberius illis dominari possent. [add. *Hoc est intelligendum de statu Regni ante Friderici III. tempora.*] Habentur adhuc serviliter hodie, & hæc est ratio, quare non usi sunt Dani milite Norvvegico, nec facilè illis arma concesserint. Sic factum ut populus ille, qui sic satis fortis erat, & imperavit ante hac Danis, jam sit mollis & effœminatus factus. Sic educatio est altera natura.

Norvvegi effœminati.

Armorum usus ipsis interdictus.

Dani an sint bellicosi.

XIX. Quod verò infelices in bello hactenus Dani sint, hoc docuit eventus, & nuperrimum bellum. Hactenus Nobiles omnes ad se solos Rempub. traxerant, contra quam olim obtinuit: interim eorum qui regebant Remp. erat exiguus numerus, & potentia exigua: sunt quidem divites opibus, non tamen pares esse poterant toti populo. Tale autem regimen oligarchicum non potest facilè teneri, ubi populus est bellicosus; Hinc videtur mihi, egisse Nobiles arte, ut populus redderetur imbecillis. Voluerunt itaque bellum gerere milite conductitio, quia existimarunt ex re esse, ne populus sit bellicosus, & correptis armis Remp. ipsis eriperet, quam penes se solos esse volebant. Quod aliàs populus natura non sit imbecillis & imbellis, indicant antiqua monumenta, & res gestæ eorum, quæ olim fuerunt maximæ.

Daniæ Nobiliũ arcanum oligarchicum.

XX. Regio autem ex diversis partibus constat, & unâ operâ exponi nequit. Si cui ad manus est libellus in Batavis editus, legat c. 3. de solo & cœlo Daniæ: omnia tamen ea, quæ ibi habentur, desumpta sunt ex Isaaco Pontano. De Norvvegia nunc unum addendum, quod sc. illa alendis hominum copiis apta non sit: sterilis enim est, & frumenti non ferax, scopulis & montibus invia. Certum tamen est, quod olim magnam attulerit hominum copiam, quod ex loci naturâ apparet, non victitasse frumento, sed re pecuaria & piscaturâ, veluti testatur Tacitus de omnibus Germanis. *Regionis & Cæli qualitas, Daniæ & Norvegiæ.*

XXI. Habet & hoc Regnum singulare quid, quod sc. abundet metallo; modò excolatur. Habeo descriptionem multarum fodinarum ibidem repertarum à peritissimis Magistris, quos conduxit Rex Christianus IV. ex Ducatu Brunsvicensi, qui testantur omnis generis metalla, etiam argentum ibi reperiri. Incolæ tamen planè aversi sunt animo à re metallicâ, & cum ipsi non sint apti, nec peregrinos admittunt. Non temerè ergo hac parte cedit Sueciæ, imò fortassis superat, modò excolantur metalla. Sic ergo Norvvegia habet latentem thesaurum. *Norvvegia abundat metallis quæ tamen non excoluntur.*

XXII. Est autem Regnum feracissimum abietum, & aliarum arborum & lignorum. Hâc parte quotannis Regi ingentem pecuniæ vim præbet: Omne enim lignum, quod in usum rei nauticæ cedere solet, accipit è Norvvegiâ Hollandia, ut & alia loca. Idem Regnum præbet ingentem vim piscium, aëre & vento induratorum Stockfisch. incredibile dictu est, quantum pecu- *Norvvegia abietes magna copia profert. Piscibus etiam.*

niæ præbeat quotannis ille piſcis, & vectigalia immenſa. Non dicam jam de pice, & aliis, quæ ad rem nauticam quàm maximè faciunt. Ergò Norvvegia Reip. Danicæ ſatis eſt utilis.

Danici ſoli defectus. XXIII. Dania contra omnis eſt egens metallis, nec habet piſces, licet olim ingens fuerit Halecum copia: Circa Daniam teſtatur Helmoldus, qui ſcripſit hiſtoriam Slavicam circa ſec. XII. Danos ad magnas divitias pervenire ex halecibus; ſed hodie nec tanta copia, nec etiam præſtantia halecum eſt, & videatur Deus divinum hoc beneficium Danis ſubduxiſſe. *Piſcatū halecum hod. in Dania defecit.*

Dania abundat armētis. XXIV. Abundat autem Dania copiâ armentorum, ut omnes ferè Regiones hâc in parte: Solent eorum vel ad 40000. imò ad 100000. in Bataviam efferri, quod proventus incolarum auget, & vectigalia Regni. Fionia quidem & Lalandia frumentum abundè dant, ſed reliqua Dania pecudibus felix eſt, non æris, non argenti & auri ferax, nec ita abundat equis ut poſſint exportari. *Fionia & Lalandia dant frumentum. Cauſa Finalis Regni Daniæ.*

Mutationes Regni Daniæ. XXV. Quemadmodum aliàs omnis Reſp. varias patitur mutationes, ita Reſp. Daniæ hactenus multum mutavit. Quantum ex antiquis monumentis patet, nunquàm in Dania obtinuit Regnum merè Monarchicum, ſemper tamen aliquis Principatus. Germanici populi habuerunt ſtatus Ariſtocraticos. Ante Carolum M. Saxonia habuit ſtatum popularem, ut teſtatur Wittekind. l. 1. Verū in Scaniâ olim ſemper obtinuit ſtatus aliquis principalis, ſeu regnum, uti & in Suecia; ſed nunquam Regnum ſimplex, aſt mixtum, ut ſumma poteſtas nunquam penes ſolùm Regem, ſed & *Principatus limitata poteſtate ſemper olim in Dania obtinuit. Status antiquus Regni Daniæ.*

penes

penes Regni Proceres fuerit. Modò major fuit potentia Regis, modò populi; adeóque ibi semper obtinuit status mixtus, præponderante vel principatu; vel statu populari. Talis autem fuit status, ut hodie in Suecia est, ita ut ad populi ordinem pertinuerint Clerus Archiepiscopi, Episcopi, Nobiles, Vrbes & incolæ.

XXVI. Sed hæc sensim mutavere; agrestes enim amoti à populi ordine, & facti sunt merè subditi. Autoritas Episcoporum duravit usque ad mutationem Religionis ad tempora Christiani III. Regis, quibus Archiepiscopis subtractæ sunt vires, ut & omnis simul autoritas expiraverit, nec ad consilia Reip. admoti sint. Sic Resp. pervenit ad solos Nobiles, qui omnem autoritatem Vrbium sensim excludere cæperunt, nec tamen temerè omnis Nobilitas participavit jura Majestatis. In Regno Sueciæ omnes Nobiles ad Comitia vocantur, etiam in Polonia, non autem hoc à Rege Daniæ factum, sed fuerunt selecti nonnulli Nobiles, qui dicti fuerunt Regni Senatores: Die Reichs-Räthe / quorum numerus excrevit ad 28. aut 30. raró suprà aut infrà. Penes hos & Regem omnes consultationes de Rep. fuerunt.

Autoritas Cleri quando in Dania conciderit, ut & rusticorum.

Autoritas Vrbium quando imminuta.

Autoritas Nobilium in Dania.

XXVII. Sic Regnum habuit aliquid Regium, temperatum statu Aristocratico: optimi enim Nobiles electi fuerunt ad consilia publica. Interim Regia potestas collocata fuit in eo, quod Rex ea, quæ summam Reip. attinent, constituendi potestatem habuerit ex dimidio, nec hi quid instituere potuerunt sine Rege, penes quem fuit consti-

Status Daniæ mixtus ex Regno & aristocratia.

constitutio officiorum, seù sacrorum seu politicorum, uti & juridicorum.

Qualitas feudorũ Regni Daniæ. XXVIII. In hoc Regno olim fuerunt multa feuda, quæ tamen non fuerunt hæreditaria, sed personalia, & ad vitam, ut apud antiquos Germanos obtinuit. Hisce autem feudis Rex multos potuit sibi quasi devincire: Quicunque enim expectabat beneficium, cum oportebat Regi blandiri; Hactenus itaque Rex multa potuit, & sic se habuit Resp. à tempore Christiani III. ad Frider. III. usque.

Successio in Regno Daniæ qualis. XXIX. Antehac obtinuerat successionis Regiæ modus, qui ex parte erat hæreditarius, ex parte electitius, ut semper natu maximus Regis filius judicatus fuerit successor & hæres Regni, modò esset aptus regendæ Reip. sin minus, ut nihil ipsi competeret juris hæreditarii, quin & creditum fuit, à populo quodammodo dependere jus regnandi, quare & plures Reges solio sunt pulsi. Vbi autem expiravit familia Regia prisca, cœpit florere electio, & tunc quidem electus est *Electio quando cœperit in Regno Daniæ.* Christianus Oldemburgicus, arbitrio liberrimo ordinum Reip. Christiano partim hæreditario, partim Electitio jure successit Ioannes; deinde Christianus II. hic autem, cum malè administraret Remp. unanimi consensu fuit Regno pulsus, & in ejus locum patruus ejus electus Frider. I. *Nobiles Daniæ affectant ea quæ plus quàm civilia.* Post hæc iterum magis electio cœpit florere, habita tamen juris hæreditarii ratione, donec mortuus est Christianus IV. Hoc modo etiam crevit autoritas Nobilium & Senatorum, nam illi non in antiquas leges, sed in novas voluerunt accipere Reges suos, inprimis Novæ leges capitulares

præscriptæ

præscriptæ sunt, cum eligendus esset Fridericus III. ut & fama est, durissimè valdè circumscriptam Regiam potestatem vel Majestatem.

XXX. Cæterum intra biennium cœpit ingens mutatio: cum enim Senatores Regni Remp. miserè rexissent, & bello Suecico magnam autoritatis & opum potestatem perdidissent, in eum apud populum venerunt contemptum, ut is insurrexerit, & totam Remp. mutaverit. Iam igitur omnis electio est abolita, & successio est merè hæreditaria. Senatorum autem Regni perexigua autoritas, nec major quàm Rex esse vult, ut hodie obtineat status Monarchicus, & cum ante-hæc Episcopi & Vrbes exclusæ essent à Rep. id correctum est; & cum antea non licuerit Regi, peregrinos adsciscere in numerum Procerum Regni, hodie id ipsi est integrum. Qui hodie sunt potissimo loco, sunt peregrini, & Holsati, & Germani, qui cooptati in numerum Danorum. Hæc mutatio intra biennium facta est, ut nuperum bellum Regi per accidens cesserit feliciter, idem apud Romanos aliquando contigit, qui fracti bello, omnem potestatem uni detulerunt. [add. *Ita sæpè exinsperato accedit & adiicitur à Numine cælesti ingens felicitas, Coronatóque Capiti Septentrionali decens maiestas cælitus concessa.*]

Novissima mutatio in Regno Daniæ.

Electio hodie in Dania allita.

Episcopi & Vrbes hodie sunt rursus Regni Ordines.

XXXI. Aristot. docet, quod status Optimatum soleat mutari in Monarchiã; similiter Regnum Norvvegiæ semper fuit sui juris: Et verò factum fuit, ut ultimi Regum Daniæ, familiæ antiquæ, filia Margareta nuberet Regi Norvvegiæ. Sic cœperunt hæc duo Regna uniri per connubium Margareta hæc Saxonibus dicta fuit

Mutationes Regni Norvvegiæ.

Per connubium coniunctum Regnum Daniæ & Norvvegiæ.

Die

Margareta Daniæ Regina. *Vnio trium Regnorum Septentrionaliũ non existit perpetua.*

die schwartze Grete. Hæc peperit filium unicũ hæredem futurum utriusque Regni. Eodem tempore interiit familia Regia Sueciæ, & Margareta facta fuit Sueciæ Regina, & trium illorum Regnorum, ac facto per populum fœdere, perpetuam unionem constituerunt, ut esset unus Rex trium illorum Regnorum, id ipsum Saxonibus & accolis maris Balthici per erat gratum. Verùm fœdus illud non diu duravit. Sueci enim sunt conquesti, sibi factam injuriam in electione Regis, quod Dani sibi solis eligendi potestatem sumpsissent, & sic à fœdere abiere Sueci, verùm in illa unione mansit Norvvegia, & ex illo tempore illa duo Regna ita fuere conjuncta, cum antehac Norvvegia paris esset libertatis, & juris cum Danis. Hi paulatim omnem potestatem ad se solos traxerunt, ut tota Norvvegia tandem fuerit sub servitutem Danorum reducta.

Norvvegia hodie firmiter Daniæ coniuncta & quomodo.

Norvvegia an Danis hæreditario iure competat.

XXXII. Inter Regem verò Daniæ & ejus Proceres de Regno Norvvegico non convenit, nam Reges prætendunt jus hęreditarium in Norvvegiam: Contra Optimates dixere, Norvvegiam ad se pertinere; in tantum ut etiam familia Ducum Holsatiæ hac de causa assumpserit titulum hæredum Norvvegiæ. Quodnam sit fundamentum hujus prætensionis, fateor me nescire. Scio aliàs ab Henrico Arnisæo peculiarem librum esse scriptum eâ de re qui tamen hactenus lucem non vidit.

Causæ quare sine magno sonitu autoritas Nobilium conciderit in Dania.

XXXIII. Notanda autem hic est quæstio, quomodo fieri poterit, ut sine magno motu autoritas Nobilium conciderit. Solent enim mutationes Rerump. cum magno tumultu esse conjunctę; hic

hic autem nihil tale factum est. Causa verò videtur esse duplex. 1. & potissimú est, quod Senatores Regni adeò malè administrassent Remp. ut omni populo ipsorum Regimen esset invisum: reliquus scilicet populus & numero & potentiâ longè prævaluit Nobilibus, quorum fuerunt 30. paucis instructi armis & viribus exiguis. Sic cum præponderarent vires populi, non potuerunt Nobiles contra quid moliri. Etiam dudum voluit Clerus se à Nobilibus susque deque haberi; & populus statum penes Nobiles esse: simul ac igitur Rex consensit, facilè potuit populus isthuc impelli, ut mutaretur status Reip. Accedit, quod in illum contemptum venissent Senatores Regni ob malè administratum Regimen, ut omnem existimationem perdiderint: Nam verum illud Aristotelis: Si quis contemnitur, non potest conservare statum suum; hinc omni curâ evitandum esse contemptum, docet. 2. Causa est, quod Rex tunc temporis esset instructus milite peregrino, & quidem tam valido, ut iste unus potuisset sufficere faciendæ mutationi; Regis & autoritas hodie nititur non tam milite peregrino, quàm Civibus Copenhagensibus, unde apparet, quia hodie miles conductitius exiguus superest, quod etiam motus nulli sint.

Causa mutationis status in Regno Daniæ.

Cives Coppenhagenses securum reddunt hodiernum statum.

XXXIV. Sunt qui dubitant, an mutatio potuerit jure fieri? Prætendunt quod Rex jurasset aliter, & populus fuisset à Rep. semotus. Sed ponendum hic est, quod omnes status pro lege id habeant, populi salutem, si populus non sit totus servilis. Hinc illud: Salus populi suprema lex esto. Hinc leges fundamentales sunt, quæ præsupponunt salutem populi.

An mutatio Regni Daniæ iure facta.

Utrum illà mutatio stabilis futura.

XXXV. Superest alia quæstio; utrum sc. tanta mutatio possit esse stabilis. R. Interdum quidem mutatur Resp. & sic status novus oritur non verò diuturnus est: Omnis autem diuturnitas status est æstimanda ex causis conservantibus Rempublicam, & ad causas internas & externas corrumpentes statum. Causæ internæ sunt motus civiles, anne & motus hic metuẽdi sunt? Audivistis Remp. inniti benevolentiâ civium; non verò Nobilium; hi enim ægrè hoc ferunt. Apparet & cum Nobiles sint exiguis viribus & divitiis, eos invito populo nil novi posse audere, multò minus tentare. Sunt autem vires Nobilium ideò minores, quod bello magnam rerum suarum fecerint jacturam, quorum enim bona sita fuerunt in Iutia illa penitus desolata, & sic Nobiles ad egestatem redacti magnam. Ita & in reliquis Daniæ partibus parum illis relictum fuit: Adde, quod bona feudalia jam in ærarium Regium sint redacta, & cum Nobiles multa onera subditis seu rusticis suis imposuissent, iis jam concessæ sunt immunitates: Sic & hâc parte opes Nobilium detractæ, ac detritæ, ut nulli motus planè sint metuendi, & Rex satis sit tutus, si faverit populari statui: sed si Rex offenderit populum, erit in magno periculo, nec Regnum poterit esse stabile. Populi ergo benevolentia conciliandа in primis Regi erit.

Ratio status moderna Regis Daniæ:

Quomodo Rex Daniæ favorem populi conservare possit.

XXXVI. Sed quæras, quomodo poterit hoc fieri? Si scilicet plebem, quæ non est capax honorum non oneret nimis tributis, & parcat eorum opibus, de reliquo deinde erunt contenti. Reliqui etiam ex populo non tributis onerandi, & quantum fieri potest honorandi. Hac in re Rex hactenus

nus ſibi benè conſuluit. Haffnienſes enim cives honoribus & immunitatibus plurimis affecit. In primis autem ipſi cavendum eſt, ne deterior ſit populi conditio, quam eorum qui ſunt in Schonia ſub Suecis. Si enim illi ſunt meliore conditione, incipient ægrè ferre ſtatum Reip. & mallent eſſe ſub Suecis, quàm ſub ſuo Rege. Et, ſi compares Danos cum Suecis, habent illi quod metuant uſque adeò potentem vicinum.

Populus Daniæ tributis non onerandus.

XXXVI. Olim habiti ſunt Dani Suecis potentiores, qui divitiis inſtructiores ad conducendum militem, & viciniores Germaniæ. Suecia verò erat diviſa à Germaniâ, ut miles è Germaniâ difficulter poſſit in Sueciam traduci, nunc autem omnia ſunt mutata. Vectigalia enim Daniæ valdè reſpectu Sueciæ ſunt imminuta quorum potiſſima pars ſtabat in freto Sundico, quæ omni ex parte ſunt ſublata. Adhuc Suecus hodie habet Ducatum Bremenſem, & Pomeraniam, & Wiſmariam, ut Danis poſſint nocere. Dani autem fœderibus aliorum poſſunt ſe tueri. Meminiſtis quantum laboraverint pro ſalute Reip. Daniæ Batavi, ut & Imperator, quod eorum interſit, Daniam eſſe ſalvam. Si jam aliquod bellum oriatur, difficile fuerit Danis militem conducere, ob defectum vectigalium, & onerandus eſſet populus tributis; Sic autem ſtatum hodiernum præſentem averſaretur, ſi quidem velit propriis viribus Daniæ pugnare, mutet genus militiæ in militem lectum, milites ſuos tempore pacis in armis exerceat; quod ipſum & in Norvvegia fiat, tunc enim non erit opus milite conductitio, ſic nec onerabit populum tributis, & Rex erit ſalvus. [add. *Poſt*

Comparatio Danicæ & Suecicæ potentiæ.

Batavorum & Imperatoris intereſſe circa Daniam.

hunc

hunc Conringianum discursum Regnum Daniæ hodie invaluit, ut terrorem vicinis iniiciat. Sanè, post Regem Galliæ, hodie nemo tam est absolutus in orbe Christiano, quam Augustissimus Rex Daniæ Sereniß. Dn. CHRISTIANVS VI. Dominus meus Clementissimus.]

XXXVII. Hactenus belli negocia inspeximus, nunc de negociis pacis aliquid disserendum. Habent se verò illa benè. Christianus IV. erat pacificus & amans sui populi, & eo Rege populi res erant florentissimæ: negotia autem pacis aut sunt sacra aut profana. Sacra se benè habent. Colunt enim unam veram Religionem, nec quicquam est in Religione diffidiorum. Ecclesiæ & Scholæ benè se habent, ut & Academiæ. His, qui sunt tenuioris fortunæ, si operam dent literis, suppetiæ feruntur. Profana omnia ibi satis florent, commercia sc. & ea quæ ad vitam pertinent, abundant. Vtuntur autem legibus patriis antiquis. Processum juridicum habent non intricatum sed facilem & naturæ magis congruum, quam est noster.

Examen negotiorum Pacis Regni Daniæ.

Res sacræ quomodo in Dania constitutæ.

Processus forensis R. Daniæ.

XXXVIII. Sed quoad belli negotia, adhuc nondum est benè constitutum Regnum: quod scilicet Dani vim omnem locant in milite conducto & peregrino, & quod minus aptum sit ad bellum; arcibus & munimentis haud instructum, munimenta pleraque fuerunt in Schoniâ. [add. *Hodie aliter calculi Politici sunt positi.*] Hæc autem Suecis cesserunt, unica Haffnia est munita, nisi quod à Suecis etiam aliquot loca munita sint, quæ servari totius Regni interest. Est autem non quidem instructa Dania satis illâ materiâ, ex qua

R. Daniæ quomodo ad bellum constitutum.

Munimentis Dania hodie non instructa.

qua arma confici solent; hujus tamen affatim præbere potest Norvvegia; necessum igitur est, si Regnum benè se habere debet, ut non collocet vim suam in milite conducto, sed lecto. Hæc sufficient de Regimine. *Conducto milite Rex Daniæ non debet uti.*

XXXIX. Apparet inde scopum Reip. reverà esse constitutum ad salutem communem populi, id quod debet in quavis Rep. obtinere, sed nonnihil aliter se habent; Res Norvvegiæ non enim ad salutem communem, sed ad regentium diriguntur, qui hactenus fuere præter Reges, Nobiles Dani. Hodie est unus Rex. [add. *Qui tanquam mitis Pater Patriæ Populum suum, Divina favente gratiâ bene ac felicissimè regit.*] *Scopus Regni Daniæ.*

XL. In Dania, ut dixi, olim obtinuit Regius principatus ex parte, sed antiquæ familiæ Daniæ interierunt; hodie, qui rerum potitur, è Germania, est ex antiquâ Comitum Oldemburgensium familiâ. Primus ejus familiæ fuit Christianus, quem Dani liberrimo consensu elegerunt. Elegerant quidem primò Adolphum Holsatiæ Ducem; Sed quia is erat senio confectus, & carebat liberis, oblatam dignitatem renuit, & autor fuit Danis, ut aliquem eligerent ex filiis sororis suę, quæ nupta erat Comiti Oldenburgensi, & sic electus Christianus. Hujus filii fuerunt Ioannes & Fridericus; huic fuere filii duo; Christianus II. Rex & successor, sed qui Regno pulsus obiit. At Fridericus cum antè esset Dux Slevicensis, dein Rex factus propagavit omnem familiam Danicam, & Holsaticam; Ex ea stirpe est ortus Fridericus III. cui *Familia hodierna Regum Daniæ.*

Deus

Deus domum munivit ſobole maſcula non unâ, quod magnam Regni ſpem facit, cum liberi ſint munimenta domus Regiæ. [add. *Hodiernus Sacratiſſimus atque Auguſtiſſimus Rex Chriſtianus VI. ad invidiam omnium vicinorum floret; in quo ſtatu florentiſſimo, ut feliciſſimè perennet atque proſperet, animitus exopto.*]

EXCERPTA

EXCERPTA MISCELLANEA *DE NOBILISSIMO* DANIÆ REGNO EX OPTIMIS HVIVS ævi Scriptoribus.

I. SCandia, quæ & *Scandinavia*, aliàs *Schonen* & *Scania* dicitur, ut & *Scon-Dania*, quasi bella, à Septentr. Norvvegiam & Sueciam attingit. [add. *Novissimâ Pacificatione de ann.* 1660., *& Suecis Scania cessa est, & infelix Sidus hac ratione Daniæ tum illuxit. Cæterùm Sereniss. Rex quia hæreditario jure jam Daniam absolutâ cum potestate possidet, plus lucratus est, quàm perdidit.*] Huius primaria Vrbs est, *Lundia* (Lund) ubi tria videntur Crypta subterranea, cui chorus superstructus. Horologium. Altare magnæ fabricæ. 2. *Coronia* (*Lands-Croone*,) Civitas maritima cum arce à Christ. III. exstructa. 3. *Malmogia* (Danicè Malmoë,) exteris Ellebogc. 4. *Helsingoburgum* (*Elsenborg*,) cum arce in excelso monte. Conterminas habet Provincias *Hallandiam*, & *Blekingiam*, quæ hodie etiam sunt juris Suecici. Osilia, vulgò *Oesel*, adjuncta Livoniæ finibus. Paruit tota Regno Daniæ, sed post in Tractatibus pacis, Ann. 1645. inter Regem Daniæ & Sueciæ habitis, Suecis à Daniæ Reg. permissa est, Dominúmque jam Magnum Comitem de la Garde Regni Sueciæ Thesaurarium agnovit.

II. Occidentalis peninsula Daniæ est *Iutia*

 sive

ſive *Iutlandia* ; dicitur etiam *Cimbrica Cherſoneſus*. In hac Peninſula Ripenſis Diœceſis habet 1. Ripam, metropolim, ubi Caſtellum munitum. In hac Diœceſi Arces Regiæ X. Nobilium C. Parochiæ agrariæ CCLXXXII. numerantur. 2. *Coldingam*, cum arce Arnſburg. *&c.* Arhuſienſis Diœceſeos caput eſt. *Arhuſium*, mari Baltico adjacens, propè habens Inſulam *Samſoe*. In hac Diœceſi arces v. parochiæ agrariæ CCCIV. & Civitates VII. numerantur. Viburgenſis Diœceſis, cujus caput *Viburgen*, Hic ſedes eſt Epiſcopi tribunálque trium virorum, qui in hac Diœceſi Ius integrum annum dicunt in cauſſis Civilibus & Criminalibus. Alburgenſis Diœceſ. ubi 6. oppida inter quæ *Albergum*, caput.

III. Oppida præcipua in Meridionali Iutia ſunt 1. *Sleſvicum*, ad fluv. *Sliam*; non procul inde abeſt *Gottorp*. arx Ducal. 2. *Eckelfurtum*, in peninſula, ubi portus oportunus. 3. *Flensburgum*, ad ſinum Baltici maris, qui Flenus dicitur. Ex ſinu Flenſburgenſi egreſſis Inſula *Alſa* occurrit, in qua arx magnifica *Sunderburgum*, cum oppido eiuſd. nomin. Ducis Holſat. in Sunderburg. ſedes. Sunt præterea in ea *Norburgum*, *Gluckſburgum*, Ducum Domicilia, *&c.* 4. *Haderſlebia*: ibi Arx. *Hanſburg*. 5. *Huyſemum*, ad mare Occid. hic inter Huyſemũ & Tondariũ interjac. 6. *Apenroa*, (Apenrade.) 7. *Tonninga*, non procul ab oſtio Eideræ. 8. *Tondarium*, maius & minus.

IV. Tantum de Peninſulis Daniæ : jam ſequuntur Inſulæ, quæ ſunt *Selandia*, quæ amœniſſima & opulentiſſ. *Fionia*. In Selandia 1. *Hafnia* primas tenet, ſita ad orientem Inſulæ plagam, quam mare Balticum alluit: hic Regium Domicilium,

cilium, Academia, Armamentarium. Huic subjungitur novum oppidum *Christians-Haven*; ex hoc occurrit *Amagria* (Amagh.) 2. *Roschildia*; Civitas ad ampliss. maris sinum (*Roshildtfiourd*) sita; ubi Mausolea Regum. 3. *Helsingora*, (*Elseneur*,) ad fretum Oresundæ: Hic naves demissis velis & anchoris Regi telonium solvunt. Huic contigua arx est *Croneburgum*, erecta opere mirabili: tertio hinc lapide distat eminentissima arx *Frederischsburgum*, in qua multa memorabilia, *&c.* Præter Civitates etiam arces & oppida sunt *Sora*, Academ. Reg. à Friderico II. instit. *Schonclo ster*, (Herleffsholmia.) Insulæ ad Seelandiam præter Amagriam etiam *Huena*, *Mona*, referuntur *Mona* (Mœnes land) in mari Baltico candidis è creta montibus in Oceanum eminet, arce Regia *Elmelanda*, *Stega* oppido clara. *Huena* (Ween,) inter Helsingoram & Hafniam sita. In hac exstruxit Tycho Brahe arcem *Vraniburgum*. Hic memorantur memorabilia, Coryletum avellanarum feracissimum, quarum tamen nulla unquam cariosa fuit inventa. 2. Glires nullos invenies. 3. Fons dulcis nulla glacie obducitur.

V. *Fionia* restat, cujus longitudo ab ortu in occas. est X. Mill. Germ. latitud. 8. Insula læta agris. Civitates habet quarum 1. *Ottonia*, (Ottensche) Vrbs Episcop. in qua Christiernus Rex II. captivitate detentus. 2. *Neoburgum*, (*Nyburg.*) Hic arx Regia. &c. 3. *Middelfurtum*, (*Midlfar.*) Insulæ Principales ad Episc. Fionensem relatæ sunt *Langelandia*, *Lalandia*, *Falstria*,

VI. Norvvegia habet Præfecturas & Arces Regias, ultra duo secula Regno Daniæ innexas; ut est 1. *Bahusia*, arx excelsa, præfecturæ nomen

 dedit,

dedit. Hæc Præfectura in ultima Pacificatione cessit Regi Sueciæ 2. *Aggershusia*, sub cujus Præfectura est *Alsloa*, sedes Episcopalis (*Opslo*, dicunt indigenæ) Huic exustæ, Rex Christianus IV. *Christianam* restituit &c. *Schin* vel *Schen*, (ubi ferri, cupri, argentiq; fodinæ sub Rege Christiano IV. inventæ. &c. 3. Arx est *Bergershusia*, cui subest *Berga*, clarum Norvvegiæ emporium. Reliqua sunt 4. Est *Nidrosia*, à Nidero fl. & Rosa, vulgò *Druntheim*: habet plurimas Præfecturas. *Sundhornleen*, *Nordhornleen*, *Soghne*, 5. Est *VVardhusia* versus Arctum in Insula *VVarda*. Provincia Norvvegiæ cohærens est *Finmarchia* cum tractu maritimo *Trunsolen*, quibus Præfectus Wardhusiensis jus dicit: in ista Civitas est *Ietaborg*.

Mores Danorum Recẽtiores. VII. Hodierni Daniæ incolæ, præsertim septentrionalis Iutiæ, frigidi, & sicci, statura sat magni & pulchri, boni coloris, suspicaces, callidi & in suis negotiis circumspecti sunt. Adhæc natura superbi, magníque sui æstimatores, suorum amantes, gulæ nimium addicti, valetudinis autem firmæ, & ideo longævi. In moribus suis valdè severi & austeri, & quod colore nimio cordis abundant, ad rixas & contentiones faciles, periculis se exponunt; peregrinationes, & venationes amant. Opiniones suas tenaciter defendunt, proni tamen in justitiam. Linguarum peritiam summopere sectantur, literísque assiduè vacant, in quibus ex Equestri ordine illustres habuerunt eruditionis gloria viros. Liberos multos habent, illorum autem mulieres, quamvis valdè fœcundæ, difficulter pariunt; quæ pulchræ, sed avaræ sunt, & parcè vivere optimè norunt. Quidam in hac sunt opinione, quod in hac Regione monachus quidam

pri-

primam invenerit machinam ignivomam. *Norvvegi* ſimplices ſunt, & peregrinos amant, illoſque benè accipiunt, nec ullis aut certè paucis, obnoxii ſunt furibus, latronibus, aut piratis, aliiſve ſcelere inquinatis. *Iſlandi* in eodem cum bobus equiſque degunt loco, ſimpliciter admodum vivunt, nec aliud quicquam quærunt, quam quod Natura homini ultro conceſſerit; parvo igitur & parabili victu contenti agunt; montes pro Vrbibus incolunt, fontes pro deliciis habent. Angli illorum terras ſæpius accedunt, propter ingentem, quæ ibi fit, piſcium capturam. Facta veterum memorabilia verſibus exprimunt, aut ſaxis incidunt. Piſcibus ferè tantum vivunt, quos durant, poſtea in farinam velut redigunt, illíſque loco panis utuntur. Qui delicatius vivunt, pane bis cocto veſcũtur. Pro potu aqua ſitientibus ſufficit, ditiores lac bibũt. Sed hodie frumentũ aquę miſcent, quod eo aliunde advehitur & magis nunc ad palatum, quàm antea vivunt. *Lubecẽſes, Hamburgenſes, Roſtochienſes* ipſis advehunt farinam, cereviſiam, vinum, pannum Anglicum, linteum, ferrũ, chalybem, aurum & argentum, & pro fæminis vittas, lignáque ædificandis domibus ac navibus.

VIII. Poſtquam *Fridericus I.* Rex Daniæ electus, & in Regale ſolium Chriſtierni 2. conſtitutus eſt, primus *Auguſtanam* D. Lutheri *confeſſionem* in hoc introduxit Regnum. Quantum ad ceremonias veteres Eccleſiaſticas, illæ priſtino more ſervatæ ſunt. Sunt Daniæ ſui Epiſcopi, ut ille de *Roſchild, Odensée, Sleſvvick, Rypen, VViburg. Chriſtianus Tertius*, cum *Reformatis* Hollandis, Anglis, Scotis in Regno quædam habendi *Status Religionis.*

templa libertatem dediſſet, ibi quoque pedem nonnulli ex his fixerunt. *Pontificiorum* pariter ibi quidam reperiuntur, ſed qui in occulto ibi vivunt, ſuiſque privatis clam interſunt ſacris.

IX. Regnum Daniæ à Regibus Monarchica potius forma, quam Ariſtocratica, regitur; quanquam Statuum auctoritas & poteſtas magna ſit, qui *Chriſtiernum* Regem quondam uſque ad mortem captivum detinuerunt, propter exercitam nimiam crudelitatem. At verò hoc non obſtante exemplo, maxima tamen Regis eſt auctoritas. Sunt quidam, qui Regi Daniæ ſupremam in Regno denegant poteſtatem, quod Daniæ Nobilium Ordo coronationem *Friderici* anno 1559. menſe Auguſto impediverit, uſque dum ſolenniter juraſſet, quod Nobilem ad mortem condemnare abſolutâ auctoritate non poſſet; ſed quod à Senatu debeat judicari: Quod omnibus Nobilibus jus vitæ & necis in ſuos ſubditos ſine ulla appellatione competere debeat: Quod Rex officia Regni ſine Senatus conſenſu diſtribuere nollet. Cæterum Rex titulo Feudi ab Imperatore Germaniæ partem Ducatus *Holſatiæ* tenet; eadem quoque conditione antiquitus terram Danicam tenuit, quæ non niſi ſimplex erat Ducatus, cum ejus nomine *Canutus* Dux Imperatori *Lothario* homagium præſtaret. Poſtea *Fridericus primus* Imperator gladium cum corona *Petro* Daniæ miſit, ipſius ditionem in Regnum erigens, cum conditione præſtandi Imperatori juramenti. Subſequentibus tamen annis Reges Daniæ hujus homagii diſpenſationem impetrarunt. Regnum Daniæ electitium eſt; neque Reges per ſucceſſionem

Regalem

Regalem consequuntur dignitate ; licet filii Regis , ejusque proximi agnati, in successione religis quis præferantur ut plurimum. Coronationis solennia *Hafniæ* peragi solent. Regem *Episcopus Roschildensis* ungere consuevit, jurantem se velle Leges Regni servare, Christianam defendere Religionem & justitiam reddere. Coronatio à Senatoribus peragi debet, qui Regi juramentum fidelitatis præstant. Totum autem Regnum divisum est in 184. Regimina, dicta *Herret*. Quinque sunt hominũ in hoc Regno *Ordines*. Primus est *Regiæ familiæ*; secundus *Nobilium*. Inter Nobiles autem tituli *Comitum & Baronum* non inveniuntur. Simplicia gerunt insignia , eáque mutare, aut augere , infrà dignitatem suæ Nobilitatis esse judicant. Illi sua possident bona cum maximâ, mediâ & minimâ jurisdictione. Omnia , tam patrum, quàm matrum, bona mobilia & immobilia inter utriusque sexus liberos æqualiter dividuntur ; ita tamen, ut frater duas capiat partes, & soror unam, filiisque arces & castra cedant. Ex ordine Nobilium *Senatores Regni* eliguntur, qui raro 28. numerum excesserunt. Regnum illis sustentationem præbet , & quilibet eorum quam primum suum aggressus est officium , ac in illo perdurat, arcem regiam habet, nec quicquam inde Regi solvit, tenetur tamen tempore belli certum equitum alere numerum , illúmque ad Regis nutum paratum habere. Inter alia Regni Daniæ statuta hoc etiam est, quo Regi licitum non est, à Nobilibus bona immobilia emere, ne inter Regem & Nobiles aliqua oriantur dissidia. Nec Nobiles à rusticis, immediatè Regi subjectis , bona sibi possunt acqui-

rere: quidam enim rustici bona habent hæreditaria, & propemodum libera. Tandem Regi permissum non est, quicquam Regno imperare vel subditis. Nobiliū, sine expresso Senatorū consensu. [add. *Novissima Pacificatione de an. 1660. status Regni Daniæ est plane immutatus & ex Regno electitio factum est hæreditarium, gloriosissimo ac potentissimo Daniæ Rege moderno CHRISTIANO VI. nunc absoluta potestate gaudente.*] *Fassi, Lindeman, Suuon, Santbeke, Quittoun, Lange, Gelschut, Glanbeke, Crabbe, Marizet, Kragge, Achsel, Beck, Ruthede, Negel, VVitfelt, Split, Ofren, Appelgard, Ivenan, Posseden, Reuter, Podebussen,* qui olim Barones fuerunt Ducatus Pomeraniæ, *Vren, Blick, Galle, VVogersen, Bassi, Solle, Daac, Bax, Baselich, VVensterman, Hoken, Lindovv, Bille, Ruten, Hundertmarck, Heiderstorper, VVolde, Papenheimb, Gram, Falster, Narbu, VVorm, Bilde, Bockvvolt, Budde, Svvaben, Santbarch, Span, Lutken, Vhrup, Spegel, Bammelberg, Rosenspart, Dune, Hube, Shavvgard, Must, Gris, Falcke, Brune, Laxman, Duram, Baggen, Norman, Goss, Matre, Rosengard, Totten, Ronnoun, Krumpen, Alefeld, Reventlovv, VValstorp, Pogvvisch, Blome, Sturen, Krummendick, Memstorf, Suinen, Staken, Brocktorp, Breiden, Hesten, Qualen, VVonsflet, Ratlovv, VVensin, Dam, Van Tinen, Hagen, Hock, Plesseu, Gadendorp, VVittorp, Haken, Otten, Hever, Vken, Mœten, Magnussen, Ivensen, Kerkberg, Stove, Kassenbrock, Ritzerovv, VVogen, Hacken, Harberg, Pensen, Grabovv, Lancken, Siversen, Koeler, Leven, Paisen, Petersen, Andersen, Iohansen.* Tertius Ordo *Clericorum* est, cum

VII. *Episcopis*; (sunt illi nimirum *Archipræsul Lundensis & Episcopi Roschildensis*, *Ripensis, Othoniensis, VViburgensis, Athusiensis & Slesvvicensis*:) comprehendens etiam *Canonicos*. Hi decimas Regni habent, quæ tamen in diversis Provinciis diverso modo se habent. Episcopi dimidiam partem, alteram Rex percipit, aliquam etiam Canonici & Pastores: pars quoque ædificandis aut instaurandis Ecclesiis tribuitur. Nominatio Prælatorum omni tempore ad Regem spectabat; constituítque *Christianus III.* ne Ecclesiastici sine consensu Regis Ecclesiastici quicquam venderent. Quartus Ordo *Civium, & mercatorum*, civitates incolentium, est. Hi peculiaria sua habent privilegia, quibus gaudent, suos etiam particulares fundos. Quintus Ordo est *Ruricolarum*, qui duplicis sunt generis. Quidam illorum vocantur *Frybunder*, hoc est, liberi, qui fundos hæreditarios possident, & ab illis certum singulis anni vectigal solvunt. Præter hoc nihil in publicum pendunt, nisi ex auctoritate & decreto Senatus. [add. *Hodie Regis*] Reliqui nulla hæreditaria possident bona, sed illa à Rege & Nobilibus, vel etiam Ecclesiasticis conducunt. Ex ordine Equestri præcipui eliguntur Regis Ministri, ut *magnus Aulæ Magister*, (hic plerumque Hafniæ est, vicem Regis tenens) *Mareschallus*, duo *Cancellarii*, unus *Regis*, alter *Regni*; *Ammiralis*, sive supremus Maris Præfectus; *ærario Præfectus*, cum *Vice-Ammirali*, cui rei maritimæ cura commissa est; cuilibet navi *Capitaneus* ex nobili stirpe præest. Ad Cancellariam Regni omnes Insularum appellationes accedunt, à qua ad Regem

i tur.

itur. Iudicia primum instituuntur apud Iudicem districtus, tum antè Iudicem Regiminis, post apud Cancellarium, & ultimum apud Regem & Regni Senatores, qui decisivam ferunt sententiam. Quod si primi judices sententiam tulerint iniquam; in pœnam, mediam bonorum partem perdunt, ex qua mediam partem Rex, reliquam læsa pars accipit. Cancellario, qui curiam plerumque sequitur, adjuncti sunt 7. vel 8. Nobiles *à Secretis*; omnia verò negotia à Rege deciduntur, qui Consilium urgente aliqua necessitate convocat. Est autem Danis scriptum jus per Waldemarum, & Episcopos Senatorésque Daniæ introductum. Fidem modo dictorum vid. ap. *Bodin. de Rep. l. 1. c. 9. Helmod, Histor. Sclav. Petr. Mont. in Merc. Atl.*

Divitiæ. X. Principales Daniæ reditus ex telonio navibus, quæ Sundam transeunt, imposito, tum ex taurorum vectigali, quorum ingens numerus singulis annis in Hollandiam & vicina Germaniæ loca evehitur, colliguntur. Quod telonium navium in freto Sundæ spectat, communis in Hollandia vox est, quod omnis mercatoria navis illam transiens pro singulo malo nummum aureum, illis *Rosenobel*, valoris 4. Imperialium, solvat. Observatum ergo est, quandoque unius diei spatio 200. 400. & 600. naves Sundam transivisse. Quod si facta dierum æqualitate solùm 200. in diem pro 2. malis solvant naves, evadat numerus 1168. millium librarum: pro vectigali autem taurorum, ubi pro quovis Imperialis solvitur, colligitur circiter 50. millium summa. Neque parvi illi sunt habendi reditus,

reditus, qui ex captura piſcium proveniunt, ut & hordeo, butyro, lardo, carne, corio, tauris, aliiſque uſui neceſſariis rebus. Hæc leguntur apud *Bert. Rer. Germ. l. 3. &c.*

XI. Præcipuæ Regni vires in claſſibus maritimis ſpectantur, numeróque in belli uſum munitarum navium. Teſtantur hiſtoriæ, quod *Chriſtiernus II.* ad petitionem Henrici II. Regis Gall. in Scotiam contra Anglos claſſem centum navium miſerit. Neque hic, vel etiam major, illarum numerus hodie Regno deeſt; cui ſi pares ærarii vires jungantur, cum ſubditorum probata fide & alacritate; nullum dubium eſt, Regnum Daniæ contra vicinorum, etiam potentiorum, ingruentem vim ſecurum fore. Chriſtophoro III. Duci Bavariæ, qui etiam Sueciæ Rex & Norvvegiæ fuit, & ſine liberis deceſſit, anno 1448. Regni X.

XII. Inter Reges Daniæ ex noviſſimâ Oldenburgicâ familia clarent. *Chriſtianus I.* Comes Oldenburgicus & Delmenhorſti qui Ducatum *Sleſvvicenſem* Regno Daniæ iterum coniunxit, diuturna cum Suecis iuſſit bella, qui ſæpius rebellabant; poſtea fratrem ſuſpectum habens, ipſum Ducatu Sleſvicenſi exuit, filium ſuum *Ioannem* imperio deſtinatum coronari fecit, cui filiam Electoris Saxoniæ uxorem conciliavit, poſtea an. 1481. obiit. *Fridericus I.* Rex Daniæ & Norvvegiæ, Dux Holſatiæ, patruelis Chriſtiani II. cuius erat Rex anno 1523. Hic Lutheri Orthodoxam amplexus eſt Religionem, & imperavit uſque ad annum 1535. *Chriſtianus III.* filius Friderici religioſiſſimus Princeps *Fridericus II.*

ejus

ejus filius ipsi successit, qui primum rebelles *Ditmarsos* subegit, postea bellum *Erico*, R gi Sueciæ, mari & terra intulit, ipsúmque anno 1565. devicit. Duxit in uxorem *Sophiam*, Vlrici Ducis Meckelburgensis filiam, ex qua *Christianum IV.* suscepit; obiit an. 1588. *Christianus IV.* undecim tantum annos natus patri in Regno successit, sibi matrimonio junxit an. 1597. *Annam Catharinam*, filiam Ioachimi Friderici Marchionis Brandeburgici, & Sororem Ioannis Sigismundi Electoris Brandeburgici, ex qua suscepit *Christianum V.* designatum Regni successorem, *&* *Fridericum*. Defuncti autem B. M. Christiani IV. ingens fuit virtus, qui summâ cum prudentiâ Regnum administravit. Bellum anno 1611. contra *Carolum IX.* Regem Sueciæ movit; caput dein fuit Vnitorum Statuum contra *Imperatorem* & *Regem Hispaniæ*; ultimum navale prælium ipse præsens cum *Suecis* fortiter gessit, paulóque post vitâ cum imperio functus. Fuit Princeps pace bellóque omnibus virtutibus illustris, qui Regnum Daniæ insignibus auxit incrementis, & quod invenit lateritium, reliquit marmoreum, Pater Patriæ optimus. [add. *Fridericus III. Princeps pacis publicæ curator felicissimus, Florentissimum reddidit Regni statum, & primum ex electitio reddidit hereditarium. In quo statu ipsi succeßit Serenissimus ac Potentißimus Princeps Filius CHRISTIANVS VI. qui num Sceptra Danica gerit FELICITER! VIVAT! FLOREAT! ac in pace armatâ perennet! donec vel arenula Regnorum suorum superat. Annue REX REGVM!*]

Prætesio Regis Daniæ. XIII. Rex Daniæ, titulo Ducis Holsatiæ,

in

in Civitatem *Hamburgensem*, quæ se liberam Imperialem Civitatem asserit, prætendit; ideo quod in Holsatico territorio sita sit, & quæcunque intra Principis territorium septa continentur, ea omnia eius jurisdictioni ordinariæ subjecta esse censeantur.

XIV. In hoc potissime versari videtur, 1. ut maris Balthici clavis, *Sunda*, sive accessus freti, penes Regnum omni cura custodiatur; 2. ut cum vicinis *Hollandis* arctior colatur amicitia. *Ratio Status.*

XV. *Norvvegia* à raris incolitur incolis, qui in venationibus totam ferè vitam occupant. Gentem rudem, & apud multos veneficiis infamem, venalémque ventum habentem, dicunt. Diræ hyemi, & reliquis naturæ malis obnoxia plaga. Torpens aër, remisso & nullo pænè sensu, corpus occupat, ut prius quis pereat, quam se periisse sentiat. Cæterum cum indole incolarum ita comparatum est, ut maximè secunùdm naturam vivant, simplici, & parabili cibo contenti; quid luxus, superbia, æmulatio sint, prorsus ignorantes. Quin tales esse voluit aspera loci conditio, cui meliorum frugum proventum deliciásque in clementioris soli natura negavit. Qui eo ex vicinis oris mercatores cum navibus appellant, pro navium tabulatis & malis coëmendis, ad victum meliores merces illis adferre solent, mulsiq; & cerevisiæ Rostochianæ, rerúmque aliarum ipsis copiam facientes, quarum usum in festivitatibus nuptialibus, aliisque adhibent, in quibus poculum plerumque triplex bibitur, in memoriam Dei; in salutem Regis, poculum Regis; in salutem Reginæ, poculum Reginæ; quæ nomine *De Norvvegia. Mores Gentis ex Ioan. Barclai Euphormione aliisque.*

Scha-

Schalen indigitant, ut alias illorum ſimplicioris indolis conſuetudines taceamus.

Religio. XVI. Quod Norvvegia eidem cum Daniæ Regno Regis imperio juncta eſt, nullum in illa publicum Religionis toleratur exercitium, quam *Auguſtanæ confeſſioni* conforme.

Regimen. XVII. Regnum Norvvegiæ hæreditaria ſucceſſione ad Regem Daniæ ſpectat, totámve lineam *Oldenburgicam*, quamdiu illa ſuperſtes fuerit. Qui illi regendæ loco Regis conſtitui à Rege ſolet, *Prorex* vocatur. Hæc dignitas præcipuis Nobilium, optiméque de Regno meritis, conferri ſolet.

Reditus & Vires. XVIII. Reditus, qui ex his oris Regi Danię proveniunt, præcipui ex piſcatura, paſcuis, lignique cædui abundantia judicari debent. Cæterum natura Norvvegiam ita montibus & rupibus horridis circumvallavit, ut artificioſis non indigeat propugnaculis. Incolarum erga Regem propenſiſſimus eſt animus.

Iſlandia. Mores Iſlandorum. XIX. *Iſlandorum* tota vivendi conſuetudo ad ſummam frugalitatem comparata eſt. Antiquiſſimam habitandi rationem *Iſlandi* ſecuti ſunt; non per Vrbes & oppida, ſed diſcreti colebant, ut campus, ut fons, ut nemus, collis aut vallis, littus vel ſinus maris placuit. Domus ſuas ex ligno & cæſpite conſtruebant, feneſtris in tecto relictis. Villarum domus in ſuo fundo quilibet contiguas ferè habebat; præter armentorum ſtabula, aliquanto intervallo ab ipſis penatibus diſpoſita. Potum nativum ſerum lactis expreſſum habent; favo mellis, aut aqua mulsâ interdum adhibitis; quandoque liquore ex baccis utuntur.

Veſti-

Vestitus vulgaris conditionis hominibus ex panno Islandico est. Ditiores ex peregrinis materiis etiam honoratiores gerunt vestes, Monetæ usus Islandis olim fuit ignotus; sed argentum staterâ appendebant; annulos aureos, armillásve, privatis hodiernus usus non denegat.

XX. Colebant quondam *Islandi* religiosè Deum quendam, *Thor* dictum, à quo Septentrionalia hæc Regna diem *Thorsdagh* etiamnum vocant. Præter hunc in veteri juramenti forma alii tres Dii nominantur, *Freyr*, *Niordur*, *As*. Solennis etiam apud Septentrionales populos mos erat, ut Reges post fata divinis colerentur honoribus. Ad victimas non solum quadrupedes, sed etiam homines destinabant, qui ad saxum prægrande illidebantur, & necabantur. Hodie Islandi Christiana colunt sacra. *Religio.*

XXI. Quemadmodum apud Romanos scribendis Legibus decem viri creati erant, ita hic electi postea sunt Rectores ditionis, qui Legum conformationem instituerent, novásque successivè in publico foro augerent, secundùm quas Respub. administraretur; illarum auctores, ipsæque de variis materiis latæ leguntur in fin. Reipub. Daniæ, quo curiosos remittimus. *Regimen hodiernum.*

XXII. Exiguis contentam esse voluit natura Islandiam, in qua multarum frugum proventum frustra quæres; piscibus tamen marinis, equis, labori & longo itineri ferendo commodissimis, canibúsque sagacibus, commoda sua venatur. Præbet hæc Regio robore & viribus corporis homines maximè pollentes, qui sustinendis tum belli, tum aliis magnis laboribus apti nati sunt, quibus *Reditus & Vires.*

bus indeflexa ſenilium virium maturitas longævos præſtat annos.

Deſcriptio Holſatiæ Ex Iona Ab Elueruelt Regimẽ.

XXIII. Omnis *Holſatia*, abolita penitus *Comitum* denominatione, titulum *Ducatus* ab Imp. *Friderico III.* propter merita *Chriſtiani I.* Daniæ Regis, accepit. Illa dividitur in quatuor potiſſimum partes; nimirum in *Holſatiam* propriè dictam, *Stormariam*, *VVagriam & Ditmarſiam*, quibus *Slesvvigæ* accedit Ducatus, quem in Feudum à Daniæ Regibus Holſatiæ Principes accipiunt. In dictis modo Ducatibus eorúmque provinciis duo reperiuntur Status, *ſuperior & inferior*. *Superior* in tres diſtinguitur Ordines. Horum primus *Reges* atque *Principes*; ſecundus *Prælatos*; tertius *Nobilium* familias continet. Vniverſa verò horum Ducatuum gubernatio *Regi Daniæ*, tum *Producibus* ab ipſo conſtitutis, nec non *Holſatiæ Duci*, incumbit. Si ardua occurrunt negotio, in illis nihil, niſi præcedente omnium in Holſatia Ordinum conſenſu, decernitur. Hos inter primum obtinet locum *Epiſcopus Lubecenſis*. Vbi verò in communi delibaratio inſtituitur cum Sleſvvicenſis Ducatus Ordinibus, *Epiſcopus Sleſvvicenſis* in his principem obtinet locum. Secundus Ordo duos continet *Epiſcopatus*, *Lubecenſem & Slesvvicenſem.* Hamburgenſis enim Bremenſi ſubjectus eſt. Habent 5. *Capitula*, *Lubecenſe*, *Hamburgenſe*, *Slesvvicenſe*, *Haderſlebienſe*, *& Oitinenſe*. *Abbatiæ* in hoc ordine ſunt VII. *Reinfeldenſis*, *Bordesholmienſis*, *Segebergenſis*, *Arnsbocenſis*, *Ciſmarienſis*, *Lumenſis*, *Ruenſis*. *Monaſteria* etiam continet 15. quorum 5. noſtro adhuc tempore redituum largo proventu & Ve-

ſtalium

ſtalium Virginum choris maximè celebria ſunt, *Itzehoenſe, Pretzenſe, Uterſſenſe, Slesvicenſe, Reinbecenſe.* Cæterorum ferè uſus ſcholis & xenodochiis impenſus eſt. Tertius Ordo *Nobilium* eſt, qui arces & prædia ſua in his Ducatibus pleno jure ac dominio, quemadmodum reliquæ Germaniæ Comites, cum libertate venationis, aucupii, piſcationis, poſſident. Etſi verò nonnulla illorum prædia nomine feudorum æſtimentur; maxima tamen ex parte allodialia & hæreditaria ſunt. Cautum verò eſt Holſatorum Privilegiis, ne novis exactionibus & vectigalibus à Principibus graventur; hæc Principes, priuſquam à ſubditis fidelitatis juramentum præſtatur, ipſique Regimine admoventur, juramento confirmare tenentur. Libera enim horum Ducatuum Statibus, ex Regum Principúmque filiis, quem velint, eligendi competit poteſtas. Nulla Principes bella præter conſenſum Ordinum ſuſcipiunt. Nobilium lites, judicio quodam bis quotannis peragi ſolito à Senatu Ducatuum dijudicantur, præſidentibus plerumque Principibus per vices, ex privilegio Provincialibus indulto; à quibus tamen, præſtito malitiæ juramento, ad Cameram Imperialem cauſſæ illorum devolvuntur.

XXIV. Quemadmodum in Dania, ita etiam tota Holſatia *Auguſtanæ Confeſſionis* publica exercitia habentur, nec permiſſum eſt ullis in Religione Chriſtiana diſſidentibus privata ſua celebrare ſacra. *Religio.*

XXV. Inſignis ſoli Holſatici fertilitas & maris Baltici vicinia, tum verò fluminum navigabilium maxima commoditas, maximas incolis *Divitiæ Et Vires.*

parant divitias. Qui hic reperiuntur Nobiles, tantos ex fundis suis colligunt thesauros, & incredibilem opum vim, ut vix in ulla Germaniæ ditione potentiores & ditiores, magísque magnifici inveniantur. Exinde non obscurè colligitur, quantum bello præsidium hic parari queat; attento & hoc, quod Holsatia incolis ditissimis frequens sit, quibus excitati ad omnia studia tam artis, quàm martis animi sunt. Inter alios *Ditmarsorum* virtus in bellis maximè probata est, quorum etiam fœminas tanta quondam incessit generositas, ut obsessam Vrbem fortiter, & strenuè defenderet; ob quod egregium virtutis muliebris exemplum, in quibusdam viros præeundi libertatem obtinuerũt.

Series Nobiliũ In Holsatia Familiarum.

XXVI. Primum inter Nobiles ordinem ducit illustris familia *Ranzoviana*, sequuntur *Alæfeldia*, & *Rumoria*, *Reventlovia*, & *VValstorpica*, *Pogvvischia*. Nobilium *de VVisch & VVolffiorum*, *Sestediana*, *Blomica*, *Sturensis*, *Bockvvoldia*, *Krummendikiana*, *Meinstorpica*, seu *Meindorpica*, *Suiviana*, *Stakiana*, *Brocktorpiana*, *Breidiana*, *Hestenica*, *Qualiana*, *VVonsefletica*, *Katloviana*, *VVensiniana*, *Dammiana*, *Tinen*, *Hagenica*, *Holkiana*, *Plessana*, *Gadendorpica*, *VVittorpiana*, *Hokena*, *Ottenia*, *Hojerensis*, *Vkena*, *Motena*, & *Magnussena*, *Rosencrantzia* ac *Ivenzena*, *Kerckbergiana*, & *Stövena*, *Casbrochia*, & *Munkiana*, *Ritzeroviana*, *VVogia*, *Hackia*, *Herbergiana*, *Pensena* & *Grabavia*, *Lankena*, *Siversena*, *Kolerana*, *Levana*, *Paisena*, *Petersena*, *Andersena*, *Iohansena*.

XXVII. Norvvegia divitias habet lignorum fabricandis domubus & navigiis aptorum,

(quæ in Hollandiam & Flandriam evehuntur) pecudum, casei & lactis, magnam copiam. Percipit quoque emolumentum ex pisce frigore indurato, quem Germani Stockfisch vocant: capitur mense Ianuario exponitúrque vento, donec tanquam lignum induretur. Deinde in diversas regiones pro annona defertur. Id, ex quo Rex Daniæ plus pecuniarum percipit, est fretum sive Porthmus inter Croneburgum & Etlzenburgum vulgò der Sundt. Est is transitus tam angustus, ut nullum navigium, nisi cum excubitorum, quos Rex ibi habet venia prænavigare possit; necesse enim est, ut naves ibi magnum vectigal & portorium pendant. Ad magnam pecuniæ summam id vectigal accedere colligi potest ex multitudine navium, Hollandiæ, Zelandiæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Norvvegiæ & Maris Balthici, quæ id mare sulcant, & augustas Porthmi fauces intrare coguntur.

XXVIII. Observatum est, ex Cimbricâ Chersoneso in Germaniam quinquaginta boum millia acta fuisse, qui vectigal Gottorpii pendunt. Aliquid etiam emolumenti percepit Daniæ Rex ex Wardhusia; nam Angli paucis ab hinc annis, inceperunt navigare inter Norvvegiam & Grunolandiam, alii ad Colmigrass, alii Chilcheme, quod San. Nicolao vicinum est: cum Russis ibi commercia exercent, reportántque inde sevum, ceram, mellinum: eo quoque navigant Bergenses, Scoti Franci. In maris Sinus ferè medio, est insula & oppidum Wardhus, quod Rex Daniæ Fridericus II. egregiè muniri curavit, mercatores hic

pendunt vectigal suarum mercium.

XXIX. Daniæ & Seciæ Regnorum unio disrupta, quando An. Ch. 1523. planè abolita & sublata fuit *Vnio* Calmariensis, communi Danorum & Suecorum consensu. Causa fuit atrox *Christierni II.* imperium, qui à Suecis Rex admissus, contra datam fidem 90. Proceres Stockholmiæ in publico foro, manu carnificis trucidari jussit, & alia crudeliter egit. Hanc immanitatem exhorruit totus Septentrio, ac communi Danorum Suecorum & Norvvegorum decreto Regnum *Christierno II.* fuit abrogatum, cúmque id armis repeteret, captus à Danis & in miserrimum carcerem per 38. continuos annos usque ad finem vitæ coniectus fuit. Ita illa amoto sui jam juris Dani & Sueci peculiares sibi & separatos Reges crearunt.

XXX. Dani dein *Regnum transtulerunt ad* Fridericum *Ducem Holsatiæ.* Factum hoc inprimis favore Nobilitatis. Nam cum *Christiernus II.* tyrannus inprimis Nobilitati infensus fuisset, captans gratiam civium ac plebis; hinc Nobiles patruum ipsius *Fridericum* Ducem Holsatiæ certis conditionibus & magna sibi privilegia pacti, elegerunt, quæ privilegia ad hunc usque diem & annum Nobilitas Danica & Holsatica in creatione Novorum Regum non tam acriter defendit, verum etiam magnâ accessione auxit, ita quidem, ut jura *Maiestatis* cum Rege communia habuerint. Sed inprimis cum *Fridericus II.* Rex eligeretur, hæc Nobilium in immensum fuerunt aucta, quorum hæc capita præcipua. I. *Rex* nullum *Nobilium* capitis damnato, vel proscribito,

sed

sed judicium Senatui relinquat. 2. *Nobiles* jus vitæ & necis in suos subditos, absque provocatione habente, neque Rex de mulctis participet. 3. *Honores & dignitates* nulli privato aut extraneo Rex dato, sed id penes Senatum sit. In has leges *Fridericus II.* juravit, ac ne juramentum suum violare posset, *Nobilitas* cum civitate Lubecensi & Rege Poloniæ fœdus inivit. Atque hic status Politicus Regni Daniæ fuit usque ad hunc annum 1661. quo hæc Nobilium privilegia à Civitatibus, Clericis & agricolis fuerunt sublata, ac ipse Rex ex illâ quasi servitute Nobilium in libertatem fuit assertus.

XXXI. *Claustrum* Daniæ *est Fretum* Sunda, quod totius orbis celeberrimum, quod lingua vulgari Sunt vocatur, est clavis maris Balthici, neque aliâ viâ navigationes ultro citróque exerceri possunt, nisi per illud fretum. Quapropter Daniæ Rex est quasi *Claviger* totius navigationis ac mercaturæ Balthicæ. Atque hinc præcipui reditus ex teloniis, navibus ac mercibus impositis. Quapropter præcipuum robur Regni Daniæ consistit in defensione freti Sundani. Vnde *Fridericus II.* firmissimo Castello, quod *Cronenburgum* vocant, exstructo, hujus freti defensionem sibi posterísque suis confirmavit. Propter hoc *Sundense* telonium, magnæ controversiæ inter *Danos & Batavos* fuerunt exortæ, ita quidem, ut Hollandi armatâ manu transitum sibi liberum per Sundam aperturi viderentur, & palam jactarent, claves freti Sundani esse Amstelodami. Hornio referente. Hæ controversiæ inter Danos & Batavos anno 1644. exortæ & compositæ fuêre, ac

vectigalia ad certas leges & modum redacta.

XXXII. Dania *Regnum* hæreditarium *fit.* A. C. 1661. Maxima in Regno *Daniæ* facta fuit mutatio, ac introducta *hæreditaria* utriusque sexus successio. Rex factus *supremus* Regni Dominus, qui hactenus à Senatu Regni dependebat.

XXXIII. Hollandia, Scania, Bleckingia *Regno Daniæ decesserunt.* De his Provinciis antiqua fuit contentio inter Danos & Suecos, utrisque eas sibi vindicantibus; quæ composita fuit nuperâ pace, ita quidem, ut hæ tres Provinciæ juris Suecici essent.

XXXIV. Fionia fertilis & amœna insula, continet 24. Præfecturas & sex regias Arces; Celebris est ob victoriam, quam ibidem de Suecis Dani reportarunt an. 1659.

XXXV. Vires maritimas Daniæ Regis esse terrestribus maiores, ex eo colligitur, quod insularum Reges navibus & nautis maximè confidant. Sæpe Dani bella gesserunt contra Suecos, sed semper ostenderunt, se magis maritimis, quâm terrestribus viribus commendabiles. Christianus IV. quum ingrederetur cum exercitu in Germaniam à Tillio tandem victus. Quantopere autem Dania mari polleat, ostendit Christianus II. qui 100. naves misit in Scotiam, in favorem Henrici II. Gall. Regis contra Anglos. Christianus IV. forsan à Suecis non fuisset victus, nisi 30. naves Hollandicas suis junxisset: Et quamvis victus brevi tamen vires maritimas rursus instauravit. Potest autem Rex Daniæ quotannis sine magnâ diminutione ærarii Regii ædificare 12. naves. Nonnulli putant Danis obesse, quod nimis magnas

magnas efficiant naves. Periti enim artis nauticæ naves mediocres præferunt iis, quæ magnitudine ac mole laborant. Difficulter enim moventur, facilè incendi possunt, numeróque magno militum atque nautarum indigent.

XXXVI. *Regimen novissimum* Nobiles Dani ita antehac paruerunt Regibus suis, ut fuerint quasi eorum curatores. Defunctus Rex Fridericus III. ante aliquot annos nihil audebat agere, qui tamen optimè ac sapienter res suas gessit, quod tantam suorum subditorum superbiam depresserit.

XXXVII. Dania, quia provincia maritima est, mercésque suas ob facilem exportationem facilè in pecuniam convertit, hinc est, ut privati eò locorum in lautâ & bene auctâ parte sint.

XXXVIII. In comitiis Regni sunt quinque ordines: Primus ordo continet Domum Regiam, id est, aulæ Ministros præcipuos: Secundus ordo comprehendit Nobiles: Tertius complectitur Ecclesiasticos, qui ante Lutheri reformationem primas occupabant: Quartus constat civitatibus, quarum consules habent sessionem in comitiis. Quintus verò & ultimus complectitur rusticos. Rustici olim in Dania distincti in liberos & glebæ addictos: Nunc ista servitus sublata est: Nam Fridericus III. Beatæ memoriæ dum factus est hæreditarius Rex, & absolutus Daniæ Dominus, abstulit illam distinctionem, omnibúsque rusticis dedit licentiam gerendi sclopetos, & lepores, vulpes aliáque eiusmodi animalia occidendi unicuique in prædio suo; ut

ſic nobiliũ poteſtas reprimeretur. Et quod adhuc maius eſt, conceſſit ipſis, ut habeant ſeſſionem & votum unà cum aliis in generalibus Regni comitiis. In hiſce comitiis olim nobiles omnia poterant, hodie non adeò multum poſſunt.

Norvvegia. XXXIX. Bahuſium humanis viribus inexpugnabilis arx, quam decem homines tueri poſſunt, contra decem millia hominum. Hunc hodie poſſident Sueci.

XL. Norvvegiæ plebs bona eſt, ſuo Regi fidelis, & omnis probitatis amica: Regio autem ita ſterilis eſt, ut vix ſufficiat inquilinis ſuis alendis: Arboribus proceribus abundat, indéque Hollandi educunt materiam navium ſuarum. Incolæ ſunt boni nautæ & milites, terrâ maríque imperterriti. Sed etſi pauperes, nullam tamen exercent piraticam: Vivunt ex piſcibus quos ibi capiunt, & aliorſum mittunt in magna quantitate. Reditus, quos, ſumptibus deductis, Rex ex illo Regno percipit, vix 100000. Imperialium excedunt.

XLI. Nuper tale in manus meas venit iudicium, quod candidè ita refero: Dani & Sueci conveniunt temperamento, fortitudine, propenſione ad virtutes aliquas, facilitate ad diſcendas linguas, religione denique & inclinatione ad libertatem. Vnaquæque gens vult habere Reges, ſed legibus adſtrictos: Ruſtici Suediæ & Norvvegiæ ſunt candidi, probi, paucis contenti, hoſpitales, & ſuorum Principum amantes. Nobiles tam Dani quàm Sueci ſunt gloriæ appetentes, & aliarum gentium contemptores, peregrinationum avidi, honorum ambitioſi, rerum propriarum æſti-

æstimatores, jugi cujuslibet impatientes. Differunt in sequentibus: Dani sunt molliores Suecis, eisdémque delicatiores, quia non sunt assueti bellicis laboribus. Sueci Danis prævalent in militaribus exercitiis, & peritiâ artis bellicæ. Dani libenter in mari; Sueci libentiùs in terrâ bella gerunt, Dania ditior est Suecia; sed Suecia Dania multis censetur bellicosior. Norvvegia verò pænè toti Europę navium malos suppeditat. Regnum istud cœpit sub Haraldo Harfagero circa an. 878. *Coppenhagen* autem portus, aula & Academia Regni Danię. Insula Amagria (Amack) ab Hollandis & Frisiis inhabitata Civitatis Hafniensis penuaria est.

XLII. Regnum Daniæ antiquitus Germaniæ annumerata, indéque Gotricus Rex, qui cum Carolo M. bella gessit, ab Aventino (l. 4. Ann. Boior. pag. 285.) Germanus appellatur. Regnum Daniæ 184. Vogtheias sive præfecturas continet, Dani Hærret vocant. Viburgi est Iutiæ supremum judicium, à quo non facilè ad Regem datur appellatio. Status Regni Daniæ in varios ordines dispescuntur. *In primo* sunt Principes Regii Sanguinis: *In secundo* Ecclesiastici: *In tertio* Nobiles, quorum potestas, olim nimia hodie immane quantum accisa. Ex illis eliguntur Senatores Regni, ac præcipua officia aulica v.g. Magistri aulæ, Mareschalli, Ammiralii, Cancellarii (ad quem appellationes primum, dein ab ipso ad Regem diriguntur) Thesaurarii &c. iis demandantur. *In quarto* Cives & mercatores, quorum liberi possunt fieri Episcopi, Canonici, Secretarii &c. *In quinto* rustici, quorum alii sunt Königliche

freye

freye Bauren (*Freybunde* vocantur) qui bona allodialia possident, & mercaturæ operam dant quique in numero Statuum sunt; alii verò sunt gemeine Bauren Regis, Episcoporum & Nobilium, qui glebæ adscripti Statum non conficiunt. Hi hodie etiam plenam libertatem indepti.

XLIII. Leges Danorum (im Jutischen Lovbuch) à Waldemaro I. Rege latæ, cum Iustinianeis ferè conveniunt, juxta quas citò controversias decidunt. Si judices primæ instantiæ iniquam sententiam ferunt, dimidium bonorum pænæ loco perdunt (Vid. Apologiam & privilegia Statuum Daniæ apud Chytræum lib. 10. Saxon.)

VLIV. Anno 1660. Dani non vi aut simulatione circumventi Regem suum in Monarcham absolutum evexerunt, sublimarúntque, ac, Romanos imitati omne suum jus omnémque potestatem in Excelsæ ac Beatæ memoriæ Regem Fridericum III. contulerunt, & regnum tam ad masculos quàm fæminas hæreditario jure detulerunt; Electivum itaque juramentum hodie remissum, jurata olim pacta & tabulas Capitulationis ex tradendo Friderico III. B. M. Danni annullarunt, olim factam electionem personalem in hæreditariam ac realem commutarunt, & suffragia Ordinum decreverunt, ut Diadema Regium ad Regis, posteros utriusque sexus hæredes propagaretur.

XLV. Etsi Dani simul ac Sueci, inito contra Christianum II. exulem fædere, peculiares sibi elegissent Reges; neque tamen constans ista fuit

voluntas

voluntas. Depulſo enim Chriſtiano II. mox antiquæ rixę renovatę, quę in atrox inter Fridericum II. & Ericum VIII. eruperunt bellum. Deinde & inter Chriſtianum IV. ac Carolum IX. iiſdem ferè de cauſis odia fuere renovata quum conquererentur Dani, Suecos in quaſdam Norvvegię ac Finmarchię partes juriſdictionem ſibi arrogare. Controverſiâ hac mox ſedatâ, duplex iterum bellum, quamquam ferè aliis de cauſis, ſucceſſit; donec tandem ultimâ pace an. 1660. omnes iſtę controverſię componerentur, Gallorum in primis & Belgarum induſtriâ; qui & ipſi pacis ſponſores facti. Quęſtio autem potiſſimum inter Danos & Suecos fuit agitata de tribus Coronis quibus Rex Danię utebatur. Id enim tanquam in prędjudicium ſui Regni fieri ſolitum, ferre nolebant Sueci.

XLVI. Mortuo Chriſtiano IV. Senatores Regni non in antiquas, ſed novas leges volebant Reges accipere. Cumprimis novę leges fuerunt pręſcriptę, quum Rex eligeretur Fridericus III. Duriſſimę tunc Leges Capitulares fuerunt pręſcriptę; quibus inuſitato modo circumſcripta Regia poteſtas, ut Rex ſecundùm iſtas leges ne minimum quidem Regię poteſtatis haberet.

XLVII. Noſtra ętate quum Senatores Regni infeliciter Rempub. adminiſtraſſent, nuperóque bello Suecico magnam partem autoritatis & bonorum Regni perdidiſſent, Populus reliquus inſurrexit, & occaſionem dedit totius Reipub. immutanda. Mutatâ itaque electione in Succeſſionem, autoritas Senatorum Regni hodie non major, quam qualem REX vult eſſe, atque ita REX factus

factus est absolutus. Quare quum antea Regi vix quicquam esset autoritatis, jam satis illi hujus est abundè: quum antehac Episcopi & Vrbes ab omni Reip. curâ exclusę, hodie quidem cum Archi-& Episcopis illa communicatur; Nobilitatis verò nulla habetur ratio. Et hodie peregrini, prę-sertim è Germanis, ad Regni officia liberâ Regis voluntate promoventur; inter quos hodie claret Nobilissimus Sanctior Regis Consiliarius Dn. *Conrad de Hess*, Promotor noster ęternum venerandus, ut de aliis Holsatię Nobilibus nunc taceam qui hodie magnam in aula Regia obtinent auctoritatem.

XLVIII. In Dania semper ab antiquissimâ usque memoria obtinuit Principatus sive Regnum, nunquam tamen absolutâ Regum potestate. Quod ruricolas attinet, sensim illi à Reliquis Statibus fuerunt seclusi, & meri facti subditi; manente tamen autoritate Cleri, & Nobilium, atque etiam ex parte Vrbium. Mansit autoritas Episcoporum usque ad religionis mutationem. Quum enim tum Archi-& Episcopis subtraherentur vires, etiam autoritas eorum concidit, & quidem ita, ut non amplius ad Consilia Reip. admitterentur. Hinc tandem Resp. pervenit ad Nobiles, qui paulatim etiam Vrbium autoritatem excluserunt, adeóque Respublica Danica tandem divisa in Regiam & Senatoriam potestatem. Cęterum hodie calculi sunt immunitati, ut aliquoties dictum.

XLIX. Hodie in Regno Danię non amplius durant bona illa, quę feudalia, Germ. Verlehnungen und Verpachtungen vocabantur, atque

atque hodie, autoritate Nobilium in hoc articulo prorſus evacuatâ, ad ærarium Regis illa pervenerunt adeóque ut in noviſſimâ Pacificatione de an. 1660. multum de Regno Daniæ deceſſerit, tamen Regię Danicę Majeſtati Sol in univerſâ Europâ fortiſſimos radios jam ſpargit.

L. Diviſio Procerum & Statuum Regni Danię, in pręcedentibus ex Chytreo, & aliis allata hodie non amplius omni ex parte obtinet, ex quo Regnum electitium tranſiit in hęreditarium, ſuíque juris Monarcha factus eſt Rex Danię.

TEXTVS CONRINGII

DE REGNO GALLIÆ.

TITVLVS XVIII.

Scriptores rerũ Gallicarum.

I. DIcemus jam de Scriptoribus, qui ſunt evolvendi in accurata, huius Regni cognitione. Omnes autem qui relationes collegerunt Rerumpublicarum de eo quid habent, ſcilicet Boterus, theſaurus Honorii, Belli, Enſii, ut & Scriptor anonymus Gallicus. Libri etiam in Batavia editi ſunt eiuſdem argumenti. Initio quidem prodierunt in Belgio libri tres in unum collecti Iohannis Tilii, Claudii Seſellii, & Vincentij Lupani ex Gallico in Latinum verſi à Iohanne Sleidano: Sed ſecunda vice prodierunt accuratiùs editi, additis à Iohanne à Laët quibuſdam ad notitiam Galliæ pertinentibus, quę editio melior eſt, & utilior. Eſt quidem Tilii liber elegans, ſed inprimis tradit jus publicum, quale fuit antiquitus ſervatum, durante familia Hugonis Capeti: Sed quæ ſit hodie rerum facies, non attingit Tilius. Vixit ſuperiori ſeculo antiquitatis Gallicæ ſtudioſiſſimus & peritiſſimus, factus dein Epiſcopus Meddenſis in Galliâ. Seiſellius item fuit Epiſcopus, ſed non tam ſcripſit: quis

Iudiciũ de Ioanne Tilio.

Iudiciũ de Claudio Seiſellio.

quis ſit ſtatus Reipublicæ: quàm qualis eſſe debeat, unde potius agit Philoſophum. *Lupanus* autem penè eodem modo proceſſit quo Tilius, ut multa ne attigerit quidem: Aliud enim eſt jus publicum ſcire, aliud Rempublicam ipſam. Si verò ſcire velis veterem, poterunt tibi prodeſſe illi. Ad ſtatum præſentem ſe accommodavit *Iohannes de Laët*, & habet multa, quæ ab illis intacta relicta ſunt. Iohannes Limnæus vaſtum volumen edidit de notitia Rerum Gallicarum, ſed nec ordinem obſervat Politicum, & multa inculcat, quæ huc nihil faciunt. Prodeſſe verò poterit ejus evolutio, arguit enim multam ipſius lectionem, nam prudentiâ politicâ ſingula perſequitur. Seorſim poterunt comparari libelli magis Chorographici, qui aliquo habendi in pretio. Gallicè ſcriptos hic non memoro, interim laudo librum mole non quidem adeò magnum ſed utilem iis qui accuratè ſitum & terminos Galliæ, ut & reliqua noſſe expetunt: Prodiit ille authore *Abrahamo Golnizio* Tit. Vlyſſes Belgo-Gallicus. Hactenus ego librum eius argumenti meliorem non vidi nec deſidero quicquam ab eo, quàm deſcriptionem Pariſiorum pleniorem, quam mihi in Batavis viventi promiſit; peritia rerum Gallicarum maximè pollebat, & bis jam eo tempore Galliam inviſerat, & tertia jam vice parabat eò tendere. Reperitur item quoque Itinerarium non contemnendum *Iodoci Sinceri*, quod etiam vobis commendo, ut ſciatis, qui ſcriptores vobis ſint uſui. Aliæ Chorographiæ etiam habentur, ſed ampliores & Gallicè ſcriptæ. Mappæ etiam variæ omnium Provinciarum Galliæ extant

Iudiciū de Lupano.

Ioannes de Laët.

Iudicium de Limnei notitia Franciæ.

Iudicium de Golnizio.

Iudicium de Iodoco Sincero.

optimæ.

optimæ. Quod attinet Historicos, habet Gallia plures, non dicam de iis qui Gallicè scripserunt, tantummodò Latinos laudabo. Primus verò Historicos antiquos colligere cœpit, Franciscus Petrus Pithæus magnus ICtus, Cujacio penè par. Edidit primò varios scriptores rerum Francicarum præ primis gestarum tempore Caroli Magni; deinde collegit & alios. Vtraque Collectio Wechelii curâ & sumptibus Francofurti edita. Cùm autem viderunt Galli, nos Germanos esse industrios in antiquis Historicis colligendis, secutus est nostros inter alios *Andreas Quercetanus*, aliàs du Chesne, qui variis voluminibus latentes antea veterum rerum Francicarum scriptores edidit, adeóq; non consulendi nisi iis, qui antiqua desiderant. Quod si compendium rerum Franciarum legere desideras, adi historiam *Pauli Æmilii*, Veronensis Itali, qui vixit sub initium seculi superioris in Gallia. Et quemadmodum Polydorus Virgilius, Italus prosequitur res Anglicanas, sic ille Gallicanas: desidero in eo quòd dictio ejus nimis sit concisa, & affectatione antiquitatis vocabula locorũ mutet in aliam flexionem v. gr. Geldriam Geldnam vocat. Neç dubium, quin id verè dicat, sed tamen pro tempore loquendum est. Vbi hic desinit, ibi incipit *Andreas Ferronus* de Concilio Tridentino: Habuit ibi aliquot orationes ad patres Concilij, & masculè se gessit: vixit etiam alibi legatus, sed tandem invidia pressus, ex Italia rediit ad Henricum Navarræum: persequitur res Gallicas penè usque ad excessum Francisci, ubi verò Ferronus desinit, ibi incipit *Thuanus*, ut hi mutuo quasi se

Iudicium de Petro Pitheo.

Andreas Quercetanus.

Paulus Æmilius

Andreas Ferronus

Iudicium de Thuano.

se exceperint. Licet verò Thuanus non commoratus tantùm sit in rebus Gallicis memorandis, sed totius orbis nuspiam tamen majorem meretur fidem, quàm in Gallia. Ex hoc igitur tutò petas res Galliæ. Persequitur autem eas ad Henricum IV. & annum seculi hujus X. sed cum jam tum primo volumine edito laboraret invidiâ magna nonnullorum, vivus Historiam non edidit, ab ejus obitu verò Historia edita usque ad annum 7. seculi hujus, reliqua latet, quæ procul dubio abscondidit, invidiæ declinandæ causa, vel etiam prohibetur ejus editio. Verum est enim illud Comici: *veritas odium parit*, & Historiam sui temporis scribere, est hominis valdè animosi. Cumprimis autem laboravit odio zelotarum Religionis Pontificiæ, licet ipse fuerit Pontificius, sed quia scelera suorum non dubitasset divulgare adeò verè, & usque adeò veritatis habita ratione, ut ne Papæ nisi pepercerit, incurrit in odium imprimis Iesuitarum. Primum ejus volumen in Indicem expurgatorium relatum erat Romæ, in Indice tamen Coloniæ edito non conspexi illud. Iactant plerique id factum esse propter præfationem doctissimam, quæ Pontificios vehementer mordet. Thuanus autem est me quidem Iudice hujus & superioris seculi Historicus maximus, ob insignem παῤῥησίαν. & studium veritatis. Dolendum tamen est de illa temporis injuria, quæ reliqua ejus Historica prodire prohibet. Francofurtana editio antè annos 30. edita est omnium optima, idque imò quia omnia habet, quæ habet editio Genevensis, quæ longè locupletior Parisiana secundò habet eadem notas marginales,

quibus facilè inveniri plura possunt, quod in Genevensi non est. Post Thuanum Historiam Ludovici XIII. persecutus est *Gramondus* vir nobilis, & Præses Parlamenti Tholosani, non autem est adeò diffusus ut Thuanus, in quibusdam cum Thuano convenit, in aliis non Thuani dictio plana est & perspicua, ut commentaria Iulii Cæsaris; contradictio Gramondi est concisa, contorta, & affectata brevitatis, dum voluit imitari Tacitum; Cujus tamen laudem assecutus non est. In sacris magis ostendit animum Zeloticum, non tamen ut omnem veritatem ejuret. Interim ad exemplum Thuani intrepidè sensum suum explicat, nec etiam vitia aulica in Galliis commissa reticet. Eadem quoque ipsi est cum Thuano παῤῥησία nec prudentia illi deest, ut quæ fuerint gesta satis pernoverit, sed pauca admodum attigit. Idem enim factum cum Thuano est expertus; simul ac enim ejus Historiæ prima pars prodiit, ille adeò invisus factus, ut vix tutò potuerit Tholosæ vivere. Et hactenus non nisi pars prior prodiit, posterior si prodiret erit opus incomparabile, & cum omni antiquitate comparandum. Arcana enim ejus Reipublicæ penetravit & ferè persecutus est omnia. Post Gramondum qui res Ludovici XIII. aut etiam hujus XIV. Latinè scripserit, vidi neminem: [add. *Legi hic meretur Prioli Historia rerum Gallicarum.*] Gallicè quidem alii scripserunt, sed potius videntur adulari, quàm Historiam scribere, inter quos est *Scipio Du-Plex* & alii. Ego author sim, ut illas saltem Historias rerum Gallicarum vobis faciatis familiares, quæ à tempore Francisci contigere, qua in re vos etiam adjuverint

Iudicium de Gramondo.

Scipio Du-Plex.

adjuverint Commentarii Anonymi de rebus in Gallia gestis, circa Religionem & Rempublicam ad Exemplum Sleidani, ut & commentarii in Gallia conscripti ab authoribus multis, qui fuerunt partim reformati, inter quos præcipuus est *Theodorus Beza*, ut ex aliis intellexi, an verè nescio. Quicquid autem in illis dignum est memoratu, id omne est complexus Thuanus in sua Historia. Fuit Henricus IV. admirandus, ob res gestas, virtutibus eximius, vitiis etiam insignis. Duo Historici Gallici ejus Historiam scripserunt, primùm *Petrus Matthæus* [Pierre Matthieu] qui etiam multa alia scripsit: Alter Rodolphus Boterius. Latinè versi sunt. Quamvis autem laudari solent Matthæi Historiæ, mihi tamen non placet, illa Historiarum scribendi ratio; nova enim est calamum habens adulatorium: Ad quamvis Historiam, inspergit sententias Græco-Latinas, quod est Philosophi non Historici. Antiqui quidem id fecerunt, sed parcius; hic verò totam suam Historiam iis reddidit obscuriorem: si tu habeas Thuanum, non est quod in his legendis, tempus perdas. Botorius verò fuit ICtus, cujus Historia mihi perplacet. Nuper admodum Iesuita quidam *Antonius de Bussieres* dedit nobis Epitomen Galliæ ab Origine Gentis [perelegans est] usque ad nostra Tempora in 12. duobus voluminibus, an. 1661. qui, quod mireris, etiam in narratione ultimorum temporum magis, quàm aliàs, est veritatis studiosus, nec etiam dubitat laudare Thuanum, quod apud Iesuitas est insolens; Dictio ejus est admodum elegans, & quantum legi, tantum mihi placuit, quod possit haberi pro compen-

Petrus Matthæus.

Botorius.

Ant. de Bussieres.

diosa Franciæ Historiæ narratione. Hæc de Historicis.

Antiquus Galliæ status. II. Illam terram, quæ hodie dicitur Regnum Franciæ olim tenuere Galli, & tum dicta fuit Gallia, quam in provinciam primus redegit Iulius Cæsar, quod quomodo actum sit, ipse descripsit. Iam dudum ante pars illa Galliæ, quæ dicitur Narbonensis, erat Provincia Romanorum, quare adhæsit illi superius nomen, ut hodiéque dicatur Provincia. De Gallis antiquis narrare aliquid, & qualis etiam fuerit illorum Respublica, non est nostri instituti. *Gallia quando & à quibus Imperio Romano subtracta.* Mansit omnis Gallia in Imperio Romano, & fuit portio eximia Imperii Romani, donec seculo V. post C. N. [quo tempore Imperium occidentale transiit in manus Germanorum] Franci, Burgundi, Gothi Italiam subegerunt. *Franci.* Franci vixere olim, ubi Franconia est hodie. *Burgundi.* Burgundi etiam fuerunt Germani, & occupaverunt Galliam Lugdunensem, hodiéque ibi manet nomen Burgundorum: *Gothi.* Gothi autem occupaverunt omnem Aquitaniam Gallicam, constituta Regia sede Tholosæ. *Franci in Gallia fiunt superiores.* Sed Franci feliciter & Gothos & Burgundos vicerunt; Gothos depulerunt, & Burgundos subjugarunt. Adeóque omnis Gallia, erepta Romanis, tandem ad Francos venit, & hi adeò creverunt, ut tempore Caroli Magni omnem Italiam & Germaniam adiicerent, & tunc *Franci Germaniam redegerunt sub unũ sceptrum.* Germania unum sceptrum coluit auspiciis Caroli Magni, qui Germanus erat. [add. *Latius hæc deducit Dn. Conringius in aureis Tractatibus de Germanorum Imperio Romano, & de Finibus Imperii.*]

Quomodo Frãcia à Germania fuerit separata. III. Non autem jam tangam antiqua tempora

ra Imperii Francorum, sed ea tantùm quæ ad Imperium Francicũ pertinent, postquam illud dividi cœpit à Germaniâ. Germania antequam Imperatorem adepta est, itidem audiit nomine Francorum Imperium Orientale, sicut Gallia occidentale Francorum. Carolus Magnus hæc omnia obtinuit, ut etiam filius ejus Ludovicus Pius; Sed cum huic essent tres filii, inter quos fuit totum Regnum divisum, diversos etiam acceperunt limites. Major natu dictus Lotharius, cui in divisione contigit media pars inter Imperium Francorum & occidentale & orientale cum Italia; Carolo Calvo minimo fratrum contigit Imperium occidentale, Ludovico, qui fuit medius, contigit Regnum Orientale. Qui fines tum temporis Regnis hisce positi sint, tradidi in meo lib. de finibus Imperii. [*Notabilis est hæc divisio, qua Gallia à Germania separata, diversaq; sceptra etiam hodie constituunt.*] *Divisio Imperii Francici in Ludovici Pii filiis.*

IV. Finis verò hodierni Regni Gallici, adeóque fines Francorum Regni propriè, sunt [1] Oceanus & Mare Mediterraneum. [2] Pyrenæi montes versus Hispaniam [3.] Rhodanus versus Germaniam in Oriente usque ad Lugdunum. [4.] Araris fluvius [5.] ab Arari ad Vogesum montem, ad fontes Mosæ, & hic sursum usque ad Trajectum ad Mosam [Mastricht] ubi Scaldiæ dicitur esse terminus, quę miscetur Oceano; sed hodie nostra fortuna in hac re declinat, transcenderunt enim hodie terminos suos legitimos, & totam occuparunt Lotharingiam, cum tamen ea sit extra fines Francorum. Ducatus enim Lotharingiæ cis Mosam situs est, adeóque limitibus Regni Galli- *Galliæ fines hodierni.* *An Galli iure teneant Lotharingiam.*

cani concludi nequit. An irritus futurus hic contractus, an ratihabitio subsecutura sit, dicere non possum: [cepit enim Gallus in Regno Lotharingico feuda quædam singularia Germanica] Interim hoc affirmo, quòd contractus ille planè sit iniquus 1. quòd sit ex parte iniquus Imperio 2. quòd Carolus contraxit de re non omnimodè suâ. Quod illud attinet, non est fas vendere feudæ Imperii, etiamsi tamen dicas, transire illa cum onere; multum tamen interest, quis teneat feuda Imperii: quin & cum Lotharingia comparatum est, ut Dux qui possidet Ducatum & gubernat, non pleno jure possideat, sed si velit alienare, consensus agnatorum meritò accedere debeat. Dux ergo qui administrat Ducatum, reverá est usufructuarius tantùm. 3. non potest eum alienare invitis agnatis. Nonnulli quidem remotiores consenserunt; ast, qui provinciæ futuri erant hæredes, non consenserunt. Interim notandum, Lotharingiam hodie non amplius esse Imperii feudum. [add. *Controversia Lotharingica, quam hic tangit Conringius, altioris est indaginis: Quem finem illa habitura tandem sit; æquis expectandum est mentibus.*]

Incrementa finium Regni Galliæ. V. Intra 100. annos multum incrementi sumpsit illud Regnum, multa per vim Hispano erepta, multa Imperio erepta. Postea per Instrumentum pacis illis confirmata. In Hispania comitatum Rossilionensem sui Iuris fecerunt tempore Ludov. XIII. hujus patris. *Regnum Navarræum.* Hispaniæ pars fuit Regnum Navarræũ, exiguum quidem, interim regia pollens authoritate. Ferdinandus Catholicus hoc primùm omnium intercepit, nullâ justa de causa, hodieque

hodiéque est in manibus Hispan. & per contractum ipsis cessum. Titulus igitur inanis mansit Gallis, præter exiguam provinciam in montibus Pyrenæis Bearnensem, quam Galli adhuc tenent. Dividitur ab Italia Alpibus, ab Hispania Montib⁹ Pyreneis alluitur Oceano, & quidē Mediterraneo, & Occidentali, quàm maximè verò patet versus Germaniam, ibi non videas fines natura munitos. Transgressum est autem illud Regnum, Rhodanum, Ararim & Mosam: Hinc apparet quàm maximè Galliam apertam esse ea parte, qua possit vim inferre, & pati quoque.

Principatus Arausionensis & Comitatus Avenionēsis, non sunt Gallici iuris.

VI. In medio verò Delphinatu superest Ducatus Arausionensis, & Comitatus Avenionensis, uterque est portio Regni Lotharingici, ideóque Cæsarem de jure deberent Dominum agnoscere. Cæterùm hodie à Rom. Pont. possidetur Comitatus Avenionensis, sed quâ injuriâ vel jure hoc factum, egi in lib. de fin. Imp. Principatus Arausionensis habet suos Principes, titulo magis splendentes, quàm proventibus. Arcem ipsam Arausionem Rex Galliæ tenet, nec credo restitutum iri arcem, nisi denudatam suis munimentis. [add. *Id quod iam factum.*] Cætera sunt exigua oppida. [add. *Hodie, an.* 1673. *durante bello Gallo-Hollandico, Rex Galliæ Principatum illum occupavit, quia Princeps Arausionēsis caput est militiæ Hollãdicæ.*] Certū est, si Mazarinus vixisset diutius, etiã Comitatui Avenionensi imperasset. Quid hodie fiat, patet ex novellis; an Papa possit illum defendere, tempus docebit. [add. *Rediit jam Papa, cum Rege in gratiam & Avenionem rursus tenet; an illum Comitatum perpetuo retenturus sit dies docebit.*]

Delphinatus quo iure ad Gallos pertineat

VII. Inter Provincias illas, quas occuparunt Galli in Regno Lotharingico, est Delphinatus, qui habet hoc præcipui, quòd primogenitus Regis filius ita appelletur à Ducatu Delphini, *Dauphin* quemadmodum in Regno Anglico primogenitus dicitur Princeps Walliæ. Referunt authores Humbertum ultimum Delphinatus Ducem vendidisse eum Regi Galliæ, sed ea conditione, ut primogenitus Regis filius semper diceretur Delphinus. [add. *Vid. plenius Dn. Conringium in lib. de Finib. Imperii.*]

Gallia ad commercia apta. Massilia.

VIII. Quoniam verò Gallia adjacet mari Mediterraneo, hinc facilè patet, etiam ibi Regnum aptum esse ad commercia per mare Mediterraneum exercenda; quę in urbe Massiliensi opulentissima exercentur; Patet verò etiam Pyratarum incursionibus. Ab altera parte, quâ adjacet Oceano, itidem apta commerciis, quæ in Normannia inprimis florent. Aquitania item & Burdigala urbes ad Garonnam sitæ, item Rotomagus Rouan *&c.*

Causa materialis Regni Galliæ. Terræ qualitas Vinum Gallicanum.

IX. Observandum tam vastum Regnum non esse ubique ejusdem conditionis. Sunt enim alia loca sterilia magis, alia magis fertilia. In universum dixerim, Galliam esse fertilissimam, & omnibus quæ ad vitam pertinent abundare, nisi cœlum minus faveat, quemadmodum hodie illa pars, quæ aliàs fœcundissima & Paradisus Galliæ dicitur, magna laborat fame. Copia vini universa penè Gallia pollet, nisi quod vite careat Picardia, & Normannia, non tam fortasse vitio terræ, quàm negligentia incolarum. In Normannia pro vino suppetit potus ex pomis & pyris sylve-

Normānia & Picardia vino caret.

ſtribus præparatus. Provincia verò, aliàs *Provence*, & Aquitania generoſo inprimis abundat vino, quia Solis viribus magis oppoſitæ & remotiores ab Oceano & Septentrione.

X. Similiter abundat ſic ſatis copiâ variorum arborum, quarum uſus vel ad ædium ſtructuram vel ad focum eſt neceſſarius. Ad rem nauticam etiam habet vim magnam ligni, non verò quantum ſufficit, ideò cauſa videtur eſſe, quod nec hodie quidem claſſe valeat. [add. *Hodiernus Rex ad maritimam potentiam anhelat; quam etiam obtinet & ſtatio claſſis eſt Toluni.*] *Arboru Galliæ copia.*

XI. Habet Gallia fluvios navigabiles, & quidē inter eos eminet Rhodanus, item Sequana; Cæterum non merentur comparari cum noſtro Rheno & Danubio; Hac in parte cedit Gallia Germaniæ. *Fluvii Galliæ.*

XII. Metalla non habent multa, in nonnullis locis ferrum & plumbum reperias: argenti parum dat Gallia, deficit etiam æs, multò minus quicquam auri præbet. Itidem hac in parte Germaniæ cedit Gallia. *Metallis Gallia non abūdat.*

XIII. Aliàs verò Gallia in locis Pyreneis montibus propinquioribus, eſt fertilis ſale; conficitur verò partim ex fontibus, ſed parum; maxima verò copia paratur ex aqua marina, quæ ardore Solis & artificio humano coquitur. Longè enim ſalſius eſt mare Gallicum, quàm noſtrum Germanicum. *Quo magis mare eſt Septentrionalius, eò magis quoque eſt dulcius, & quo magis mare ſitum eſt verſus Auſtrum eò ſalſius eſt.* Cauſa hæc eſt quòd Septentrio abundet ingentibus fluminibus dulcibus, qui contemperant aquam *Gallia ſale fertilis.*

Oceani.

Oceani. Sal autem illud, quod conficitur in Gallia multò cedit bonitate & elegantia ſali noſtro Germanico, quapropter ſal illud denuò ſolet excoqui & purgari his in locis, quia cariſſimo in Gallia emitur pretio. [add. *Reditus ſalis mirum quantum fiſcum Regis augent. Quomodo verò hoc fiat, etiam Germani peregrinantes norunt.*]

Cœli qualitas in Gallia. XIV. Cœlum verò eſt benignius Germanico: noſtrum enim eſt multò horridius propter viciniam Septentrionis. Hinc fructus terræ in Gallia magis excoquuntur & dulcedinem majorem à terra accipiunt. Sic poma Gallica mitiora & benigniora quàm noſtra. Omnium *Provinciæ fertilitas.* autem molliſſima eſt Provincia; ideò hæc roſmarinum & poma Auriaca [add. *les pommes d'Orange.*] nobis præbet affatim. Quemadmodum verò Galliæ fervor Solis prodeſt, ita etiam incommodo afficit: longè verò temperantior eſt Solis *Serici copia in Provincia.* fervor in Gallia quàm in Hiſpania. Cura Henrici IV. magna copia ſerici in Provincia comparari cœpit, curavit enim magnam copiam arborum mororum eo conferri, quæ arbores creverunt tantâ felicitate, ut bombyces in magna copia poſſint ali, ut ſerico invehendo non multum indigeat illa Provincia. Factum hoc propter cœli & ſoli benignitatem: Ab equis & armentis etiam inſtructa ſatis, non verò tanta bonitate ovium, ut vincat Britanniam.

Gallia hominibus abũdat. XV. Nunc de gente dicendum eſt. Vniverſa Gallia eſt hominum plena, & jam ab antiquiſſimis temporibus abundavit Gallia hominibus, qui diverſas terras occuparunt. Olim Brenno Duce non dubitarunt partem Aſiæ occupare,

quæ vocatur *Galatia*: Illa pars; quæ Longobardia dicitur, eſt pars Galliæ Ciſalpinæ; iidem non dubitarunt ipſam Romam invadere. Ex Tacito, de moribus Germanis, conſtat, Gallos ea multitudine abundaſſe, ut in Germaniam commigraverint, à quibus nomen accepit. *Boii* enim fuerunt populi Gallici; dein pulſi fuerunt illi Boii in Vindelicam, & partem Pannoniæ à gente Germanicâ Marcomannorum, qui dein ſedes fixas in Bojaria habuerunt. Quantum ex Strabone colligere licet, tempore Iulii Cæſaris non ita fuit hominibus plena, quia incolæ nondum noverunt agriculturam, ut nunc. *Galatia.* *Boii origine Galli.*

XVI. Sunt verò agili corpore & ſano, nec tardo, ſed veloci & mobili. Hiſpani verò omnes tardi ſunt, & tardè quoque incedunt. Germani quodammodo medii ſunt inter Gallos & Hiſpanos. [add. *Noſtra natio argentum vivum, (vt ſic dixerim, quoad agilitatem corporis) deſumit à Gallis; plumbum verò ab Hiſpanis. Inde fit optima mixtura.*] Iam ab antiquis temporibus, ex quo Galli cœperunt innoteſcere Romanis, obſervata eſt diverſitas animorum. Olim quicquid eſt trans Rhenum dictum eſt Galliæ nomine: Significatione hac ſumitur à Cæſare & Tacito. Obſervata eſt jam olim tempore Cæſarum diverſa habitudo, ita amplè uſurpato Galliæ nomine, quod qui proximè tenebant viam Rheni, Belgæ, & alii, origine eſſent Germani, viventes quidem in Gallia, interim à reliquis Celtis moribus diverſi. Omnes illi Galli erant bellicoſi, reliqui imbelles magis. Iulius Cæſar de bello Gallico hoc teſtatur, & apparet ex *Habitus corporũ gentis Gallicanæ.* *Notetur Gallia Germanica trãs Rhenũ.*

Tacito

Tacito quoque, quod populi qui proximè ad Rhenum habitabant, censebantur populi Germanici; imò hodie omnes qui adhærent Regno accolæ linguâ sunt diversi.

Germaniæ divisio in primã & secundã.

XVII. Tanta verò Germanorum vis ibi consedit, ut Regio omnis vicina fuerit divisa in duas partes, in Germaniam primam & secundam, ut scriptores testantur, qui vixerunt Secul. II. III. IV. & V. Nomine Germaniæ secundæ venit superior Germania trans Rhenum; Germaniæ verò primæ nomine dicta fuit Gallia impropriè sic dicta; & Metropolis fuit Moguntia. Germaniȩ secundæ Metropolis fuit Colonia ad Rhenum. [add. *Vid. pluribus Lehmanus l. 1. Chron. Spirens.*]

Galli levitatis vitio laborant.

XVIII. Semper verò Romani vitio verterunt Gallis animorum levitatem, quâ facilè mutarunt consilia. Commigrarunt in Galliam haud pauci ex Italia; postea, cum Gallia occupata esset partim à Burgundis, partim à Francis, commigraverunt ex Britannia, Dania, Norvvegia, Suecia, & occupaverunt regionem, quæ hodie Normannia dicitur. Paulàtim tamen non tantùm omnes illi linguam antiquam & maternam planè immutarunt, sed & in mores Gallicanos sunt mutati, quod factum est, ex quo cœperunt connubia promiscua cum Gallis inire, quod antiquitus non licebat. Hinc in Gallia non licet observare grandem morum diversitatem. Iohannes Bodinus (in Methodo Histor.) cum esset Gallus, non potest negare hoc ipsis vitio versum, sed dicit non esse levitatem animi, sed agilitatem ingeniorum, quæ potius mereri laudem, quam vituperio subiici deberet. Cæterùm certum est quod

Galli moribus fere similes.

Bodini confessio ingenua. Explicatio eius refutatur.

Romani

Romani Gallis hoc revera vitio verterint. Et *aliud est pollere celeritate ingenii, alíud levitate.* Verùm quicunque sunt levi animo. illi sunt celeres: nam celeriter aliquid apprehendere possunt; levitas autem consistit in inconstantia. Levitas est incommoda negotiis, quæ requirunt pertinaciam. Vnde quod olim Romani notarunt, hoc adhuc hodie licet observare. *Sunt celeri ingenio, sed statim capiunt tædium & pœnitentiam rei.* Citò aliquid incipiunt, citò desinunt. Hinc res magnas non possunt gerere. Quod cum impetu agunt, id bene agunt; sed si pectus sufflaminatum statim retrocedunt. Hæc levitas animorum est penes plerosq; Gallos: Reperiuntur quidem nonnulli, qui graves sunt, sed admodum pauci. Ex celeritate illa dependent multa vitia & virtutes. Omnes hoc habent Galli, & per naturam remoti sunt à tristitia, hinc quæ severa sunt nimis, non sunt idonea Gallis.

Levitas in causa est quod constanti pertinacia negotia magna Galli non possint gerere.

XIX. Videamus nunc illorum virtutes: in re bellica quæcunque cum impetu invadunt, illa optimè expediunt: Nec enim verentur hostem. Verùm hostem victum sub Imperio tenere ipsis non est facilè, & si impetus nonnihil retundatur in bello statim languent. Hoc norunt Hispani, qui sunt tardi ingenio, hinc operam dant, ut morâ Gallorum impetum frangant, tunc illis licet res magnas expedire, moram enim Galli ferre non possunt; hinc quod sanguine pepererunt, statim dimittunt, cum sint novitatis avidi. Egregiè vitium hoc illius gentis notavit Barclaius in Icon. animorum cap. 3.

Virtutes Gallorũ.

Quatenus virtutibus militaribus polleant.

XX. Non sunt ita dediti intemperantiæ &

Veneri

Galli quatenus rebus Venereis dediti. Veneri, ut Hispani, qui ad insaniam amant; Galli leviter amant, & leviter quoque deponunt amorem. Virtutes homileticas quod attinet, nulla gens est, quæ mutabilior sit, circa virtutes homileticas. *Virtutes homeleticæ Gallorum examinantur.* Vestium enim varietate nimium quantum delectantur. Nos Germani contra miramur illam levitatem, & imitamur quoque, sed minus feliciter; nam ridiculi sumus, cùm natura nobis non dederit ingenium Gallicanum. Egregiè hac in re nos depinxisse videtur Barclaius. Levitas verò illa apparet etiam in convictu in moribus & gestibus, omnia sunt incerta, & mobilia. *Gallorũ ingeniũ ad res hilares proclive.* Eadem levitas apparet in studiis & in artificiis: omnia artificia & studia quæ tristitiâ & anxia solicitudine ac curâ indigent, fugiunt Galli, quia non sunt amœna & ludicra ad ingenium Gallorum. Hinc videas tot libros lectu amœnos ab illis proditos. Hispani verò contrà apti sunt ad studia tristia illa & seria. Eandem videas levitatem Gallorum erga exteros, erga quos sunt admodum hilares. At si incidant in grave periculum, magno cum labore eluctandum. Non tantùm deserunt peregrinos, sed & suos. *Quare Galli nõ sint apti ad rem nauticã.* Hinc minus apti sunt ad rem nauticam, ad quam requiritur animi pertinacia, & durus labor. Longè itaque aptiores Angli & Batavici, idque fit propter illam animorum habitudinem. Interim quia plerique sunt animo hilari, & celeri, venusti sunt, & ad studia, quæ conjunctam habent aliquam jucunditatem, mirè apti. *Galli ad iucunda perapti.* Et hoc observatum à Iosepho Scaligero, cujus verba citantur, in Gallia Elzevirorum. Fortassis eadem de causa minus apti sunt ad mercaturam. *Galli nõ sunt apti ad mercaturam* Exercent quidem; sed longè infelicius quàm Angli aut Batavi. Optime omnium

nium eam exercent Normanni, quod inde factum puto, quia superest aliquid moris & ingenii prisci majorum suorum. Agriculturam exercent; quæ levi indiget labore, & cum cœlum admodum sit benignum, omnia benè succrescunt. [add. *Hodie Galli, qui supra vulgi conditionem sunt, etiam nonnihil ad Germanorum gravitatem se componunt, ut peregrinantes observant. Tempora mutantur & nos mutamur in illis.*] *Galli quatenus agriculturã exerceant.*

XXI. Acturi sumus nunc de summa potestate, & quæ ad istam pertinent. Observa, longè alium olim fuisse statum, ac qui nunc est; hinc nonnulla de statu antiquo præmittenda. Observa, Regnum Francorum Occidentale, non aliter fuisse administratum, quàm reliqua Regna Germaniæ. Antiquis temporibus in Gallia nunquam obtinuit Monarchia, sed Regius status mixtus, ut potior pars fuerit penes Ordines. Serò demum Franci unum Regem acceperunt. Antè Meroværum non fuit communis Respublica, sed populus, fuit divisus in pagos multos, & suis pagis multi fuerunt Reguli, qui tamen non habuerunt summam potestatem. Multi fuerunt Comites ac Principes, ita ut Imperium fuerit divisum in multos Principatus ac Comitatus. At seculo V. cæpit omnis populus Francicus unum Regem sibi eligere, insolito hactenus exemplo, uti nec Saxones unum habuere communem Regem. Verùm tunc illi Reges in Francia summam potestatem non obtinuerunt, sed tantùm partem; fuit enim summa potestas penes ordines. Talis forma fuit familiâ secundâ Carolinâ, & familia prima (Merovæa scil.) florente sub tertia familia Regia, non alia *Causa formalis Regni Galliæ. Status ãtiquus Galliæ fuit mixtus.* *Ante Merovæum in Gallia non fuit cõmunis Respub. Quando Gallia sub unũ venerit sceptrũ. Rex Frãcorũ non habuit absolutã potestatẽ.*

fuit

fuit regiminis Ratio.

Quando in Gallia Monarchia cœperit.

XXII. Cæterùm antè an. 200. cæpit paulatim mutari Reipublicæ ratio, & primus omnium ad Monarchiam plenam jecit fundamenta. Ludovicus XI. Hic eſt ille, cujus res geſtas maxima ex parte deſcripſit Cominęus. Legat quis Cominæũ & Mejerum in Annal Flandriæ, ibi patebit, quibus artibus jecerit fundamenta. Rex hoc egit, ut paulatim optimatum authoritas remanſerit penes Proceres. Porrò Ludovicus XIII. hujus moderni Regis Pater, feliciter ſtruxit plenam Monarchiam conſilio Cardinalis de Richelieu, qui hoc effecit ſingulari ſua prudentiâ. [add. *Hodiernus Rex Ludovicus XIV. eſt abſolutiſſimus Monarcha & potentiſſimus inter omnes Reges Europæos.*]

Regnum Galliæ eſt hæreditariũ.

Principatus & Comitatus Galliæ.

Rex Angliæ olim in Gallia potens.

Quomodo Anglorum potentia in Gallia fractus.

XXIII. Regnum illud ſemper fuit non Electitium ſed hæreditarium. Cæterùm & Regnum ſuos varios habuit Principatus & Comitatus cum ampliſſimis juribus, & magna poteſtate, uti hodie in Germania: feudi jure erant Regi obſtricti, ſed eum ſaltem comiter colebant, omniáque in ſuis poterant provinciis. Fuit hoc ipſum Regi perquã grave, quòd ipſi ſcilicet Reges Anglię principatus in Gallia obtinerent, Ducatum ſcilicet Normanniæ & Aquitaniæ, jure quidem clientelari, ſed parum præſtabant obſequii; Nam potentiâ erant Regibus Galliæ ſuperiores: Acceſſit quod Reges Angliæ, cumprimis Eduardus IV. non dubitaverint profiteri, jus ſibi eſſe ad coronam Regiam Galliæ, eámque ſibi deberi: nec prætenderunt tantùm, ſed armis non dubitarunt eam coronam ſibi vendicare. Cæterùm inſigni contrà felicitate effectum & divino auxilio fractæ vires Anglicanæ,

ductu

ductu & auspiciis fœminæ Rusticæ. Fæmella Aurelianensis professa est, se missam à Deo, ut ipsius ductu Gallia vires reciperet: Galli, secuti ductum puellæ, fregerunt vires hostium: fœmina autem tandem capta est, & ut venefica, combusta est: Interim tamen hodie sacra est ejus memoria in Gallia. [add. *Aureliæ singulis annis mense Maio eius Festũ celebratur.*] Omnia sic perdiderunt Angli, præter Caletum & Boloniam, quibus locis tandem Henrico II. Rege pulsi sunt. Hodie ergò nihil habent in Gallia, præter unicum titulum. Hinc solent sibi vendicare beneficium sanandi strumosos. Ideo autem Angliæ Reges hoc faciunt, ut indicent sibi adhuc jus competere in Galliam. Accessit deinde, quod multæ familiæ Ducum Galliæ interierint, quorum terram statim occupavit Rex, nec in feudum voluit concedere cuiquã.

Virgo Aurelianensis Galliæ liberatrix.

Prætēsio Anglorum in Galliam.

Potentia Ducum Galliæ quomodo interierit.

XXIV. Cæterùm Regno Galliæ ingens incrementum accessit, cum Burgundica familia expiraret. Erat illa orta ex familia Regia, & obtinuerat in Gallia, ut Regum filiis 2. aut 3. Regni portio cederet in feudum; hinc excrevit magnus numerus Ducum & Principũ, & ad hunc modum cæperat quoque familia Burgundica. Illa per Connubia maximam partem potentiam acquisiverant, partim in Gallia, partim in vicinis Galliæ partibus. Occuparunt etiam Comitatum Burgundiæ, item Comitatum Flandriæ Ducatum Brabantiæ, Hannoniæ, & universum Belgium, seu XVII. provincias, quæ Galliam potentiâ æquabant. Hujus domus Burgundicæ partem majorem tenet Hispanus, & Comitatum Burgundicum, & Flandriam, Brabantiam, Hannoniam &c.

Quomodo familiæ Burgundiæ potentia creverit.

Interitus familiæ Burgundicæ.

XXV. Extincta est hæc familia in Carolo Audace, si masculinam videas stirpem. Decessit relictâ vnicâ filiâ, quæ nupsit Maximiliano Imperatori, ex qua natus Carolus V. & Ferdinandus I. Impp. Crevit verò in Gallia Regia potentia, quia totus Ducatus Burgundiæ, qui jure clientelari tenebatur à Rege, in patrimonium accedebat. Carolus V. detinuit Gallum, ne incrementum plus caperet, cùm esset hæres Domus Burgundicæ. Ludovico XI. successit Carolus VIII. qui duxit Vxorem hæredem Ducatus Britanniæ, & hac ratione Britannia Coronæ incorporata. Superiori seculo non multum potuit crescere Gallia, quia civilibus bellis penè obruta erat, quæ composuit Henricus IV. quem non dubitant ideò Magnum appellare, *Henry le Grand.*

Ducatus Burgundiæ devenit ad Gallos.

Britannia connubio Galliæ accedit.

Bella civilia in Gallia Henricus IV. componit.

XXVI. Fuit tunc Regis magna potentia, ita tamen, ut nec tunc satis tuta esset Regia potentia, ideò quia partem Regni tenebant Reformati, quibus debebat initia omnis potentiæ suæ, & multas arces & oppida illis ultrò concessit; hinc & formidabiles erant, & si quicquam Pontificii molirentur, & moliti essent, confugiebant ad Reformatos, qui fœdere inito opponebant se pro Rege. Fracta est eorum tandem potentia, Rege Ludovico XIII. fato quodam divino, abusi suâ potentiâ, cum novum Civile bellum ortum esset, ideò magno molimine pugnatum à Catholicis adversus Reformatos, ut non possit dici. Putabant, Regem velle extinctos omnes Reformatos, hinc pro Religione omnia sustinuerunt, & supra fidem pugnarunt.

Reformatorum potestas in Regno Galliæ quomodo orta & rursus fracta.

XXVII. Cæterùm surgente Richelio iis adem-

ademptа omnis potentia omnes arces & oppida munita erepta. Cæterùm nihil egit contra eos. [add. *Dextram manum Galliæ Regi amputat qui Hugonottas radicitus exstirpandi consilia suggerit. Videantur hac de re consilia Politica.*] tunc plebs & Clerici senserunt Regem Galliæ non gessisse bellum pro Religione, adeóque se libertate esse exutos; doluit tunc plebs, quòd tantoperè bellum arserit. De hoc bello extat insignis commentarius Gramondi, qui insertus est ejus historiæ. Describit autem omnia accuratè, in primis occupationem Rupellanam, & claudit historiam hoc eleganti Optimo Epiphonemate adjecto; *feliciter quidem extincti Reformati, sed utinam non simul libertas extincta esset. Hodie enim licet Regi quodlibet, & Rempublicam administrare potest; non tamen ex arbitrio, sed ad proprium usum; primus hic lapis, ait, in quem fundavit Cardinalis Richelius authoritatem, quæ exemplo caruerat in hunc diem. Hinc ruina Calvinianæ Religionis & sectæ in Gallia, læta Gallis victoria, si maneret libertas, qualis erat Rupella &c.* pag. 780. Simul ac Rex Reformatos subjugasset, Domum Austriacam subjugavit, dicam oppugnavit. Author Epitomes rerum Germanicarum, quæ à Pontificio Anonymo, sed perquam prudenter conscripta, quem omnibus prætulerim, An. 1628.

Occasione delendi Reformatos Libertas Galliæ periit, Regúmque absoluta potestas robur sumpsit.

Iudicium de Autore Epitomes Rerũ Gallicarum.

XXVIII. Hoc etiam observandum, dudum in Gallia non celebrari Comitia, ultima indicta fuerunt 1614. cum intempestiva cæde interiisset Henricus IV. & Ludovicus XIII. adhuc puer esset. Motus enim tunc fiebant; Certè Respublica tunc videbatur animam agere. Vide Thuan.

Comitiorum libertas in Gallia interiit.

in Histor. illorum Comitiorum, quibus magis inepta comitia nunquam celebrata fuerunt. Agitata quasi quædam negotia fuerunt, sed non illa, de quibus erat agendum in comitiis. Credo id factum arcano consilio aulicorum, qui ordines ita commiserunt: Commissi enim tunc cum populo proceres nauci egerunt, & sic jubebantur domum ire. Antea quidem etiam comitia facta fuerunt, sed tantùm in speciem. *Vbi* verò *desunt* comitia *ibi est plena Monarchia; ubi Comitia adhuc sunt in usu, ibi est Respublica mixta*, & prout se habet authoritas Comitiorum, ita se etiam habet Principis. Quicunque Reges adspirant ad summam potestatem, hi debent evitare comitia.

Arcanũ ad infringendã eiusmodi libertatem Comitia pugnant cum absoluta autoritate Principis.

XXIX. Notat Franciscus Hotomannus in Eleganti Libr. quem dicit Franco-Galliam, Regum artibus factum, ut in speciem Comitiorum instituerint Parlamenta, quæ vox est Gallica, & notat conventum, ubi quis poterit sententiam suam exprimere. Cæperunt Reges Ordinibus persuadere; se velle alere Senatores perpetuos; nolle verò se molestos esse Ordinibus: Comitia enim esse molesta populo, & sumptuosa; se velle cum Assessoribus Parlamenti omnia communicare; populus hoc sibi persuaderi passus est, & sic Regia summa potestas succrevit. Talis autem potestas Parisiensi maximè Parlamento tributa est. Ex eo, si quid velit Rex magni edicere, ratificandum est ab hoc Parlamento: antehac debuit ratificari à conventu Ordinum. Hotomannus appellavit hoc Parlamentum, Regnum Rabularum, nam in totum Rabulæ adscitæ in Parlamentum. Cæterùm, quia Reges ita usi sunt authoritate Parlamenti, hinc etiam

In locum Comitiorum hodie successerunt Parlamenta. Quo prætextu illa introducta. Parlamenti Parisiẽsis autoritas.

authoritas illius, & reverà eandem potestatem sibi tribuere voluit, cum tamen in speciem sit constitutum pro Monarchia Regia. Lege Wichel. libr. contra Monarch. qui probat. Parlamento Parisiensi non, nisi aliquam, Authoritatem magistratus competere, libr. 4. à cap. 14. ad 20.

XXX. Hæ contentiones diu duraverunt, & Regiæ potentiæ obicem posuerunt, sed removit illas Cardinalis Richelius. Hactenus lege Regni obtinuerat, ut Parlamentum Regi claves traderet, qualibet vesperâ die Michaelis, quæ sequenti die ipsis reddebatur, id quod indicat eos dependere à Rege: Vtque Parlamentum intelligeret, quo esset loco (sc. nullo) Rex retinuerat claves per aliquot septimanas, & non restituit, ita tandem multis querelis effecerunt, ut claves Rex redderet, & hodie quidem Parlamentum habet authoritatem, non nisi imaginariam, &, si Edicta non rata habere vellent, Rex jubet, ut sua verba ratificentur, licet ipsi repugnent. Vid. Grammond. lib. 5. Hist. ubi agit de contentione Parlamenti cum Rege Ann. 1620. Nulla & hodie habet comitia Gallia, & Parlamenti authoritas nulla est, & Richelius dicebat: negotia judiciaria ad Parlamentum pertinere, non autem Regni negotia, nisi Rex jubeat: Et si Edicta Regis Parlamento tradita, id in speciem tantùm sit, respectu populi.

Parlamentum Parisiẽse Monarchiæ Gallicanæ minimè obicem ponit.

XXXI. Hodie Rex & leges fert, & abrogat solus; Solus belli & pacis negotia tractat pro libitu. Patet inprimis hoc ex nupero bello cum Hispanis gesto: Bello enim illo populus Gallicanus ad incitas redactus erat, &, licet populus & Clerus gemeret, nihil tamen effecerunt, donec

Rex Galliæ iura maiestatis hodie exclusis Regni Ordinibus solus tenet.

Regi id placeret; ideóque omne tale quid ex Rege dependet. Rex etiam non curat aliqua privilegia Ordinum aut plebis; illa rescindi à Rege pro lubitu creditur. Narrat Gramondus lib. 2. Quemadmodum Rex venerit Tholosam, & more antiquo, antequam limites accederet, jurato promiserit, se privilegia Tholosæ conservaturum, sed vana fide: Nam extincta fuisse ad unum omnia privilegia. Hodie nescio quo facto extincta sunt in Gallia omnia privilegia, omniáque jura populi; & hoc ibi creditur esse justum: Quemadmodum verò belli & pacis jura, ita sine dubio veterum tributorum, vectigalium, jura creduntur Regis arbitrio constituenda, ut de iis nemo dubitet, quod, nescio, an ulli liceat Principi Europæo.

Jus tributorum indicendorum quomodo in Gallia comparatum.

XXXII. Ante hac autem non licuit Regibus, indicere tributa extra ordinem sed tantùm consentiente populo. Cominœus lib. 9. notat primùm Carolum VII. Ludovici XI. Patrem, tributa ausum fuisse imponere, consensu populi non adhibito, post Anglos è Normannia & Britannia ejectos, eundemque, ut sibi liceret exigere pecuniam, Principum perditione voluisse, sed Filius Ludovicus XI. primus ad dominatum & summam potestatem adspiravit. Adeóque Rex hodie pro arbitrio tributa exigit, quando scilicet ærarium eget, in quo Gallus omni Europæo Rege est superior Vid. Gramond. l. cit. Publicanorum tamen jus in Gallia mansisse, queritur idem ibidem. Hi enim sunt spongiæ Regiæ, unde Rex pecuniam sugere potest, adeóque Rex Galliæ omnium bonorum est plenus Dominus.

Ludovicus XI. primus in Gallia ad dominatū adspiravit.

XXXIII.

XXXIII. Habet porrò jus vitæ & necis, ideóq; nec Principibus parcit. Antea enim, more antiquo & prisco Germanorum, obtinuerat in Gallia, ut, si quæ causæ orirentur inter Regem & Vasallum, inter pares deciderentur, adeóque quasi Iudicia Parium fuerunt instituta. Sed hodie Rex eligit, quos Parium nomine appellare velit, proinde ut apud Romanos tempore Cæsarum Consules: Manet etiam hodie in arbitrio eligere Mareschallos Regni.

XXXIV. Res Sacras quasi imperium Papæ in Gallia passas esse, notum est, sc. illum non solùm Monarchiam condere voluisse, sed etiam aliquam exercuisse. Sed hodie quidem magna Papæ est authoritas in Sacris per Hispaniam & Italiam, sed non eadem, ut olim. Nusquam verò adeò parum fit quam hodie in Gallia, ubi quidem adhuc Dominus est, & Deus Papa, quemadmodum Richelius dixit, etiam talia quibusdam Cleris persuasa sunt, sed parti Regiæ alia mens est. Omnes hos vocant politicos, eo sensu, quòd omnes Politici sunt Athei, nunquam & minor authoritas Pontificis ac in Gallia. Galli enim dicunt, suam Ecclesiam esse liberam, nec Tyrannidi Papali patere debere. Cumprimis inter plures elegans est, & professus libellus Petri Pithœi, in quem commentatur non minus egregiè Petrus Puteanus, qui deinceps in folio editus pro libertate Ecclesiarum Gallicarum. Hoc opus editum est connivente Rege, sed instigante Cardinale Richelio. Papa in totum in Hispaniæ partes propendebat, sed Cardinalis Richelius neglecto Pontifice. Monarchiam Regis

Rerum Ecclesiasticarum in Gallia status.

Pontifici non magna in Gallia autoritas

Pithœi liber pro libertate Ecclesiæ Gallicanæ.

condere volebat; cæpit autem antehac Romæ divulgare, quòd talis liber sit proditurus, adeóque fremuit Curia Romana. Prodierunt isti libri prima vice ringente Papa, & secunda quoque vice, tandem præfixis Regiis Insigniis prodierunt tertia vice è Typographæo Regio, nec quicquam contra molientibus Iesuitis, qui ne mutire dein ausi. Richelius etiam Gregorio XV, in Hispaniæ partes pendenti, persuasit: Regem in Gallia Patriarcham instituturum. Id cum Papalis curia audiret, Papa maximè studuit, Regem sibi conciliare.

Notetur arcanũ de Patriarcha in Gallis creando.

Libertas Ecclesiæ Gallicanæ examinatur

XXXV. Nusquam igitur terrarum minoris æstimatur Papalis authoritas, quàm in Gallia, & singularem venditant libertatem Galli contra Ecclesiam Romanam, & quod aliæ Ecclesiæ gemunt cum Pontifice, id eorum deberi negligentiæ, se nolle ita pati premi: Narravi singularia, quibus Galli derogant Romano Pontifici. Secundò in Gallia moris est, ut nec bulla Pontificia promulgetur nec ab Episcopo, nec à Nuncio à latere, nisi à Rege fuerit subscripta. Et non obtinent hæ bullæ nisi ex permissu Regis. In locis nonnullis Hispaniæ hoc etiam observatur: In Regno Neapolitano Pro-Reges non patiuntur ullam Bullam promulgari, nisi à se subscriptam, & si sit feudum Pontificis. In Germania solent edi non impetrato consensu Principum. [add. *O utinam omnes Christiani Principes etiam hac in parte imitarentur. Reges Galliæ & Hispaniæ.*] Sed ad Reges Galliæ exemplum se composuerunt etiam Hispani, ita ut reipsa Papa non habeatur Monarcha. Nam quorum edicta dependent ab aliorum beneplacito, illi

Bullarũ Papaliũ autoritas in Gallia & Hispania nõ adeo magna.

illi non haberi possunt pro Monarcha. Atqui Pontificis edicta dependent &c. Ergo. Et nec audet Apostolicus Nuncius pedem inferre in Galliam, nisi impetrato Regio Consensu; in Hispania tamen hæc accuratè non attenduntur.

Tridentinum Conciliū non habet vim legis in Gallia

XXXVI. Notatu dignum, quòd ne quidem Tridentinum Concilium, quo nihil cartius hodie habet Ecclesia Romana, non habeat vim legis in Gallia. Vt promulgaretur, omnes Reges & Imperatores jussit Pontifex, uti videre est sub finem Concilii, sed non paruerunt. Rex Hispaniæ tandem promulgavit, sed priùs ritè perpenso. Henricus IV. coactus in gratiam permittere, sed, dum in vivis fuit, non præstitit: Post obitum eius Clerus Gallicanus, adiectis nonnullis exceptionibus, fecit promulgari Concilium Tridentinum. Sed Rex erat minorennis, qui, maiorennis factus, statim abrogavit.

Potestas Papæ, quā sibi arrogat circa Reges deponendos, in Gallia nō agnoscitur. Philippi Pulchri Regis oppositio contra Papalē autoritatem.

XXXVII. Porrò etiam Romanus Pontifex, non solùm se venditat Monarcham in Sacris, sed etiam in Temporalibus, ut Reges & Principes possit de solio eiicere, si inidonei sint ad regendum; possit etiam excommunicare. Ideóque Bonifacius VIII. curavit Philippum Pulchrum excommunicari; misso Nuncio, sed miserè ille exceptus est: nam impositum equo, & pro freno caudam in manu datam per Lutetiam Parisiorum & totum Regnum circumductum, tandem demisit. Non dubitavit etiam Philippus Nobilem Hispanum excitare, Columnam dictum, qui pessimè tractavit Nuncium ut miserè mortuus sit. Qui successit Bonifacio VIII. Clemens V. coactus fuit à Philippo Pulchro Corpori

Cano-

Reges Galliæ non possunt excommunicari à Papa.

Canonico inserere, ne potestas excommunicandi debeat nocere Galliæ. Romana Aula hoc fatetur, sed dicit Reges Galliæ habere hoc ex privilegio; quod si eo abutantur, posse revocari: Reges verò Galliæ in alia planè sunt sententia. [add. *Et quidem Christianissimo sensu. O utinam omnes tandem Papale iugum excuterent!*] Ex eo tempore Iulius Papa Ludovicum XII. excommunicavit, sed eam excommunicationem, Concilio coacto, irritam fecit Clerus Gallicanus. Ipse Rex tanti fecit excommunicationem, ut non dubitaverit, nummos aureos cudi hac inscriptione, *Perdam Babylonis nomen*. Sixtus V. molitus quidem contra Ludovicum, sed irritus fuit. Ultima actio huius argumenti est memoratu digna, quæ contigit Anno huius seculi 26. erat Romæ exeunte anno liber editus, cui titulus Tractatus de hæresi, schismate, apostasia &c. Authore Antonio Santarello è Soc. Iesu Presbytero. Liber ille Romæ editus ac probatus ab Archisocio & aliis. Cæterùm simulac in Galliam venit, fremuit aula, fremuit Sorbona, & datus liber servi publici manibus in ignem. Rem totam narrat Gramondus d.l. 15. p. 675.676. Acciti Iesuitæ in senatum num probarent hoc dogma, ubi, nomine Iesuitarum, semper ambiguè respondit, Pater Coton Generalis: Lectu digna sunt quæ ibi tradit Gramondus, cui eò magis fides haberi potest, quod sit totus Pontificius. Exustus igitur Santarelli liber, quemadmodum olim Libro Iohannis Marianæ, Becani, Suarezii &c. contigit, parùm abfuit, ut non etiam Bellarmini liber combustus fuerit, quia scil, omnes horrendum illud

Notetur Ludovici XII. Christianissimus ausus cõtra Papam.

Santarelli liber in Gallia crematur.

professi

professi fuerunt dogma ; quod liceat Papæ Reges deponere. Cùm autem omnes Iesuitæ & Curia Romana profiteatur , Papam esse super omnia Concilia, tandem à Concilio Constantiensi prolata est contraria sententia Sorbonæ, & nonnullorum Clericorum ; Voluerunt Regimen Ecclesiasticum esse Aristocraticum , Romana verò curia vult esse Monarchicum. Est hæc controversia inter hos implacabilis: uterque & Papa & Sorbona dicit, jure divino esse constitutum: pro Sorbona fuit Concilium Constantiense, Basiliense , verum neutrum Concilium admittit Papa, quia dicit, se esse supra omne Concilium.

Potestas Regis circa cōstitutionē Episcoporum.

XXXVIII. In Gallia , ut alibi , magnam vim exercuit Papa circa constitutionem Episcoporum, & circa Annatas Pontificis. Sed huic oppositum Concilium Constantiense , & Basiliense, & in primis Sanctio pragmatica, qua omnia abrogata, sola relicta confirmatione Archiepiscopatuum : Hoc supra quam dici potest momordit Curiam Romanam. Hoc ipso anno electio Episcoporum & Archiepiscoporum fuit commissa Collegiis Canonicorum, ut fit in Germania, quam appellant Canonicam Electionem, sed pessimè. Leo X. Papa clanculum egit cum Francisco Rege, ut pragmaticam sanctionem abolere posset, hac ratione pepigit cum Rege, ut ipse eligeret Episcopos & Archiepiscopos omnes, nec amplius à Canonicis eligerentur. Credidit verò Papa faciliùs aliquid impetrari posse à Rege, quàm à Canonicis : nam Reges solent interdum rerum suarum esse negligentiores. Ita electio omnis Abbatum, Archiepisc. & Episc. competit

soli

ſoli Regi; Pontifex ſaltem habet confirmationem & conſecrationem, quam pallio Epiſcopali ſolet concedere. Spes autem Curiæ Romanæ eſt vana, dum putant aliquid remiſſum iri à Rege. Illius verò conſecrationis non alia eſt vis, quàm circa Epiſcopalia negotia. Accepimus ex novellis de *Petro de Marca* qui fuit perquam doctus, & qui egit Cancellarium in Bearnia, dein edito libello de Concordia Regni & Sacerdotii, depreſſit Pontificias partes, & elevavit Regis, quo libro adeò devinxit ſibi Aulam Regis, ut à Rege in vacuum Tholoſanum Archiepiſcopatum fuerit inſtitutus. Non potuit verò confirmationem à Rom. Pontifice impetrare; interim tamen omnium fructuum fuit plenus Dominus. Idem ille nuper Succeſſor datus in Archiepiſcopatu Pariſienſi Cardinali de Retz. Verùm fortaſſis mortuus eſt. Nota; Curia Romana aliàs profitetur, omnem Clerum eſſe exemptum à Iuriſdictione poteſtatis ſecularis: Hoc Regibus Hiſpaniæ non ita videtur: in Gallia etiam planè aliter ſenſit aula; Hinc ſuperiori ſeculo Henricus III. non dubitavit, Cardinalem Guiſium in ipſo carcere ſiniſtræ Carnificis ſubiicere, & vitâ privare, necquicquam fremente Sixto V. & minitante excommunicationem; ſed fruſtra. Cardinalis de Retz, cùm eſſet Archiepiſcopus Pariſienſis in exilium fuit pulſus, nec potuit Pontifex impetrare, ut reciperetur, niſi admodum nuper, ita tamen ut cederet Archiepiſcopatu. Hoc planè eſt contra jus Canonicum; Nam ſecundùm illud omnis Clerus eſt ſub Papa. De cœtero ſacra quod attinet, Rex eſt Eccleſiæ Romanæ addictus, ita tamen, ut non patiatur aliquid

Petri de Marca liber de concordiâ Regni & Sacerdotii.

detrahi authoritati Regiæ, Administrat res Ecclesiasticas cumprimis per Clerum, & Cleri concilia, quæ frequentia.

XXXIX. Notandum; Inter Iesuitas & Clerum malè convenit, quod Iesuitæ clanculum multum velint detractum Episcopali dignitati. Clerus autem pro Episcopali dignitate pugnat, tanquam pro aris & focis. Possemus multas lites ea de re vobis narrare, nisi temporis habenda esset ratio. Bona sacra Episcoporum & magna sunt & opulenta, ut in Germania nonnulli eorum computationem duxerint & dicant, penè trientem Galliæ à Clericis teneri. Bona enim in Gallia habent immobilia amplissima, à tributis exempta, idque aiunt sibi competere jure divino; quod etiam in jure Canonico docetur. Sed Rex Galliæ nuper ingentia tributa exegit, & antè aliquot menses tantam proposuit summam, ut quidam Episcopi dixerint: se malle resignare: eo enim modo se vix panem retinere posse, ringente sanè Curiâ Romanâ. Ita etiam de reliquis Cleri immunitatibus se res habet.

Discordia inter Iesuitas & Clerũ in Gallia

Amplitudo bonorum Ecclesiasticorum in Gallia

Rex Galliæ tributa bonis Ecclesiasticis imponit.

XL. Clerus quoque semper urget prohibitionem sacrorum Reformatæ Ecclesiæ; sed neque Papa, neque Clerus hoc hactenus impetravit, antehac potius Reformatis plura data, inprimis ab Henrico IV. qui ipsis loca munitissima concessit, quo essent à Pontificiis tuti. Hoc beneficio Reformati abusi sunt, nec probandum illud bellum, motum ab iis contra Ludov. XIII. Aliis enim dissentientibus, inimicis inter se factis, infelicissimè pugnarunt, donec tandem noxii cum innoxiis, nullâ habita ratione eorum, qui hujus faci-

Reformatorũ & Pontificiorũ in Gallia dissensio.

Reformatorũ bellum cum Põtificiis.

noris

noris fuerunt conscii, omnes miserrimè trucidati sint, instituta Laniena Parisiensi; Atque sic Reformati omnibus arcibus propugnaculis, urbibúsque munitis exuti sunt. Et quamvis illis urbes aliquot relictæ sint, munitæ tamen non fuerunt, & insuper senatum acceperunt dimidium Pontificium. Ita ut hodie non nisi beneficio Regis illuc vivant. Hoc bellum nobis descripsit Grammondus, & licet aliquantum propensior sit in partes Regis & Pontificiorum, interim tamen poterit totum legi apud illum. Finis autem hujus belli factus anno 1629. victa urbe Rupellâ, sacráque itaque reformatorũ sunt in manu Regis: nec temerè quis hoc improbaverit, cum hoc maximè faciat ad Reipublicæ tranquillitatem, quam semper decet attendi. Extat hac de re egregia Consultatio apud Barclaium in Argenide An Hyperephanii [ut vocat Reformatos] sint in Regno tolerandi, & quemadmodum habendi. Introducitur ibi primarius Regius Consiliarius, perorans coram Rege de Hyperephaniis: secundum illam consultationem omnia deinde in Gallia constituta fuerunt, scilicet suadet, non ejiciendos esse, sed eos habendos esse ut meros subditos: Quia verò Reges erant edocti usu, quod, dum Reformati sua instituant concilia, solere etiam agi de rebus civilibus non de sacris solùm, inde Rex facit, ut omnibus conventibus Ministrorum Ecclesia in Gallia intersit Legatus nomine Regis, adeóque hodie non, nisi Regio presente Legato, Reformati concilia agunt. Eorum rebus se quidem non miscet, sed tantùm cavet, ne quid de Republica agatur & meritò. Collegia enim illa debent esse sacra, non civilia, quia

Laniena Parisiensis.

Reformatorũ sacra hodie sunt in manu Regis.

An Reformati in Gallia tolerãdi.

Concilia Reformatorũ in Gallia quomodo peragãtur.

quia usu compertum est conventus illos contra Rempublicam fuisse institutos, ideóque meritò hac ratione præcaveri debet.

XLI. Res profanę seu seculares Regis benè placito reguntur, res autem illæ aliæ sunt pacis, aliæ belli. Rex in pace habet jus constituendi omnes Magistratus civiles per omnem Galliam; Præfectos itidem provinciarum, Præsides Parlamentorum, & in omni Gallia non Comes, non Dux ullum habet munitum locum, sed omnia munimenta sunt juris Regii, &, ut Rempublicam quietam conservet, in provinciis positus est miles præsidiarius, sed præsidibus provinciarum nihil juris est in milites, adjungitur enim præsidi minister Legatus, qui omnia eorum acta prodere & impedire poterit [add. *Simile quid observavit Augustus Imp. dum Præsidi Ægypti adiunxit Legatum sive Iuridicum Alexandrinum*] adeóque hodie omnia ab illo Assessore reprimuntur, nec motus ita crebri sunt, ut olim fuerunt. *Quomodo Rex secularia Regni negotia peragat. Prudentia Regis in constituendis Magistratibus & Præsidibus Provinciarum.*

XLII. Sunt hodieque Duces hæreditarii opulenti in Gallia, sed sparsim, nec enim tanti ibi sunt, ac in Germania. Ducum enim tituli tantùm potentiæ non habent, quantum splendoris. Rex pro lubitu suo eos titulos largitur, sed prout Rex eos evehit vel dejicit, ita se illi habent. Antea in Gallia Duces illi multis Regalibus instructi fuerunt, ut hodie in Germania; sed hodie omnia Regalia sunt Regis. *Ducum hodiernorum in Galliæ conditio. Quomodo ius dicatur in Provinciis Gallicanis.*

XLIII. Curat Rex in provinciis jus dici per collegia togatorum seniorum, quæ dicuntur Parlamenta: Alio enim sensu accipitur hoc vocabulum ac in Anglia: Nam in hac Conventum Ordi- *Parlamenta Galliæ.*

num

num Regni denotat, in Gallia verò non nisi est consessus Senatorum & Iudicum, nec Reipublicæ negotia publica illi curant. Primo loco inter hæc Parlamenta est Parisiense, quia illud jus aliquod habet circa Reipublicæ negotia, sed quemadmodum hodie sit comparatum, antea dixi: Rege enim jubête, omnia coguntur edicta, rata habere: Parlamenta autem omnia sunt Regii arbitrii, qui ea instituit, Ita novum instituit Metis, zu Metz; idem quod faciet sine dubio in Alsatia, quanquam id sit contra instrumentum Pacis, sed tempus docebit. [add. *Quomodo illud Ensisheimii sit introductum, & quæ protestationes fuerint interpositæ, extat in Diario Europæo.*] Hoc modo enim omnis Reipublicæ vis ad Regem trahitur: Assessores & Præsides Parlamentorum, immediatè hi à Rege, illi alio modo constituuntur. Hoc quidem in locis nonnullis obtinet, ut illi nominationem eorum habeant, qui in Parlamentum adsciscendi sunt, Rex autem postea, quos vult, eligit.

Parlamentorũ autoritas in Gallia.

XLIV. Leges ferre est solius Regis in Gallia. Hæ autem quasi in duas partes divisæ sunt, alibi verò non. Omnia verò sunt arbitrii Regii. Parisiis quasi observatur jus Romanum, sed non perinde ut alibi, adeóque schola Parisiensis Doctores Iuris civilis multos habet. Prævalent Iuri Romano Rescripta Regia, quæ in unum indicem sunt digesta ab Henrico IV. Rege, & dicitur *Codex Henricianus* & sic Codex eodem modo ibi valet, & observatur quàm apud nos Imperatorum Græcorum constitutiones collectæ in Codicem Iustinianeum. [add. *Hodiernus Rex Ludovicus XIV. adhuc alium Codicem, parva mole, exteriorem cor-*

Leges Regni Galliæ.

Codex Legum Henrici IV.

Carolus Molinæus.

corticem spectes, edi curavit, in quem notas quidam manuscriptas composuit, quas lucem publicam tandem adspecturas confido.] Conscriptum quoq; à Carolo Molinæo Icto, Prægrande opus, in quo collatæ sunt consuetudines Parisienses, quæ in judiciis Parisiensibus sanctè observatur.

XLV. Negotia bellica omnia à Regis dependent arbitrio. Circa militiæ autem modum notandum antè annos 100. & ultrà potissimum Equestris fuit, pedestris autem fuit maximam partem peregrina; Eques verò domesticus; Etiam diu post hæc in Gallia obtinuit, & pedite maximè sunt usi Helvetico: Quapropter Reges Galliæ à tempore Francisci I. etiam tempore pacis Helvetiis salarium annuum dederunt, quo tenerentur militare, si Rex posceret. Sed hic mos penè antè annos 30. mutavit, & Galli pedestrē militem etiam ex suis instituere non minus ac equitem ac hoc mundo feliciter Reipublicæ suæ consuluerunt; Egi hac de re ad Machiavelli Principem. In Gallia penè plebs ad incitas redigitur, nec habet unde vivat; hinc facilè militiam ingreditur, adeò ut hodie pedestris exercitus sit numerosus. Dein hi pedites & equites omne salarium suum in Regno consumunt, quo pacto manet omnis pecunia in Gallia; Et hoc modo multò magis consulitur Regno. Quando sit magis Reipub. utile, domestico milite, quàm peregrino uti, hoc demonstravi in scriptis ad Machiavell. In Gallia non habet locū militia lecta, sed conductitia. Lege quidem Regni tenentur omnes Nobiles equitare, Rege jubente. Sed hodie Nobilis pro eo servitio pecuniam pendit, id quod nobilitati molli & effœ-

Rex Galliæ negotia belli habet in suis manibus.

Galliæ militia potissimū equestris.

Galliæ Rex Helvetiis utitur militibus

Quæ causa sit numerosi Gallici exercitus

In Gallia miles nō legitur, sed conducitur, & quare?

 minatę

minatæ placet maximè; sed magna libertas illius omnis perit. Ostendi itidem ad Machiavellum, lectum militem ei, qui struit dominatum, esse periculosum; adeóque quia in Gallia dominatus est rigidus, hinc militem conductitium adhibere Rex necesse habet. Si dominatus non esset ita comparatus, aliud esset dicendum, nam tunc etiam milite lecto uti posset. Quod attinet militare stipendium, omne exigit Rex suo arbitrio, neque ego credo ullibi terrarum adeò in tributis exigendis adeò absolutum esse uti Regem Galliæ.

Causa finalis Regis Galliæ. XLVI. Paucis nobis dicendum de causa finali. Novistis Monarchias in universum esse duplices aliæ spectant ad utilitatem dominantium primariò, populi autem non nisi secundariò. Aliæ spectant communem seu populi salutem primariò, regnantium autem non nisi secundariò. In Gallia obtinet revera Monarchia absolutâ, quæ primariò utilitatem Regis, secundariò subditorum spectat. [add. *Proverbium Politicum est Rex Galliæ, est tanquam stella matutinalis, & Polus Antarcticus, qui non est nostri Hemisphærii.*] Populi autem profecto interesset ne Regnũ extenderetur, nihilominus tamen dilatatur, etsi hoc etiam fiat summo cum populi detrimento.

In Gallia obtinet Monarchia servilis.

Familiæ Regum Galliæ. XLVII. Hic autem primò notandum. In Regno Galliæ fuerunt hactenus familiæ Regum tres. Antehac enim non habuerunt Regem aliquem communem, sed elegerunt, pulsis Romanis, ex Gallia, Belgio & Germania: Secundò hæreditarios Reges, ita tamen ut simul fuerint electitii; Credidit enim populus, si non esset idoneus qui succedere deberet, quòd alius deberet eligi, ita

Successio Regum Galliæ qualis.

etiam

etiam obtinuit eadem successio ibi, prout apud Germanos, uti Tacitus scribit. Igitur ex nobili familia eligebantur illi Reges, quando inesset dignus quis tanto munere; si non, eligebatur alius ex alia gente. Hoc apparet ex familia Regia prima in Gallia.

XLVIII. Prima *familia* dicta fuit *Merovindica*, à primo Rege Merovæo s. Merovingo ita vocata. Cæterùm hæc tandem desiit Secul. p. N. C. VIII. in Rege ultimo Childerico. Notandum autem, illius familiæ Reges tandem otio & ignaviæ se dederant, & omnem curam Reip. transtulerant in eos, qui dicti fuerunt Majores Domus. Vbi notandum (1) quod curam deponerent Reipublicæ, cum debuissent regnare. (2) Quod curam committerent hominibus bellicosis. Aristoteles lib. 5. Polit. Notat commune axioma, fundamentum salutis Monarchicæ est non unum magnum facere; si admittendus sit, dividendum est Imperium; si autem unus aliquis excrevit, videndum est, ne sit bellicosus, nam posset abuti sua potentia, & Regi fieri formidabilis. Notat porrò quod si quis excreverit nimis, non simul detrahendam esse authoritatem, sed pedetentim & clanculum, nam si apertè id fiat, poterit arma corripere (3) quòd Majores Domus, postquam evexissent, voluerint uno momento delere. Hinc ortum inter eos bellum, & Reges partibus majoribus superatis, majorem acceperunt potentiam (4) quòd Reges Majoratum Domus fecerunt hæreditarium, ut filii succederent; ita tandem factum, ut, Rege de solio deturbato, ipsi Reges fierent: Sic patruo suo, qui Major Domus successit Pipinus Brevis, qui factus est

Familia Regum Merovindica.

Maiores Domus.

Regum Merovæorum solæcismo erga Maiores Domus.

Rex. Childericus nomine tenus erat Rex. Cum verò Pipinum arceret conſcientia, nec apertè auderet uti Regio titulo, miſit Romam, & quæſivit à Pontifice, annon ille magis ſit Rex, qui haberet potentiam, an ille, qui ſit nomine tenus Rex? Affirmavit Papa prius, indigebat autem auxilio Pipini adverſus Longobardos: reverſi domum legati, cùm proferrent Papæ ſententiam, eripuerunt Childerico titulum, quem in monaſterium detruſerunt, ubi etiam miſerè vitam finivit.

Pipinus Maior Domus ſit Rex.

XLI. Succeſſit alia familia Carolina, à Carolo Magno ita dicta, quod ille familiam ad totam evexerit claritatem; Aliàs deberet dici Pipiniana. Hic eſt ille Carolus Magnus, qui Germaniam, Galliam, Panoniam Imperio ſuo junxit. Poſt Carolum Magnum ſtatim decrevit, & eundem paſſa eſt interitum, quem prima familia à Majoribus Domus: Evexit enim hæc familia multos Principes qui, Regibus pulſis, rerum potiti ſunt.

Familia Regum Carolina.

Carolus M.

Quomodo decreverit hæc familia.

L. Succeſſit tertia authore Hugone Capeto, qui, an in Gallia, an in Germania oriundus, non convenit. Mihi videtur, eum fuiſſe Germanum, oriundum ex Francia orientali. Hic, Rege pulſo, atque in Carcerem conjecto, ubi contabuit, coronam aſſumpſit. Durat hodiéque illa familia, ut hodie in univerſo terrarũ orbe nõ reperiatur familia antiquior ac nobilior quam hæc. Fuit autem diviſa in multos quaſi ramos: Si eſſent plures filii, ſemper data illis portio Regni, non quidem Iure Regio, ſed Principis, ut Regem tanquam caput ac Dominum cogerentur agnoſcere, ipſi tamen haberent jura hæreditaria. Hac ratione nati multi Prin-

Tertia familia Regum, apetinga.

Hugo Captus quomodo pervenerit ad ſceptrũ.

Principes. Cæterum fato divino factum, ut omnes interierint, excepta familia Borbonica. Henricus IV. dictus Navarræus sic propagavit hanc familiam; qui infelici cæde fuit interemptus ab homine iniquissimo Francisco Ravaillaco in mediis Parisiis, de qua re vide Grammondum. Huic successit filius primogenitus Ludov. XIII. ingenio perspicace & bellicoso, Patrem imitatus. Habuit unum fratrem, dictum Ducem Aurelianensem. Dicitur autem secundò genitus filius Regis, Dux Aurelianẽsis, non quod Ducatũ possideat, sed titulotenus. Germanicè der Hertzog von Orleãs. Hic Dux in matrimonium duxit virginem Mompenseriam, quæ paulò post mortua, nullam reliquit marito prolem. Dux Gasto verò, quia ad secundas nuptias non destinavit animum, etiam sine prole decessit. Grammondus lib. 6. pag. 699. narrat, Gastoni fuisse datos appanagii loco Aurelianensium & Carnalensium Ducatus, cum jure Possessorio, excepto supremo dominio, quod in Principatu consistit, in primis justitiæ muniis, & in Episcopatus nominatione quorum apud Reges arbitrium mansit. Hæc ille. At Ludovicus ultimis annis, cum antea haberet matrimonium sterile, accepit duos filios ex uxore Hispanica, sorore Regis Philip. IV. Ita iterum Ludovico XIII. successit Ludovicus XIV.

Ex hac familia multi Principatus in Gallia orti. Henricus. Franciscus Ravalliaco. Ludovicus. Secundogenitus filius Regis dicitur Dux Aurelianensis.

LI. Notandum hodie penè abhorrere à nomine Henrici Regiam sobolem, ideò, quia hactenus Gallia 4. narravit, qui omnes infeliciter perierunt; superiori secul. periit Henricus II. Hastiludio. Henricus III. interemptus sicariâ manu Monachi. [add. *Iacobi Clementis*] Henricus

Galliæ Reges hodierni à nomine Henrici abhorrent.

IV. à Francisco Ravaillaco fuit interfectus in publica platea. Nullum verò nomen magis arridet, quàm Ludovici, quod salutare existimant Regno Galliæ, atque adeò credunt, nomini etiam aliquid boni ominis inesse. Cum Rex hodiernus esset minorennis Respubl. administrata est nomine tenus à Matre Tutrice, reipsa verò à Cardinale Mazarino. Hæc familia paucis constat capitibus, Rex habet filium Delphinum Galliæ, habet etiam fratrem [quem *Monsieur* appellant] qui in uxorem duxit Caroli I. Regis Angliæ filiam, ex qua filium saltem suscepit. [add. *Hodie primâ uxore mortuâ, ad secunda vota transiit filiámque Electoris Palatini duxit uxorem.*] Pertinet *Charlottam Ludovicam abjuratâ Metis Religione Reformatâ,* familiam Regiam familia Condæa. Duci Condæo duo sunt filii, ejus verò fratri Duci de *Anguien* nullus. Facilè itaque fieri posset, ut familiæ illæ extinguerentur. Nuper ex novellis accepimus Regem cum Duce Lotharingiæ contraxisse, ut deletâ familia regia, Lotharingica succederet. [add. *Hodie Lotharingiâ, eiecto Duce, est in possessione Regis Galliæ. Dux tamen Carolus eam recuperare adhuc hodie, durante bello Gallo-Hollandico, omnibus ungulis nititur.*]

Ludovicorum nomen Regibus arridet.

Cardinalis Mazarinus.

LII. Iam aliquid de Ministris Regiis etiam dicendum, qui ad Reipublicæ cognitionem pertinent. Defuncto Rege Henrico IV. cum Ludovicus esset puer, & tutela pervenisset ad Matrem Medicæam; illa autem non esset par regendo Regno, ille qui primo loco apud eam erat, administrabat totum Regnum. Erat Italus quidam, Florentiæ natus, Marchio d'Ancre: Hic Mareschallus factus

Ministri Regum Galliæ primarii.

Marchio Ancræus

factus in Gallia non dubitavit Principibus Galliæ insultare, ipsumque Condæum in Carcerem conjicere. Cæterum conspiratione inita, simul ac Rex XIV. annorum [& tunc in Gallia majorennis est, & aptus Regimini creditur, ut in Germania anno 18. Electores fiunt majorennes] factus fuit, tunc Rex ex consilio *Luynæi* detrusit Ancræum, seque in maximam authoritatem evexit, tripliciq; globulo transfossus Ancræus mandato Regis, atque humo temerè obtectus. Sed Vulgus erasum injecto in collum fune, in patibulariam furcam eum traxit, ubi mutilatus, atque dilaniatus fuit vide Gramm.pag.157.158. Quia verò Rex Lud.XIII. à teneri assuetus, ut committeret curã Reipublicæ magno Ministro, Luynæum adhibuit, cui, pulso Luynæo, successit *Richelius*, qui tanta felicitate administravit Rempublicam, quanta fortassis nemo. Hic est ille, cui debet Monarchia Gallica ultimum complementum sui status.

Eius interitus.

Luynæus.

Cardinalis Richelius ultimam manum Monarchiæ Gallicanæ imponit.

LIII. Hic paulò ante Ludovicum est defunctus, ita ut ferè simul diem obierint. Hoc in Rege laudes, quod Vicarium Ministrum afflictim amavit, nec passus se abripi. Incredibile dictu est, quantum Mater, Frater Regis, & reliqui Agnati laboraverint in animo Regis de Cardinale alienando. Verùm, simulac mutaret Rex, statim eum in suam partem Richelius detraxit; quod in Ministro magno cumprimis laude dignum. [add. *Ita fideles Ministri in deliciis habentur à suis Principibus, & tanquam pupilla oculi servantur. Habet etiam nostrum seculum Zopyros.*] Huius Cardinalis commendatione in aula cœpit esse aliquo loco *Iulius Mazari-*

Eius autoritas apud Ludovicum.

Cardinalis Mazarinus.

nus Siculo Patre natus, qui bonis cesserat; sed Romæ fuit natus, quo Pater confugerat. *Vide* Stateram Cardinalium. Certum est quòd Rempublicam omnem tenuerit manu sua invitis ordinibus. [add. *Ita multi vim regiam possident, nomine regio carentes; quod ipsum in ministris videre, statui regio valde periculosum. Si hic Minister secularis fuisset conditionis, quam facile is coronam capiti imposuisset!*] Pulsus etiam aula fuit, sed receptus. Ludovico XIII. defuncto Cardinalis Mazarinus unicus regnavit in animo Reginæ, & Rempublicam gubernavit usque ad mortem suam. Revera tamen Regimen fuit penes Ministros, & tamen ab omni tumultu & rebellione.

Quare in prima familia Ministri potentes mutatione regio statui induxerint, quum tamen in tertiâ hodiernâ hoc ipsum contigerit.

LIV. Quærat quis qui factum fuerit quod in prima familia hoc tam malè cesserit Regibus; hic autem sine metu processerit? R. quia nemo horum Ministrorum bellator fuit, in eo peccavit prima familia, quod bellicosis ministris imperium committeret. Hi autem non fuerunt bellicosi, nec hæreditario jure gavisi sunt: Sic periit Ancræus Luynœus, hi verò Richeli⁹ & Mazarinus non, quia fuerunt Clerici, nec habuerunt liberos. Qui hodie potitur rerum magis propria utitur potestate, nec voluit Ministrum eligere: Non ergò gubernat per Ministrum d'Estat, sed per secretum senatum. In Hispaniâ Philippus IV. semper habuit Ministrum d'Estat in otio degēs ipse. Quod si Richelius fuisset bellator, & habuisset liberos, Ludovicus XIII. facilè potuisset de Solio deturbari. Apud Robertum Guagninum memini me legere, notasse scilicet, quòd Regia dignitas fuerit administrata per Clericos, & multùm tunc detrimenti

passam

passam esse: nam illi durissimè habuerant subditos, quod Richelius & Mazarinus etiam fecerunt, qui animo fuêre planè herili, & si quid nuper fuit libertatis, omne conculcaverunt, ut supersit nihil hodie. Et sic quod tunc Guagninus observavit antè 200. annos, id experimento confirmavit nostra ætas.

LV. Est verò Rex adhuc juvenis, Benè hactenus sibi consulit, quod non assumat Ministrum aliquem, credo eum hoc facere ex consilio Mazarini, qui plurima consilia, cum decumberet, Regi communicavit, & facilè observavit, non convenire Regi, ut omnem potestatem in unum derivet. Duxit, conjugem ex Hispania, quâ quæstione diuturnum bellum, quod gestum, inter Philippum II. & IV. & Ludovicum XIII. tandem sopitum. Nata hæc Regina est ex sorore Ludovici XIII. quæ nupsit Philippo, ut appareat Regem Regināmque proxima cognatione esse junctam. Hinc non potuerunt nuptiæ contrahi, nisi ex dispensatione Pontificia, quæ saltem in speciem petita: Iam enim erant conjunctæ nuptiæ & sponsalia celebrata cum mitteretur. Si Pontifex hoc recusasset, illi non curassent.

Hodierni Regis constitutio.

Dispensationis exemplum.

EXCERPTA

EXCERPTA

MISCELLANEA REGNI GALLIÆ, ex noviſſimis hujus ſeculi Scriptoribus congeſta.

I. SYlvæ Galliæ non magis ſunt ſpatioſæ, quā frequentes: maxima eſt *Arduenna*, tendens ad Germaniam & Belgium, *der Lutticher VValt.* Inter Portus præcipuos eſt *Salſes Portus*, in Picardia, *Caletanus*, *Bolognienſis*, item ad fanum S. Audomari, olim dictus *Itius*. In Normandia, *Caën*, *Diepe*, *Havre de Grace*. Structura Franciſci oppoſita irruptionibus Anglorum, *Rouën*. In Britannia, *Nantes*, *S. Paul*. In Santonibus, *La Rochelle*, In Aquitania, *Bourdeaux*, *Bayonne*. In Narbonenſi Gallia, *Narbona*. In Provincia, *Arles*, *Marſeille*, *Toulon*, ubi ſtatio triremium. Portuum ſatis habet, modo Galli iis rectè uti poſſent. Flumina Galliæ Nobiliora ſunt: *Moſa*, *la Meuſe*, *Sequana*, *la Seine*. *Ligeris*, *la Loire*. *Garunna*, *la Goronne*, *Rhodanus le Rhoſne* ſecum vehit *Ararim*.

II. Sequitur Qualitas Galliæ, quæ commoda, & incommoda complectitur. Incommoda inde æſtimantur, quod Gallia ventis Septentrionalibus

nalibus exposita sit. Inter commoda verò, Cœli mira temperies numeratur, qua de causa, optimis Europæ annumeratur Regionibus. Ita Claudiano felicissima, Cæsari saluberrima audit. Reliqua ejus elogia vide apud Lans. in orat. pro Gall. Terra est fertilissima hominũ mater, & ideò omnium regionum, ad Occidentem sitarum, felicissima. Omnium rerum abundat proventu, adeò ut bene de ipsa quidam dixerit; *La France, est le petit œil, & la perle du monde.* Veteres dixere Galliam habere 4. magnetes, qui foris omnem ad se trahunt pecuniam: ut sunt, Frumentum, Vinum, Sal, & Linum. Nec immeritò creditricem ditionum omnium, debitricem nullius, illam dixerit Boter. in Relat. univ. l. 2. Ex sola Portugal. IV. milliones pro frumento in Galliam feruntur. Nonnulli volunt, Galliam reditus ex frumento quotannis percipere CL. tonnas auri. Fama est, Gallum Lisbonam intrantem, clamantémque, *traho tritico*, (fero triticum,) ab omni apprehensione immunem esse. Ex vini quoque abundantia, Rex reditus percipit XX. tonn. auri, & plures. Laudes vini Gallici vid. *ap. auctor l'Histoire des Estats.* In Gallia, Salinæ quoque magni sunt apud Gallos pretii. Has Rex quotannis elocare solet, pro immensa pecunia; quomodo autem sal ibi præparetur, vid. Golnitz. in compend. Geogr. l. 2. p. 120. Præter hæc bona, Gallia quoque pecorum, armentorum, ovium, equorum, piscium, ferarum, volatilium, fructuum, serici, panni, immensâ dives est copiâ. Veréque dictum, *Que la France ne cede en richesse au Peru, ni en fertililité à pays, qui soit sous la chasse du ciel.*

III. Languedociæ insigniores Civitates ſunt. *Tholoſa*, ad Garumnam, ubi Parlamentum & Academia. *Narbona*, ad Fl. Atacem. *Monſpeſſulum*, ubi Academia. *Nemauſus*, ſive Niſmes, clara ab antiquitat. Rom.

IV. Provinciæ duplex eſt reſpectus, parsque altera Regi paret Galliæ, altera non. Quæ non paret, eſt *Comitatus Venuſinus*, ubi *Avignon* ad Rhodanum, Papam agnoſcens Romanum; in quo Academia. 2. *Principatus Arauſionenſis*, ubi *Vrbs & Caſtrum Orenge*, Academia gaudens, hodie ad Princip. Auriacum ſpectans. [add. *Hodie durante bello Gallo-Hollandico Rex Principatum Arauſionenſem occupavit, caſtrumq; Orenge demolitum.*] Quæ verò Regi Galliæ paret, habet Civitates, *Aix*, ubi Parlamentum, *Arles*, *Maſſiliam* aliquot 100. annis ante Chriſtum natum factam.

V. Delphinatus quibus ante paruerit, vid. Goln. l. 2. pag. 125. Humbertus verò Princeps illum, tanquam feudum, A. 1349. primogenito Galliæ Reg. Filio, pro quadragies mille coronatis Gallicis vendidit. Superioris *Delphinat.* metropol. eſt, *Embrun*, ad *Alpes marit. Valence*, ad Rhodan. ubi Acad. *&c.* Inferior habet *Gratianopolim*, ubi Parlamentum, ab Iſaram, *Magnam Carthuſam*, *Montelimar*, *Viennam.* ad *Rhodan.*

VI. Sabaunia, ex parte Regem Galliæ Dominum agnoſcit, ex parte Ducem Sabaudium; ex parte liberæ Reip. gaudet titulo. Includitur ab Ortu Alpibus, à Meredie Pedemontio & Delphinatu, ab Occidente, Delphinatu Breſſanenſiq; ditione

ditiône, à Septentrione, Burgundiorum Helvetiorúmque finibus. Regi Galliæ parens, *Sebusianorum Provincia*, vulgò Bresse, dicitur. Quæ à Reg. Henric. IV. an. 1601. Sabaudo erepta & pro Saluziarum principatu postmodum immutata. Metropolis ejus est Bourg en Bresse. *Seisel*, *Præfectura Gexensis*, quæ omnia Gallo Sabaudus coactus est dare, teste Thuan. l. 125. Quæ Sabaudo subjectæ sunt, sunt *Chambery*, ubi Parlamentum. *Mommelian*, ad Isaram, *S. Iean de Merienne*. Libero imperio Optimatum Geneva regitur, multoties ab hostium imminente potestate vindicata est.

VII. Bearnia in Aquitania pro appendice Navarrei est; Cuius Metropolis est Pau, natalis locus Henrici IV. Gall. R. ubi Parlamentum. *Navarrina arx*. *Bigornia Comitatus* habet metropolin Tarbam. *Bayonnam*, *Fanum S. Ioannis de Lutz*, &c. *Guiennæ* loca sunt, *Bourdeaux*, ubi Parlamentum & Academ. *&c.* *Pictoniæ* Vrbes sunt, *Poictiers*, ad Clanum fluv. ubi Acac. *&c.* Ad eandem Provinciam refertur Principatus *Talmon*, *Chastelraud*, Vicecom. *Toüars*, *Tremolliorum*, Baronatus *Angoliis mensis*. Santoniæ principale oppidum est. *Xainctes ad fl. Carenton*, *Alnesiæ*, Aulnis, præcipua Vrbs est *La Rochelle*, In Provincia *Quercim* sunt, *Montauban* ad *Tarnum*, ubi Academ. *&c.* Provincia Limosin *Limoge* Metropol. ad Vigennam, fluv. *&c.* Provincia Auvergne, Ducatum *Montpensier* complectitur. In Provincia Salonia, est Ducatus *Sully*. In Provincia *Borbonia* Vrbes sunt *Molins*, *Bourbon l'archambaut*, *Bourbon l'ancy*, *Montmarant*, &c.

VIII.

VIII. In Gallia Celtica, Provinciæ ſunt *Lugdunenſis*, (ubi Vrbs *Lyon*, & Principat. *Dombes.*) *Foreſt*, *Burgundia*, *Nivernia*, *Campania*, *Francia* ſpecialiter ſic dicta, *Belſia*, *Britannia*, *Normannia*. *Bergundia* vel ſuperior eſt, diciturque Comitatus, qui paret Regi Hiſpan. habens *Dolam* & *Beſanzon*. Vel inferior, dicitúrque Ducatus, parens Regi Galliæ, cujus metropolis eſt *Dijon*, ubi Parlam. *Nivernia* habet *Nevers*, &c. Sub *Francia* ſpecialiter ſic dicta ſunt *Lutetia*, ubi Parlament. & Academ. *S. Denys*, &c. Belſiæ oppida ſunt *Angiers* ad flu. Meduan, ubi Academ. *Saumur ad Liger. la Fleſche*, &c. *Blois*, *Tours*, *Amboiſe*, *Orleans*, ubi Academ. *&c.* In Britannia Vrbes ſunt *Nantes* ad *Ligerim*, *Rennes*, ubi Parlament. Normandia *Roüen*, ubi Parlamentum *Bajeux*, inſignis Epiſcopatu, ad quem refertur *Caën*, ubi Academ. *Alençon* &c. *Diepam*, *Havre de Grace*, *Regnum Ivetot*, &c.

IX. In quarta parte Gall. Belgica, ſive Picardia, ſunt Provinciæ *Tierache*, in quo *Guiſa* & *Vervin*. *Laon*, continens Comitatus & Vrbes. *Comitatus ſunt Soiſſon*, *Noyon*, *S. Quantin*, *Vrbes ſunt Peronne* ad Somonam, *Corbiê*, &c. *Ambianenſis*, in quo *Amiens*, ad Somonam. *Bolonienſis*, in quo *Boulogne*, *S. Paul*, & *Portus le Portet*; *Eſtaples*, ad mare, *Comitat d'Oye*, in quo *Calais*, *Comit. Retelois*, ubi *Rethel*. Hic terminatur Gallia. Regni diviſioni annumerantur ſub Henrici II. Gall. R. acquiſita loca, *Mets ad Moſellam*, *Verdun ad Moſam*, *& Toul*.

X. *Pariſienſes* ſatis gratæ ſunt indolis. Commoveri facilè poſſunt. Argenti cupidine ingenti

flagrant,

flagrant, ut nihil sub sole sit, cujus ope Parisienses non utantur pro paranda pecunia; id quod hominibus vilioris conditionis imprimis commune est. Peregrinis non multum fidunt, & magna erga advenas laborant suspicione, nec sanè sine caussa; quia multoties ab illis decepti sunt. Fœminæ Parisiensium ostentatione delectantur, & magni pretii vestimenta sibi comparant, ita ut supra conditionem census elegantes incedant, & ingentes luxu proluant opes. Mariti illarum illis complacere sese student; ita & fæminæ omnia ferè imperio regunt, voluptatibus undique vacantes, & tempus variis ludis & novis oblectationibus fallentes. Hoc tamen illis laudi cedit, quod ad Xenodochia, Orphanotrophia, sæpius accedant, ægrotis omníque ope destitutis pharmaca & victum præbeant. Hic populus novarum quæ in mundo geruntur rerum relationibus admodum delectatur. Cum illi, qui ex opere manuario vivunt, filias locant, multos sumptus in illas impendunt, ita ut censum plerumque superent, hospites autem invitati quilibet pro se solvunt. Nobiliores contrà, minus his, quam pro conditionis suæ dignitate, impendunt. Ad ultimum, Parisienses satis sunt civiles & humani, ut reliquos omnes Gallos in hac laude præeant. Ruricolæ fieri sunt, & horridi, ut similes vix alibi reperias. *Carnutes* amabiles, & humani audiunt, omnibus suaves & officiosi, mutua inter se pace concordes vivunt, amant peregrinos, pii, & Religioni Veterum addicti, charitate & misericordiâ erga pauperes ducuntur, eleemosynis pariter ac lucri faciendi studio commendabiles. *Belsii* simili ferè genio prædit, dediti agri-

culturæ

culturæ & mercaturam frumento exercent. In multis locis callidi & astuti sunt. *Castrodunenses*, boni ingenio, & subtili pollent intellectu, ex dimidiis verbis sensa dicentis percipiunt, paucis etiam dictis se expediunt;ita concisè & breviter quam sæpissimè loquuntur,ut vix intelligi videantur. *Blesenses* propter aëris amœnitatem humani sunt,affabiles,concordes,pacati,subtiles,rei familiari addicti,laboribus seduli, peregrinorum amatores,cum quibus tranquillè vivunt: verbo, hujus Regionis populus elegantiâ morum nemini in Gallia cedit. *Vindocinenses* ingenio affabili civilíque præditi, omníque culturæ, & rerum elegantiæ addicti sunt, inprimis ut in aliqua re, cui animum applicant, excellant. *Aurelianenses*, & illis adjacentes, civiles satis sunt, gratam habent valde linguam, mordaci sunt ingenio, animoso tamen & mercaturæ studiis addictissimo. *Senones* olim monstrarunt, quantis pollerent animis,cum omnium primi fuerint, qui in Italiam concesserant. Populus minimè malus est, & nequicquam feruor Omnes incolæ Religioni addicti sunt. *Campani* & *Bryenses* dicuntur suarum opinionum obnixè tenaces & pertinaces, aditu tamen faciles sunt, nec novis indulgent auditionibus. *Picardi* liberè agunt, oblectamentis faciendis prompti, sed adhæc astuti audiunt, conviviis valde delectantur, nec magis alios, quam qui illis in poculis respondent, æstimant. Bene invicem conveniunt, ut, si unum civem offenderis, reliquos omnes tibi iratos timeas. Hæc natio minimè pectoris duplicis est, sed cui in omnibus securam fidẽ habere possis. *Turones* sunt pleni humanitatis,

& affa-

& affabilitatis, Regi inprimis fidi, commerciis addicti. *Cenomani* laboribus dediti, industrii, ingenio subtiles sunt. *Normanni* audiunt calidi, nec ulli legi aut extraneorum consuetudini subjecti, ex antiqua vivunt politia, quam tenaciter servant. In litibus juris prudentes & circumspecti sunt. *Britones* culti civilésque sunt, & invita communi conversatione accepti, humanitatis tamen laude reliquis pares non sunt. Illos lucri habet studium, & peculis indulgenti libenter liberiúsque. *Angolismones* à bono commendantur ingenio. Reverentiam sui curæ habent. Ideo jactabundi, parum commercia curant, sed ex annuis vivunt. Nobiles literas amant, magnifici, & civilia præ se ferunt ingenia. Circumvicini rudes & laboribus deditì sunt, opinionum propugnatores, & ad arma quasi nati. *Petricorii* hilares, agiles, & sobrii describuntur, parvo & parabili contenti, magnísque se occupant exercitiis. Fœminæ illorum castæ, reíque familiari addictæ sunt. Nobiles, humanitatis exercitia & ipsius virtutis amplectuntur. *Lemovices* indole sobrii, nec facilè, nisi in urbibus, vina bibunt. Boni sunt parcíque Oeconomi: propinqui concordes cohabitant; quin inter illos familiæ reperiuntur, in quibus centum numerantur capita eadem stirpe nata, tanquam in collegio quodam una degentia: adscendunt verò etiam ad decrepitam senectam. Maxima horum pars laboribus vacat, sed hoc vitio notantur, quod nimium in lites juris faciles sint. Nobiles etiam contentiones sæpius inter se miscent: reliqua, magnifici & generosi audiunt. *Arverni* dicuntur esse astuti, labores naviter exercent, lucri cupidi, &

ideo mercaturam ardenter amplectuntur. Homines plerumque duplices, rixis & injuriis se invicem raptantes. Nobilibus humanitas & magnanimitas tribuitur. *Burbonienses* ejusdem ferè cum modo dictis sunt conditionis, commendantur propter morum elegantiam, rei familiaris tenaces, & peregrinis affabiles esse dicuntur. *Metenses* rudes nonnihil sunt, validi, laboriosi, simplices, Religiosi vocantur. Inter *Burgundiones Divionenses* opinionum suarum admodum sunt tenaces, honorem suum accuratè observant, magnis inhiant rebus: fœminas habent elegantes, ad maritorum obsequia promptas & quas impudicitiæ captare nemo queat. Plebs laboribus, & in vineis præsertim colendis, desudat: cæterum seditiones non amant, quamvis validos & audaces natura esse voluerit. *Lugdunenses* maximam partem peregrinorum numerant, & ad Italorum mores proximè accedunt. Populus ibi suavis & acceptus est; viri juxta ac fœminæ eleganti vestitu & sumptuoso incedunt, specie magis quàm re tales. *Delphinates* Principem suum efflictim amant, libertatis tamen suæ acerrimi custodes. Incolæ affabiles, ingenio lepido, omnium artium capaces, & imprimis Mathematicæ scientiæ addicti; in sermonibus liberi, dissimulatores, de se optimè sentientes, esse judicantur. *Provinciales*, sobrietatis valdè amantes sunt, cum suo sumptu vivunt, inconstantes, avari, pectoris subdoli, fidei dubiæ, suarum virtutum jactatores, arrogantes, feri, quibus erga dominos reverentia animis excedit: Fœminæ Italicè vivunt. Incolæ, si ullibi in Gallia, ingeniosi sunt. Cantilenas valdè amant, quibus

sæpius

sæpius curas pellunt: ultimùm, religioni addicti, & pro bonis Catholicis à suis æstimantur. Auctores, qui de Moribus Gallorum tam antiquis quàm recentioribus scripserunt, qui consulere cupit, vide ex antiquis *habitudinem corporis* Gall. describentem Cæsarem l. 2. de Bell. Gall. Polyb. l. 2. T. Liv. l. 8. dec. 4. Ammian. Marcell. l. 15. & 19. Strab. l. 2. Petron. Liv. 38. Agath. Strabon. Clem. Alex. Liv. l. 5. dec. 3. Qua *Fœminas*, vid. Amm. Marcell. qui ipsis pulchritudinem & fœcunditatem præ reliquis tribuit; Diod. l. 5. Strab. l. 4. Plut. Polyæn. l. 7. Stratag. Athen. l. 13. Orsel. Massilian. Naviger. Athen. l. 12. Erasmum, Clement. Alex. l. 3. c. 3. Qua *Ornatum corporis*, Polyb. l. 2. Strab. l. 4. Plin. l. 34. Tacit. 7. Ann. Catel. de Languedoc. Eginard. in vit. Carol. M. Qua *Habitationem*, Cæsar. l. 5. de Bell. Gall. Strab. Vitruv. Athen. l. 4. Sidon. Apol. l. 8. ep. 11. Plin. l. 22. c. ult. Diod. l. 5. Plin. l. 22. c. 35. & 14. c. 22. Plutar. in Camil. l. 14. c. 6. Athen. l. 4. c. 77. Qua *vitia animi* Liv. dec. 3. l. 2. Vopisc. in Aurel. Liv. l. 5. Scaliger. poët. l. 3. c. 17. Diod. l. 6. c. 9. Amm. Marc. l. 15. Athen. l. 4 c. 17. Polyb. l. 2. Cœl. Rhod. Ant. lect. Diod. l. 5. Euseb. l. 6. c. 1. præp. Evang. Plut. contra Apollon. Cassiod. ep. 12. Port. Caton. Melam, Sidon. Symmachum ep. 8 lib. 9. Iulian. Apost. in Misop. Plin. l. 18. c. 11. Scal. poët. l. 1. c. 4. Ammian. Marcellin. l. 15. Plin. l. 18. c 11. Pauf. in Phoc, Tacit. de Morib. Germ. Cels. Plin. Arist. in Admir. Sidon. Apollin. Qua *Connubia*, l. 6. Cæsar. de Bell. Gall. Tit. 46. de la loy Salique. Qua *statum corporis*, vid. Pierre d'Avity descript. Gener. Europ. tom. 2. Tum *habitum, victum*, apud eundem. Qua *corporis exercitia*, Scal. de Subtil. ad Card. 167.

Mores Huius Temporis.

sect. 1. Barcl. Icon. Anim. Diod. l. 5. Isac. Pont. Bartol. & Bald. M.S. des Ordonnances de Paris, & d'Orleans. Qua *linguam*, Merul. part. 2. l. 3.

Status Religionis Galliæ.

XI. *Epiphanius* tradit, S. Lucam fidem Christianam Gallis prædicasse; *Tertullianus* suis quoque testatur temporibus multas Galliarum Nationes fidem Christianam suscepisse. Postmodum etiam universum Galliæ Regnum, Christianorum Sacris nomen dedit A.C. 456. sub Rege Clodoveo, qui bellum contra Sicambros gerens, votum fecit se victoriâ obtentâ sacrum Baptismum suscipere velle. In hujus coronatione columba dicitur oleum cœlitus attulisse. Hinc loco trium bufonum 3. lilia insignibus Regiis inserta sunt. Ipsum autem *Regimen Ecclesiasticum* quod attinet, notandum; illi Archiepiscopos, & Episcopos præesse. *Archiepiscopi* verò duo sunt *novi*, ut *Tolosæ, & Parisiensis*. Prior ab Ann. 1317. sub Papa Ioanne XXII. alter Parisiensis An. 1622. sub Gregor. XV. electi. *Episcopi novi*, à Papa pariter Ioann. XXII. electi sunt, ut in *Mirepoix*, *Alet*, *S. Papoul*, *S. Pons de Tommieres*, &c. Habent autem Archiepiscopi suos suffraganeos, non secus ac illi Primates in veteri orientali Ecclesia, cum quibus optimè possunt componi. Ita *Archiepiscopus Viennæ* tanta pollet auctoritate, ut dicatur *Primas Primatum*. *Archiepiscopus* autem *Lugdunensis* hanc obtinere non potuit dignitatem, quia sedes Lugdun. primariam aliquam Provinciam sub sua potestate nunquam habuit. Multi autem in Gallia sunt Archiepiscopi & Episcopi, qui honore Cardinalium digni sunt. In Archiepiscoporum & Episcoporum electiones hoc semper fuit observatum, ut

ut Rex Papæ certas nominaret personas hac functione dignas, 6. Menses antè electionem. *Iurisdictio Ecclesiasticorum* in Gallia separata est à temporali, habéntque curas Ecclesiasticas ex ministris Ecclesiasticis, cognoscentes de rebus controversis, ut divortiis, magnis criminibus. Hæc Iurisdictio *ordinaria* est vel *delegata:* in *ordinaria* disponunt Officialis, Archiepiscopus, & Episcopus. *Delegata* spectat ad conservatores Privilegiorum Apostolicorum. In caussis gravioris momenti appellationes ad Regem devolvuntur. Ecclesia Gallica multis gaudet immunitatibus & privilegiis, quod ex Conciliis, quæ in Galliis crebrius haberi solent, apparet. *Ordo Ecclesiasticus* Galliæ, ex certo ab hinc tempore, conventus ex consensu Regis celebrare solet, singulis quinquenniis, in quibus de decimis & aliis tractare solet negotiis. Præter *Catholicam Religionem* etiam *Reformatæ* locus est in Gallia, quæ primum sub Francisco primo innotuit Ann. 1515. postquam Iohannes Calvinus librum Institutionis de Religione Christiana in lucem edidisset, Regíque inscripsisset, An. 1536. Non permissum autem est Reformatæ Religioni addictis in Regno Galliæ solennes celebrare conventus per Deputatos, qui in hujusmodi adhiberi solent negotiis. Solent tamen ex speciali Regis dispensatione *Synodos*, *conventúsque Provinciales* instituere, ubi de illorum consulere solent disciplina & Ministrorum institutione. Habent autem Reformati certas in Gallia provincias, in quibus cum ingenti suorum multitudine liberum Religionis peragunt exercitium, ut sunt Languedocia, Delphinatus, Bearnia, Normandia,

&c. Vt & plurimas Vrbes, quarum numerus videri potest apud Pierre d'Avity, in descr. Gall. p.122.

XII. Sub Nomine Status Ecclesiastici etiam *Scholæ*, *Collegia* & *Academiæ* continentur. Inter alias *Massilia* celeberrima est omnium, quod Cicero, Strabo, aliique veteres auctores testantur. Secunda ab illa est *Augustodunensis* (l'Escole d'Autun) Tolosæ, *Arelatensis*, *Narbonensis*, *Lugdunensis*. Academia *Parisiensis*, non magis antiquitate, quàm majestate sua insignis est, filia Regum natu maxima, fundata secundùm plurium opinionem à Carolo Magno Ann. 791. Gallis *Theologiæ Magistra*. *Monspeliensis* Medica facultate insignis est. *Aurelianensis* Academia Legibus sacra est. Præter has aliæ multæ sunt, ut *Pictavii*, *Cadomi* in Normannia *Biturige*, *Nanneti*, *Rhemi*, *Valentiæ*, *Aquis Sextiis*, *Arausione*, *Dolæ*, &c. Hic omnia recensere Collegia, & Scholas artibus humanioribus destinatas, & à Principibus, Cardinalibus, Episcopis, aliisque fundatas Magnatibus, nimis foret prolixum. Scholis annumerari solent *Xenodochia*, *Orphanotrophia*, &c. in usum pauperum fundata. Inter alia hoc memoratu dignum, quod Rex Henricus III. Parisiis Xenodochium fundavit, cui nomen impositum est *Domus Charitatis*. Huc milites ex bello saucii adferuntur, & miseram curant valetudinem. Hæc de statu Ecclesiastico breviter dicta sufficiant. Qui plura scire desiderat de Archiepiscopis, Episcopis, eorum Suffraganeis, Abbatibus, eorúmque privilegiis, dignitatibus & annuis reditibus, consulat insignem auctorem Pierre D'Avity in descriptione Gall. p. 124. & seq.

XIII. Regnum Galliæ Monarchicum est, excludítque à succeſſione fœminas Lege Salica. Hæc à *Saliis* ſeu Francis dicta eſt, vel Franconibus Germanis; unde etiam Franci *Salingi* dicti, quod flumen Salæ accolerent, quod ex Franconia prodiens Thuringiam interlabitur. Verba legis Salicæ hæc ſunt; *in terra Salica mulieres ne ſuccedant.* Fit ejus mentio in libris Feudorum, & retinuit eam legem Regnum Franciæ conſtantiſſimè, nec ſe ullas familiarum mutationibus labefactari paſſum eſt. De hac Lege Gallicus ejuſmodi Diſcurſus conſcriptus, quem hic appono: De Regno Galliæ.

Diſcours ſur la Loy fondamentale de France nommée SALIQVE.

MESSIEVRS

Puis qu'il vous a pleu m'indiquer un ſujet d'importance ſur lequel j'entretiendrois cette honorable Compagnie, je vous ſupplie treshumblement de cacher mes deffauts du manteau de vôtre diſcretion ordinaire & d'aggréer ce que ma memoire vous pourra deſcouvrir du ſecret dont vous m'avez donné la diſpenſation; Pour à quoy parvenir conſiderez, s'il vous plaiſt, Meſſieurs, premierement, qu'encores que l'Empire ſoit electif, que les ROYS de Palogne & de Dannemarck le ſoyent encores, & que la Boheme & la Suede ayent eſté ſujettes aux ſuffrages des Palatins & des Electeurs, toutesfois les Roys

de France ne sont pas esleus, ains le Royaume leur vient par succession de Pere en fils, & les masles seulement sont admis au Royaume à l'exclusion des filles, comme vous verrez plus particulierement cy-apres.

Anciennement les fils de France partageoyent le Royaume par esgales portions, sans qu'il y eut entre eux aucun droit ny prerogative d'aisnesse, voire mesme les Bastards advouëz heritoyent comme les autres & chacun tenoit sa part en titre de Royaume, ainsi qu'il est aisé à voir en la table des Roys de la premiere ligne. Mais la troisiesme lignée a du tout rejetté les Bastards non seulement de la Couronne, mais aussi de l'adveu & surnom de France, tellement que depuis Capet les puisnés des Roys n'ont eu que des partages privés & mesmes en l'an 1283. il fut ordonné, que les puisnés ne pourroient demander aucune portion en la succession du Roy leur Pere, ains seulement provision pour leur vivre & entretien à la volonté de leur Pere, ou de leur Frere regnant. Cette provision est appellée Appennage; sans qu'elle puisse tirer aucune consequence de Cession ou Division du Royaume, veu que la proprieté des terres & Seigneuries, qui sont données en Appennage aux puisnés demeure affectée à la Couronne, cet Appennage n'estant autre chose qu'un usufruict ou provision.

Quant aux filles pource que la Couronne ne tombe point en quenouille, ains en lance, elles n'heritoyent anciennement qu'aux meubles & acquis, & estoyent comme elles sont encor aujourd'huy forclauses de la Couronne selon la loy salique

ſalique & autres loix particulieres de l'eſtat fondées ſur le courage invincible des François, qui ne ſe peuvent aſſujetir, comme l'Angleterre à la domination des femmes ſeules, auſquelles il eſt plus ſeant de manier l'aiguëille que le ſceptre, & pource auſſi qu'elles euſſent peu tranſporter la Couronne par mariage à des Princes eſtrangers. Comme auſſi la conſequence, qu'en tire Tacite lib. 3. Annal. y a peu porter les François que le ſceptre ne tombe jamais entre les mains de la femme, qui eſt d'vn ſexe non ſeulement foible & ſans courage, mais auſſi cruel & ambitieux, lors que la puiſſance ſeconde ſon mauvais courage.

Les filles du Roy s'appellent, Meſdames de France, comme auſſi celles du fils aiſné, & les filles des puiſnés ſe nomment Meſdemoiſelles, comme celles des Princes du ſang, auſquelles pour tout appennage & droit de ſucceſſion on donne maintenant une ſomme d'argent. Donc le Royaume de France ne tombe point en quenouille comme ceux d'Angleterre, d'Eſpagne & de Suede.

A l'eſgard de celuy d'Eſpagne, c'eſt par le moyen des femmes, que le Royaume d'Eſpagne eſt tombé entre les mains des Archiducs d'Auſtriche, qui d'Allemans ſe ſont ainſi Eſpagnoliſés, car Iean II. Roy d'Eſpagne mourant ſans enfans maſles du vivant meſme de ſon frere Ferdinand, il prit Philippes d'Auſtriche pour ſon gendre & luy donna avec ſa fille la ſucceſſion de ſes couronnes. De laquelle Infante d'Eſpagne & dudit Philippes d'Auſtriche naſquit Charles V.

Roy d'Eſpagne & Empereur grand pere du Roy d'Eſpagne d'aujourd'huy. En Angleterre nous ſçavons que Marie femme de Philippes d'Auſtriche ayant regné cinq ans trois mois mourut l'an 1558. & qu'Eliſabeth ayant regné 55. ans mourut l'an 1603. Nous n'ignorons pas auſſi que Guſtave Adolphe Roy de Suede mort victorieux en la bataille de Lucen a laiſſé de Marie Eleonor de Brandenbourg ſa femme & de luy Chriſtine leur fille heritiere de ſes royaumes, de ſes victoires & de ſa reputation immortelle. Mais en France la Couronne n'eſt donnée ſeulement qu'aux Maſles de la maiſon Royale ſelon la teneur de la loy Salique, de laquelle à fin que vous ayez une plus naifve connoiſſance conſiderez.

Secondement que l'Etymologie du mot de Salique vient ſelon le dire de quelques uns à Sale, comme qui diroit, une loy aſſaiſonnée de ſel, c'eſt á dire, accompagnée de prudence & de toutes les circonſtances requiſes à la perfection d'une juſte loy. Les uns veulent qu'elle ait pris ſon nom des Preſtres de Mars nommés Saliens, deſquels Pharamond prenoit advis & Cõſeil és affaires les plus importantes de ſon eſtat. D'autres aſſeurent qu'elle eſt appellée Salique par une tranſpoſition plus agreable, d'vn G. en un S. Salique pour Galique. Mais la plus vray ſemblable opinion eſt de ceux, qui diſent, qu'elle prend ſon nom de la riviere de Sul, au delà du Rhin en Franconie, laquelle ſe meſle avec le Mein, où habiterent principalement nos François, comme aujourd'huy nous nous appellons François à cauſe de l'Iſle de France, où eſt ſituée la Capitale du

du Royaume : ainſi Conrad de Franconie Empereur eſtoit ſurnommé le Salique pour marquer ſon origine le long de ce fleuve enfin l'on tire l'Etymologie de cette loy Salique de ce que les François voulans avoir une certaine forme de gouvernement, deputérent quatre des plus notables d'entr'eux, qu'ils appelloyent Dictateurs, Capitaines ou Barons, aſſavoir Salugaſt, Viſogaſt, Vſogaſt, & Wiſogaſt, leſquels eſtoyent obligés de reſpondre à tous les doutes qu'on leur propoſeroit, & leurs reſponſes eſtoient eſcrites, gardées & receuës pour loix & notamment Salagaſt jetta dés lors les premiers fondemens de la loy Salique, ainſi nommée à cauſe de celuy qui en fit le premier les ouvertures, laquelle depuis a eſté augmentée par les Roys, qui ont veſcu depuis Pharamond juſques à Charle-Magne, apres lequel nous n'en trouvons rien d'eſcrit, ſinon qu'elle a eſté exactement obſervée, comme loy naturelle des François. D'où vient que quelques uns la croyent faite dés le temps de Pharamond, les autres un peu de temps apres Clouis. Quāt à moy je puis aſſeurer qu'elle eſt de droit divin & obſervé, dés le temps du royaume d'Iſraël. Car je trouve au chapitre 21. du ſecond livre des Chroniques que Ioſaphat ayant ſix enfans, il donna à Ioram ſon aiſné tout le Royaume d'Iſraël, & aux cinq autres puiſnés une certaine penſion ſans aucun droit du Royaume : ainſi fait on en France, car l'aiſné nommé Dauphin ſuccede entierement au Royaume, & aux puiſnés on donne quelque appennage, tellement que le ſecond fils de France s'appelle Duc d'Orleans, comme le troiſieſme ſe nom-

nomme Duc d'Anjou, le quatriesme Duc d'Alençon ayans ces Duchés seulement en appennage. Ce qui s'est veu sous Henry II. qui eut quatre fils, lesquels porterent lesdits noms de leurs appennages.

Pour les filles de France, pource qu'elles entrent en une autre maison, on ne leur donne terre, ny portion aucune du domaine du Roy, mais une notable somme d'argent; comme en nostre temps nous avons veu és mariages de trois filles de France sœurs de Louys XIII. à present heureusement regnant, dont l'une a espousé le Roy d'Espagne, l'autre le Roy d'Angleterre, & la troisiesme le Duc de Savoye, sans qu'elles ny leurs enfans puissent pretendre aucun droit de succession au Royaume. Outre ce je puis asseurer qu'elle fut faite & publiée l'an 424. par Pharamond premier Roy des François & le cinquiesme an de son regne, par l'advis & le conseil des quatre Dictateurs susdits, & des trois estats du Royaume, dont l'article de la loy, qui concerne la succession des Roys de France est couché en ces mots: Nulla portio Hereditatis de terra Salica mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota hereditas pertineat.

De ce nous en voyons la pratique inviolable en la premiere race. Car Childebert fils de Clouis mourant l'an 559. & ne laissant que des filles, elles furent excluses de la succession du Royaume & iceluy declare justement appartenir & Clotaire I. son frere, & du temps de Cherebert fils de Clotaire I. qui laissa trois filles, lesquelles ne succederent point, ains Sigebert son frere, & du temps de

de Gontran, fils dudit Clotaire I. dont la fille Clotilde fut forclose du royaume & en sa place fut Roy Childebert fils de Sigisbert son frere. Davantage Charles le Bel Roy de France & de Navarre mourant sans enfans masles l'an 1327. & laissant Ieanne de Bourgogne sa femme enceinte, laquelle puis apres accoucha d'une fille. Sur ce Edouard III. Roy d'Angleterre disputa premierement la regence du ventre, puis apres la Couronne de France contre Philippes de Valois, pretendans tous deux leur appartenir de droit pour y mettre ordre, les Estats Generaux de France & les Notables furent assemblés, auxquels se presenterent Philippes de Valois d'une part & Eduvard d'autre, alleguans tous deux leurs raisons, assavoir Eduvard, qu'il estoit fils d'Eduvard II. surnommê Canenard Roy d'Angleterre & d'Isabelle de France, fille de Philippes le Bel & sœur de Charles le Bel dernier mort. Qu'ainsi il estoit seul masle de la droite ligne de Philippes le Bel son ayeul Pere de Charles dernier mort, & que par le droit commun des hoirs procréés en droite ligne il estoit à preferer à ceux qui estoyent en ligne collaterale, de plus Eduvard alleguoit la loy Imperiale publiée par Iustinian en sa Novel. de heredib. ab intest. venient. S. 8. signif. defunct. Collat. 9.

Au contraire Philippes de Valois faisoit bouclier de la loy Salique, laquelle exclud les filles de la succession du Royaume, & disoit estre fils de Charles Conte de Valois, lequel Charles estoit frere germain de Philippes le Bel, que ledit Philippes le Bel avoit eu trois fils, Louys Hutin puisné

puiſné, Philippes le long le puiſné ; & Charles le Bel, le Cadet; que ces dits trois fils avoyent ſucceſſivement tenu le royaume, venu de l'vn à l'autre faute de maſles, & notamment que ledit Charles le bel eſtoit mort ſans maſles, que luy Philippes de Valois eſtoit Couſin germain dudit Charles, & en ſecond degré collateral, & que par conſequent la Couronne luy appartenoit ſelon la verité de la loy Salique. La deſſus les eſtats aſſemblés deliberent & concluent, que le Roy de France ne recognoiſſoit l'Empereur, ny autre ſuperieur quel qu'il fut, ne tenoit ſa Couronne que de Dieu & de ſon eſpée, qu'il n'eſtoit par conſequent tenu ſe ſoûmettre à la loy Imperiale alleguée par Eduvart, qu'il ne falloit s'arreſter qu'à la loy Salique fondamentale de cet Eſtat, laquelle interprete de part & d'autre favorablement chacun la tirant à ſon intention, fut en fin prononcé arret de l'advis de tous les Princes, Prelats, Nobles, Iuſticiers les gens des bonnes villes, & Notables du Royaume, iceux pris & accordés par les contentans, par lequel arret fut adjugée la Couronne de France audit Philippes de Valois, qui en fut declarè le vray Roy & ſouverain Seigneur, & enjoint à tous de le reconnoiſtre tel & de luy obeïr, & deſlors fut ſacré à Rheins par l'Archeveſque du lieu le jour de la Trinité l'an 1321. Et de fraiſche datte François I. Duc d'Angouleſme l'emporta ſans difficulté apres la mort de Louys XII. ſur ſes deux filles l'an 1510.

En troiſieſme lieu Conſiderez, s'il vous plaiſt, que les terres & ſeigneuries delaiſées en appennage aux puiſnés de France, en ce qu'ils mouruſſent

russent sans enfans masles retournoyent anciennement à la Couronne, ainsi que nous en voyons la pratique du temps de Louys IX. Iceluy, lors qu'il vint à la Couronne, avoit deux, freres Alphonse & Charles. Alphonse fut appenné des Duchés de Poitou & d'Auvergne. Charles fut Roy de Sicile, Alphonse meurt sans enfans laissant Charles son frere unique. Louys IX. Roy de France estant mort Philippes le Bel regnant alors en France, se saisit desdittes Duchès de Poitou & d'Auvergne & les reünit à la Couronne. Sur ce Charles Roy de Sicile intente procés contre luy, se disant heritier de son frere Alphonse, duquel Philippes, le Roy estoit parent bien plus reculé, le Roy replique que ces Duchés estans anciennement du patrimoine & domaine de son Royaume, luy estoient retournées par la mort d'Alphonse sans enfans, qu'il ne les possedoit que par appennage, & que les freres, ny autres collateraux selon les loix de France n'y pouuoyent aucunement succeder.

Ceste matiere bien pesée en la Compagnie des Princes, Pairs, Presidents & Conseilliers de la Cour, fut en fin validée par arrest de la Cour de Parlement de Paris l'an 1283. par lequel le Roy de Sicile fut absolument debouté de sa requeste & les dites Duchés reünies à la Couronne.

De tout ce que dessus Messieurs, vous voyez clairement qu'elle a esté l'institution, l'Etymologie, la pratique de la loy Salique, laquelle à mesme rigueur en Hongrie comme en France. Ie laisse à d'autres d'en discourir plus pertinemment, & vous supplie d'aggreer ce peu, que mon obeissance

ſance à peu me ſuggerer , qui n'eſt, que l'vn des moindres teſmoignages des devoirs, que je vous ay, ſuivant leſquels je me ſuis acquitté de la charge qu'il vous avoit pleu m'impoſer, non pour m'acquerir une gloire empruntée, mais bien pluſtoſt l'honneur de vos bonnes graces & pour proteſter l'ambition que j'ay d'eſtre toute ma vie.

MESSIEVRS,

Voſtre *&c.*

XIV. Reges in Gallia à *Pharamundo* ad *demortuum uſque Ludovicum XIII.* numerantur ſexaginta quatuor. Eorum triplex eſt origo. I. *Merovingiorum* à Merovæo, nepote Pharamundi. II. *Caroli Magni.* III. *Hugonis Capeti Comicis Pariſienſ.* Ex his Reges baſtardi fuere Ludovicus III. & Carolomannus filii naturales Ludovici Balbi. Nuperis annis ſancitum eſſe aiunt, ne unquam naturalibus ad hujus regni faſtigium pateat aditus.

XV. *Miniſterium aulicum* Regis Gall. hoc eſt. I. *Le grand Chambellan,* magnus ſeu ſupremus Cubicularius ſeu Præfectus cubiculo; is eſt *le Duc de Mayne.* II. *Les premiers valets de Chambre*, cubicularii primarii: 4. ſunt. III. *Le grand Maiſtre d'Hoſtel,* ſupremus Aulæ Magiſter: ſemper eſt aliquis ex Principibus ſanguinis. Monæi tempore fuit Comes de Soiſſon Borbonius, Princeps Regis ſanguinis. IV. *Le grand Eſcuyer*,

Magnus

Magnus Stabuli Magister. qui Regi equum vel adscessuro, vel descensuro orianum exhibet auxiliatricem, ac inspector itidem est cursuum publicorum. V. *Le grand veneur*, supremus Venationis Magister. VI. *Le grand Fauconier*. VII. *Les Maistres d'Hostel*, Magistri aulæ. VIII. *Le Prevost de l'Hostel*, Præfectus Palatii seu Aulæ. IX. *Le grand Panetier*, qui annonæ & victus curam gerit. X. *Les Escuyers tranchans*, Structores ex ordine vel Nobilium vel Nobilitatorum. XI. *Le Chanson*, sub quo multi alii. XII. *Le Chancelier*. XIII. *Le garde des Seaux*, Custos sigilli.

XVI. *Le Connestable*. Hodie nullus est; sed tantùm Vicarius. II. *L'Admiral*, Navalium rerum illi demandata cura est. III. *Le grand Maistre d'Artillerie*, supremus rei armamentariæ Præfectus. IV. *Les Lieutenans*, Vicarii. V. *Le grand Prieur de France*; hic caput Ordinis Melitensis per Galliam. VI. *Le grand Ausmonier*, magnus Eleemosynarius. Huic incumbit cura & diligentia vigiliarum, ut in omnibus Archi-Episcopatibus, Episcopatibus, Abbatiis & aliis religiosis locis bona pro alendis pauperibus, Ecclesiis dedicata, rectè & fideliter ad destinatos usus administrentur. VII. *Le grand Tresor, ier* summus Regni Thesaurarius. VIII. *Les Secretaires*, Secretarii. IX. *les Mareschaux de France*, Mareschalli Franciæ. Olim 4. saltem erant; jam verò numerus excurrit, X. *Le grand Voyer*, magnus viarum, ædificiorum, conditionum Arbiter. *De Officiis Regni Militaribus Et Togatis.*

XVII. Hi alii *Principes sanguinis* sunt, alii *Duces nativi*, Galli & Germani, quibus non Principum nomen, sed *Ducum* competit, alii Duces *De Principibus Galliæ.*

extranei, originem ex Illustribus familiis etiam Galliam ducentes. Ex *sanguinis Principibus* sunt I. Regis Frater Dux Aurelianensis qui hodie Sereniss. Electoris Palatini filiam Charlottam Louysam uxorem duxit; quæ tamen postea relicta reformata religione Romano-Catholicam religionem amplexa est. Inter *Principes extraneos*, *Lotharingi* potiorem obtinent locum. Amplissima dominia in Gallia cum matrimoniis acquisita, tum Regum liberalitate ob præstitam in Remp. egregiam operam, donata possident. Hinc variis gaudent titulis, 1. *Le Duc de Guise* 2. *Le Duc de Ioinille*, *Le Duc de Mayne*, *Le Duc d'Aumale*, *Le Duc d'Aiguillon*, *Le Duc d'Elbeuf*, *Le Duc de Mercure*. Prodiit liber, in quo Lotharingi asserunt sibi successionem in Regnum Galliæ competere sedis est prohibitus nec renatis extat. Reliquæ familiæ extraneæ Duces sunt *Les Ducs de Nemours*, qui sunt ex familia Sabaudica. *Les Ducs de Nevers & Ceuvre*, ex familia Gonzagarum Mantuæ Principum. *Duces Galliæ nativi* jam dicendi sunt: illi vocantur; I. *Henry d'Orleans, Duc de Longueville*, & ipsi agnatus *Comte de S. Paul.* nati ex familia *Valesiorum* Aurelianens. Ducum naturaliter, *Les Bastards d'Orleans*: Ex ipsorum Majoribus, quidam ductâ filiâ ultimi Comitis S. Pauli, Barbonici sanguinis, acquisivit Comitatum illum, cum alio quodam Comitatu de *Dunois* in agro Aurelianensi, & alius Comitatus eodem jure ad ipsos est devolutus, *La Comté de Neuf-Chastel.* sive Neocomum in Helvetia. Neocomensis iste Comitatus hæreditario jure pervenit ad Comites Hochbergeos, Rotelini Dominos, ab his ad Longevillanos.

gevillanos: Sed tempore belli inter Ludovicum XII. Galliæ Regem & Helvetios eum Guisii occuparunt. Ioanna verò ab Hochberus, Ducis Longevillani viduo an. 1520. per internuncios effecit, ut Comitatus iste sibi restitueretur, eumque adhuc Logevillanus possidet. *Henri Duc de Rohan: Le Duc d'Espernon: Le Duc de Tingry. Mommoranciorum* familia antiquissima est. *Le Duc de Bouïllon*, premier Mareschal de France. Hic titulo olim gaudebat *Vicomte de Tourenne*; at postquam duxit Ducis de Bouïllon, Comitis de Marchia Filiam primum titulum Domini Sedani, in finibus Galliæ & Germaniæ, sibi acquisivit. Ex his superest hodiernus Exercitus Gallicani Generalis Mareschallus *de Tourenne*, qui tamen ut Rege suo placeret, religionem Reformatam cum Pontificia commutavit, id quod Hugonottis in Gallia, qui adeò hodie premuntur, magnum dolorem incutit. Hanc multi Magni Homines in Evangelica Religione adeò sunt inconstantes, ut, ne Deus obicem ponat, antè novissimum diem paucos Evangelicos Proceres sinceros atque constantes, uti in Saxonia sunt, simus habituri. Det O. Max. Deus felicius seculum! Annue Rex Regum, & Dominus Dominantium! Familia *Ioyensiū (Ducs de Ioyeuse)* quæ esse desiit, *Les Ducs de Rets*, Florteini sūt. *Le Duc de Vendosme en Limosin. Le Duc d'Vsez en Languedoc* Familia *Ducū de la Tremouïlle, Principum de Talmont*, pervetusta. *Mongommerorum* etiam familia illustris est antiquitate, & rebus benè gestis; quidem ex iis in torneamento cum Henrico II. congressus, fractâ lance festucam in ejus oculum adegit, qui ictus

Regi fatalis fuit. *Domini de Chastillon, Comitésque in Coligny*, antiquitate nulli familiæ cedunt. *Monf. de Cesse, Comte de Brissac*, est ex illustri & antiqua familia. His adduntur naturales filii Regum Gall.

De Parlamentis. XVIII. Horum hoc tempore decem sunt, [add. *Hodie plura, ut postea dicetur.*] *Parisiense, Tholosanum, Gratianopolitanum, Burdegalense, Redonense, Rothomagensè, Aquense, Divionense*, Tribunal ab Henrico IV. Gall. Rege institutum in Metropoli Principatus Bearniæ *Castro Palo (Pau) Metense*. A *Parisiensi*, nisi jussu Regis, appellatio non conceditur. Dividitur illud Parlamentum in varias classes, & curias. I. Curia dicitur *la grande Chambre*, quæ de appellationibus verbalibus cognoscit. II. *La Chambre de l'Edict* in favorem Religionis Reformatæ facta. III. *La Chambre de la Tournelle*, ubi tractantur caussæ criminales. IV. *La Chambre des Enquestes*, ubi judicantur res Civiles. V. *La Chambre des Requestes du Palais*, in qua Nobilium caussæ deciduntur. VI. *Les Requestes de l'Hostel*, ubi de famulitio Regio judicatur. VII. *La Chambre du Thresor*, ubi de Regia pecunia cognoscitur. VIII. *La Chãbre des Comtes*; in hac redduntur rationes excepti & expensi à Regiis Quæstoribus (*Receveurs*) tam generalibus quàm specialibus. Eæ generalitates sunt 22. *Turonium Andegavum* & tractus *de Mayne* in ea constituunt generalitatem. Generalis Quæstor Turonii est, ad quem particulares, seu speciales, collectas pecunias deferunt. Quicunque autem redditione rationum instructus non est ad solvendum, in carcerem tantisper compingitur, donec

donec ſolvat, ſit licet ampliſſimarum facultatum. IX. *La Chambre des Aides*, in qua de collectis ſeu indictionibus & ſubſidiis cognoſcitur. Pariſienſis Parlamenti juriſdictio latè patet, quum ei pareant provinciæ plurimæ, ut (1) Picardia (2) Francia ſtrictè ſumpta (3) Bethia (*Beauſſe*) (4) Campagnia (5) Ager Lugdunenſis & (6) Bituricum (7) Barbonia (8) Poictou (9) Andegavum (10) Ager Aurelianenſis (11) Ager Bleſenſis (12) Touronium; à quibus omnibus Lutetiam fit provocatio, & judicatur ſecundùm cujuſcunque provinciæ conſuetudines, quibus non extantibus fertur ſententia ſecundùm Pariſienſes, & prout diverſæ ſunt provinciæ, ita variæ etiam ſunt conſuetudines. In nonnullis tamen Galliæ Parlamentis proceditur ſecundùm jus civile.

XIX. Erant olim certi Principes Seculares, qui per Provincias, quas poſſidebant, Parium perſonam ſuſtinebant: hodie res planè alia eſt. Pares olim erant *Burgundiæ*, *Aquitaniæ*, *Normanniæ Duces*, *& Flandriæ*, *Campaniæ*, *Toloſæq́*, *Comites*. Verum illa dignitas expiravit in interitu Principum & Comitum illorum Dominiorum. Parium autem numerus hodie idem eſt, qui olim, nimirum 12. Virorum, inter quos ſunt 6. *ſeculares*, & ſex *Eccleſiaſtici*. Hi ſunt *Archiepiſcopus Rhemenſis* (*Rheims en Champagne*,) ad cujus officium pertinet Regis inauguratio: *Epiſcopus Laudunenſis* (*Laon en Picardie*,) *Lingonenſis*, (*Langres en Champagne*) *Catalaunenſis*, (*Chalon en Champagne*) *Noviomenſis*, (*Noyon en Picardie*) *Bellovacenſis*, (*Beauvais*) in Francia ſpecialiter & ſtrictè ſumpta. Sed hæc hodie mutatio- *De Paribus Curiæ.*

nibus obnoxia ſunt : ſolent enim Reges pro temporum varietate hanc Parium dignitatem Principibus Conſanguineis conferre, id quod hodie in uſu eſt, quorum numerus vel copia ſi deficiat, Viri militari virtute clari ex illuſtrioribus ut plurimum adhiberi ſolent. Hi antiqua conſuetudine de Principe ſanguinis alicujus criminis enormis rei judicant, ut & aliorum Magnatum, quæ omnia hoc ſeculo plerumque Regum arbitrio diſponuntur.

De feudis.

XX. *Feuda* tam Nobiles majores, quàm minores, ut & Ignobiles tenere poſſunt. Illa venduntur quotieſcunque Feudatario placuerit, nec Domino Feudi ſuper hoc interrogato. Emptor vero ipſi Domino dat duodecimam. v. g. ſi emiſti feudum 1200. Coronatorum, de iis Domino numerus 100. Coronatos. Nullibi locorum emphyteuſeos contractus frequentior eſt uſus, quàm in Gallia, & conducuntur hoc contractu tam prædia urbana, quàm ruſtica, vel in perpetuum, quàm ad longiſſimum tempus, & locatori non eſt permiſſum, ut expellat conductorem, ſi modò hic annuam penſionem præſtet, & ut bonus paterfamilias in re emphyteuticâ verſetur.

De Civibus, Nobilibus, Mercatoribus, Opificibus.

XXI. Non moris eſt in Gallia jus Civitatis emere, quod in Germania obtinet; hinc cuilibet in Gallia liberum eſt emere domos in urbe, aut conducere; mercaturam vel artem manuariam exercere. Nobiles mercaturam exercentes, jura Nobilitatis perdunt, & quotieſcunque annui colliguntur cenſus, à quibus Nobiles immunes ſunt, opus habent Nobilitatem ſuam demonſtrare. Cæterùm Rex Galliæ abſolutè poteſt imponere ſubditis

ditis tributa, exactiones, census, vectigalia, dacias, decimas *&c.* Census Galli appellant les Tailles, ad colligendos eos annuatim ex civibus viri judicio valentes deliguntur tempore quadragesimæ, qui unumquemque censent, & nunc ab hoc plures pecunias, ab alio minus exigunt pro modulo facultatum cuiusque exceptis privilegiatis, Nobilibus minoribus & personis miserabilibus. Gabellæ sunt vectigal salis, quod certè maximum est Galliæ. Ex salinis sal in omnes Regni urbes divehitur, & in Regios ad id destinatas domus reconditur idque Regii Ministri postmodum inter cives & colonos seu rusticos magno precio assignato distribuunt. Nec ulla est provincia quæ huic oneri non subjaceat, excepta urbe & Provincia Pictaviensi, statim cum hoc vectigal imponebatur Rex Henricus IV. eos in libertate reliquit. Ita in Provincia Pictaviensi salis modiolum emitur octo aut 10. assibus in Andegavensi quatre florins 1. s. 80. assibus. Idem judica de cæteris provinciis, unde non rarò certi homines in Pictavia emunt, & Andegaviensibus clàm vendunt: sed intercepti à Regiis Præfectis salis, sal perdunt vel pecuniam quin sæpe etiam vestimenta amittunt. Daciæ exiguntur de vino, eæque duplices sunt 1. octava, quia octava coronatorum pro dolio Galliæ Regi penditur. 2. L'appetissement seu minor aliqua summa quàm octava, & colligitur à Duum-viris (Eschevins) urbium & impenditur ad reficiendos muros, portus urbium & si quæ alia. Tributos. Tributa exiguntur de mercibus quæ navigiis secundis fluminibus vel devehuntur vel adversus advehuntur

Decimæ ſunt Eccleſiarum. Les parties caſuelles ante annos ſunt introductæ. Notiſſimum eſt in Gallia omnia officia eſſe venalia. Regis Conſiliarii etiam, ut ad illos quoque de officiis illis aliquid lucri redeat, hunc modum invenerunt, ut ſi ſcilicet eveniret aliquem officia non cuiuſcunque ordinis mori, Rex heredibus defuncti perſoluta illius pecuniæ ſumma, qua officium erat emptum per auctionem venderet, ut qui plus dediſſet illud officium haberet & hæ ſunt parties caſuelles. Paulò poſt illud fuit immutatum, & à Rege conſtitutum ut iſti Officiarii certam pecuniæ ſummam quotannis fiſco inferrent, & officia ſua ſi vendere nollent ad hæredes ſuos tranſmitterent. Hæc de caſualibus. Sunt & alii modi contrahendæ pecuniæ. La maiſtriſe. Eſt illa conſuetudo ſicut in Germania uſitata, ut qui velit artis ſuæ Magiſter ſeu Peritus ſalutari & haberi, ſpecimen edat, quod ſi egregium eſt deprehenſum, id quod petit obtinet. Si quando Reges extraordinarias collectas indicere volunt, fit deliberatio primùm de iis in conſilio privato, certi deliguntur viri & in 22. illas generalitates dimittuntur (les Eſleus) viſitantes quorum ſunt generalitates qui deſignant quantum quælibet vel parochia vel urbs contribuere debeat. Omnium extraneorum ſive Germanorum ſive Italorum bona fiſco cedunt, ſi contingat ut diem extremum claudant in Gallia. Toloſæ tamen atque in tota Aquitaniæ Provincia extranei commorantes, etſi quoad officia & beneficia abſque venia Principis incapaces ſint, liberè tamen teſtari poſſunt, eiſque proximiores ab inteſtato ſuccedunt ſingulari beneficio Regis

Lu-

Ludovici II. & XII. Burdigalæ idem habent privilegium. Illegitimi (non naturales) nec testamenti condendi potestatem habent. Naturaliser, legitimare etiam à Rege gratia obtinetur, ut quis extraneus pro vero & naturali habeatur Gallo & urbium privilegiis & indultis Principis gaudeat. Nobiles, cives, mercatores, qui subditos habent & colonos ab iis censum exigere non possunt, nec sub quocunque prætextu argento eos emungere: soli sibi Reges id reservarunt, præstare tamen suis dominis servitia & alia quæ possunt. Pro conquirenda pecunia ad dotandas filias suas Reges solent certos homines in Provinciis mittere, quod pro certa summa Magistros creant.

XXII. Ordinem S. Michaëlis instituit Ludovicus II. anno 1460. Ordinem verò S. Spiritus Henrici III. anno 1629. ansam institutionis ei præbuit, quod anno 1628. in festo Pentecostes Rex Poloniæ & anno sequenti eodem die in Gallia coronatus est, qui in hoc cooptantur ordines, torquem gestant canchiliatum, de quo dependet primò rotundum quid, cui S. Michaëlis pugna impressa, deinde crux flammas eructans.

XXIII. *Archiepiscoporum*, *Episcoporum*, *Monachorum* infinitus est numerus. *Archiepiscopus Rhemensis*, Franciæ Par, inungit Reges. *Archiepiscopus & Elector Trevirensis* & Archicancellarius per Galliam, scil. Belgicam & Regnum Arelatense (*Arles en Provence* sive Burgundia. Cæterùm Germani nondum jure suo, quod turbato Reipub. statu est turbatum, haud colere norunt.) Est enim *Monasterium Pictavii S. Hilarii*: ejus *Abbas*, finita copula civili & Ecclesiastica

De ordine sacro & beneficiis Galliæ ex eodem Dn. de Plessis.

stica

ſtica, primum concumbit cum Regina. Abbas autem is ipſe Rex eſt, nam Reges Galliæ perpetui huius Monaſterii Abbates ſunt. *Ieſuitæ*, demolita illa illis ignominioſa Pyramide Pariſiis, reſtituti ſunt, & in Regnum admiſſi. An. 1603. cum his conditionibus. I. *Nullus ſit in Gallia Ieſuita, niſi Gallus.* II. *Provincialis etiam illorum ſit Gallus.* III. *Nullum Collegium cuiuſcunque Eleemoſynæ prætextu ulli erigant, niſi expreſſo Regis conſenſu.* IV. *Exceptionem fori nullam habeant.* V. *Ne ab illis qui in ipſorum Collegia cooptari ſe patiuntur, neque ex teſtamento, neque ab inteſtato aliunde quicquam bonorum immobilium capiant.* Poſt reſtitutionem factam quæ multo conſiſtit labore, eorum bona poſt exilium fiſco adjudicata eis fuêre reddita. Quin & Henricus IV. in oppido Flexiæ Regiam ſuam arcem ipſis donavit ad extruendum Magnificum Collegium, quod hodie eſt abſolutum in ſacello eius ſuſpenſum videtur Henrici IV. cor. Claudius Aquaviva, Generalis ordinis Ieſuitici multos menſes Lutetiæ conſumpſit, ſolicitando, ut reſtituantur Ieſuitæ, tandem his verbis ſupplex Regem allocutus prohibetur. Rex, decimo menſe pariunt mulieres, at ego nunc menſes tot enitor, ut pariam libertatem meis in hoc regno, ſed incaſſum laboravi hactenus. Ad ea Rex ex eo tempore reſpondit: ſi pariunt viri, mi pater, mulieribus eos accenſeam, bene ego ſcio quando, & quomodo. Annatæ ſunt reditus primi anni quos Rex ex bonis Eccleſiaſticis colligit, quando in locum demortui Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbatis Clerici novus ſuggerendus eſt. Rex jus

habet

habet beneficia Ecclesiastica conferendi contra Concilium Tridentinum in Gallia nondum receptum. Annates nemo vel Archiepiscopus vel Episcopus aut beneficiarius consequi potest, nisi Regi primùm certam pecuniæ summam pendet: Romam de beneficiis Ecclesiasticis nihil pecunię defertur, Rex habet jus collectandi clericos & sæpius Reges certam partem redituum ab eis exigunt. Ecclesiarum Gallicarum libertas ea sic appellatur, quia Clerici ad Ecclesiam Romanam evocare non possunt, Regésque contra eos procedunt. Pragmatica sanctio est Lex antiqua, in qua præscribitur modus administrandi bona tam Ecclesiastica, quàm Regia. Rex itaque jus habet *beneficia Ecclesiastica* conferendi, contra Concilium Tridentinum in Gallia nondum receptum, quo id sub pœna hæreseos Laicis negatum est. *Clerici* in Gallia ad Ecclesiam Romanam provocare non possunt. Contra eos Reges procedunt. *Pragmatica sanctio* est lex antiqua, in qua præscribitur modus administrandi bona tam Ecclesiastica, quàm Regia.

XXIV. Horum in Gallia ingens est numerus in omnibus Regni partibus & Vrbibus, excepto Comitatu, ipsaque Vrbe Avenionensi, ditionis potentissimæ. Hodie urbes securitatis Reformatis sunt ereptę & nullum aliud subsidendo nisi in benevolentiâ Regiâ habeat. Quotiescunque quid incidit, *Conventus Generales* indicuntur, interdum *Synodus Vniversales* ob res graviores, de quibus in commune consultandum est: idque in certa Regni Provincia instituunt, ad quos præcipui Ministri Ecclesiarum convocantur, Illustres, **De Hugenottis.**

ſtres, Nobiles, aliíque magnæ dignationis Viri, uſu & experientia vitæque integritate inſignes. [add. *Sed hodie Rex eiuſmodi conventibus per Mandatarium intereſt.*]

XXV. Vt verò etiam interiores *Regiminis Politici*, quod in Gallia eſt, partes exponamus, ſciendum eſt Regnum Galliæ hæreditarium eſſe, ita ut *Rex nunquam in Gallia*, ſecundum proverbium, *moriatur:* ſolùm autem Regni capaces ſunt ii, qui ex maſcula deſcendunt linea, quo excluduntur fœminæ per expreſſam Regni legem. Ita olim pulchrè in Gallia reſponſum eſt, cum quidam fœminam in Regno ſuccedere vellent: *Lilia neque nent, neque laborant.*

XXVI. Quamvis autem Regno cum imperio præeſſe nequeant Reginæ, ſæpius tamen una cum Regibus maritis ſuis conſecratæ, coronatæque leguntur: ut Regina *Clementia*, altera conjux Regis Ludovici Hutini, *Ioanna* prima uxor Philippi Valeſii, *Ioanna* ſecunda uxor Regis Ioannis, *Maria Medicea*, uxor Henrici IV. Gaudent etiam certis Privilegiis, cum in illis plurima peculiaria jura Galliæ conferantur. Cum in aliquam Regni perveniunt Vrbem, poteſtatem habent liberandi à morte captivos. Habent etiam in ſuis terris poteſtatem de Appellationibus cognoſcendi. Miniſtri Regii ſtatus, qui Regi in aula cum magna dignitate officia præſtant, eadem quoque illi Statui, qui Reginæ proprius eſt, in eodem reſpectu honoris, poſſunt exhibere, ut Magnus Magiſter, Cancellarius, &c. Reginæ viduæ in Gallia dictæ ſunt *Blancæ* (*les Reines Blanches.*)

XXVII. Primi Galliarum Reges ad Conſi-

lia Regni vocarunt illos, quos Nobilia ſtemmata, vel Merita & Virtus commendabant, ut Principes, Dominos Regni, Epiſcopos, alióſque magnæ dignationis. Iudicabant autem Regni negotia publicum concernentia, vel Conſilium Regis, vel Status, in Regno Generoſorum: cui etiam nomen *Parlamenti* datum eſt. Negotia autem, quæ juſtitia privatis reddendam ſpectant, illorúmque proceſſus, lites & deciſiones, Curiæ Pariſienſi demandata ſunt, aliiſque Regni Parlamentis.

XXVIII. Status Nobilis Regni (*Les Estats Generaux du Royanme*) ex tribus Ordinibus eſt compoſitus, nimirum *Ordine Eccleſiaſtico, Nobilitate*, & tertio *ſequiori Statu*. Moris autem eſt, ut Rex publico diplomate & Edicto concluſa ſtatus vel Conſilii nota faciat, adjecto anno & die. *Edicta* mittuntur Parlamentis, & per illa Prætoribus & Scabinis, qui illa nota faciunt Præpoſitis, & judicibus alicujus diſtrictus. Cum *Conſilium Status* factum eſt, Rex, vel Cancellarius exponunt cauſam convocationis, treſque ex quolibet Ordine Deputati Orationibus univerſim querelas proponunt. Obſervata etiam eſt *Camera Eccleſiaſtica*, in qua 140. Deputati, quos inter Cardinales, 7. Archiepiſcopi, 47. Epiſcopi, 2. capita Ordinum. In *Camera Nobilium* 132. Nobiles; & in *tertio Statu* 192. Deputati. Quod Statum *Nobilium* ſpectat, ille in magno apud Regem eſt honore, & gratia; cui permiſſum eſt, cum gladio ad Regis faciem ſuccedere, uſque in illius conclave, quod aliis minimè conceſſum. Omnes tam majores quàm minores Nobiles Regi ſubjecti ſunt immediatè, & nihil aliud Regi quàm ſervitia mili-

militaria præſtant, unde vox illa Ban & fit convocatio illa in bellis minus periculoſis : ut verò ſi gravius aliquod exardeſcat, fit convocatio (Arriereban) omnium, qui feudatarii ſunt Principum, Ducum, Comitum, Baronum & ſimples Gentilſhommes. Illud his minimè ſiccam pede prætereundum de Rege & Regno d'Ivetot quod ſcribunt. Eſt in finibus Galliæ Normanis Picardis accenſendus neſcio Tractus quidem Fortean comitatus olim d'Ivetot dictus unde domini & Profeſſores olim appellabantur Rois d'Ivetot, de quibus hoc narratur. Quondam ex illa ipſa familia Galliæ Rex quidam innocentis vitæ hominem interemerat. Rex pœnitentia ductus cæteris de Lutetiis hoc privilegii ob necatum fratrem dedit, ut eſſent & ſalutarentur Reges de Ivetot, & jus cudendæ monetæ haberent. Nemo enim in Gallia Ius iſtud, cujuſcunque ſitus cōditionis & ordinis habuit, nunquam nec adhuc habet. Monſieur de Bellay Seigneur d'Ivetot, an ex antiqua Ivetorum familia & proſapia non interrempta linea maſculina deſcendat ignoramus, retinuit jus illud condendæ monetæ ſed rogante Henrico IV. [principum rogare eſt imperare) facta alia recompenſatione juri iſti renunciavit. Homo nobilis eſt certè non ſimple Gentilhomme & pecuniæ ditiſſimus, ipſum aiunt adſcriptum ordini Mareſchallorum. Nonnulla officia in Gallia nobilitant. Nobilis criminis alicujus rei, ut aſſaſſinatū gladio puniuntur exceptis criminibus enormibus, utpote perduellionis, Majeſtatis, qui ſi erumpant & evadant, nec in vincula conjici poſſunt, profugi ſunt & vagi, nihil ominus ſententia

tentia fertur & executioni mandatur hac procedendi forma, Tabulam patibulo suspensam videbis cum scriptura ab una tabulæ parte rei delictum & sententiam latam indicante, ab altera ejusdem pictura obvelatúque capite in genua procumbente, & à posticâ corporis parte carnificis ictum expectante, ita ut hæc imaginaria & picta executio famæ & fortunis non verò corpori noceat cæteris ignobilioribus & minorum gentium hominibus laqueo gula frangitur. Qui Baronatum emit eo ipso salutatur Baro sine speciali & regia permissione seu diplomate, ut in ordinem Baronum cooptetur. Talis inter Nobilium filios modus familiæ herciscundæ est, Bona in tres dividuntur partes, duas sumit primogenitus, tertiam postgeniti & sororis inter se partiuntur, & hæc secundùm communem regni consuetudinem, nisi alia sit patris testamento facta dispositio. Fit creberrimè ut minores nati filii nomen non familiam mutent, unde magna postmodum prognata familia & assumptione novi nominis confusa sequitur, multitudo, ab ea ut te extrices insignia tibi inspicienda sunt, ex quibus dignosces ex qua familia hi surculi mutato familiæ nomine prodierunt. Stupenda autem est negligentia ipsorum etiam emditorum Gallorum ignorantia, qui ipsi à vobis communiter interrogati de familiis respondere minimè possunt.

XXIX Origo *Feudorum* tum primum in Gallia cœpit, ubi Regnum à Gothis, Wisigothis, & Vandalis aliisque Nationibus Barbaris purgatum esset. Multa verò adhuc hodie reperiuntur in Gallia *mancipia*, ex longo tempore servata,

non

non obstante, quod Ecclesia toties contrà sentiat: & Christianos nulla esse servitute premendos publicè doceat.

XXX. Provinciæ vel terræ, quæ *LL. Romanis* reguntur, quas *jura scripta* vocant, sunt Languedocia, Delphinatus, Provincia, Guiennæ pars. Residua Galliæ pars per *consuetudines* regitur, quæ LL. valorem obtinent. Provinciæ, Regiones & Vrbes suas habent consuetudines, *ius Canonicum* in Delphinatu, Provincia, Lotharingia, aliisque strictè observatur. Vrbes quæ LL. Romanas observant, etiam sua habent *statuta*, quorum restrictio & interpretatio penes Parlamentum est. Iam de Seneschaliis seu Præfecturis in omnibus urbibus sunt Seneschalliæ, & Seneschalli sunt duplices, Militares & Togati, qui Militares præsunt conventibus Nobilium, in quibus deliberatur si opus sit de suscipiendo Regni certamine. Togati reiiciunt causas civiles, & Seneschalli illi quidem sunt, qui apud nos Iudices, & urbium Consules, nisi quod ipsorum officia venalia sunt. Ad constituendum judicium Seneschallius suum habet Assessorem, Consiliarios Procuratorem Regium, Advocatum Regium, ille hunc instruit & imperat, ut Regis nomine has vel illas causas agat. Est item locum tenens generalis & criminalis, in qualibet Seneschallia. Procuratoris Regii etiam officium est convocare proximos agnatos, ad eligendum pupillis tutorem. Item le Iuge de la prevoté, qui cognoscit de rebus levioribus in urbibus & suburbibus & uno ab urbibus lapide circum circa ab eo fit provocatio ad seneschallum. Seneschalli

autem

autem & locum tenentis Iurisdictio per totum Seneschalliæ tractum se extendit. Seneschallus Salmuriensis utroque & Seneschalli & locumtenentis officio fungitur.

XXXI. *Reditus* ac *divitiæ* Regni Galliæ sunt 1. Ex *Mercatura* Parisiens. quò non solùm totius Galliæ opes inferuntur, sed & omnes illæ quæ ex Italia, Anglia, Hispania, Germania, omníque propemodum Europa adferri solent. 2. Ingens lucrum ex *vinis* incolæ capiunt. 3. Ex *frumento*, etiam in Hispaniam exportari solito. 4. Ex subtilissimo *lino*. 6. His accedunt *ferri*, *argenti*, *metallorúmque* aliorum *fodinæ*. Terra quoque in Gallia nulla, quæ non magnum sui præstet usum. 7. Commoditas quoque *fluminum*, quibus tam exportari quàm importari res commodè queant, magna est. 8. Multitudo *Civitatum & oppidorum*, caussa est magni emolumenti. 9. Tanta ex mari *salis* copia extrahitur, ut sal mare totum videatur. 10. Ad Regem *Regni* spectat *patrimonium* alienari prohibitum: quare & *sacrum* dicitur. Excepto casu, quoties assignatio Regum filiis constituitur, cum eorum consensu & Decreto Parlamenti, Ordinúmque Regni. Estque patrimonium hoc totius coronæ, cujus Reges non sunt nisi usufructuarii. 11. Sequuntur *tributa*, non nisi extra ordinem & tempore belli imponi solita, ut militibus alendis sufficiant. Hæc tamen non nisi à tertio ordine, hominibus plebeiis, dantur. Hæc distinguuntur, in *personalia*, *realia*, & *mixta*, quæ scilicet domiciliis plerúmque imponuntur. Ab illis tributis exempti sunt (1.) Ecclesiastici, modo tales maneant. (2.) Nobiles duplicis generis. 1 Ge-

De Potentia, Viribus, Reditibus Regni Galliæ.

nere & sanguine tales, 2. Officiis, utpote familiares & officiarii Regni, illorúmque Fratres Filii, Sorores, modo non exerceant mercaturam. (3.) milites (4.) Secretarii Regii, Rectores Vniversitatum, & Studiosi. Nec non Consiliarii, Advocati, Procuratores, Secretarii, aliique officiales publici. Huc spectat *tributi adiumentum*, propter militares copias ab Henrico 2. indictum, quod ipsum lapsu temporis factum est perpetuum. 12. Auxilia vel *subsidia*, primum facta Iohanne Rege in Anglia captivo, postea perpetua facta & aucta per vicesimum & octavum vino impositum. Vt Gabella salis. Nam sal in horrea Regia certis locis disposita reconditur, pœnâ capitis constitutâ in eos, qui aliunde quam ex his horreis emerint. 13. *Portoria*, nam mercibus è Regno exportandis vectigal primum imposuit Carolus V. quod ab illo tempore perpetuum mansit. 8. *Tributum* à *Francisco* I. constitutum 14. *Decimarum* quoque exactio antiquissima est. 10. *Officia publica venalia*, modus corrogandæ pecuniæ Thuano, aliisque gravissimis autoribus pudendus, de quo abrogando cum An. 1614. consilium haberetur, inventa est ab Ordinibus inde redundans summa 200. Myriad. librarum, quæ summa, cum aliunde restaurari nequiret, nihil actum fuit, quamvis abrogatio sæpius fuerit tentata.

XXXII. Inter tantas tamen opes sæpius thesaurus Regius evanescit, cujus rei plures caussæ. 1. Sumptus bellici, 2. sumptus vicinis & confœderatis populis suppeditati, qui 5. aut 6. haud raro myriades superant. 3. Quod patrimonium Regium sit oppignoratum. Nam ex vectigalibus,

bus, (Tailles) quæ quotannis 19. Myriades dare solent, non nisi 6. Myriades ad Regium ærarium conferuntur, reliquæ intra manus Officiariorum, Quæstorum, & thesauro Prępositorum, subsistunt. Cui rei hodie remedium est quæsitum. Accedunt reliquis, *stipendia & pensiones* officialium, & quæ in Helvetios aliósque confœderatos quotannis erogantur. Ioh. de Laët in Rep. Franc. inde opulentiam atque potentiam Galliæ pulchrè demonstrat. 1. Cum Regnum Galliæ ferè in medio Christiani Orbis situm sit, ideo aptissimum judicatur ad uniendas, & disiungendas, prout placuerit, reliquorum Principum Christianorum vires. 2. Vtrumque ejus latus duo claudunt Maria, sed hoc unicè politicæ rei gnari dolent, quod in tanta navium multitudine Regno periti nautæ desint. 3. Regnum Galliæ ab omni plaga, naturâ & arte est munitissimum. 4. In ipso est fertilitas terræ admirabilis, ut nullius rei sit indiga Gallia, qua opus haberent incolæ. 5. Multitudo navigabilium fluviorum tanta facit commoda, ut Catharina Medicea dicere solita sit, *in Regno suo plura navigabilia flumina esse, quàm in reliqua Europa.* Æstimatur quoque ejus potentia 1. ex ingenti incolarum numero, militum præsertim. 2. ex munitis oppidis & castellis tùm ad limites Regni quàm in ipso meditullio, positis. 3. copiis equitum. 4. tormentorum bellicorum numero. 5. obsequio numerosæ Nobilitatis erga Principem, & singulari in præliis virtute, & immensa gloriæ cupiditate. 6. ex patientia onerum ferendorum apud plebem. Numerantur in Gallia 4. auri attrahendi magnetes 1. Frumentum, 2. vinum, 3. sal, 4. cannabis & telæ; unde

Rex Galliæ Ludovicus XI. dicere solitus; *quod pratum viride Gallia sua esset, quod, quotiescunque fœnisecio opus esset, secare posset*. Et Maximilianus I. Imperator, quod *Rex Franciæ esset Pastor ovium, qui oves suas cum velleribus aureis toties, quoties opus esset, tonderet*. Affirmant Politici, Regem Galliæ adeò potentem esse, ut quotannis ultra millia millionum librarum habere possit. (*Les Estats*) Quod si Mercurius Gallicus tantæ potentiæ junctam semper haberet prudentiam comitem, arbitrii sui Europam facilè redderet. Sed non frustra Poëtæ finxerunt Herculem furiosum, Rolandum fatuum, Achillem iracundum, Martem incautum. Sic magnos non parvus error premit. Cum autem potentia non tam ex pecunia, aut civium multitudine, quàm bono regimine æstimari debeat, notari meretur, quod quidam observarint, Galliam ab eo tempore, quo Regnum est, nunquam esse devictam ab alia gente, nec unquam eguisse auxilio externo. Contra, quantum valuerint foris arma Gallica, memoriæ nostri ævi & expeditio Caroli M. satis loquuntur.

XXXIII. Nobiles & Mercatores, qui subditos & colonos habent, ab iis censum exigere non possunt, quod soli Regi competit. Adhæc reditus à voluntate Regis dependent, cum penes Regem potestas sit pro lubitu tributa imponendi. Quare exactæ redituum in Gallia rationes haberi, ut in aliis Regnis, nequeunt. Cæterum tellus Gallica tam ferax est omnis generis frugum, ut exinde profluens utilitas vix commode æstimari queat. Accedit ad tantas naturæ divitias, & rerum felicissimum proventum, impigra incolarum in labore

bore

bore industria, tum mercaturæ assiduum studium. Quæ omnia adeò Ærarium publicum locupletant, ut Reges Galliæ, quamlibet gravissima olim gererent per multos annos bella, semper tamen aliquot milliones post Fata residuas reliquerint. Reditus Franciæ semper constiterunt in *ordinariis* nummis & *extraordinariis*. *Ordinarii* reditus, & plurimum annui, accedunt ab aliquot annis ad quadraginta milliones florenorum. Reditus autem *extra ordinem*, mediam supra dictæ summæ partem reddebant. Ita ut Rex percipere possit singulis annis ex statu suo sexaginta milliones florenorum, & quod excedit. *Reditus ex Clericis* Franciæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Curiis, & aliis beneficiis per calculum sub Henrico II. examinati præstabant 18. milliones 200. millia florenorum. *Decimæ*, tres milliones. *Dominium Regis* ejusque Coronæ ab impositionibus exemptum est, cum velut sacrum sit, & patrimonium suorum Regum. Neque potest alienari nisi certa conditione; ita tamen, ut iterum ad coronam redeat. Dominium est immutabile, in perpetuis consistens reditibus, qui nec crescunt, nec minuuntur. De quo cum superiùs actum sit, hic nihil addemus. *La taille*, sive tributum, redituum genus est, sub quo certæ continentur species, ut adjutorium, concessio, &c. *Les Aydes*, vel adjumenta, impositiones antiquæ sunt. *Les cinq grosses fermes*, quinque majora vectigalia sive locationes vectigalium. Quæ consistunt in aromatibus & aliis mercibus quæ importantur. *Le fermes de la foraine en Languedoc*, vectigal ex locatione, quod in Languedocia, & aliis Provinciis est. Vt autem

mercatura aliis in locis, ita etiam illa in Gallia velut vena portæ omnium est divitiarum. Quod districtum Parisiorum limites attingentem spectat, magnam nummorum præstat copiam, ex argento quod ex mercibus conflari solet. *Purpura* (*l'escarlate*) quæ Parisiis conficitur, per totam Europam venalis effertur, ut & Asiam, & in ipsam Chinam usque. Frumentarii ingentem faciunt quæstum ex *frumento* & secale, quæ per singulas divendunt partes. *Vinum Aurelianense* non solum mercatores Galliæ, sed etiam peregrinorum, & imprimis Anglorum, allicit nationes. Ipsa *Aurelianensis* civitas propter Germanos & Belgas, illuc tam linguæ addiscendæ, quàm studiorum gratia appellentes, non leves contrahit divitias. Territorium de *Beauvais* parvum habet oppidum dictum *Bule*, unde venit *linum subtilius*, &c. Reperitur quoque inibi terra, ubi vasa, quæ magni æstimantur, conficiuntur, nec minoris sunt valoris, quàm illa, quæ Venetiis venduntur. Notari autem hic merentur præcipuæ Regiones, ex quibus propter rerum variam copiam magna colligi queunt tributa. Terra *Nivernensis* habet ferrum, quod in provincias extraneas exportatur, ut & mille alia affabre ex ferro in Vrbe Niverno confecta. Præter vinum, quod ex *Andibus* in Angliam alióque exportatur, lanificium quoque ibi floret, ex quo ingens summa pecuniæ percipitur, imprimis è mercatoribus Hispanis. Nulla in tota Gallia Vrbs est, plenior mercatoribus quam *Rothomagus*, ubi cives mercaturæ optimam habent cognitionem. Tota *Normannia* florentissimum exercet mercatum. *Britannia* lucrum facit ex ferro, plumbo, argento, illiusque

fodinis:

fodinis. *Rupella* pariter divitiis est florentissima, propter viciniam maris quod illam alluit, & commercia Anglorum & Belgarum, qui ibi frequentissimi appellunt. *Xantonia* ex frumenti abundantia magnam pecuniæ elicit vim, quod Hispani propemodum singulis exportant annis. *Angolismenses*, præter triticum, cannabim in magna copia ad exteros transmittunt. *Petrocorii*, ex porcorum frequentia frequentes faciunt nummos, illorum usum etiam Hispanis præstantes. Habent etiam aurifodinas, chalybem, pubémque robustam huic labori aptam. *Lemovices* ingentem habent lanæ copiam, quam extra Regnum ferunt: quamvis autem illorum urbs remotior sit à mari, ut aliis fluminibus commodis minimè gaudeat, floret tamen mercatura nihilominus. *Arvernia* pressam lactis copiam, vulgò caseum, magno exhibet numero; tum vero panni villosi, undulati, tapetum, rerúmque aliarum, ad vestium usum, utilium: Crocum item, & mulos Italiam Hispaniámque petentes. *Burgundia*, frumentum Hispaniæ ministrat, tum Italiæ; ex quo ampla consequitur lucra. *Lugdunum* inter emptoria Galliæ mercatu celeberrima est, ex qua tota Italia, & pars Hispaniæ fretum Gibraltar spectans, commoda sumit. *Le Forest*, mittit opera sua ferri & chalybis per totum ferè orbem, imprimis urbs *S. Stephani*; ubi opifices eximii magno numero, & mercatores opibus affluentes reperiuntur. *Delphinatus* ex frumenti abundantia nummos colligit. Hoc in Hispaniam & Italiam exportatur. Qui montana incolunt, divitias non temnendas parant ex mulorum copia, tum verò equorum, aliorúmque ani-

malium, quæ in Pedemontium & in Italiam devehuntur. Rupicapras quoque, qui argentum bajulant, habent. *Languedocia* ſuum habet glaſtum, quod in varias emittitur Regiones. Hujus rei ſolius uſus mercaturâ communis totam provinciam opulentam reddere poteſt, quod hæc planta ab omnibus Europæ incolis aliiſque tincturæ gratiâ diligenter inveſtigetur, cujus abundantiam hæc Regio abundè præſtat. *Albigenſes* multum pecuniæ è croco ſuo; & magna pars Languedociæ ex oleo olivarum colligunt. Illi qui *Florenſacum* & *Pomerolos & Lauragues* accolunt, copiam quoque frumenti exhibent in Hiſpaniam exportandi. *Monſpelienſes* divitias colligunt ex pharmacis & aquis, quæ extra Galliam portant, quæ ſanè omnium ſunt præſtantiſſima. *Frontinianenſes* & illi de *Cantaperdris* divites ſunt, per illorum vinum dictum *Vin Muſcat*, ex uvis paſſis conditis quæ per totam Europam exportantur. &c. Quod *Provinciam* attinet, illa ex frumento, quod ad exteros mittit, non parva lucra facit; tum ex malis citreis, malis aureis, uvis paſſis, ficubus, aliiſque fructibus. Plena hæc eſt Provincia argento, ex cauſa quotidianorum commerciorum, portuumq; &c. &c.

XXXIV. Adjungam hic tractatum Gallicum qui antedicta mirificè illuſtrat.

Traité du Revenu & deſpence des Finances de France.

Les finances s'appellent communement le Nerf de la guerre & l'Ornement de la Paix. Dont l'Etymologie

tymologie vient d'un vieil mot françois qui signifie mettre quelque chose à fin. Comme si les finances estoient le seul moyen, avec lequel les Roys, Princes & autres peuvent executer & venir à bout de leurs desseins.

Pour faire les finances en France outre ce, qui vient du Domaine du Roy, la premiere imposition, qui ait esté faite, est celle du huictiesme du vin, lequel fut establi sous Chilperic environ l'an 660. & puis l'imposition du sol pour livre sur toutes denrées & marchandises qui fut faite environ l'an 1040. pour retirer d'Angleterre le Roy Iean prisonnier, de plus le Taillon fut estabbli par François I. pour entretenir en chasque Province du Royaume quelques regiments, lesquels licentiés, le taillon ne laisse pas de se lever tous les ans sur le peuple.

Or comme les Parlements donnent ordre aux desordres, Civils & Criminels des Provinces, ainsi les Generalités establies par la France, donnent ordre à la recepte & mise des finances, c'est pourquoy il y a vingt une Generalités, sans conter celle de Blois qui ne regarde que le Domaine du Comte de Blois ainsi qu'il se manioit sous Louys XII. assavoir la generalité de Paris, Soissons, Orleans, Amiens, Chaalons, Tours, Poitiers, Limoges, Bourges, Molins, Rion, Lion, Rouën, Caen, Bourdeaux, Thoulouse, Nantes, Montpelier, Dijon, Aix, & Grenoble; ces vingt une Generalités sont estenduës en quinze Provinces. Sous ces vingt une Generalités il y a 1149. Elections & sous icelles il y a 91885o. Paroisses.

Sçavoir

Sçavoir

Sous	*Elections*	*Paroisses*
Paris	20.	44570.
Soissons	15.	49800.
Orleans	10.	49600.
Amiens	15.	49800.
Chaalons	6.	42600.
Tours	10.	38600.
Poictiers	16.	14800.
Limoges	10.	34900.
Bourges	9.	24899.
Rion	4.	31800.
Lyon	3.	44000.
Molins	—	—
Nantes	—	—
Roüen	21.	44199.
Caën	9.	21800.
Bourdeaux	9.	44560.

Pour la Generalité de Bretaigne elle est composée de dix sept receptes particulieres, qui s'appellent receptes de fouages, à cause que les impositions se font par feu.

Pour celle de Bourgongne, elle n'a autre recepte, que celle de Bresse qui ont esté données par eschange du Marquisat de Salusses.

Celle de Thoulouse & Montpelier sont composées de vingt receptes particulieres & s'appellent la plusspart Dioceses.

Celle d'Aix a huict Bailliages & le revenu du Domaine appartient à la recepte generale.

Pour celle de Grenoble, les derniers se consomment

ment sur les lieux pour l'entretien des garnisons.

Ces cinq dernieres s'appellent Petites Generalités, non qu'elles n'ayent autant d'estenduë, que les autres, mais pource qu'elles portent le moins, & la raison en est, pource qu'elles ont esté submises à la Couronne sous certaines conditions.

Or en chascune desdittes 21. Generalités, il y a dix Thresoriers de France, excepté en celle d'Amiens, Rouën, & Montpelier, où il n'y en a qu'Vn en chascune & en telle de Nantes seulement deux, en celle d'Aix sept, en celle de Grenoble cinq, qui font en tout 167. Thresoriers de France. Toutesfois il n'y a des Esleus, qu'en celles, où il y a des Elections, qui sont les quinze premieres Generalités cy devant nommées.

En la pluspart des Elections il y a dix Esleus; mais pour en avoir le nombre au vray, on le peut estimer à neuf, l'un portant l'autre, tellement que le nombre des Esleus de France viendra à 135.

Quant à ce qui est des impositions & levées des deniers, on expedie premierement une Commission aux Esleus de chasque Election avec une lettre de cachet du Roy, pour faire leur chevanchée au commencement de Novembre, connoistre du bien & du mal des habitans du plat-pays. Si tost que les Esleus l'ont reçeuë, ils dressent un Estat de la valeur des finances, l'addressant aux Thresoriers generaux, adjoustans ou diminuants à l'année precedente suivant la commodité ou incommodité qu'ils ont reconnuë par leur chevauchée, & arrestent & signent cet état.

Le Roy au commencement de sa Couronne

prevoyant

prevoyāt la despense qui luy convient faire tous les ans pour la conservation de son Estat & Entretien de sa maison en fait un abbregé, qui s'appelle Project, lequel il signe de sa main.

La somme totale en a estè arrestée & estimée à 7999404567. ℔.

Outre l'argent du Domaine de la Couronne, le Roy leve ses Tailles & ses fermes ordinaires. Or afin que vous connoissiez l'argent qui se leve sur le peuple & ce qui en revient aux coffres du Roy, considerez que le revenu des huict années peut monter à peu prés à 899999998. ℔. de quoy n'en revient aux coffres du Roy que 44569990. ℔.

L'estat des deniers de la grande taille és seize premieres Generalités est tel

	Sçavoir
Paris fournit	9456700. ℔.
Soissons	6545090.
Orleans	2367934.
Amiens	4456797.
Chaalons	6732267.
Tours	8894567.
Poictiers	8456732.
Limoges	7567945.
Bourges	1157923.
Molins	3514534.
Nantes	4579673.
Rion	5600000.
Lyon	9956795.
Roüen	9956000.
Caën	7045670.
Bourdeaux	8956745.

Somme desdites 16. Generalités.

La

La Generalité de Bretaigne porte seulement pour la grande taille & creuë des Prevosts 45670395. ℔.

Thoulouse & Montpelier pour la creuë des Prevosts des Mareschaux, gages d'Officiers, le tout payé revient à 4567565. ℔.

Dijon pour la Generalité de Bourgogne revient à la somme de 5756794. ℔.

Aix pour la Generalité de Provence porte 756799. ℔.

Grenoble pour les gages d'Officiers sur les lieux & pour entretenir les garnisons 5679955. ℔.

Somme des cinq dernieres Generalités.

Recepte Ordinaire des deniers, qui se levent pour la Creuë Ordinaire des Garnisons.

Sçavoir.

Paris	5004567. ℔.
Soissons	235675.
Amiens	456795.
Orleans	234567.
Tours	4504550.
Poictiers	570950.
Limoges	459323.
Bourges	5793456.
Molins	7679459.
Rion	679562.
Nantes	734563.
Lyon	4575649.
Roüen	9795679.

Caën

Caën	534960. ℔.
Bourdeaux	453453.

Somme desdittes Generalites.

Recepte des Fermes de France;

Premierement.

L'estat de ces deniers s'appelle la Premiere recepte de l'Espargne, la seconde est celle des finances. Quant aux fermes de France, elles se donnent au Conseil au plus offrant & dernier Encherisseur pour 345679456. ℔. ou autre somme, & apres cela les fermiers sont tenus d'apporter immediatement ces deniers entre les mains du Thresorier de l'Espargne; ou d'acquitter de quartier en quartier les assignations, qu'ils levent sur eux, tout ainsi, que les Receveurs particuliers & les Collecteurs, chacun au temps arresté, dont toutes charges faites reviendra à 4157955. ℔.

Les aydes & alienations reviennent à 545779

L'impost des Moulins porte 456794.

Somme.

De la Subvention des Villes Franches.

Les levées des drogues & espiceries & le taux de 40. sols pour tonneau de Marchandise, toutes charges payées reviennent à la somme de 2056074. ℔.

Les peages de la riviere de Loyre, toutes charges payées à 2345875.

Les

Les traictes foraines d'Anjou a 199904.₶.

L'imposition de deux escus pour tonneau de vin sortant de Champagne, Calais & Arles, toutes charges payées à 300000.

Des Gabelles du Lyonnois toutes charges payées à 899945.

Des Gabelles de Dauphiné à 456700.

Des 14. ₶. pour minot de sel passant à Rouën toutes charges payées 456700.

Des 16. ₶. pour minot de sel passant par Ingrande à 100020.

Des Gabelles de Languedoc toutes charges payées, le tiers estant affecté aux debtes du Pays à 4456799.

De la ferme de vin de Bretaigne dont le tiers est affecté aux debtes du pays revient à 1209990.

Et des deux autres rachapts du domaine à 57959456.

Des 60. sols pour minot de sel que se prend à Brovage 456795.

De la contribution des 16. sols pour minot de sel entrant en Bourgogne revient à 57795999.

De la ferme de la Connestablerie de Bourdeaux 62956799.

De l'escu 8. sols du tonneau de vin entrant à Roüen à 456794567.

Des dix neuf cens mille ₶. dont le pays de Languedoc fait present au Roy tous les ans.

Le grand parti du sel toutes charges payées à 8999809.

Les droicts qui se prennent sur la riviere de Loyre à 8999809.

Sur

Sur la riviere de Charente à 5455679. ₶.

Le long de la riviere de Vienne à 579590.

Les gabelles de Dauphiné montent à la somme de 2045679.

Le quart affecté au rachapt du Domaine de Dauphiné & le surplus pour l'entretenement des garnisons à 55795679.

Somme

Recepte de l'Espargne.

Paris	1257956. ₶.
Orleans	579575.
Soissons	579575.
Lyon	5795534.
Roüen	9578955.
Caën	534579.
Chaalons	579523.
Tours	657997.
Amiens	456793.
Poictiers	599345.
Limoges	463456.
Bourges	579567.
Molins	234579.
Rion	457934.
Bourdeaux	9577456.
Thoulouse	5734567.
Nantes	5795670.
Montpelier	455797.
Dijon	567934.
Aix	579457.
Grenoble	579575.

Somme

Somme

Somme totale tant de la recepte de l'espargne que des autres receptes cy-dessus revient à

C'est ce qui fait cette mer de finances, ou autrement l'espargne, dont la distribution se voit au chapitre suivant.

Chapitre de la Despense.

Ce qu'il faut pour la bourse du Roy	579594. ℔.
Les gages des Officiers	5795679.
La grande Escuyrie	579509.
L'argenterie	5794567.
La Venerie	579567.
Les menus plaisirs du Roy	455950.
Les menus dons & recompenses	795679.
Les cent Gentilshommes du Roy ordinaire de sa maison	5797956.
Les grosses estrenes	579500.
Les chevaux & oyseaux	5795799.
Comptans és mains du Roy	55794567.
Les offrandes & aumosnes	557954.
Le prevost de l'hostel	579579
Les pensions	5756755.
Maison de la Reine Mere	1150000.
Maison de M^r frere du Roy	1509567.
Maison de Mesdames sœurs de S.M.	456795.
Les Ambassadeurs	5795679.
Les gardes du Corps tant François que Suisses	4567990.
L'Angleterre & Pays-bas	4500000.
Les garnisons	5795000.
Les autres gens de guerre	5795629.

L'artillerie outre la somme employée dans

 l'estat

l'estat des finances	5679004. ℔.
Marine du Levant	5795670.
Fortifications & reparations	5795670.
Marine du Ponant	5455679.
Ports & chaussées	5795679.
Les Seigneurs des Ligues des Suisses	5795629.
Le grand Duc pour debtes	579560.
Duc de Guise pour debtes	579567.
Le Duc de Mantouë	579560.
Le Comte de Chaumbro	895679.
Le Duc de Vendosme & Madame de Mercœur	5295679.
Vanel & Gondy pour debtes	579567.

Somme

Debtes en Languedoc.

La somme de	54556795. ℔.
Les Voyages	6795797.
Rentes à Rouën	5795679.
Parties Inopinées	579567.

Somme

Somme totale de la despense

Laquelle somme a esté arrestée y compris les charges tant sur les Generalités que sur les fermes le tout revenant à

Qui se leve annuellement en France.

Reuenu du Clergé de France.

L'Eglise Gallicane n'est doüée pour le present que

que des douze Archeveschés, qui sont, Lyon, Sens, Rouën, Beauvais, Tours, Bourges, Bourdeaux, Thoulouse, Nantes, Narbonne, Vienne, Aix.

Sous lesquels Archeveschés sont contenus quatre vingt dix sept Eveschés ou Dioceses, garnis de six vings onze mille Curés ou Paroisses.

En ce grand nombre de Paroisses se trouvent quatorze cens cinquante six Abbayes & douze mille, trois cens vingt & deux Priorés, & deux cens cinquante neuf Commendairies de Malte, cens cinquante deux mille chappelles, sans comprendre en ce premier denombrement les Abbayes des Religieuses, qui sont en nombre de cinq cens cinquante sept.

Outre ce se trouvent sept cens Convents de Cordeliers, sans conter les Iacobins, Carmes, Augustins, bons hommes, Cœlestins, Benedictins, Chartreux, Cappucins, Iesuites & autres Religieux, desquels le nombre est de quatre cens soixante dix sept mille.

Tous lesquels Ecclesiastiques assemblés tiennent cent quatre vingt mille places, chasteaux & maisons, toutes ayans justice haute, moyenne & basse.

Sont fournies toutes lesdites places de deux cens quarante mille metairies & seize mille arpents de vigne, qu'ils ont entre leurs mains, ou baillent à ferme; en ce non compris quatre cens mille arpens de vigne où ils prennent le tiers ou le quart.

Partant tout bien calculé se trouve que ladite Eglise a de revenu annuel en deniers contens,

 clairs

clairs & liquides la somme de quatre vings douze millions d'Escus, sans y comprendre les reservations, qu'ils font par leurs bans à ferme, qui sont en nombre du contenu cy apres.

Premierement ils se reservent six mille septiers de froment du meilleur qui soit. De seigle deux millions trois mille septiers. D'avoine neuf cens mille septiers. D'orge huict cens mille septiers. De pois, febves, & autres legumes, huict cens soixante mille septiers. Item douze mille sept cens bœufs gras, douze cens mille moutons, cent trente six mille pourceaux : cent quatre vingt mille chappons ; cinq cens soixante cinq mille poules ; quatre cens mille cocqs d'Inde ; trois cens cinquante mille cochons ; quinze cens mille pigeonneaux ; sept cens mille oyes & oysons. Item reservent trois cens trente mille quintaux de beurre ; cinq cens mille quintaux de fromage ; huict cens mille quintaux de chandelles ; cinq cens mille quintaux de foin ; huict cens mille chartées de paille, deux millions chartées de bois, deux millions cinq cens chartées de charbon, sans conter le poisson, l'huile, & plusieurs autres choses qui sont longues à deduire par le menu.

Somme de ce qui est seulement specifié cy dessus par le menu & au meilleur compte peut revenir à onze millions, cinq cens mille escus. Some totale de ce qui est de revenu tant en deniers contens clairs & liquides, que des reservations, se monte à cent trois millions six cens mil escus.

Sur lequel revenu le Roy bien conseillé peut

aisement

aiſement entretenir en ſon Royaume pluſieurs gens doctes & ſavans pour inſtruire & enſeigner ſon peuple au devoir & au ſalut de leurs ames, & outre en toutes Claſſes & Colleges ſeroyent eſtablis & entretenus bons & excellens perſonnages, Profeſſeurs, Docteurs & Regents, pour monſtrer & enſeigner toute ſorte de loix & diſciplines & leur augmenter les gages d'un tiers.

De plus pourroit faire le rachapt de ſon domaine avec accroiſſement des Gentilſhommes de ſa maiſon; augmentation des payes, des gages d'archers de ſa garde, du Prevoſt de l'hoſtel & autres Prevoſts.

Entretiendra deux armées tant par mer que par terre ainſi que s'en ſuit.

Le Roy aura cinq cents Gentilſhommes de ſa chambre avec leur equipage qui ſont à chacun trois chevaux & un ſommier.

Et ſix cens archers de ſa garde, qui auroit chacun quatre eſcus par mois.

Deux mille Suiſſes, qui ſeront pareillement entretenus & bien payés.

Aura auſſi un Conneſtable avec ſon train d'equipage, ſon Prevot, & cent archers.

Le grand Eſcuyer avec le train de la grande Eſcuyrie; L'autre Eſcuyer de la petite Eſcuyrie avec le train d'icelle.

Le grand Maiſtre de France avec ſon train & equipage, & avec luy tous les Officiers domeſtiques qui ſeront en quartier.

Le grand Prevoſt de l'hoſtel avec ſon train & quatre cens archers.

Apres levera le nombre d'hommes tel qui s'enſuit.

Assavoir

Vne grande & noble Compagnie de Gendarmes qui sera de douze mille hommes, tous grands Seigneurs & Gentilshommes, sans comprendre les valets, ayants chascun deux chevaux, un d'Espagne, un courtant & un sommier qui est à chacun cinq chevaux, comme porte l'ancienne Ordonnance, lesquels seront tous bien payés par quartier, & leur gages augmentez du tiers.

Vne autre compagnie de chevaux legers en nombre de six mille, aussi bien payés tant en paix qu'en guerre.

Vne autre Compagnie d'hommes Nobles in nombre de huict mille, payés tant en paix qu'en guerre à raison des huict escus par mois.

Vne autre Compagnie d'Infanterie de pareil nombre aussi bien payes tant en paix qu'en guerre à raison de six escus par mois.

De chaque Archevesché sortira douze mille hommes, qui seront tous bien payés, assavoir en temps de guerre à chacun six escus par moix & en paix quatre.

Apres l'armée de Mer sera composée au Levant de Cent galeres & trente fregattes bien fournies de tout ce qu'il luy faut, l'Arsenat d'icelle sera à Marseille avec l'establissement des poudres & salpestres.

L'armée de mer au Ponant sera composée de deux cents navires de guerre & trente navires de descharge & quinze fregattes bien fournies & equip-

equipées, l'Arsenac d'icelle establi à Nantes & à la Rochelle pour la confection des poudres & salpestres.

Tout ce que dessus bien compté & calculé pour l'entretien du Roy des Grands Seigneurs, Gages d'Officiers de S. M. & Couronne augmentées d'vn tiers, gens de guerre tant de cheval que de pied, compris douze cens mille escus pour les menus plaisirs du Roy, ne se monte que soixante quinze millions, neuf cens cinquante sept mille escus.

Donques reviendra au Roy toutes les années, toutes charges payées & acquittées la somme de vingt sept millions, cinq cens quarante neuf mille escus pour mettre en son espargne; Et ce sans que le peuple paye aucunes tailles, subsides, emprunts, impositions, gabelles, peages, ne autres choses quelconques, hors cinq sols pour la fourniture du sel prix aux mairs.

XXXV. *Rex Galliæ* prætendit I. Integrum *Navarræ*. Ratio: *Iohannes* Rex Navarræ, regno suo per *Ferdinandum* Regem Aragoniæ jussu *Sixti quarti* Pontificis privatus, reliquit *Henricum* Regem Navarræ, cujus unica filia *Iohanna* nupsit *Antonio Borbonensi*, patri Henrici IV. Regis Franciæ. *Hispanus* confitetur propinquitatem succedendi in *Henrico IV.* sed se legitimam occupandi regni causam à Pontifice, qui *Iohannem*, ideo quod contra illum pro Ludovico XII. Rege Galliæ militaverit, excommunicavit, accepisse opponit. II. In Regnum *Neapolitanum*. I. ex adoptione *Iohannæ* I. factâ in favorem *Ludovici Ducis Andegavensis*, consensu *Clementis VII.* appro- *Pratensio Regis Galliæ.*

bata, II. ex teſtamento *Comitis de Maine*. III. ex acquiſitione bellica, qua *Carolum*, Friderici ſecundi ſpurium, *Ludovicus XII.* facto cum *Ferdinando* Rege Hiſpaniæ fœdere, ut uterque medietate regni potiretur, expulit. *Hiſpanus* Papæ, ut Domini Regni Neapolitani, judicium allegat, quo pro Rege Neapolitano agnoſcitur. III. In Regnum *Caſtiliæ.* Ratio: *Henrico* Regi Caſtiliæ ſoror ſucceſſit, quæ filium *Ludovicum Sanctum* reliquit. IV. In Regnum *Portugalliæ*: *Alphonſus ſecundus* duos genuit filios, primum *Sanctium*, ſecundum *Alphonſum*: primo, quod capax non eſſet imperii, abrogato, ſecundogenito, *Alphonſo* nimirum, corona à regni Proceribus deferebatur. Duxit hic in matrimonium *Mahaltildem*, ex qua ſuſcepit *Alphonſum & Robertum.* Primo finito, alter ſucceſſit, ex quo, ſicut dicunt, Illuſtris Domus *Bulionenſis* originem traxit, quæ obvenit *Magdalenæ Laurentiæ de Medicis*, unde *Catharina* modernorum Franciæ Regum genitrix proceſſit. Dictum ſupra eſt, quod Alphonſus matrimonio ſibi junxerit Mahaltildem, hac tamen repudiata *Beatricem* duxit, ex quâ *Dionyſium*, ab *Vrbano IV.* legitimatum, auctorem hodiernorum Portugalliæ Regum progenuit. Prætenſio hæc eſt Regis Galliæ, ſed longa vetuſtate obſita & è longinquo petita. V. In *Aragoniam. Martinus IV.* Papa *Petrum* Regem Aragoniæ, Veſperarum Sicularum authorem, eò quod propter filiam Manfredi fratris, Conradini Regis Neapolitani naturalis filii, in matrimonium ductam in Regnum Neapolitanum prætendere voluerit, Regno Aragoniæ privavit, & de illo *Carolum Comitem Valeſium*, vulgò

de

de Valois, Philippi Regis Franciæ filium, investivit. VI. In Ducatum *Mediolanensem: Galeatius III.* reliquit *Iohannem* filium, qui improlis duas habuit sorores, *Philippam Mariam & Valentinam.* Post mortem primogenitæ, altera ex provisione patris, qui deficiente stirpe masculina, fœmininam juxta propinquitatem gradus succedere statuit, ducatum sibi arrogavit, quam *Ludovicus Dux Aurelianensis* duxit. Sed obtenditur ab *Hispano*, I. quod paterna dispositio ex masculo, fœmineum feudum citra prætendentium & Domini Imperatoris expressum consensum facere non potuerit. II. quod ab Imperatore, tanquam legitimo Ducatus Mediolanensis Domino, Ducatus Mediolanensis investituram acceperit. *Carolus* enim V. Imperator filium suum *Philippum* II. eo investivit. VII. In protectionem *Genuæ, Carolo VI.* delatam. Regibus enim Franciæ citra caussam jus quæsitum auferri nequit. VIII. In superioritatem *Flandriæ, Atrebatium, & Hannoniæ*, quam, loquente historia, Moderatores Fœderatarum Provinciarum à Rege Galliæ, ut Regis vasalli, semper recognoverunt. Nec movetur *Francisci* I. à Carolo V. in prælio prope Ticinum capti & in carcere detenti facta à renunciatione in dictarum Provinciarum superioritatem; quia I. facta hæc fuit citra consensum Parlamenti Parisiensis, cujus authoritas in alienationibus Regiis interponi debet; *Host. in c. dilect. de maior. & obedient.* II. quod extorta fuerit per metum carceris, adeóque propter coactam voluntatem, ex *l. 1. ff. quod met. causs.* rescindi debeat. *Hispanus* ad primum replicat, quod I. ignarus fuerit Privilegii illius Parlamenti, adeóque

adeóque talis ignorantia contractui non nocere deberet, II. quod Privilegium alienationes concernat, ſub quibus ſuperioritatis remiſſio propriè non continetur, III. quod metus carceris juſtus metus non ſit, adeóque contractus carcerati valeat: *vid. Menoch. de arbitr. caſ.* 136. *nu.* 4. *Rol. conſ.* 2. *nu.* 48. *l.* 1. qualis in captivo per bellum eſſe cenſetur, *arg. l.* 5. *de I. & I.* IX. In *Nizzam*, Comitatum Ducis Sabaudiæ, ex jure territorii Provincialis; urbs enim capitalis Nizza in Provincia ſita eſt. Sed *Dux Sabaudiæ* immemorialem poſſeſſionem, cujus titulum nemo allegare tenetur, pro ſe adducit. X. Olim in *Salutiarum Ducatum*, ut Italiæ clavem, ſuper *Duce Sabaudiæ* prætendebat; hinc graviſſimum inter utramque partem exortum bellum, quo *Henricus* 4. Ducem Sabaudiæ toto penitus Ducatu exuebat, eóque illum adigebat, ut commutatione *Breſſiæ* pro Ducatu Salutiarum pacem à Gallo redimeret. *Thuan. l.* 125. *hiſt. p.* 945. Quæ commutatio plurimos in admirationem duxit, quod Ducatum Salutiarum tanquam Italiæ clavem, & magnum Hiſpanis terriculamentum ceſſerit: creditur Breſſiam ideo accepiſſe, quod proxima Galliæ fuerit.

Ratio Status Regni Galliæ.

XXXVI. Ratio Status Galliæ potiſſimum in eo conſiſtit, ut deſtinationes Regis Hiſpaniæ eludat. *Henricus* IV. contra quem omnes ſuas callidiſſimas artes Hiſpaniarum Rex ad ultimum uſque exercuit, qui etiam illarum latebras receſſuſque intimos omnium optimè ſolus per veſtigavit, & revelavit, primus demonſtravit, rationem Status Galliæ in eo ſitam eſſe, ut omnibus Regis Hiſpaniæ conſiliis adverſus ſit: quemadmodum enim

enim prima Regula Hiſpaniæ eſt, Proteſtantes perſequi, illóſque velut prædam occupare; ita prima Status Ratio Galliæ eſſet, *Catholicis* apprimè oſtendere. quantum hic lateat illorum omnium detrimentum: imprimis hoc *Curiæ Romanæ* ad oculum demonſtrandum, ſpem ei per ruinam Proteſtantium expromiſſam, *ærarium eius inde magna habiturum emolumenta*, eo collimare, ut Hiſpania deſtinationes ſuas Vniverſalis Monarchiæ hac ratione promoveat; ad quam ſi perveniat Hiſpanus, Papam certo certius illius ſervum fore, cujus affectata auctoritas nullibi magis conſpicitur, quam cum Chriſtianorum Principum & Statuum par eſt potentia. *Proteſtantibus* autem Principibus & Statibus Gallia demonſtret, quamvis in Religione à ſe diſſentiant, nihilominus malle ſe eorum converſiónem, quàm deſtructionem; aſſeverando illis hoc minimè obeſſe, quominus illis ſuis ſuccurrat viribus ad eorum conſervationem omnibúſque illis liberè reſiſtat, qui in Dominiis & libertatibus eorum quicquam immutare allaborant. Cæterùm, ſicut altera maxima ratio Status Regis Hiſpaniæ in ſtudio *clandeſtinarum explorationum* conſiſtit, ita altera regula Galliæ eſt, eaſdem pariter non negligere, pecuniæ in exploratores & penſionarios non parcere, quo ſciri queat quid rerum in malefida agatur vicinia, infirmi confortentur, timidorum animi firmentur, oppreſſi liberentur, omníque vi ac ope Hiſpanicę explorationes retundantur. Quod tertiam ſpectat Regulam *tractatus* concernentem, non permittendum, ut *Hiſpania* aliis tractatibus ſe immiſceat, niſi ſimul Gallia interveniat; in *Italia*

imprimis,

imprimis, ubi illa sola judicis & arbitri partibus defungi cupit, id quod etiam facilè fieret, nisi Gallia portam in illam intrandi bene obsedisset, quam eò usque Galliæ reseratam habere expedit, quoad potentiæ Hispanicæ resistere, & propugnaculum Christianæ libertatis esse cupiet. In tractatibus quoque cum *Hispania*, adhibendæ sunt personæ constitutionis phlegmaticæ, & quæ non sint moræ impatientes, quod aliàs Gallis proprium esse solet; ut ita Hispanis longanimitate suâ, qua totum fere defatigarunt orbem, proficiendi spem omnem adimant. Quarta ratio vult, vim vi opponi: quippe nec persuasiones, nec justitia armorum, armato legem feret: igitur Gallia omnes alias expensas minus utiles imputare, armísque validis semper se munire debet. Id quod facere potest propriis viribus, nec ab aliis statibus milites, arma vel pecuniam mutuari necesse habet. Per has modo dictas regulas accuratè observatas, Hispanica auctoritas sensim decrescet: contrà Galliæ existimatio in majus promovebitur: quin alij Christiani Principes & Status, cum tantum Hispanorum intentioni oppositam vim animadvertent, animum colligent, & absque metu jacturæ virium, propriæ conservationis suæ caussam libenter amplectentur.

Iudiciũ Politicũ de Repub. Galliæ, ad mentẽ Cl. V. S. P. & aliorum. XXXVII. Sicut Monarchia est optima Regiminis forma, ita Respub. Galliæ eò debet haberi felicior, quò Rex regnat absolutiùs & justiùs; illius tamen potentia absoluta Legibus naturalibus, vel, communi hodie vocabulo, fundamentalibus circumscripta est, modóque gubernandi. Sic autem bona Reipub. forma cognoscitur

tur 1. ex bonis Legibus: 2. bonis consiliis: 3. bonis Ministris omnis generis: 4. abundantia divitiarum & opum: 5. armis & potentia bellica, pedestri iuxta ac equestri, paritérque maritima: 6. locis commerciis commodis: 7. multitudine incolarum: 8. munimentorum numero: 9. exercitio Iustitiæ: 10. militiâ: 11. bonâ politiâ & parsimoniâ: 12. facultate tributa & collectas imponendi habendíque: 13. moderamine sumptuum & expensarum publicarum: 14. abstinentiâ ab immoderatis & continuis, nec non temerariis bellis: 15. confœderatione licita & circumspecta: 16. prudenti belli administratione: 17. Principum aulæ & Ministrorum Iustitia & æquanimitate: 18. amore & benevolentiâ subditorum: internorum dissidiorum & corruptelarum studiosa eversione: 20. morum insigniorúmque populi intime perspectorum accurata notitia. Ex his, qualis sit, & non sit Gallia, judicari potest. Eleganter dixit Boccalinus in Pietra del Paragone p. 101. *Il Regno di Francia è un mare, che si naviga, & una terra, che si semina per tutti i venti.* Quid hoc dicto notare auctor voluerit, prudentiorum judicio relinquimus. Præcedenti pagina ita ad sensum dicit: *Monarchia Gallica plena est infinita Nobilitate, equis armata, quæ non solùm conservat pacem domi; sed quæ omnes orbis nationes timore Regis sui percellit: ubi conspicitur ingens numerus hominum sacrorum, literatorum, mercaturam exercentium, artificum, qui illam præstant divitem, & omniumrerum affluentia fœcundam, &c.* Magna etiam in hoc est Gallicę nationis felicitas, quod nunquam Regem alienigenam

genam experti, ſed ſemper à ſuæ gentis Regibus recti ſint: id quod Cominæus l. 8. his verbis maximoperè deprædicat: *Quo magis opinor ſingulari Dei beneficio factum eſſe, quod imperium Galliæ non defertur ad fœminas, ne ſumma rei penes aliquem extraneum ſit. Nam quamvis Princeps aliquis externus bene rem gerat, & commodè gubernet; tamen quia à moribus & ingenio populi differt, eam erga illum exhibere nequit benevolentiam, ac ſi indigena eſſet; hinc facilè diſſenſionum oriuntur occaſiones. Quocirca qui externæ alicuius Gentis imperium ſuſcipit, niſi magna & eximia quadam ſit præditus dexteritate, multis haud dubiè, & longè graviſſimis implicabitur difficultatibus, ad Miniſtros Regni* quod attinet, de horum quibuſdam ita ſentit auctor. *Expilationes Advocatorum, majores profectò ſunt in Galliis, quam in quavis alia Regione.* Inter alia verò incommoda, quæ Regnum Galliæ vehementiùs affligere ſolent, & erroribus Regiminis adſcribuntur, hæc ſunt primum, quod Galliæ ſubditi tot diverſis de iiſdem rebus promulgatis edictis, gravari ſolent, ac nulla Lex, etiam à præcipuis Parlamentis ſancita, diu duret. Notarunt hunc errorem magni Politici, & inter hos Philippus Honorius in Relationib. de Regno Galliæ. Alterum Reipub. Gallicæ malum inde naſci ſolet, quod cum Reges adhuc impuberes ætate, adeóque imperii, ſecundùm Leges Regni, incapaces ſint; illi, quibus tutela Regis, vicariáque Regni adminiſtratio commiſſa eſt, pro libidine ſuæ omnia agant, & Rempublicam factionibus & magnis calamitatibus involvant, ita ut Regnum

Galliæ

Galliæ nunquam infeliciùs inveniatur, quam cum Tutores Rex ob ætatem habet. Hoc si unquam, certè nostris temporibus sub Ludouico XIV. clarissimum evasit. vid. citat. Honor. Quales sint *Ministri & Consiliarii* Regni Galliæ, quantáque polleant virtute, Philippus Cominæus illud expressit, ita ad sensum. Pactio inter Anglos & Gal-
" los nulla unquam facta fuit, in qua non ingenii
" vi & acrimonia Galli Anglos superarint; ut
" apud Anglos proverbium sit, ubi cum
" Gallis prælio decertarent, victores se ut pluri-
" mum fuisse, quoties verò cum illis pacti sint,
detrimentum semper aliquod accepisse. Idem testatur Bodinus lib. 5. de Repub. Verum ut ut Galli prudentia rerum gerendarum Anglis sint superiores, contra tamen ipsi queruntur Galli, se ab Hispanis consilio & prudentiâ superari, & in fœderibus sæpissimè circumveniri. Ita in Fœdere Cameracensi omnia, quæ annorum 30. victoriæ Gallis perperant, momento ablata sunt, cum tamen viribus superiores Galli fuerint. Ex largitionibus autem nimiis ingens Respub. Galliæ patitur detrimentum; quæ contra LL. à superioribus Regibus eapropter sancitas pessimo tolerantur exemplo. Erat inter alias Leges Francisci majoris, qua cautum erat, *ut ærarii sanctioris 4. claves fabricarentur, ut unam penes se Rex haberet, reliquas, quos ærario præfecisset:* additum huic legi *ne ex arca nummi, nisi præsente ærarii præfecto & scriba, moverentur.* Postea verò, Henrici 2. edicto, Præfecti ærarii hac Lege soluti sunt, ne rationum distrahendarum actione tenerentur; tum verò lata lex est, cum unâ largitione centum aureorum

millia

millia in unum ex ærarii custodibus effusa fuissent. Hinc teste Bodino, fundi Gallici calamitas æstimari debet. Quod si quis cura judicii de Galliæ Regno habendi teneatur, consulat Bodinum, & Iac. August. Thuan. ipsos auctores Gallicos, & non nisi gravissimè de rebus Galliæ judicantes.

Lib.6. mihi p, 10.4.

XXXVIII. Fertur Maximilianus in familiari aliquando colloquio, ad domesticos & aulæ suæ Proceres nobilissimum Galliarum regnum in hanc sententiam collaudasse: *Si per rerum naturam* (dicebat) *fieri posset, ut quis ex hominibus mortalis evaderet* DEVS, *egóque is essem; sic ultimam voluntatem, quantum ad familiæ herciscundæ iudicium, disponerem; ut ex filiis meis primogenitus esset Deus post me, & natu secundus Galliis imperaret.* Quo augustissimo elogio maximus Imperator testari volebat; potentem Gallorum Regem cunctis orbis terrarum Monarchis, Principibus, & Dynastis, honorum palinam facere ambiguam; sed & illius regno nullum aliud sub sole componi, nedum anteponi posse.

H. Bignō de l'excellence du Royaume de France 6.4.

XXXIX. Quod situs Regni Galliæ felicitatem perficit; illa undique libera, & ad totius generis humani commercia terra marique aperta est undique; ac quasi arbitra & Regina in medio sedens, Principum Europæorum arma ad nutum & voluntatem suam unit, dividit, temperat: modo immoderatum petulantius in vicinos grassantium pruritum cohibendo; modo justitiam tenuium valide juvando; ut commodissimum Reipub. Christianæ visum fuerit: ita à fronte terrens Italos; à tergo Britannos frenans; dextera Hispanis compedes crucésque minitans; & sinistra Germanorum

manorum furorem compescens: denique contra quorumvis hostium impressiones & truculenta consilia circumcirca secura; mari Mediterraneo & Oceano duo illius latera claudentibus; montibus quoque Pyrenæis & Alpibus altera duo circumvallantibus; arte naturam, ubi opus est, strenuè adjuvante. Hanc situs ἐξουσίαν terræ ipsius nunquam satis prædicata bonitas etiam exuperat; quæ tanta est, ut nullam aliam mundi regionem sol intueatur clementiùs. Nam quemadmodum vas Cretico vino plenum ex omni parte, si reclinatur, dulcissimum fundit liquorem: sic Francia tota, quanta quanta est, omne genus divitiis infracta, veluti ex copiæ cornu, quaquaversum missilia luxuriantis fortunæ non jacit, sed spargit: ut hanc laudem sibi vendicare possit propriam; creditricem se esse ditionum mundi omnium, debitricem nullius. Cúmque alias communi naturæ lege *non omnis ferat omnia tellus*; sed quælibet singulari quadam dote gaudeat, quæ cæteris sit denegata: soli & uni Franciæ privilegium hoc cœlitus concessum est, ut fertilis sit bonorum omnium, nec apud peregrinos usquam tam rarum earúmque inveniatur quicquam, quod Gallus non sit domesticum & commune.

Bodin. in Resp. ad Malestr.

XL. Inprimis autem quatuor sunt, quæ supra opinionem hominum in Gallia mirificè abundant; videlicet, Frumentum, Vinum, Linum, & Sal: quæ non ineleganter Boterus dixit *Galliæ magnetes*. Vt enim magnes; non tamen omnis, sed cœruleus, & præsertim Æthiopicus, cui laus summa datur, pondúsque argento rependitur; domitricem illam rerum omnium materiam, ferrum attrahit,

Plin. H. N. l. 39. c. 16. Æthiopici argum. est, quod magnetem quoque aliũ ad se trahit.

sistit, & complexu tenet: sic isti Gallici magnetes; qui Æthiopico hoc sunt meliores, quo Gallia est nobilior & cultior Æthiopia; omnem extraneorum pecuniam, omne aurum & argentum ad se trahunt; & Galliam constituunt quasi thesaurariam Orbis terrarum universi. De Frumento quidem dubium nemini esse debet, Hodie certè famelicæ Hispaniæ Gallia tanquam bona nutrix largiter succurrit, & annuis frumentationibus istius, gentis mensam instruit opipare; sed tanto cum fœnore, *ut Hispani directum Peruviæ Dominium, & Galli utile habere videantur*. Vino verò Gallico non opus est suspensa hedera: siquidem illud ingenti pretio comparant, & cottidie immensa copia domum asportant Angli, Scoti, Belgæ, Germani, Dani, Sueci, & quicquid populorum bibacissimus continet Septentrio. Cujus rei argumentum majus habeo nullum, quam quod unus *Lauda* mercator Cameracẽsis, An. M.DLXXVIII. *triginta tria millia modiorum* vini terrestri vectura in Belgium exportari curaverit, tametsi aditus arduos ac multis locis ab hostibus interclusos sibi videret, pretium in singulos modios ut minimum fuit quatuor coronatorum. Ex quo intelligi potest; quanto plura navibus deducantur. Iam de Lino, tertio Galliæ magnete, quibusvis gemmis & lapidibus pretiosis præstantiore, quid dicam? Quem enim in stuporem non conjiciat? herbam esse, herbam tam parvulo semine prognatam, tam gracili avena, vix paulo altius ulna à terra sublatam, nonnulla cum naturæ injuria viribus exutam, audacíque hominum artificio passam tusamque; & in mollitiem lanæ coactam; Vbi autem lini canna-

Bignon. du R. de Fr. l. 1.

Bod. de Rep. l. 6. c. 2.

cannabísque copiosior proventus, quam in Gallia? Vbi quæstus ex telis, velis, rudentibus, & hujusmodi instrumento nautico est amplior? Imò nisi hodiéque Galli vela texerent; unde Hispani equitatus suos ligneos, quos tot tantósque singulis annis in utrasque Indias, mittunt, sint instructuri, non video. Transeo ad Salem, verè omnium condimentum condimentorum; Certè Gallicus, cujus cumulos veluti argenteos quosdam colles non modo terra suppeditat, sed & Oceanus ipse litoribus acervatim alluit, ipso Phœbo statim & feliciter coquente, quantum & à copia & à bonitate longè præstat aliis omnibus? Quantum nummorum quotannis in arcas infert Regias? Nam regiones ad Arcton excurrentes, quot millies millenos modios è salsissima Gallia singulis annis domum vectant? Exploratum enim & experientia diuturna compertum est; nec Belgas, nec Britannos, nec Danos, sale Gallico vacare posse. Et cum antea Imp. Carolus V. Belgas non tantum ab Hispanis sal accipere cogeret, verum etiam Gallico sale uti prohiberet: civitates ac populi, qui ab Hispanis sal emerant, animadverterunt, piscarias merces, quarum amplissimus est in Belgio quæstus, Hispanico sale prope extabuisse, propter acrem nimis & arrodentem salis Hispanici vim ac naturam; importunísque rogationibus obtinuerunt, ut Gallicis salibus, qui vegetiores & suaviores sunt, uti liceret. Vnde sæpissimè navium peregrinarum classes ad littus Celticum appellunt, salium emendorum causa: & quia frumento, vino oleo, cæterísque rebus ad vitam beatius commodiúsque degendam necessariis, abundat Gallia; illi negotiatores va-

Bod. de Rep. l. 6. c. 2. & in Resp. ad Malestr.

cuas naves arena aut lapidibus onerant, ut emere liceat, cum rarius permutare possint. Sudenim salsos inter Galliæ, quidni & Europæ? fontes agmen nobilitatis ducunt illi, qui apud Salinas Sequanorum urbem scaturiunt: ex quorum limfis coquitur sal candidissimum. Accedit ad dotes cumulus; quod, cum in centum marinæ aquæ libris, tres aut summum quatuor libræ salis; in istis tamen Sequanicis salinarum fontibus pari pondere, etiam quarto ac quinto tanto amplius salis, nimirum libræ sexdecim, viginti, & quod excedit nonnunquam, contineantur. Magis item memorabile & hoc, quia mirabile omnino est: quod ibidem loci unus fons plus salis flante Borea deferat; plus alius spirante Austro.

Bignon. du R. de Fr. l. 1. Merula in Cosm. p. 2. l. 3. c. 3.

XLI. Ad tot tantásque Galliæ divitias non parum emolumenti adcrescit ex *oleo, ficubus, malis aureis*, *cytreis*, *granatis*; *pyris, nucibus*; *vitri* item *pastillis* sive *glasto*, *oryza*, *cocco*, *croco*, *nardo*, *thymo*, *myrto*, *satureja*, *Kermesio*, *libanotide* sive *rosmarino* (cujus in Languedocia non minor copia, quam apud nos juniperorum) aliísque aromaticis fruticibus, herbis, & floribus: quibus omnibus non tam ad vitæ necessarios usus, quàm ad delicias & medicinas in certamen usque pleræque provinciæ Gallicæ luxuriant. Sic & pascua lætissima; innumeri ovium, caprarum, suúmque greges, infinita boum armenta; exercitus cervorum, ferarúmque omne genus: atque ludibunda avium domesticarum sylvestriúmque examina; quid utilitatis, quid jucunditatis, quid solidi gaudii non afferunt? *Gallicæ lanæ* jam olim summam

mam nobilitatem habebant. Et nonne nos hodiéque pannos Bituricenses, Parisienses, & alios Gallicos æstimamus; & ex iis elegantiora pallia atque femoralia conficimus? *Insula Arelatensis agri plus quatuor millibus equarum alit; bovini vero pecoris millibus non minus sexdecim quam copiam ego sat scio alibi totis provinciis, iisque cultissimis desiderari*; ait P. Quinqueranus. Camer. M.H. Cent. 2. c. 99. *Metallis* non minùs prægnans est Gallia, quam regiones aliæ: & quidem ferro maximè; optimo pessimóque vitæ instrumento. Siquidem hoc tellurem scindimus, ferimus ambusta, ponimus pomaria, vites squalore decisio annis omnibus cogimus rejuvenescere; hoc figuramus tecta, cædimus saxa, innumerósque ad alios usus ferro utimur: ita ut incolæ insulæ *de los ladrones*, quamvis omni metallo destituantur, à navigiis prætereuntibus, non aurum, non argentum, sed ferrum tantum alta voce efflagitent; non nescii, ferrum inter metalla omnia utilitate primum esse, Sed & eodem utimur ad bella, cædes, latrocinia. non cominus solum, sed missili volucríque; nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato; quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror; quoniam, ut ejus mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennásque ferro dedimus: quam ob rem culpa nobis, non naturæ fiat accepta. Videtur autem natura propterea Galliam ditioribus ferri venis infersisse; ut fortissima & mascula Gallorum natio ex hoc inexhausto armamentario invictas suas legiones perpetuo armare, &, fortuna virtuti famulante, omnibus totius orbis partibus catenas & compedes

Plin. H. N. l. 34. *c.* 14.

innectere posset. Gladii profecto Gallici semper famam, & laudem, & pretium habuerunt.

XLII. O quantum, hominum sub tot tectorum Galliæ myriadibus 27000. nonnulli numerus degit! Quantum capit *Narbo Martius*,

Salve Narbo potens salubritate,
urbe & rure simul bonus videri,
Sid. *muris, civibus, ambitu, tabernis,*
Apolli- *portis, porticibus, foro, theatro,*
nar. Car. *delubris, capitolis, monetis;*
23. *thermis, arcubus, horreis, macellis,*
pratis, fontibus, insulis, salinis,
stagnis, flumine, merce, ponte, ponto:
unus qui venerere jure divos,
Lenæum, Cererem, Palem, Minervam,
spicis, palmite, pascuis, trapetis:
solis fise viris, nec expetito
naturæ auxilio, procul relictis,
promens montibus altius cacumen.
Non te fossa patens, nec hispidarum
obiectu sudium coronat agger, &c.

Et quantum continet *Nemausus*, urbs toto orbe Romano, si Romam excipiamus, antiquitatis venerandæ monumentis, amphitheatro, palatio, delubro Vestæ extra urbem, & admirandæ passim pulchritudinis ruderibus ac fragmentis, quæ cum recentibus Regum ædificiis integris etiam hodie certant; quoque cognomine veterum testimoniis famoso, spectatissima? Quantum amplexu fovet suo *Mons Pessulanus?* qua urbe nihil amænius; cujus civibus nihil humanius, aëre nihil salubrius, territorio nihil fertilius, & nullum fere, quod *Simplicium*, ut loquuntur, *herbarum* majorem

Thuan. H. l. 46. & l. 2. de vita sua.

Mer. Cosm. p. 2. l. 3. c. 37.

rem exhibeat proventum, quæ res maximè Medicorum ordini hunc locum, in quo studiis suis ponerent sedem, commendavit; instituta Academia eo fere tempore, quo Saracenis Hispania pullis Medicæ artes inde cum discipulis Arabum, Avicennæ, Averrois, & aliorum huc feliciter concesserunt. Quantum comprehendit urbs Constantina, sive Gallula Roma, *Arelas*? de qua ita Imp. Fl. Constantinus: *Tanta est loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quicquid usquam nascitur, illic commodius distrahatur. Neque enim ulla provincia fructus sui facultate lætatur, ut non nisi hæc propria Arelatensis soli credatur esse fæcunditas. Quicquid enim dives Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fæcunda Gallia potest habere præclarum, ita illic exhibetur affatim, quasi sibi nascantur omnia, quæ ubique constat esse magnifica. Iam verò de cursu Rhodani & Turoni recursu, necesse est, ut vicinum faciant & pene conterminum, vel quod iste præterfluit, vel ille quod circuit. Cum ergo huic serviat civitati, quicquid habet terra præcipuum; ad hanc vel navi, vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur, quicquid singulis nascitur: quomodo sibi non multum Galliæ nostræ præstitum credant; cum in eadem civitate præcipiamus esse conventum, in qua divino quodam munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præstatur?* Et quantum concludunt *Cæsarodunum* Turonum, *Lugdunum* Segusianorum. Quantum *Rotomagus* Venellocassium, *Condivicinum* Nannetum, *Avenio* Cavarum

Ios. Scalig. in Auson. I. Is. Pont. in Gall. Narbon. Fr. Iur. ad Sym. l. 9. Ep. 16. ubi hanc Constitutionem adscribit Honorio & Theodosio.

Cavarum, atque una Lutetia minor amplissima *Tolosa?*

XLIII. Et quantum hominum complectitur omnium caput Lutetia Parisiorum? *Lutetia* ait Boterus *& populi frequentia, & copia omnium rerum, longißimo intervallo superat orbis Christiani civitates quascunque*: ut lepidi sint Thuringi, qui cum Tityro Virgiliano totum mundum aliquot dierum itinere circumscribunt, & præ Erfordia sua cunctas civitates despiciunt, Erfordiámq; non urbem, sed integram aliquam provinciam & regionem crepant. Multo plus salis miscebat *Franciscus I.* Galliarum Rex, cum is Imp. Carolo V. apud se divertenti, & interroganti, *Ecquæ urbium in Gallia esset primaria? Rotomagum* responderet: replicanti verò Imperatori, *Ecquid Lutetiæ futurum sit? Eam non urbibus, sed propter amplitudinem, & populi rerúmque omnium ingentem vim, provinciis accensendam esse* diceret. Christophorus Dux Wurtembergiæ, Princeps prudentissimus, solitus affirmare; *Lutetiæ non minus hominum, quàm in agro VVirtenbergico universo esse*. Tantóque populo Lutetiano omnis rerum abundantia ita præsens est; ut Vigenerius existimaverit, si à se cœna δωδεκάθεος Lucullo, Pompejo, Ciceroni, & aliis συγχρόνοις heroibus Romanis instruenda esset; se Lutetiæ, & quidem unico tantum die præmonitum; & trium duntaxat hominum, popinarii, dulciarii, obsonatorii, opera adjutum; nec totis mille ducentis coronatis in eam rem insumptis; eo illos splendore & lautitia excepturum; ut sint ingenuè fassuri, se per omnem vitam nusquam cœnavisse melius.

P. Matt. in hist. Henr. 4. G. R. lib. 6.

P. Matt. in H. Hen. 4. G. R. l. 5. natt. 6.

In

In hanc verò ingentem Parisiorum civitatem præter cæteros Reges Henricus IV. contulit gratiæ studiique, quicquid ad auctoritatem, nitorem, amplitudinem illius poterat pertinere; sæpè cum votis luctans, in tot annos vitæ prolongationem exoptando, quibus & Luparam arcem ædificare, & suburbia Parisiensia muris cingere, atque ita de domo & urbe omnium totius orbis, illa elegantissima, ista maxima, gloriari posset. Quapropter illud mundi & omnium divitiarum compendium ullis novis oneribus gravari nequaquam permittere volebat optimus Rex: atque mercatorum Præfectum urbisque Decuriones, qui facultatem indicendi pecuniolas in fontium tubulos, ut epulares sumptus in XL. Helvetiorum Legatorum gratiam faciendos sustinerent facilius, petierant, ingeniosè repellebat; *Alia*, inquiens, *inventione opus est: solius est Iesu Christi, aquam in vinum commutare.* *P. Matt. in H. mortis Hen. 4. G. R.*

XLIV. *Servi peregrini, ut primum Galliæ fines penetraverint, eodem momento liberi fiunt.* Id quod vetere SCto Parisiorum decretum est adversus Legatum quendam Hispanum, qui servum in Galliam deduxerat. Quale & hominum memoria factum: cum mercator peregrinus servum in Hispania coemptum Tolosam secum duxisset; hospésque re intellecta servo persuasisset, ut ad libertatem proclamaret. Rogatione enim ad octoviros perlata, & mercatore accito, advocatus fisci ex Archivis deprompsit antiqua privilegia, quibus servos, simul ac Tolosam ingressi fuissent, liberos fieri constitutum erat. Qua de causa mercator, qui quidem exceptiones suas proponebat, metuebat *Bod. de Re. l. 1. c. 3.*

tamen

tamen, ne servo obsequentissimo, & pretió carere cogeretur, ei libertatem dedit, pactus operas serviles, quamdiu ipse dominus viveret. Consimiliter
Ch. 1552. in obsidione Metensi servus fugitivus hero relicto, & abducto magni pretii equo Hispano, in urbem transierat: quam cum Lud. Avila equitatus Cæsarei Præfectus, tubicine cum literis ad Franciscum Guisium summæ rei in urbe Præfectum misso reposceret; Guisius quidem equum jam divenditum conquiri, & pretio persoluto redemptum ad Avilam remitti curavit; *Quod ad servum,* respondit, *jam in interiora regni penetrasse: cæterum terræ Franciæ id iuris esse, ut quicunque servilis conditionis pedem in ea posuerint, mox libertatem recuperent; quod ius adeo honorificum, & Christianæ genti summopere conveniens, cum violare neque debeat, neque vero velit, ea in parte desiderio eius satisfacere se non posse.*

XLV. Gallis & Francis in unam Gallo-Francorum gentem coeuntibus, circa Ann. Chr. CDLXXX. regnum in Gallia condiderunt, quod ad hæc usque tempora omnium clarissimum & validissimum toto orbe Christiano fuit: ex quo, præter infinita in Rempub. totius orbis merita, prodierunt à Tancredo Normanno, Siciliæ Reges; à Gulielmo Notho itidem Normanno, & Gothofredo Plantageneta Andegavensium Comite, Reges Angliæ; à Lusinianis, Reges Syriæ, Cypri, & Græciæ; ipsa quoque Constantinopoli, Imperii Orientalis capite, à Gallis Imperatoribus longo tempore possessa. In omni antiquitate, etiam in fabulis, nihil cum fortibus istorum Gallo-Francorum facinoribus comparari potest.

potest. Quid enim expeditionibus in terram Sanctam legitur simile? Videor mihi, videre ipsummet *Godifridum Bullionium*, Ducatu suo ob eam causam Episcopo Leodiensium vendito, Francorum exercitum per Germaniam, Hungariam & Græciam, in Asiam & in Syriam usque, nusquam irrito conatu, nihil insidiis & astu Imp. Constantinopolitani, nihil ingentibus fluminibus & inaccessis montibus, nihil sitis diræque famis malo, nihil immensis barbarorum agminibus indomitos animos retardantibus, ad insolitum decus ducentem; centies variis cruentísque successibus dimicantem; Sulimanum Turcorum Dynastam, Chalypham Ægyptium, & tot alios fortissimos barbaros fugantem vincentémque; Nicæam, Edessam, Antiochiam, & tot alias potentes urbes, inprimis Hierosolyma capientem. Sed quanto se ipso erat admirabilior; cum unanimi procerum consensu Rex Hierosolymorum salutatus, decorum fortasse aliis, sibi verò superbum Regis nomen pio invictóque adversus fattum animo repudiaret; nefas esse reputans, *Ea in urbe auream coronam ferre, in qua Christus spineam tulisset?* Quanto se ipso erat major; cum jam Rex, & in obsidione urbis Assur hærens, regulis vicinis munuscula afferentibus & offerentibus, atque ipsum cultu simplici, omnino gregarii militis habitu, sacco stramine pleno humi insidentem, suos quos pabulatum emiserat expectantem, invenientibus, & propterea non sine stupore quærentibus; *Cur tantus Princeps & tam admirabilis Dominus*, (verba Tyrensis Archiepiscopi sunt) *qui ab Occidente veniens totum concusserat Orientem, & regnum maximum*

Lanou. Dis. 21.

W. Tyr. Archi. de bel. Sac. P. Iov. in elog. G. Bolionii.

H. P. 9. c. 20.

maximum in manu valida occupaverat, ita ſederet inglorius, ut neque tapetia neque holoſerica circa ſe more haberet regio; nec ſtipatus ſatellitibus armatis formidabilem ſe præberet accedentibus? reſponſo planè divino duplicaret ſtuporem, & diceret: *Homini mortali ſufficere merito terram pro ſede temporali poſſe, cui poſt mortem perpetuum domicilium ſit præſtitura.* O majeſtatem in humilitatis amore ſummam! O gloriam in pompæ contemptu incomparabilem! O immortalitatem in mortalitatis memoria cœleſtem! Dignus, dignus Godifridus, ille divinus Achilles, ille Chriſti athleta, cui reguli abiturientes, & meliores quam venerant, acclamaverint; *Quia verè hic eſt, qui univerſas regiones debeat expugnare; & cui repoſitum eſt de vitæ merito, populis & nationibus Principari.*

Thu.H.l. 1. XLVI. Mirare *Carolum Martellum*, qui Chriſtiani orbis Tutor Saracenicam tempeſtatem innumerabilium hoſtium occidione diſpulit; *Pipinum*, qui Langobardos Italia ejecit; *Bertrandum Gueſquinatem*, qui Petrum Caſtellę Regem ob tyrannidem omnium odio preſſum regno ſpoliavit, & Henricum Spurium, unde poſtea Iſabella Ferdinando Arragonio nupta genus duxit, portione hæreditaria exutum, Regem cōſtituit: contemplamini *P. Bayardum*, qui facie ad hoſtem converſa mori voluit; *Gaſtonem Foxium*, qui penè prius Dux quam miles, Triumphator quàm Imperator, Ravennatium campos inſigni victoria, ſed fatali ſuo interitu nobilitavit; *Paulum Thermum*, qui per omnes militiæ gradus, egregia cum laude decurſos, ſummam dignationem apud Regem in re tenui ad mortem uſque, certiſſimo vitæ innocenter

Froſſard. l. 1. Mariana de reb. Hiſ. l. 17.

Montaig. l. 2. c. 3. P. Iov. in elog. Foxii.

Th. H. l. 34.

ter

ter actæ argumento retinuit; *Ossunium*, cujus pugnacitas, ut Thermi prudentia, in proverbium abiit; *Carolum Cossæum Brissacum*, qui omnes populares suos Duces, qui signa in Italiam intulerunt, in expeditionibus feliciter suscipiendis, & in bello partis prudenter conservandis, longè superavit; *Blasium Monlusium*, qui nunquam victus est; *Mathurinum Scutum Romegasium*, Equitem Hierosolymitanum, qui tantum nominis sui terrorem toto Oriente sparsit; ut matres parvulis infantibus etiam hodie pro terriculamento ejus nomen inclament: & *Franciscum Lanovium*; quo in Belgis à Vicecomite Gandavensi capto, ac tum promptis fœderatis Ordinibus, Philippo Egmondano Comite & Ioanne Noircarmio dynasta Sellesio, qui non ita pridem intercepti fuerant, dimissis Lanovii libertatem redimere, abnuebat permutationem accuratissimus virtutum animorúmque censor Alexander Parmæ Dux, addito, *Nequaquam se leonem duabus ovibus mutare velle.* In universum Galli omnes armis insueverunt; & inter tubarum clangores, perdentium ac pereuntium hostium clamores, telorum & gladiorum fragores, terrificos tormentorum boatus, semper impavidi, semper imperterriti lætitia exultant, & ultro passim militiæ dant nomen; ac gregarii milites ut duces sint, virtute sua merentur, neque belli ducum tantum, etiam pugnatum & Galli præstent non solùm equitatu, quo omnibus populis præripiunt primatum; verum etiam, quid valeant peditatu; Turci hodie, in Hungaricis expeditionibus serio testati sunt; Sultano ipso à Rege Galliarum per legatum & literas benevolentiæ & offi-

Th. H. l. 35. *B Móluc. Comm. l. 1. & 5.* *Th. H. l. 50.* *Everard. Reid. Annal. l. 2.* *P. Matt. in Hist. H. 4. G. R. l. 6. narr. 4.*

& officiorum pleniſſimas enixe poſtulante, ut ille Gallos ſuos è militia Hungara ſevero edicto domum revocare, & contumaces graviter punire vellet. Non enim gregarios tantùm Gallos viderunt Turci in Hungaria, & ipſos viros inſuperabiles; ſed & ad *Baronis Vaubecouris* Campani, in intercipiendo Iavarino, portam crepitaculo (cuiuſmodi machinarum uſus nondum in iis Regionibus inter Turcas cognitus erat) effringentis, & *Ducis Mercurij*, Albam Regalem capientis, virtutes prorſus cohorruerunt. Quantum etiam aliquando contra Germanos potuerunt Galli, intellectum eſt in obſidione Metenſi, cui Imp. Carolus V. Gallorum & aliorum opinione *le plus grand Capitaine de la Chreſtienté*, ipſe præfuit: cum illi arctiſſimè obſeſſi quoſvis hoſtiles conatus generosè eliderent, & creberrimis eruptionibus alacritatem ſuam probè oſtenderent: Cæſar autem ſatis haberet, inſtructum exercitum tantum oſtentare: quem ubi ſtupefa-
Thu. H. l. 11. ctum & triſtitia mutum in murum apertum inſilire nolle animadverterat, ingemuit ſimul & indignatus eſt, hæc ſubinde verba ingeminans; *Nunc me deſertum à meis, nulloſque circa me homines video.* Ita tunc invidioſum illud Caroli *Plus Vltra*, monſtratoribus Gallis metam invenit Metis, Poëta poſtea Carolino iſti ſymbolo ſubſcribere auſo,

Si metam neſcis, urbs eſt quæ Meta vocatur.

Atque eidem Imperatori Tiercellinus Gallorum vires argute, & cum aliqua punctiuncula objecit, querenti, *Quot dierum itinere Pedemontium abeſſet Lutetia? Si*, ait, *ſingulos dies pro*
Le Mercure Fr. l. 6.

ſingulis

ſingulis juſtis pugnis capiat, fore duodecim; dummodo aggreſſor in prima ſtatim non occubuerit. Nec verò Metis ſolum, ſed & præcipuè *Sancerræ*, & quidem contra Gallos, Galli ſpecimen & exemplum dedêre militari ordini urbis fortiter defendendæ. Oppugnabat eam Carolus IX. Rex, Proteſtantium odio, omnibus viribus; propugnabant obſeſſi animo majori: & quidem fragore tormentorum ex continuata pulſatione, per convalles & vicinas ſilvas reboante, attoniti cervi per media caſtra perrumpebant, & in foſſam uſque penetrabant. Longè tamen crudelior hoſtis *fames* erat, quam hoſtis ipſe. Nam penuria omniũ rerum invaleſcente, ad inſolentiores mox cibos ventum eſt; atque coriis bubulis, pellibus agninis, equinis, caninis, aliiſque conſimilibus victitari cœptum: membranæ etiam & chartæ pragmaticæ, quantumvis putri ſitu obſitæ, tympanorum quoque ac cribrorum pelles in hunc uſum depromptæ: non publicis, non privatis familiarum inſtrumentis ac documentis, quorum jacturam alio tempore tanti æſtimaſſent, in tali anguſtia parcitum: tum paludamenta bubulo corio confecta, capiſtra, antilenæ & poſtilenæ cum equorum ephippiis, zonæ coriaceæ, ventralia, anſæ flabellorum, amenta clitellarum lagenarúmque è nervis bubulis; equorum & boum ungulæ; cervorum, caprearúmque & aprorum pedes olim foribus affixi, oſſa fimetis effoſſa, laternarum cornua; & herbæ noxiæ, neceſſitate ſuggerente, ad victum adhibebantur: palea ipſa minutatim conciſa cum acere, juglandium putamina; cærulei lapidis, quem vulgò *ardoſiam* vocant, tegulares

L. Medices dicere ſolebat. Galliam, ſi ſuarum ſit gnara virium, totum orbem Chriſtianum in anguſtias cogere poſſe.

Le Soldat Fr. Thu. H. l. 55.

lares

lares laminæ commolitæ & tusæ, usum panis præbebant: ex incerniculo sebum, axungia utcunque vetus & rancida, in deliciis erat: oletum quoque per vicos diligenter & certatim collectum: fimus item equorum, omnésque è fimeto sordes ac veteramina, quorum alioqui odore solo nemo non læderetur, in alimoniam subducta. Et ne quod ad extremæ necessitatis exemplum deesset, puella triennis ex fame mortua, & jam elata, de consilio vetulæ refossa, ipsis parentibus cibo fuit; qui tamen, re comperta, Magistratus sententia ad ignem damnati sunt. Ita indies ad XXX. fere fame perimebantur, mortis mora magis quam ipsa morte cruciati. Vt hæc obsidio Samaritanæ famis in sacris literis memoratæ, Hierosolymitanæ à Flavio Iosepho descriptæ, & Numantinæ historiis Romanis celebratæ, quæ vix à multis creditur, fidem adstruat; unaque doceat, *Bellum non esse legitimum modum tollendæ ex Ecclesia scissuræ.* Nam ubi quis religione ducitur, in eo nullum habent momentum vexatio & dolor; isque, si vel in Phalaridis tauro peruratur, exclamabit, *Dulce est, & ad me nihil pertinet.*

XLVII. Nihil nobis in religione laudatum, quod Christianum non est. Sed in eo Gallorum pietatem & religionem extollimus; quia illi primi, aut inter primos, singulari zelo & devotione Christianam religionem propagaverunt; & propemodum soli ex omnibus populis hæreseon monstra quam maximè à finibus suis removerunt. Qua in re Sancti Viri operam præstiterunt fidelissimam: cumprimis *Hilarius* Episcopus

ſcopus Pictavienſis, Arrianæ pravitatis domitor, Hieronymo *eloquentiæ La inæ Rhodanus* dictus; *Sulpitius* coætaneus Hieronymi, *Pontius Paulinus* Epiſcopus Nolanus, *Rusticus*, *Phœbadius*, *Prosper*, *Ecdicius*, *Avitus*, *Mamertus* Viennenſis Archiepiſcopus, *Sidonius Apollinaris* Epiſcopus Arvernorum, *Lupus* Epiſcopus Trecenſis, *Germanus* Autiſſiodorenſis Epiſcopus, *Eucherius* Archiepiſcopus Lugdunenſis, *Salvianus & Gennadius* Preſbyteri Maſſilienſes, *Gregorius* Turonenſis Epiſcopus, *Remigius* Rhemenſis Archiepiſcopus, *Ivo* Carnutenſis Epiſcopus, *Bernardus* Abbas Clarevallenſis, & multi alii. Eccleſiaſticus ibi ordo ad tantas pervenit divitias, ut Lanovii calculo hodie in reditibus annuis poſſideat *ducenties centena millia libellarum*. Equidem cum Caroli IX. Regis juſſu cenſus ageretur bonorum Eccleſiaſticorum in Gallia, *quater millies ſeſtertium (XII. millions, CCC. mille livres)* annui reditus in cenſum relatum eſt, extra pecuniam & gratuitas oblationes. Alemanus, rationum publicarum Prætor, Io. Bodino, curioſius omnia conquirenti narrabat, *Duos fere trientes agri Gallici ad ſacrum Ordinem poſſeſſione vel dominio pertinere*.

Diſc. 22.

Bod. de Re. l. 5. c. 2.

XLVIII. *Lugdunum* à natura factum pro commerciis Europæ atque ita pecunioſum, ut reges Galliæ nonnunquam in neceſſitatibus ad *ſex ſeptem milliones* auri à civibus Lugdunenſibus, & mercatoribus ibi degentibus extraneis, mutuarentur.

*P. Matt. in Hiſt. H.*4. *R. G. l.* 2. *nar.* 2.

XLIX. Floruit etiam in Gallia Literatura Academiis pluribus munificentia Regum extru-

Lip. in Lov. l. 3. c. 8.

ctis: inter quas *Lutetiana* non Galliæ modo, sed totius orbis Regina, & omnium *Europæ Academiarum mater*, virtutis & eruditionis officina, ita semper Innocentii III. Papæ adfectus possedit, ut ex ea una omnes Christiani orbis Episcopos, & ad alias Ecclesiæ dignitates viros idoneos legerit; honestissimo inde elogio hucusque permanente, *Studium Parisiense esse fundamentum Ecclesiæ*. Quod Sorbona, collegium à *Roberto de Sorbona*, Theologo, D. Ludovico Regi familiari, institutum, dum se machinationibus Paparum, in Gallicanæ Ecclesiæ & libertatis Christianæ præjudicium multa novantium, opposuit masculè, sæpe fecit liquidissimum. Stetit omnium nobilissimæ Academiæ laus & illustrium Doctorum numero, & multitudine Studiosorum, *viginti* & aliquando *triginta millium*, inconcussa & potens; donec Iovis Capitolini emissarii & præmiatores Iesuitæ non illi tantum, sed & multis aliis Europæ Academiis florem juventutis subtraxerunt. Lutetianæ autem veluti succenturiantur *Tolosana, Bituricensis, Aurelianensis, Andegavensis, Pictaviensis, Burdigalensis, Monspeliensis, Nemausensis, Rhemensis, Nannetensis, Cadurcensis, Avenionensis, Cadomensis, Sedanensis, Dolana*, aliæ. Ex quibus simul omnibus tanta profluxit eruditorum ubertas, atque in ubertate tanta elegantia; ut cunctarum aliarum nationum laudibus Gallia obscuritatem attulisse videatur. Nostri *Theologi*, præter illos, quos honoris causa antea nominavimus, venerabiles Episcopos & Patres, magnifaciunt *Ioan. Gersonis* insignem παῤῥησίαν *Petri Lombardi* Magistrales sententias; *Gentiani Herveti*

Bignon. du R. de Fr. l. 2.

Le discours sur le restablis. des Iesuites.

Pierre Lombard premiere pierre de l'université de Paris: E Pas. des Rech. de la Fr. liv. 3. c. 23.

veti eruditissimam & commendatissimam in Tridentino Concilio pro honestate matrimoniorum habitam orationem; *Fr. Vatabli*, *Ioan. Merceri*, *Fr. Iunii*, *& Gilb. Genebrardi*, in linguis Chaldaica, Hebraica & Syriaca prius inauditam peritiam; *Ioan. Calvini* vehementem facundiam, *Theodori Bezæ* multiplicem scientiam, *Antonii Sadeelis* suavem subtilitatem; *Frontonis Ducæi* candidam, & ab æquivocationibus Iesuitarum valde alienam integritatem; & supra omnes illos hodie ponunt *Ph. Mornæum*, doctorum nobilissimum, & Nobilium doctissimum; quem virum? quem unum, Platonis, Demosthenis, & Augustini, simul compositorum idea vix exprimat: & quem ego cum Mornæo jure componam, *Iacob. Davium Perronum*, Cardinalem, ingenio, eruditione, dignitate, fama, illustrissimum. *Iurisconsulti* nostri mirantur *Andr. Tiraquelli*, singulis annis singulos liberos ac libros Reip. dantis, felicitatem; *Fr. Duareni*, inter *quatuor Franciscos*, qui eadem ætate eandem scientiam profitebantur principatum; *Æmari Ranconeti*, in omni scientiarum genere simul omnia exactè habentis, quæ singula singulos posteritati commendare possent, excellentiam; *Mich. Hospitalii* in omnibus togæ gradibus virtutem omnem; (qui vir profectò non vultu tantum Aristotelis os, quod ex utriusque imaginum in Gallia passim prostantium comparatione constat, sed Solonis, Lycurgi, Charondæ, ac Platonis denique, sapientissimorum Legislatorum pectus, mores, doctrinam & judicium, quibus longo rerum maximarum usu & experientia confirmatam pru-

Thu. H.l. 2. *Fr. Duaren.* *Fr. Conanus.* *Fr. Hotom.* *Fr. Balduin.* *Thu. H.l. 23.* *Thu. H.l. 56.*

dentiam junxerat, in omni vitæ ſive privata
Thu.H.l. ſive publica actione referebat) *Caroli Molinæi*,
39. cujus lucubrationes apud Gallos pro ratis juris deciſionibus habentur, prærogativam; *Baptiſtæ*
Th. H. l. *Menilii*, à cujus ſententia ſeu rogatione nun-
46. quam ferè Senatus diſſentiebat, animi rectitudinem; *Boni Broaei* judicium acre, & melleam ac vehementem eloquentiam, qui tanta admiratione atque gratia in Curia Pariſienſi ſententias dicebat, ut C. Thuanus affirmaverit, hominem
Thu. in vit. ſua. lib. 1. unum, quamdiu in Senatu fuerit, vidiſſe, cui ſe voce, ore, dicendi facultate, ac toto corporis geſtu, ſimilem mallet: ſuſpiciunt & *Gul. Budæum*, Eraſmi elogio ob raram eruditionem, *Galliæ portentum*; *Fr. Olivarium, P. Fabrum, P. Rebuffum, B. Chaſſanæum, H. Donellum, F. Hottomannum, F. Conanum,*
Thu. in vit. ſua. lib. 1. *A. Contium*, (cujus ſcripta per particulas huc illuc ſparſa in unum corpus colligi, publicæ rei non mediocriter intereſt.) *Ant. Fabrum, Barn. Briſſonium, F. Roaldeſium, Cl. Puteanum, Vidum Coquillium, Dion. & Iac. Gothofredos, An. Robertum, I. Coraſium, P. Bellonum, I. Bodinum, I. Paponem, P. Ærodium, P. Coſtalium, P. Gregorium, P. Pithæum, R. Choppinum, I. Lectium, L. Servinum, Eg. Baronem, S. Forcatulum, Enimundum Boneſidium*, (de
Thu.H.l. quo Cujacius cenſebat, ſi ipſe moriens rogetur,
59. ut olim Theophraſtus; non alium habere ſe, quem diſcipulis ſuis poſſet oſtendere ſucceſſorem) & denique ipſum, qui coryphæus eſſe queat, *Iacobum Cuiacium*, ſeculi noſtri Papinianum. Noſtri *Medici, I. Fernelium, G. Rondeletium, F. Rabeleſium, I. Dalechampium, I. Quercetanum*, & tot alios novos Hippocrates admirantur. Ita omnes literati

celebrant

celebrant *Franc. Foxium Candalam* illustrissima familia natum, *Orontium Fineum*, *I. Penam*, *P. Montaureum*, *P. Ramum*, *M. Nostradamum*, Mathematicos subtilissimos, & præsertim *F. Vietam* profundis meditationibus & inventionum acumine in eo ordine facilè principem: quibus merito sociandus *P. Lescotus*, qui cum iisdem discipli- *Thu.H.l. 65.* nis egregie à puero innutritus esset, demum ad architecturam præcipuè animum appulit in qua supra omnes hujus ætatis architectos excelluit, ingeniíque sui insigne specimen dedit cum aliis ædificiis privatorum, tum maximè *Luparensibus* Regia magnificentia à se designatis; quę utcunque inchoata, nequedum consummata, cuncta palatia Italiæ, quæ summopere hujusmodi structuris luxuriat, stupendi operis magnitudine & elegantia, vel Italorum ipsorum confessione vincunt: concelebrant etiam, & meritissimo, *Iac. Augustum Thuanum*; qui suæ ætatis Historiam summo judicio & fide, sine odio & gratia, ad Dei gloriam & publicam utilitatem, prudentissimè conscripsit; opus & styli elegantia, & gravissimarum rerum copia ac majestate cum quibusvis, sive veterum sive recentium in eo genere scriptis conferendum: *Sammarthanos* item *fratres*, qui Thuanum in toto opere multum opera sua & diligentia adjuverunt; quos publico nomine, atque inprimis *P. Puteanum*, & *N. Rigaltium*, hortamur & rogamus, ut editionem reliquorum necdum publicatorum librorum & lucubrationum, quæ omnia supremo elogio eorum fidei commendaverat Thuanus, pro virili maturent, nec longiori mora Reipublicæ literariæ desiderium & expectatio-

nem summam frustrentur : item *P. Ronsardum*, omnium post Augusti excessum Poëtam præstantissimum; &, cui in Gallica poëtica secundum faciunt, *I. Bellaium*; & tertium, *R. Bellaquam*; nisi tribus hisce *I. Luratum* addere quartum ; & istis quatuor quintum conferre, aut etiam cum aliis præferre voluerimus, illum bellica & poëtica laude illustrem *G. Sallustium Bartassium*, qui *Hebdomade* sua, qua mundi creationem descripsit elegantissimè, orbis literarii meritus est plausum & admirationem, & simul expressit ipsimet Ronsardo perinsigne veritatis testimonium ; quippe publicata *Hebdomade* cum rogaretur Ronsardus, *Ecquid indicaret de libro isto?* dicebat non minùs venustè quam ingenuè, *Monsieur du Bartas à plus fait en une Sepmaine, que ie n'ay fait en toute ma vie:* id est: *Bartassius in unica Hebdomade plus præstitit, quàm ego in vita mea tota :* item *H. Turnebum, & M. Montanum*, veros raræque eruditionis & probitatis Philosophos, (& illum hujus judicio à mille annis inter omnes doctos literatissimum.) *M. A. Muretum, I. Bongarsium, G. Gaulminum, & I. Passeratium*, undiquaque eruditissimos Philologos; *Isac. Casaubonum*, cunctas doctrinarum opes veluti in sanctiore quodam ingenii ærario reconditas habentem ; & illum omnis literaturæ Dictatorem, *Iosephum Scaligerum*, qui

Th. H. l. 64.

S. Goulart. in not. ad Bart. Babylo. n. 32.

M. de Mont. l. 2. c. 24.

———————eruditione
Idumæus, Arabs, Syrúsque, & Indus;
Chaldæus simul, Æthiopsque civis;
quemque Achamenii suum vocarent,
Pelasgus simul, & simul Latinus,
& Graius vetus, & quotidianus;

I. Scriver.

& Thuscus

& Thuscus simul, & simul Britannus;
& quod altera secula obstupescant,
Hispanus simul, & simul Batavus;

L. Verum enimverò & linguam, & doctrinam, & virtutes, & omnia alia miranda, perfecerunt Galli summa naturæ suæ dexteritate; illóque in universis sensibus vigore, apud alios non quærendo, non inveniendo: de quo Iulius Scaliger Italus, homo nequaquam vanus, & judicio limatissimo: *Illud est*, ait, *cumprimis animadvertendum: non esse cum animorum mobilitate coniunctam fidei iacturam. Gallos enim video ad omnia momenta vel eventuum vel disciplinarum promptos, paratos, versatiles: ut semel quicquam vel visum, vel auditum, illico apud eorum ingenia, & deponat & amittat novitatem. In eo ipso penitus exemplo videntur nati atque educati. Qui animorum vigor igneus maturáque celeritas nulli alii nationi data est à natura. Quoquo incubuêre, felicissimè se dant, ocyssimè proficiunt: gnaviter exercent mercaturam, artes, arma, literas, eruditionem, subtilitatem, candorem, eloquentiam. Omnium tamen gentium atque nationum fide sunt maximè integra & constanti.* Cui honorificentissimo testimonio, & Pauli Merulæ, doctissimi viri, elogium in Gallicæ Nobilitatis & literarum gloriam admodum est geminum: *Videre est*, ait, *in Gallia summo loco natos illustribúsque ortos familiis noctes, diésque inhærere chartis, & nunquam non Musarum sacris operari. Novi cum stupore, qui de quacunque re in medium prolata expeditissimè poterant, methodo admiranda, ex tempore & absque ulla præmeditatione, per horas aliquot disserere.* Ex quibus omnibus perspicuum est,

Iul. Scalig. ad Card. exerc. 167. sect. 1.

P. Mer. Cos. p. 2. l. 3. c. 18.

convitia, quæ hinc illuc jaciuntur in Gallos, vel ex livore & malitia, vel ex ſtulta credulitate & ignorantia profecta; adeóque falſum eſſe, quod tradit Servius, *Gallos pigrioris eſſe ingenii*; quod Iulius Firmicus, *ſtolidos*; quod Iulianus, *ſtupidos & ruſticitatem amantes*; quod Polybius, *doctrinæ & artibus operam non dare*; quod idem cum Diodoro, Athenæo, & Clemente Alexandrino, *infidos eſſe, crapulæque & ebrietati deditos*; quod Livius Polybiúſque, *molles eſſe & effœminatos*; quod Mela, *auri avidos, ſuperbos, ſuperſtitioſos*; quod Solinus, *vaniloquos*; quod Plutarchus, *pecuniæ inſatiabiles*; quod denique Cicero, *Gallos minimè ulla Religione moveri.*

P. Mer. Coſ. p. 2. l. 2. c. 11.

LI. Regum Eſt Galliæ ſanctiſſimus ordo quorum tantus honor, gloria, & majeſtas, rerúmque geſtarum tanta eſt copia, ut neque poſſit quiſquam, *ne ſi mentiri quidem velit, maiora confingere*; neque vera conſectans, omnia tam brevi temporis ſpatio perſequi: ſed aut ab ipſo multa, aut ipſum à tempore deſeri neceſſe ſit. Quæ enim illa ſunt encomia, quæ præconia, quæ laudes? *Quanto cæteros homines Regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna regni veſtri culmen excellit*: ait D. Gregorius ad Childebertum Regem. *Reges Gallorum oppoſuerunt ſe tanquam murus inexpugnabilis pro populo Chriſtiano*; ait Honorius III. *Regnum Galliæ eſt quaſi pharetra, quam Chriſtus ſibi circa femur accinxit, ex qua ſagittas electas extrahens, ipſas, ut ſibi gentes & regna ſubiiciat, in arcu brachii potentis emittit*; ait Gregorius IX. *Rex Galliæ eſt Chriſtianiſſimus inter omnes Chriſtianos*; ait idem. *Rex Galliæ eſt Princeps inclyta*

inclyta devotione præclarus, Princeps Christianissimus præcellentium meritorum, athleta Christi strenuus, & sollicitus fidei Christianæ defensor; ait Vrbanus IV. *Rex Galliæ est tanquam stella matutina in medio nebulæ meridionalis, est corporalis quidam DEVS in regno suo, est super omnes Reges, eiúsque umbra totus mundus regitur;* ait Baldus.

L I I. Sed qui potest esse primus magnitudinis Regum Galliæ gradus, Regnum illud ex lege Salica inter colos non distrahitur:

Gallorum Imperii successor masculus esto.

Atque huc natura ducit, & ratio: quandoquidem in viro animus, corpus, vox, visus & omnia sunt robustiora, atque reverentiam creant; in fœmina verò mollia & levia omnia, flectentia magis ad amorem: in illo auctoritas, & majestas; in ista timor, & contemptus: in illo prudentia & constantia; in ista argutiæ; & in decretis sensibúsque Euripus. Et quæ sit iniustitia; viros, quibus divino jure traditum est imperium, sequiori sexui parere? Quæ sit iniquitas; fœminis jus potestatis & imperium denegari in familia privata;

(*Inferior matrona suo sit, Prisce, marito;*
non aliter fuerint fœmina virq; pares.)

& tamen in magna Reipub. familia illis omnem & summam potestatem conferri? Quemadmodum igitur *semper sexus masculinus etiam fœmininum continet; sed exemplo pessimum est, fœminino vocabulo etiam masculos contineri:* ita in imperiis & regnis bene constitutis semper viris fœminæ subesse, nunquam præesse, atque *ab omnibus offi-*

Belluga IC. Hispanus, & Oldradus suæ ætatis decus negant, quemquam in orbe terrarum Principē Rege Francorum superiorem esse. Bod. de Rep. l. 1. c. 9. B. Chass. in Cat. gl. M. p. 5. cons. 30. & seq. Iac. Gothofr. de Præcedentia. A. Fab. in Iuris. Pap. t. 8. pr. 8. Mart. Epig. l. 8. l. 62 ff. de legat. 3. l. 45. ff. de leg. 2. l. 8. ff. de leg. 3. Gæd. ad l. 1 ff. de V. S. l. 2. ff. de R. Iur.

officiis civilibus vel publicis removeri debent. Ac licet ſint muliebris imperii boni & felicis aliquot exempla; & hiſtoriæ commendent *Zenobiam* Palmyrenorum Reginam, *Pulcheriam* Theodoſii junioris ſororem, *Iſabellam* Caſtellanam Ferdinandi Aragonii uxorem; nec ita pridem *Eliſabetha Angla* virtute ſua omnibus bonis Principibus præluxerit; fœmina, præter multas corporis dotes, ſupra ſexum prudens, multíſque literis expolita, Græcè & Hiſpanicè mediocriter, Latinè verò, Gallicè, & Italicè ad miraculum docta; quæ uno & eodem die tribus maximorum Regum Legatis, Latinè uni, alteri Gallicè, tertio Italicè reſpondere audita eſt; de qua, ut & de Henrico Navarro (qui poſtea interfecto Henrico III. rerum geſtarum magnitudine Henrici Magni nomen meruit) perſæpè dicere ſolebat Sixtus V. Papa; *Toto orbe ſe unum virum & fœminam videre dignos, niſi labe ſectaria infecti eſſent, qui regnarent, & quibuſcum ipſe de ingentibus rebus conſilia, quæ animo agitabat, communicaret*, Navarrum & Eliſabetham Anglorum Reginam intelligens: attamen *Athaliæ & Laodices*, toties parricidarum, & toties culeos meritarum; *Cleopatræ* Ægyptiacæ, *Meſſalinæ & Fauſtinæ* Imperatricum, *Fredegundis* Gallicæ, *Ioannarum* Neapolitanarum; quæ omnes omniũ flagitiorum ſordidæ fuerunt cloacæ; & tot aliarum ſæviſſimarum tigridum, atque impuriſſimarum luparum, infelix memoria, nigrum theta fœmininis ſceptris præfixit.

C.Ens in H.Belg. to.4. l.8.

Thu. H. l.82.

LIII. Deinde, quod aliud & eminens privilegium eſt; *Reges Galliæ non moriuntur.* Quę

cauſa

causa erat, cur Reginæ Mariæ proximè inopina mariti morte consternatæ, & exclamanti, *Helas! le Roy est mort*; Cancellarius actutum responderit; *Vostre Maiesté m'excusera; Les Rois ne meurent point en France*. Non moriuntur autem: quia nascuntur, non eliguntur. Et sicuti in omni successione, Gallorum loquendi formula, *le mort saisit le vif*: ita in regno, ubi

uno avulso non deficit alter,

agnatus proximus, si vel millesimo distet gradu, jure sanguinis protinus succedit. Quod non solum utrinque inter Principem & subditos charitatem fovet & auget: sed etiam interregni tempestates omnes prævenit, & perpetuam tranquillitatem æternitate Regiæ domus firmat. In electione contrà, quæ turbæ? Quæ mala? Quæ adfectuum & respectuum certamina? Quis alienam rem curat, ut suam? Quis electus solutius & minore curà non administrat? Vt quid enim rei nec diu suæ, nec postea suorum, nimis acriter intendat? Quæ sæpe intervenit sententiarum nundinatio? Romanum imperium statim à Claudio, qui primus à militibus electus est, & fidem eorum præmio pignoravit, in vilissima capita & pessima hac venit electione; an palam emptione? Nam & hoc scimus, velut sub hasta venale pependisse; & non aliud magis clarum certúmque exitium rei tum Romanæ fuisse. Interdum etiam qui Senatui placuerat, legionibus displicebat: ac sæpissimè tot Imperatores, quot in provincias exercitus dispersi fuerant, creabantur; ut uno tempore triginta facti sint, cum Zenobia Imperatrice. In Germania nostra quot

Bod. d. R. l. 1. c. 8. Papon. Arrest. l. 4. t. 2. c. 4. Mer. Fr. l. 6.

Bald. in c. 1. de feud. March. n. 5. Bignon du R. de Fr. l. 3.

Lips. in M. Pol. l. 2. c. 3.

Bod. de R. l. 6. c. 5

electio

electio dedit interregna? Quot annos illa post mortem Imp. Friderici II. inter tot capita fuit sine capite? Quis licentiæ, confusionis, fraudum & deprædationum fuit modus? Et quæ bella, pluribus per factiones electis, multoties sunt exorta? Et quæ fuerunt prensationes Caroli IV. Cæsaris? Vendidisset utique is, uti & Wenceslaus, Imperium; modo emptores habuissent. Equidem certè ita deplumaverunt uterque Aquilam, ut hæc cæteris animantibus sit contemptui; & Imp. Maximilianus I. dixerit; *Carolum illum fuisse dissipatorem Imperii, alterum Crassum, Vitricum Imperii; & pestilentiorem pestem Germanis nunquam contigisse.* Quo alludebat Imp. Sigismundi in postremis comitiis, quæ septuagenario proximus Ratisponæ celebraverat, senili libertate habita oratio, cum laudata Romanorum veterum censura confirmatet Ordinibus; *Valde se scire, nihil Imperio esse spoliatius, nihil egentius, adeo, ut qui sibi ex Germanis Principibus successurus esset, qui præter patrimonium nihil aliud habuerit, apud eum non imperium, sed potius servitium sit futurum.* Atque hoc ipsum in Constantiensibus comitiis, in frequenti Procerum consessu, cum gravissima querela repetebat Imp. Maximilianus I. rationibus im medium adductis testatus, *Hactenus se pro S. R. Imperii salute ad centum auri tonnas ex patrimonialibus reditibus erogasse, cum toto eo tempore tamen ab Imperii ordinibus vix quadraginta florenorum millia in accepti tabulas retulerit.* Atqui illos Comitiales imperiorum morbos non patitur Gallia, successioneRegum secura. Atque ut incolumitas eius

W. de Eren. de on. sub. c. 5. n. 42. 43. Spigel. ad Ligurin. l. 5. I. Dubrav. H. Bojem. l. 27.

A. Ch. 1507.

Ger. de Roo. l. 2. Annal. Aust.

tan-

tanto esset durabilior & constantior; Regibus data est summa & liberrima potestas, nemini hominum devincta.

LIV. Porrò legibus soluta potestas Regum Galliæ cum in belli indicendi, pacis firmandæ, legum sanciendarum, creandorúmque Magistratuum jure, & in aliis rebus; tum in indictione tributorum & exactionibus cognoscitur maximè: cum non ordinum supplicare conventibus cogantur, ut alibi fieri solet, sed secundùm Reip. necessitates ipsi arbitratu suo subditis præstationes injungant. Regnum namque Galliæ est pratum florentissimum, in quo pascuntur infiniti ovium greges aureis velleribus, quæ tonderi possunt, quoties pastori libuerit.

LV. Vt Gallia est Europæ lumen, Lutetia Galliæ oculus; ita Parlamentum Parisiense, est Lutetia pupilla; consessus Senatorum totius mundi amplissimus & augustissimus, Principum arbiter, innocentiæ custos, æqui & iniqui judex: quod tanquam illustrissimam majestatis Regum Galliæ effigiem cum admiratione viderunt Sigismundus, & Carolus V. Imperatores; atque Reges Portugalliæ, Neapolis, Siciliæ, Scotiæ, Navarræ. Nullum verò justissimi Consistorii majus argumentum est, quam quod Reges & Principes exteri ab extremis Germaniæ, Italiæ, & Hispaniæ oris ad illud, velut ad vitæ Themidis templum magno concursu non raro confluxerunt. Imp. Fridericus II. controversias, quæ illi cum Innocentio IV. Papa intercedebant de regno Neapoleos, ad hunc senatum detulit, ita Comes Namurcensis ibidem causam egit adversus Carolum Valesium, pro Comitatu

P. Matt. in hist. H. 4. G. R. l. 3. nar. 1.

Est Pasqui. des Recher. de la Fr. l. 2. c. 2. Bod. in M. H. c. 6

mitatu Namurcensi; non veritus gratiam tanti Principis, quem judicio superavit, ibi consimiliter Philippus Tarenti Princeps Burgundiæ Ducem vicit, cum ageretur de sumptibus factis pro imperio Græcorum recuperando, ibi etiam pari voluntate Dux Lotharingus, & Vidus Castillionæus ejus sororius, familiæ herciscundæ judicium acceperunt, ibi Delfinus & Comes Sabaudiæ, cum de Marchionatu Saluciarum inter se contenderent, & sua se voluntate eò contulissent, Comes judicio victus, ac rursus alio judicio fractus, omnem causam restituere damnatus est, ibi quoque Cameracenses liberi populi in jus vocati, ut rebus à Senatu judicatis acquiescerent, se judicio stiterunt, ibi denique Regum Castellæ & Lusitaniæ fœdera, cum ea non prius vim habitura judicarent, ab amplissimo ordine sancita, & patentibus portis promulgata sunt. Et quod authoritatem ordinis Parlamentarii ab omni macula immunem conservat; nemo unus in purpuratorum ordinem cooptatur, nisi virtute & eruditione illustris per legitimum examen (quod summa doctrina vir Iac. Aug. Thuanus, pallens treménsque subierat) ad dignitatem illam conscenderit; ordinis ipsius privilegio hoc requirente.

LVI. In conferendis Magistratibus & officiis, Regis Ludovici XII. prudentia erat summè admirabilis: qui catalogum sive codicem semper habebat secum, in quem nomina virorum, meritis præstantium, & à se cognitorum referret. Cúmque scribam aliquando, eleganti oratione Aureliis ad se habita pulcherrimè stantem, illi honoratorum codici inscribi curavisset; post aliquod tempus *Monlu. d.l.*

istius

istius Oratoris recordatus, ei Officium *de Inge Mage*, quod Aginni in Nitiobrigibus non est ignobile, ac tum ob mortem curatoris erat vacuum, nihil tale cogitanti, misso diplomate, gratiosè concessit. Exemplum omnibus Principibus ad imitandum proponendum: & ob quod vel unicum *Iusti* cognomentum Ludovico dandum fuisset; cujus tam sancta & venerabilis etiam nunc inter Gallos viget memoria, ut quoties in consistorio Principis, in regni curiis & comitiis, de optimo regimine & rebus in meliorem statum reducendis agitur, toties Ludovici XII. honorifica mentio habeatur. *Thu. H. l. 1.*

LVII. Quid? quod Galliæ Reges, ut omnem suspicionem iniquitatis à se depellerent, æquè ac privati legibus & judiciis patriis acquiescere solent. Et quidem *Ludovicus Sanctus* præter alia multa sanctissima præcepta, etiam hoc filio dedit; ut in causis dubiis ipsum & subditum concernentibus, & in quibus veritatis dispectio sit lubrica & incerta, semper contra se pronunciaret. Sæpè quoque Reges ipsimet judicia exercebant, & Carolus VIII. omnibus septimanis binos dies, ut olim *Ludovicus Pius* ternos, destinabat juri in publico reddundo: idque aditu tam libero, ut nemo vel è fece plebis regio conspectu & affatu arceretur. Rex Chinensis nunquam pedem effert è regia, & plusquam Assyriorum Principum solitudine inclusus otiosam majestatem ineptissima gravitate damnat, ubique per internuncios imperans: at Galliarum Reges in amore civium venerationem sui & imperii sempiternum robur quærentes, omnibus amici, omnibus patres publici sunt; sermone *Bignon du R. de Fr. l. 3.* *I. de Serres in Car. VIII & Lip. in Mon. Pol. l. 1. c. 9.*

mone benigni; vultu, qui maximè populos demeretur, amabiles; æquis deſideriis propenſi; nec etiam iniquis acerbi, acerbi autem? imò clementes ſunt. Quid enim ſtatuit Ludovicus XII. in hoſtes ſuos? Is adhuc Dux Aurelianenſis in diſgratia erat Caroli VIII. Regis; pleriſque procerum & vulgi auram præſentis fortunæ captantibus, & illum averſantibus: ſed Carolo ſubito extincto, & Ludovico ad regnum evecto, cum Aulicus, quidam magnâ fiducia à novo Rege civis cujuſdam Aurelianenſis, qui triſti tempore inter acerrimos
Lipſ. in M.Pol.l. 2.c.12. Ludovici erat inimicos, bona peteret; Rex animo planè regio effatur: *Tu verò aliud à me pete, & meritis tuis gratia erit, de iſto omitte, nam Rex Galliæ non exſequitur iniurias Ducis Aurelianenſis.* Quid Henricus IV. in Pariſienſes, furialibus Sacri fœderis incantamentis in tranſverſum à fidei & obſequii ſemita abreptos, decrevit? Vrbem
Caſaubō præf. in Polybiū. is nec opinantem, tot armatorum millibus ſtipatus, compoſito & modeſto ingreſſus agmine, ſine ulla direptione, ſine ulla noxa ſibi aſſeruit; libertatem illi reddidit; hoſtem externum, cujus præſidio captiva tenebatur, ſine tumultu, ſine cæde, ſine ſanguine, partim novitate exempli, cui ſimile nihil ætas ulla unquam viderat, attonitum & ſtupentem, partim *Benearnenſis* nominis terrore perculſum, & Borbonicæ virtutis fulmine afflatum, exire præcipitem & longè terrarum faceſſere coegit: urbs ipſa, cujus ruinam omnes timuerant, ſola lætitiæ ſignificatione fuit commota; capta fuit, ſe captam eſſe non credidit; victorem vidit & obſtupuit, vitam ſe eſſe non ſenſit.

LVIII.

LVIII. Regum in cives ſuos amor tantum poteſt, ut ipſorum corda & intimos adfectus plerunque poſſideant in ſolidum, atque unico ſæpe verbulo benigno, & intuitu blandulo, veluti potentiſſimo quodam faſcino eorundem voluntates, arcas, & ſcrinia expugnent. Et ut in proximæ memoriȩ exemplis permaneamus, fervor & exundans & undique protuberans amoris, obſervantiȩ, & venerationis civium adfectus, nonne in teterrimo & funeſtiſſimo Henrici IV. parricidio ſatis apparuit? Nonne omnes γνήσιοι Galli in luctum ἀπαρηγόρητον conjecti? Nonne ceu tonitru cujuſdam fragore ſubito & vehemente edito alii repente conciderunt, alii ſtatim expirarunt, vel in morbos inciderunt, quibus mox ſunt extincti? Nonne ſimul ac de Rege palàm factum eſt, omnis ætas, ſexus, conditio, dignitas, parenti communi, & pio quodam in Stygium parricidam furore parentavit? Quilibet ingenium exercebat in excogitandis novis carnificinæ & torturæ inſtrumentis; nemo non *Ravallaci* & corpus & animam Diabolo adjudicabat; *multis indignantibus, monſtro illi hominum remiſſionem peccatorum à ſacrifico annunciari.* *Caſaub. præf. in Opuſc. Io. Scalig. P. Matt. de morte H. IV.*

LIX. Initium Franciȩ experitur talem aëris diverſitatem, ut pars quȩ ad mare Mediterraneum eſt, (ubi ſunt Languedocia, & Provincia) producat omne fructuum genus, quod dat Italia. Ea autem quæ ad Mare Britannicum eſt (ubi ſunt Britannia, Normanniȩ & Picardiæ pars) vinum non profert: reliquum regni abundat, plus quam credi poſſit, omni Europæ fructuum genere, exceptis olivis, ficubus & ſimilibus. Aëris benigni- *Aër Franciæ.*

 tas,

tas, bonitati terrę, & fluviorum oportunitati conjuncta, adeò propitia commodáque est productioni frugum, omnísque generis animalium, ut ea in re Francia omnes alias Europæ partes superet; inter montes enim Averniæ, & Delphinatus & nostrum mare aër adeò temperatus est frigore montium perpetua fere nive opertorum & leni aura marina, ut ob oculos ponat cœli benignitatem, qua gaudet ora Genuensis. Ab alia autem parte sunt Montes Pyrenæi valli loco adversus frigus quod retunditur perdítque suam rigiditatem. Ipsi montes abundant undique balneis & venis aquæ calidæ. Venti Septentrionales, qui, sicut communis opinio fert, aërem refrigerare deberent, non sunt ibi adeò gelidi, sicut aliis locis: capiunt enim venti partem naturæ locorum, per quæ transeunt. Si transeunt per montes nivosos, adferunt secum frigus illorum montium, si per stagna, inficiuntur, si per sylvas, corrumpuntur, si per regiones arent obsitas, incalescunt, si per lacus aut mare, refrigerant. Accidit hinc, ut venti Panormi in Sicilia sint extremè calidi; antequam enim in eo perveniunt, verrunt campos Siciliæ, accipiunt eorum calorem, ferúntque eum in dictam civitatem. Notus est frigidus Genuæ, quod antequam eo pertingat, mare transit, nec attingit terram, recipítque maris frigiditatem. Aquilo autem, qui per Franciam spirat, venit à Mari, quod sua salsitate caloris aliquid habet, nec impingens in montes glacie aut nive obductos, exerit se, currítque per campos Normannię, Campaniæ, Franciæ, aliarúmque Provinciarum ad montes Averniæ usque. Aptior itaque est Aquilo tempe-

temperandæ montium frigiditati, quam ut perdat ſuam temperiem. Ii montes itaque, à ventis Meridionalibus ab uno, & à ventis à Septentrione flantibus ab alio latere excalefacti producunt undique optima paſcua, alúntque magnum armentorum, & gregum numerum: herbas quoque medicinę commodas & ſimplicia perfectiſſima. Inter multos illorum montium ramos, eſt unus, qui mons Aureus dicitur, propter herbarum copiam, & ſimplicium Nobilitatem. Horum omniū nos Anglia certos reddit. Quamvis enim ipſa magis ad Septentriones vergat quàm Francia, quod tamen nullos montes, Mare autem undique habet; eſt ibi aër ſatis temperatus. Multo autem temperatior eſt Francia, quod à Polo longiùs abſit; docent id vites, qui in Anglia non matureſcunt: reddunt autem vites in Francia vina perfectiſſima, accidítque ſæpe, ut ventus marinus à Septentrione, aut ab Occaſu exorſus, hiemen in ver mutet, vireantque campi latis floribus, veſtiantur horti, renovetur tota ferè natura.

LX. Terræ Franciæ tota fertilis & fructifera eſt; Apenninus autem occupat ferè quartam Italiæ partem, eſtque ut plurimum aſper, redditque paucos fructus, ſed fundus Franciæ undiquaque omnis boni dives eſt. Montes Averniæ (qui tamen multi non ſunt) habent multa bona oppida, multa opulenta fertiliáque loca, in quibus ars pecuaria exercetur, inſtruúntque carne, butyro, & caſeis excellentibus bonam regni partem. Regni ferè reliquum explicatur in latos campos, feracibus colliculis, herboſiſque vallibus diſtinctos. Vndique copia cum varietate: fertilitas cum deli- *Fertelitas Franciæ.*

 ciis,

ciis, situs utilitas cum pulchritudine regionum contendit; in hoc absque dubio cedit Franciæ Italia. Quamvis enim in aliquo ejus angulo, amœnitas singularis & excellentia situs perspiciatur, qualis ejus, quæ vulgò Pieve Incini Riviera di Salo Conrado Vicentiæ appellantur, Campania fœlix, Territorium Crotoniense, & Tarentinum, aliquarúmque aliarum civitatum Calabriæ, sunt ea hic singularia, in Francia communia, præcipuè in Burgundia Bria, Insula Franciæ, Turonia, Andegavo, Santonia, Languedocia, ubi apparet situs à natura distinctos esse, compartitos sua manu, aliquos Cereri, alios Baccho, alios Pomonæ, aliquos Palladi dicatos.

Fluvii Franciæ. LXI. Sed alia res visu & consideratione dignior in Francia non est, quam multitudo, & amœnitas fluviorum navigabilium, quorum pars eam cingit, sicut Araris, Rhodanus, Mosella, Soma: pars mediam percurrunt eam, sicut Sequana, Ligeris, Garumna. In hæc tria flumina, influunt partim ex regni extremitatibus, partim ab ejus meditullio, tot alia flumina, ut totum regnum supra modum mercatile, communicationíque rerum aptum reddant, ita ut propter incredibilem commoditatem, quam præbent vecturæ mercium, populorúmque commercio, dici possit, populis illius regni omnia communia esse. In solo Ducatu Andegavensi numerantur 40. flumina magna & parva: unde Catharina Medicæa Regina Franciæ solita erat dicere: in eo regno, plura navigabilia flumina esse quàm in cætero Europæ. Hyperbole sanè, quæ à veritate non longè discedebat. Terræ fertilitas & commoditas, quam flumina ve-

na vehendis devehendísque mercibus præbent, faciunt quod tot urbes & oppida in Francia sint, quæ ut plurimum in ripis fluviorum sita sunt. Quamvis Franciæ multi boníque Portus non desint, meliores tamen civitates, non ad mare, sed in locis Mediterraneis situm obtinent. Ex eo colligitur, ipsarum amplitudinem, non extrinsecus venire, sed quasi domesticam esse; sunt enim civitates maritimæ ibi mediterraneis majores, ubi plus auxilii sustentaculíque à mari quam à terra recipiunt, ut Genua, Venetia, Epidaurus, quæ vulgò Raguza dicitur; Sed ubi civitatum magnitudo & amplitudo essentialiter solúmque dependet à terra, ibi civitates Mediterraneæ excedunt Maritimas. Talis est Mediolanum, & alia Longobardiæ, Flandriæ, Germaniæ & Hungariæ oppida. Cum autem terræ opulentia, communis toti Franciæ, & fluviorum oportunitas generalis sit, accidit inde, ut excipiendo Lutetiam Parisiorum (cujus amplitudo procedit à sede Regis, Curia, Academia, quibus accedit fluviorum vicinitas) civitates & oppida Franciæ, ut plurimum mediocria aut parva sint, oportuna tamen, & pulchra frequentissimáque. Scribit Ioannes Bodinus descriptione tempore Regis Henrici II. facta (in qua non comprehensa fuit Burgundia) numeratos fuisse 27. mille pagos campanalibus instructos; alia autem descriptione, quæ regnante Carolo nono facta est, repertum fuisse, quod habitatorum numerus, 15. milliones excederet. Sicut autem Franciæ civitates & oppida favorem fluminum experiuntur, ita & arcibus villisq; Nobilium privatorum, parvi lacus, stagnáque favent. Quamvis

hujus Provinciæ lacus, Italiæ & Helvetiæ lacubus conferri non possint, sunt tamen in ea tam multa stagna optimis piscibus plena, ut eorum frequentia suppleat magnitudinem. Idem de sylvis dici possit, quæ non adeò spaciosæ, sed frequentes ibi sunt, ex quibus percipiebatur quondam bona census regii pars; sunt autem nunc prorsus oppignoratæ. Habent quoque Nobiles magnos reditus ex suis sylvis propter copiam lignorum pro focis, sed multo majores ex ligno ad fabricas faciendas; nam ob defectum calcis fit maxima ædificiorum pars ex ligno.

LXII. Sunt in Francia quatuor Magnetes, qui foris ad se pertrahunt pecuniam: Frumenta, quæ inde in Hispaniam & Portugalliam vehuntur. Vinum, quod in Flandriam & Angliam & ad Maris Balthici accolas mittitur. Sal, quo toti regno, & regionibus vicinis prospicitur. Provincia quoque sal coquit in Mari Mediterraneo, idque conficit Santonia ad Brovagium, ubi Solis virtus generandi, faciendi & coquendi Sal ex aqua marina cessare, nec ultra Septentrionem versus transire apparet Ex aqua maris dico quia ulterius reperitur Sal, ex aqua fontium, ut in Lotharingia, & ex Fontibus & Minæris, in diversis locis Poloniæ, Angliæ, Germaniæ: ex Minæris quoque effossum fuit in Suecia quamvis nunc cesset. Tribus dictis Minæris additur quartâ, Cannabis & Telæ, quæ quanti census sint vix credi queat. Is autem de eo judicium facere poterit, qui scit quanta ejus copia, instruendis classibus Vlysipponensibus & Hispalensibus evehatur & quantum in vela & funes, qui ex cannabi conficiuntur, insumitur. Sunt ibi

ibi quoque glastum, crocus, aliæque res minoris momenti, quæ quamvis singulæ res supra dictas non æquent, aut rebus supra dictis pares non sint, omnes tamen simul junctæ ad bonam, (& quæ regnum ditare possint) summam ascendunt. Propter has omnium bonorum divitias, dicebat Ludovicus XI. Franciam pratum florens esse, quod ipse metebat quoties lubebat. Maximilianus Imperator solebat dicere, Rege Franciæ esse pastorem Ovium, cum velleribus aureis, quas tondebat, quoties ei opus esset. Certum profecto est, Reges Franciæ adeò potentes fuisse, ut si ingenio, & prudentia, quantum viribus facultatibúsque, valuissent, in ipsorum arbitrio, res Europæ sitæ fuissent. Sed raro accidit ut vires comitem habeant prudentiam, eamque ob rem finxerunt Poëtæ Herculem furiosum: Ludovicus Ariostus Rolandum fatuum, Virgilius Daretem insolentem canunt: Græci autem Barbaros dixerunt omnes populos, qui doctrina & artibus carerent: Homerus Achillem iracundum, Martem incautum, ipsumque reti Vulcani constringi canit. Quæ res enim plus metuenda, aut quæ potentia magis horrenda esse posset, quàm Regni quod intra suos limites abundè pascit 15. hominum Myriades, tantúmque adhuc commeatum habet, quantum ad pascendum sustentandúmque magnum exercitum opus est. Abundantia enim populi, & commeatuum, sunt maximæ cujuscunque regni vires. Romani tribum rusticam maximi fecere, ob hominum frequentiam, & alimentorum copiam.

LXIII. Ludovicus XII. reliquit regnum

auro argentóque plenum, ideóque dictus fuit pater populi. Franciſcus I. quamvis maxima bella gesserit, feceritque infinitas expenſas, reliquit tamen in Theſauro octingenta aureorum millia. Sed Henricus II. ejus filius, Carolum Imperatorem ſuperare volens, ſumenſque ab unoquoque pecunias fœneratitias ad 16. per centum, reliquit filios obligatos ære alieno, ad 30. Myriades aureorum, nec mercatores ei quadrantem credidiſſent. Vnde Carolus IX. & Henricus III. ejus filii, magis tamen hic quàm ille, non ſolum populum, ſed & Clerum gravare maximis impoſitionibus coacti fuere. Vnde videri poteſt, divitias Principi, non æſtimari debere, à magnitudine Redituum, ſed à bono regimine. Franciſcus I. enim, minoribus reditibus geſſit majora bella, reliquitque fidem apud mercatores, & paratam pecuniam filio. E contrario Henricus longè minora bella geſſit, reliquitque regno debita & calamitatem. Carolus VIII. cognoſcens quam neceſſarius eſſet peditatus, inſtituit Phalangem quinquies mille peditum Francicorum, cum numerum Franciſcus Primus.

LXIV. Ludovicus XI. ut pro libitu populum Franciæ tondere poſſet, eum inermem reddidit, conduxitque ſtipendio Helvetios, quam rem imitati ſunt ipſius ſucceſſores Franciſcus & Henricus, uſique ſunt magno Germanorum numero. Sed fallit ſeipſum, qui ſuum populum imbellem fore ſperat, ſi milites extraneos in ſuam ditionem introducit. Vſu enim armorum, & periculorum belli, paratur audacia. Vſus & experientia autem in ſuo regno militibus & populo communis erit,

erit, fiéntque illi pugnaces, si se milites esse profitentur: hos defendendi necessitas bellatores faciet. Sicut enim conversatio cum bonis facit bonos, ita & frequentatio militum facit homines pugnaces. Sunt præterea multa negocia, quæ extraneis committi non possunt, quia non habent locorum notitiam. Multa quoque eisdem ob negocii pondus credi non debent. Quare necesse est, ut populi, in quorum patria, qui manet bellum, partim per necessitatem, aut suam aut Principis: partim propter usum, & experientiam rerum belli, quæ ipsis quotidie accidunt, fiant bellatores, sicut Francię accidit, quę facta pace cum Hispanis (quamvis Helvetii & Germani abivissent) remansit plena militibus Francis, qui in ea omnia sursum deorsum volverunt.

LXV. Quod ad Munitiones attinet non alia est in qua earum major numerus sit, cujus hę sunt causæ: quod cum regnum in plura dominia & Principatum divisum erat, nempe Burgundiam, Britanniam, Andegavensem Ducatum, Normanniam, unusquisque suos fines muniverit. Crevit numerus munitionum bellis Anglorum, qui magnæ Franciæ parti imperarunt. Situs & natura locorum, fortificationi oportunorum, nec minus diligentia & aptitudo populi ad has res reddit faciliorem locorum munitionem. Non alia natio est magis industriosa in muniendo, & quæ labori, sumptibus minus parcat. Nec Francia minus fortis est intus, quàm in extremis finibus. Bellovacum, Trece, Aurelia, Andegavum, Biturigum civitas, quæ vernaculè Bourges dicitur, Limogia, San Florum, Carcassona, Suessionum,

num, non cedunt fortitudine Caleto, Peronæ, Narbonæ, & aliis locis limitancis. Aptáque est unaquaque huius regni pars, ut reliquo regno pro limite sit.

Gallorum mores virtutes vitia.

LXVI. Franci mendaces scribit *Moracius* (ad l.14.§.1.D.de Præscr.verb. ex Salviano l. 7. de Gubernat. Dei) Du Plessis-Mornay Censes memoires p. 167.) de Alenconii conatu locutus in Antvverpiam, addit: Seulement il me desplaist, que nostre nation ait acquis de plus en plus le nom de Desloyale O. perfidæ.) Alexander de Pontaymerus (en image du grand Capitaine. chap. 8.) ait: Credo intra hoc decennium plures proditiones in Galliâ commissas, quàm alibi in cunctis imperiis omnes Historici à diluvio in hunc usque diem adnotaverunt. (Vid.Dn. *Limnæi* T. 4. I. P. pag. 33. 34.) Gallos cognoscimus ab incessu moderato, gestu molli, vultu blando, voce dulcissimâ, sermone facili, moribus modestis, habitu laxo. Sunt in oratione prompti, sed superbi In consiliis sunt inconsiderati Gallus: In victu copiosi: Sunt erga exteros mittes In conversationibus sunt mansueti: Sunt in amore leves. In odiis sunt minaces: In negotiis gerendis solliciti: In militiâ magnanimi, sed præcipites: Insignes sunt civilitate. Citat ex com. Agrippâ de vanit. Scient. P. *Merula* (p. 2. Cosmogr. l. 1. c. 7.) In bellis impatiens Gallus: in consiliis præceps: in victu regius Gallis melleus sermo: Inconstans vestis Gallo: Hostibus insultant Galli: Gallus quod expensas in diem vivit, de crastino haud sollicitus: Salvianus Francos vocat hospitales; Gallúsque excipit hospitio unicum, ejúsque famulos, equos

&c.

&c. eodémque modo etiam tractat illum, qui cum amico venit, quamquam omnino sibi incognitum. Ob insignem animi levitatem quidam Gallos è tribu Levi esse ortos pronunciavit. Proverbium est: Cavendum album Francigenam. Galli impudẽtes, (affronteurs.) Ita in libro cui tit. Scaligerana. &: F. Vti in omnibus nationibus, ita & hic regulam universalem facere haut possumus.

Gallus seu Francus toto notissimus orbe,
 Fædere, justitiâ, religione, fide.
Maternæ cultor linguæ, cultor peregrinæ,
 Grandiloquus, constans, propositique tenax
Militiæ egregius, generoso stemmate clarus,
 Corpore & ingenio vividus ac vegetus.
Dissimulat, simulat, cum tempus postulat, aut
 res;
 Et connivendo plurima cautus agit.

LXVII. Potentia Galliæ hodie consistit in unione virium, quum intra 20. dies possit ab uno extremo regni ad aliud copias mittere: (2) in plurimis fluminibus navigabilibus: (3) quod regnum sit refertum rebus omnibus cùm ad vitam tum bellum necessariis: (4) quod totum uni Regi cum absolutâ potestate pareat: (5) quod populus amet Regem, & in ejus usum 30. auri milliones, non computatis reditibus extra ordinem, singulis annis tribuat: (6) quid Clericos ad societatem onerum cum Laicis ferendorum adigere possit: (7) quòd Nobilitas, quæ 20000. hominum excedit, magno numero semper Regi propriis sumptibus serviat: (8) quia Rex habet nominationem in omnibus regni beneficiis, quorum reditus 25. auri milliones annuatim excedunt, ideóque pluribus *Potentia Galliæ.*

possit

possit benefacere, sine ullâ thesauri sui imminutione. Gallus quidam hodiernam Regis Galliæ potentiam ita describit: j'ay beaucoup de santé, mais il me faut de l'exercice pour m'y maintenir. De potentia Regis Galliæ vid. Vernulæ. Decad. 1. Dissert. Pol. 2. Orat. 3.

Terra hominum frugúmque ferax, armenta gregésque.
Vberibus pascens glebis.

Facta est Carolo IX. regnante descriptio & incolarum numerus milliones quindecim excedebat.

LXVIII. *Hugo Capetus* calatis Regni comitiis Carolum Lotharingiæ Ducem Ludovici Vltramarini filium Lotharii fratrem & Ludovici Carolinæ familiæ ultimi patruum exheredare jussit. Omnium Ordinum suffragiis in Comitiis Noveomagi anno 987. Rex electus est. Magistri Palatii & Ducis Francorum nomina abolevit experientia doctus ministrorum nimiam potentiam Dominis esse fatalem. Toleravit, quia tollere non poterat, Procerum in Provinciis autoritatem: Pares Franciæ instituit, & quia eius frater erat Burgundiæ Dux, Burgundia facta est Parium Decanatus. *Philippus Valesius* successit lege regni, quia erat proximus agnatus, filius scil. Caroli Comitis Valesii, nepos Philippi III. Regis & pronepos Ludovici S. Tunc Angli voluerunt cognatum præferre agnato. Et licet nulla ratione plausibili niterentur, magna tamen Galliæ damna intulerunt. *Ludovicus XI.* animo tectus, consilia altâ dissimulatione obvelans, aulicorum dominus haud mancipium. *Henricus III.* interemit Guisios Fratres, ut extingueret Ligæ incendium,

Mutatio sub Philippo Valesio.

dium, quod tamen inde luculentius exarsit, Magnio cæsorum fratre oleum camino addente. Rex ille magnitudine animi sat clarus, hoc uno infelix, quod factionem adversam vel lentius caverit, vel violentius solverit. *Henricus IV.* Talis evasit, ut si ab eo Veneris nævos aliquos demas, habeas Principem temporis sui perfectissimum. Neminem enim habuit parem magnanimitate, clementiâ, candore, & intimâ erga subditos suos benevolentiâ. Virtute plus quàm Herculea acquisivit coronam quæ debebatur suis natalibus. Sustinuit quatuor generales conflictus, 140. pugnas, & 300. urbium obsidiones, in quibus propria manu dimicavit. Hic Galliæ Hercules bellum cruentissimum gessit contra Gregor. XIV. Innocentium IX. & Clementem VIII. Papas, qui illum excommunicarant, & contra Philippum II. R. Hispan. qui Gallię sub specioso Religionis Pontificiæ asserendę prætextu inhiabat. Cæterùm quum Philippus per Mendozam Legatum suum, Gallis proponeret, ut aut se in Regem eligerent, aut ad minimum illum qui Isabellam filiam suam, adjuncta Regni dote, ducere possit; abalienavit à se Gallorum animos, atque ita Henricus, quum tempori inserviendo Pontificiam amplecteretur Religionem, Regnum præ Hispanis obtinuit, atque ita Galliam, quam lateritiam accepit, marmoream reliquit. Verè hic fuit Hercules Gallicus, qui plura monstra jugulavit, quàm Poëtarum fabulæ Herculi ficto adscribunt. Sub *Henrico IV.* Splendidissimus Sol Franciæ illuxit. Sed hoc delitium Franciæ dum se ad magna accingit, à satellite Orci perimitur, & ita spes Gallicas

licas

licas ruinę obiicit. Iulio Cæsari proponendum par, sed in eo superior, quod ambitionem finibus justè continuit. Tempore infantię *Ludovici XIII.* præceps fortunæ impotentis casus in Marchione Ancræo, Galliæ Sejano, occurrit. Mutatus cum vento aulę cursus, Rex tutelâ liber, Regina Mater afflicta, Luynæus promotus in gratiam; Principes revocati. Sub Cardinale Richelio potentia Gallicana ad summum deducta fastigium: Angli virtute Thorasii Rhea insula pulsi: Rupella obsessa, erectâ mole in Oceano portus clausus, classeque instructa Angli exclusi, pertinacia civium constantia fracta & Rupella tandem ann. 1628. capta. An. 1635. tandem suppressum diutius erupit bellum Franco-Hispanicum, cujus gentis culpa novit Deus, altera odium in alteram repellente. Maxima causa quæ Francum impulit & Trevirensis Elector à Cardinale Hispano in custodiam raptus. Ann. 1636. Piccolominius & Verdanus jam de Lutetiâ deliberarunt; sed excitata veterno Francia hostem pellit, emergítque periculo. Ann. 1638. potentiæ Gallicæ ingens accessit pondus, dum Vinariensis tam fortis quàm felix Brissacum cœpit, & ita à fonte usque in Alsatiam Austriacam Rheno compedes injecit. *Ludovicus XIV.* in iis quæ possidet adeò absolutus, ut ne quidem eius frater possit monetam cudere, vel se DEI gratia Ducem Aurelianensem appellare. Nemo vasallorum Regis habet supremam jurisdictionem exceptâ Ducis Aurelianensis defuncti filiâ primogenitâ, quę à matre accepit Principatum Dumbensem, & ubi monetam cudit & supremam habet jurisdictionem. Sed si morietur

rietur sine prole hic Principatus redibit ad Regem. Rex habet in unaquaque Provincia Gubernatorem generalem, & in locis munitis cuiúsque Provinciæ Gubernatores particulares. Illi Gubernatores huc usque absoluti ferè dominii; nam quotiescunque Rex jubebat illos alteri locum dare remanebant & non egrediebantur nisi armis compulsi & acceptâ pecuniâ. Nunc aliter agitur: Nam etsi Rex non exuat Gubernatores, sine aliquo præmio, ita tamen disposuit res, ut nullus sese nutui Regio possit opponere, & sic hodiernus est Regum, qui in Gallia regnarunt potentissimus & absolutissimus, ut verum sit de hodierno Rege Galliæ illud Glossæ (ad l. 51. D. de Recept.) quod imperativus careat primâ personâ. Geldt/ Volck und Furcht der Unterthanẽ. Hæc tria hodiernum Regem reddunt potentissimum. Hodie ex Regiæ Francicæ Domus lineis nulla superest præter Borboniam, cujus pater communis Carolus Borbonius Dux Vendosmæ. Hoc natus est Antonius Nauarræ Rex, à quo hodiernus Rex cum fratre Duce Aurelianensi. Antonii frater fuit Ludovicus Condœus Princeps, à quo Condæi. Ex hac stirpe Regiâ sunt etiam Longovillani Duces, qui originem ducunt à Ioanne Aurelianensi, Ludovici Ducis Aurelianensis filio naturali.

Magistratus & Dignitates Regni Galliæ.

LXIX. Inter togatos est Cancellarius Regni, cuius officium non auro, ut aliàs, sed meritis comparatur. In huius manu est sigillum Regni, & eligitur ex numero eorum, qui integerrimè justitiam diu administrarunt. Semper habitat

vel

vel in aula vel Parisiis. Dicebatur olim Magnus Referendarius.

Inter Togatos post Cancellarium præcipui sunt Præsides Parlamentorum.

Inter Sagatos primus est Connestabilis, qui cœpit tempore Hugonis Capeti, & omnium Regni militum Princeps. Eius officium videtur hodie abolitum, quum nullus fuerit creatus à morte Lesdiguerii qui obiit ann. 1628. & pluribus illud petentibus fuit negatum, quia Proceres nimis potentes efficiebat.

Connestabilem sequuntur Mareschalli, qui sunt illius Vicarii in exercitu, & itidem tempore Hugonis Capeti cæpisse dicuntur.

Præest omnibus ferè consiliis Regiis, omnia Edicta, quæ in publicum prodeunt, Regio sigillo munit; & sic est velut Arbiter rerum.

In Parlamento sedet ad pedes Regis, & *ejus* voluntatem interpretatur loquendo: Semper apparet purpuratus, sed purpurâ modò violaceâ, modò rubra; & nunquam luget nisi justitia perierit.

Dum erat in aulâ, si occasio id requirebat, solebat gerere ensem Regis evaginatum coram Rege, eius denique habebat custodiam, & illum accipiebat in feudum ad vitam. Nam Regii stabuli Magister gerit eundem gladium, sed in vaginâ, liliis aureis conspersâ.

Mareschalli antea fuerunt duo tantùm, deinde tres; tandem 4. Et tempore Henrici II. quintus creatus est: Nunc sunt modò plures, mòdò pauciores, numerúsque eorum pendet vel ab arbitrio Regis vel à rerum necessitate. Illi omnes sunt consiliarii

Consiliarii Status in rebus bellicis, quamvis non vocentur omnes ad consilia. Dignitas ipsis confertur à Rege baculo præliato, qui ipsis confertur à Rege in præmium virtutis militaris. Hoc baculo Mareschalli fiunt Illustres, & Exercituum necessarii Generales, & Rex scribens ad illos eosdem vocat cousins, id est, consanguineos.

Senescalli sunt Nobilium Capitanei perpetui in Provinciis, qui Nobiles jussu Regis convocant illísque imperant in bello, quod fit aliquando pro Regni defensione, & solâ urgente necessitate.

Pares Franciæ seculares antiqui, qui cœperunt tempore Hugonis Capeti, prorsus defecerunt, eorúmque Principatus sunt uniti coronæ, exceptâ Flandriâ. Hodierni sunt plures, & eorum pauci antiqui. Nam ferè omnes fuerunt creati à Francisco I. vel à suis Successoribus & vmbra tantùm & imaginibus libertatis præ antiquis utuntur. Veteres possidebant provincias æquales vel majores Electoratibus Germanicis, nec nomine Electoribus, dignitate & viribus inferiores. Nunc habent aliquot Baronatus in Ducatus erectos, & gaudent 4. privilegiis, propter quæ sunt aliis Nobilibus eminentiores. (1.) In Regum coronatione seculares talaribus antiquæ formæ & coronâ conspicui gerunt ornamenta Regia, Ensem, cingulum & calcaria; & Ecclesiastici Regem ungunt & consecrant. (2.) Habent votum & Sessionem in Parlamento Parisiensi. (3.) Eorum causæ debent ibidem judicari in primâ instantiâ. (4) Eorum uxores sedent in circulo Reginæ, dum

aliæ ſtare debent. Nullus eorum tegit caput coram Rege; ſed quando Legatus Cæſaris, Regis, Papæ vel Reipubl. Venetæ loquitur, Principes tegunt caput, alioquin frater ipſe Regis non tegit caput, niſi Rex jubeat. Genua tamen non flectunt, nec Regem ut idolum adorant. Principes Regii ſanguinis ſunt primi inter Pares, & tum in aulâ, tum alibi præcedunt omnes reliquos Principes, exceptis majeſtatem habentibus. Sunt & alia coronæ officia recentiora, ſed eximia, quæ poſſidentibus maximum addunt ſplendorem vel in bello vel in aula, magno tamen emuntur pretio. Talia ſunt tria in aulâ (1) Officium Magni aulæ Magiſtri, qui eſt Duc d'Anguien (2) Magni Cameræ Magiſtri, qui eſt Duc de Boüillon (3) magni Stabuli Magiſtri, qui eſt Comes d'Armagnac. Tria ſunt in bello (1) Admiralis, qui eſt Duc de Beaufort in Candiâ jam mortuus (2) Præfecti *tormentorum*, qui eſt filius adoptivus Cardinalis Mazarini (3) Præfecti totius Gallici peditatus. Hoc ultimum forſan erit extinctum morte Ducis Eſpernonii, quia prorſus inutile & magnorum ſumptuum.

LXX. Tres in Galliâ potiſſimæ hominum conditiones, unde totidem Status ordinéſque reſultant. Vnus Clero conſtat, alter Nobilibus, tertius peculiari nomine caret, quia ex diverſis hominum generibus ac profeſſionibus componitur, ideóque vocandus videtur generalis populi Status, ut Autor Relationis de Regno Gallico monet. part. 1. pag. 154.) Rex Galliæ Plautino illo (Moſell. a. 3. ſ. 3. v. 93.) jure uti poteſt: *Muliones mulos clitellarios habent; Ego homines habeo*

habeo clitellarios; Magni sunt oneris, quicquid imponam vehunt.

LXXI. Galliæ contiguæ facilè in officio continerentur, nisi maximè obstarent tributorum acerbitas, & religionis diversitas. Prius malum, quia solos plebeios tangit facilè superatur; posterius verò vix humanâ prudentiâ superari potest. Testis est experientia quàm odiosa sint nomina Hugonottorum & Papistarum, quibus Galli se mutuo proscindunt. Insuper Rex, qui aliàs suos paterno amore prosequi deberet, non potest illos, ut filios amare, qui eum habent pro idololatrâ, utpote quum omnes Reformati Catholicos tales esse doceant. E contrariò multum quoque Reformatorum filialis obedientia erga Regem vacillat, dum à Catholicis omnibus pro hæreticis habeantur; id quod rebelliones præteritæ satis superque testantur. Porrò quoque amor & mutuus consensus voluntatis subditorum utriusque religionis verius in Gallis optari, quàm sperari potest, dum Pontificii Reformatorum cupiunt interitum; Reformati verò Catholicorum fidem, tanquam Punicam, suspectam habent. Præterea tot monasteria Catholicorum à Reformatis eversa; tot Reformatorum templa eversa à Catholicis, tot homines ab utraque parte occisi, tot urbes vastatæ, tot fortalitia destructa, ut neutra pars alteram amare queat. Impossibile itaque est, ut, rebus in illo statu durantibus, atque permanentibus, ambę partes Regem tanquam communem Patrem experiantur. Monarchia Regalis hodie in Gallia est, cujus Rex omne omnino jus pacis, belli, fœderum, vectigalium, magistratuum, privilegiorum

De indole hodierni Gallici regiminis, eiúsque morbis:

&c.habet. Quicquid ei libet, ferè licet; quicquid dicit, pro lege est. Ferunt summam hanc & nullis legum repagulis coërcitam potestatem primò Ludovicum XI. invexisse, qui jactitare solebat, se Regnum Galliæ quasi ex tutelâ in plenam libertatem redegisse. (*Vernulæ* l. 1. Inst. Pol. tit. 6. cap.2.)

LXXII. *Quare Gallia hominibus abundat?* Accedit enim ad 20. Milliones animarum 1. In causa est vitæ longitudo, quæ ab aëris salubritate & moderato vivendi genere procedit: Præsertim autem hæc causa apud cives & rusticos locum invenit. 2. quia nullæ coloniæ adeò mittuntur, & fæminæ valdè fæcundæ sunt. 3. Regio est feracissima omnium, quæ ad vitam degendam requiruntur, ut adeò si inquilini deficerent, peregrini statim eò migrarent.

LXXIII. Gallia universa suum Regem agnoscit, paucissimis partibus exceptis, ut Comitatu Avenionensi, qui Romano Pontifici; & Principatu Arausionensi, qui Principibus Nassoviis subjectus est. Rex Galliæ Parisiis magnificam suam Luparam incolit. Vt verò Gallorum inquietus est animus, ita & Regis quoque lubido in motu est, nec instar adscriptitii cujusdam certæ adhærescere glebæ; unde evenit, ut Lutetiis relictis, plerúnque contra inhabitantium suspiria, hinc inde Regiam sectetur voluptatem, Regnique quærat salutem Nimirum Principes ad exemplum Solis se debent componere, qui haut immobilis semper uno in zodiaci angulo persistit. Malè consulitur Populo, cujus Rex uni adfixus immoratur loco, oculísque tantum contemplatur confinia, reliquam

liquam provinciarum curam Principibus & Gubernatoribus assignans. (*Limnæ*.l.1.de I.P.c.7.nu. 17. 18.)

LXXIV. In Gallia venduntur officia, adeóque judices privatim informari debent, quemadmodum etiam litigantes iis sportulus (urthels-gelt / quam non sine causa condimenta vocant) dare debent: Quando extra ordinem in tribunali sedent & in causâ cognoscunt, præter sportulas etiam non exiguam pecuniæ summam solvere tenentur; adeóque apud Gallos justitia magis venditur quàm administratur. Nam apud illos receptum est illud Imperatoris cujusdam: *Quod emi vendere licet.* En France les femmes maistrisent leurs maris, mais en Gascogne les maris les batent. Ils sont compagnons, mais le mary est maistre. Les femmes sont cause que ce pays a esté perdu, les femmes Françoises. *Scaligerana*. pag.85. *Defectus iudiciorum Galliæ.*

LXXV. *Regnum Galliæ fundavit* Ludovicus XI. Loquimur de statu *hodierno* Regni Galliæ, cujus prima fundamenta posuit *Ludovicus XI.* circa A. C. 1460. Ille enim primus dicitur misisse Reges Galliæ *hors de page*, id est absolutos Dominos eos fecisse. Quibus autem artibus hoc consecutus fuerit, prolixè *Philippus Cominæus* commemorat: tribus enim, quasi frenis, infinita Regum Galliæ potestas circumscribitur, *Religione*, à qua Christianissimi dicuntur: *Iurisdictione*, sive auctoritate Parlamentorum, & *Politiâ* sive decretis ac constitutionibus Regni. Sed hæc omnia non impediunt, quominus Rex Galliæ pro árbitrio dominetur, ac suam voluntatem supremam

premam legem constituat.

LXXVI. Fœminæ *à Successione Regni Galliæ excluduntur.* Vulgò Lex *Salica* producitur, per quam *Fœminæ* à Regno excluduntur. Sed eius legis adeò obscura & antiqua sunt vestigia, ut vix possit demonstrari, ac præsertim acerrimæ controversiæ de hujus *Legis* Salicæ existentiâ ac auctoritate exortæ fuerunt post mortem *Philippi* Pulchri, inter *Philippum* Valesium & *Eduardum III.* Regem Angliæ. Nam *Eduardus III.* natus erat sorore Philippi Pulchri, & exstincta linea mascula proximus sanguine ad successionem Regni Gallici haberi volebat. Opposuit se, tanquam externo, *Philippus* Comes Valesius, qui ex serie mascula collaterali Regum Galliæ descendebat, ac provocavit ad Legem *Salicam*, quæ sexum fœmininum à successione Coronæ excluderet. Hinc inter Politicos acerrimè de illa Lege fuit disputatum: cùm *Angli* negarent eam extare: Galli ad eam provocarent, tanquam regni sui *fundamentalem.* Sed hæc controversia *gladio* fuit decisa, & bello ducentorum ferè annorum. Successio & Regnum penes *Valesios* mansit, Angli nihil nisi titulum inanem retinuerunt.

LXXVII. Liga *Sancta gravissimè turbavit Regnum* Franciæ. A. C. 1560. in Gallia grauissimi motus exarserunt propter Religionem ac Regnũ in duas factiones partim Ecclesiastica, *Catholicos: & Hugenottos*, partim Politicas, *Momerantios* sive *Condeos* vel *Burbonios*, *& Gvisios* sive *Lotharingios* distractum fuit. Hinc atrocissima bella civilia, quibus intercessit feralis illa *laniena*, facta in nuptiis Henrici Regis Navarræ cum Margaretha

sorore

ſorore *Caroli IX.* in quibus anno 1572. die 24. Auguſti, quæ erat ſacra *Bartholomæo,* omnes Hugenottæ exitio & internecioni fuerunt deſtinati. Ab eo tempore cœpit *Liga Sancta*, hoc eſt Sacra quædam confœderatio *Papæ* Romani, Regis *Hiſpaniæ* & Ducis *Guiſiæ*, pro religione *Romano-Catholica & hereticis* extirpandis. Atque hic erat prætextus. Occultior autem cauſa hujus *Ligæ* erat *tranſlatio* Regni Galliæ à familia *Valeſia & Burbonia* ad Regem *Hiſpaniæ* vel familiam *Lotharingicam*, quæ ſeſe à *Carolo M.* deſcendere ferebat.

LXXVIII. *Extincta Familia* Valeſia *ſucceſſerunt* Burbonii. Vltimus ex familia *Valeſia* fuit *Henricus III.* Rex *Galliæ & Poloniæ*, Princeps toto Regno infeliciſſimus, & qui voluptatibus potius ſuis & otio aliiſque ineptiis, quam regno conſervando indulſit. Quapropter *Franciſcus* Dux Guiſius apud *Nobilitatem & plebem* gratioſus, contemptâ Regis ſocordiâ, auſus fuit *Coronam* ſperare atque appetere; pulſo ex urbe Pariſiorum ipſo *Henrico* ac urbe Regiâ occupatâ. *Henricus* tum demum velut ex profundo ſomno excitatus agi de ſua vita ac Coronâ deprehendit. Quapropter cùm leonina pellis non ſufficeret, induit Vulpinam, & Comitia Regni apud *Blæſas* celebravit, ubi etiam Dux *Guiſius* datâ prius & acceptâ fide comparuit. Sed *Rex* decreverat illum occidere, idque per aliquos in eam rem conſtitutos peractum fuit, ac antè ipſas cubilis regii fores repentè confoſſus fuit *Guiſius*, cujus jam interfecti faciem Rex *Henricus* pede calcavit, memorabili vindictæ divinæ exemplo: Eodem enim modò

Dux *Guisius* calcaverat faciem interfecti Admiralis *Colignii* anno 1572. Alterâ die frater Guisii, qui erat *Cardinalis*, jussu Regis strangulatus fuit, & cadavera horum duorum fratrum in multas partes dissecta ac flammis abolita fuerunt. Hâc *Guisiorum* cæde audita Parisiis, immane dictu quantum exarserit furor *Ligistarum*, qui palàm in templis jurabant sese mortem *Guisiorum*, quàm acerrimè ulturos, neque *Henricum III.* pro Rege amplius agnituros. Qui etiam paulò pòst à quodam Monacho, *Iacobo Clemente*, in suis castris cultro fuit confossus. Factum hoc anno 1589. Ita familia *Valesia* in hoc *Henrico III.* fuit extincta. Statim ab exercitu proclamatus fuit *Henricus* Rex Navarræ, & caput familiæ Burbonicæ. Sed huic, quia erat religioni *Reformatæ* addictus, & à *Papa* excommunicatus, sese quam acerrimè opposuerunt *Ligistæ*, quorum tamen furorem incredibili fortitudine ac successu per innumeras victorias ita fregit, ut totam Galliam una cum urbe Parisiorum recuperare. Sed quia sola religio obstabat, quo minus totam Ligam extingueret, ac convulsam Galliam in unum iterum corpus compingeret, tandem amplexus fuit religionem Papalem, & à Papa Rom. in gremium, ut loquuntur, Ecclesiæ receptus, familiam Burboniam ita stabilivit, ut hodie florentissimum regnum ipsius Nepos, *Ludovicus XIV.* obtineat.

LXXIX. Potentia *Regni Galliæ in multitudine* Hominum & Divitiarum *consistit*. Nullum Regnum toto terrarum orbe majori hominum multitudine abundat, quàm Gallia, ita, ut superiori seculo sub Carolo IX. viginti & amplius milliones

liones censu habito reperti fuerint. Præsertim copiosissima est *Nobilitas*, quæ suis sumptibus semper Regi ad quascunque expeditiones promptè adest. Reliquum *vulgus* oneribus & tributis ferendis destinantur. Nulla enim onera tam gravia imperari possunt Gallis, quæ non in sese suscipiant; atque hinc immensæ illæ opes, quibus Rex Galliæ cunctos alios superat: quanquam omnia iterum annuo luxu, superbis & necessariis expensis ita atterantur, ut Regis ærarium semper ferè vacuum, & infinitis præterea debitis oneratum sit. Culpa præcipua conjicitur in infinitum numerum *Quæstorum*, qui & *Regem & populum* emungunt: verum haud rarò tanquam plenæ *spongiæ* iterum exprimuntur: & quod inique attraxerunt, regurgitare coguntur.

LXXX. *Omnia* Officia *apud* Gallos *sunt venalia.* Idque inter turpissima vitia Gallorum Politici numerant. *Thuanus l.* 132.

LXXXI. *Galli* Duellis *domi sese atterunt.* Ob causas levissimas nobilissimæ Familiæ duello sese mutuo necant. Hinc tantum artis gladiatoriæ pretium, quam non alio fine addiscunt nisi ut sese vel *offensivè* vel *defensivè* mutuò confodiant. Neque ulla mors videtur generosior, quàm quæ in tali congressu illicito subitur. Credibile est malum genium cruenta sacrificia humana, quæ Gentiles suis Diis offerebant, exortâ luce Christianæ fidei, transformasse in hæc duella, ubi sese mutuo immolant, ac corpus vitâ, animam æternâ salute, spolient. Accedit crimen longè atrocius, quod non modò rixarum autores vel participes sese mutuo ad pugnam mortalem provocant, verum etiam

etiam intimos ſuos amicos extra omnem controverſiam poſitos, eodem ſcelere, titulo *Secundorum* involvunt, vaniſſimo honoris prætextu. Incredibili dictu, quantum precioſiſſimi ſanguinis quotannis in Gallia exhauriatur hoc ferali certamine, neque vel ira ac metus Numinis, vel atrociſſimæ Magiſtratuum pœnæ, & infamia poſt mortem occiſorum duratura, Gallos ab hac inſania avocare potuit. Quid non Reges *Henricus IV. Ludovicus XIII. & XIV.* contra hanc ſuæ gentis inſaniam excogitarunt? Nulli flagitio tam atrocia edicta fuerunt oppoſita; & ad terrorem etiam Illuſtriſſimi capite plectuntur, qui contemptâ regiorum Edictorum Majeſtate privatas injurias, plerúmque vix caſsâ nuce dignas, præteritâ Magiſtratuum autoritate, ipſi inter ſe ferro tranſigunt. Eſt enim revera crimen læſę majeſtatis, duello abſque conſenſu ſupremi Principis decertare; quia duellum eſt belli ſpecies, cujus eventus conſiſtit in victoria, & vel morte vel captivitate atque exarmatione victi. Hæc *Duellorum* licentia à Gallis ad exteros Galliam frequentantes fuit propagata, ita quidem, ut intra 30. annos & amplius etiam *Germania* hoc contagio fuerit correpta, & vix ſe veritate legum coërceri poſſint illa ſacrificia humana. Quapropter qui Galliam frequentant, inprimis ſibi ab hoc infami vitio caveant, neceſſe eſt, neque exigua aliqua injuria, aut læſus honor titularis, tantum eſſe debet apud generoſum pectus, ut propterea & vitam ſuam & ſpem parentum ac patriæ & ſalutem animæ in anceps periculum conjicere velit. Armis nulli, qui Magiſtratui ſubjectus eſt uti licet, niſi juſſu & magiſtratus auctoritate

contra

contra hostes publicos, vel in casu supremæ necessitatis, pro suæ vitæ inevitabili defensione, contra latrones vel temerarios aggressores.

LXXXII. *Facilius aliena acquirunt, quàm retinent.* Hoc ex eodem fundamento, ut anteceddentia, profluit: Quia enim natura Gallorum est *Mercurialis*, hinc nunquam diu uno loco consistere possunt, sed celeriter omnia pervadunt atque occupant. Huc pertinent illorum expeditiones in *Lombardiam*, Ducatum *Mediolanensem*, *Neapolin*, *Siciliam*, *Cataloniam*, quas omnes regiones brevi tempore occuparunt: sed eadem facilitate iterum amiserunt. Inprimis memorabiles sunt expeditiones Gallorum in *Italiam*, quas copiosè describunt *Philippus Comineus & Guicciardinus.* Memorabiles sunt Vesperæ *Siculæ* perpetratæ A. C. 1268. ubi unâ horâ conspiratione Siculorum omnes Galli per totam Siciliam fuerunt obtruncati, tanto furore & odio nominis Gallici, ut etiam prægnantium ex Gallis fœminarum uteros exciderint, ne quisquam ex invisâ & exosâ gente superesset.

LXXXIII. Militia *Gallica consistit in robore* Equestri. Nullus *Equitatus* præfertur Gallico, quia ferè constat ex Nobilitate. Quapropter Galli omnes suas victorias imputant suo equitatui. Nobiles rarò pedestres: soli plebeii, idque durâ servitute pressi, exiguam armorum notitiam habent, neque Reges Gallorum magnopere desiderant populum in armis exerceri, ne suâ multitudine confisi tumultus excitent. Quapropter Rex Galliæ robur peditatus sui inprimis ex *Helvetia* petit; Helvetii enim præ-

cipuam auctoritatem obtinent in pedestri exercitu Gallico, immensis stipendiis, privilegiis, conducti, ita quidem, ut juventus Helvetica in Galliam militatum abeat, non secus ac olim *Græci* in Asiam ad Reges Persarum.

LXXXIV. *Deest Regno Galliæ sufficiens* Navalis potentia. Quanquam Gallia tribus lateribus, partim mari Mediterraneo, partim Oceano alluatur, & spatio terrarum, multitudine fluviorum, commoditate portuum, quascunque regiones vel æquet vel superet: nunquam tamen Galli res magnas mari egêre, (1) propter defectum *navium* bellicarum. (2) propter *imperitiam* rerum navalium. Hunc defectum Regni Galliæ corrigere voluit Cardinalis *Richelius*, coemptis in Hollandia & immani sumptu exstructis navibus bellicis: Sed nihil hactenus tanto apparatu dignum effectum, nisi quòd maria & Oceanus per pyraticam conturbata. Quippe Deus sicut terrestrem potentiam voluit esse penes Gallos, ita maritimam tribuit aliis populis, inprimis *Hollandis*, ne nimirum unus omnia solus possit, sed ut sese mutuo auxilio, fœdere & amicitiâ opus habere cognoscerent.

LXXXV. *Hostes Gallorum sunt* Angli, Burgundi & Hispani. Inter *Anglos & Gallos* est naturalis quædam & *irreconciliabilis* antipathia, ita quidem, ut Angli à pueritia olim imbuti fuerint odio Gallorum. Cùm enim Angli inprimis sagittandi arte excellerent, pro scopo, in quem sagittę desigerentur, depinxerunt hominem habitu Gallico, ac filios suos artem sagittandi docuerunt hac

hac compellatione: *Disce ferire Francum*. Hoc odium inter Francos & Anglos perpetuis bellis fuit propagatum, ac à parentibus ad liberos veluti hæreditas quædam transmissa, præsertim ab anno 1326. cùm *Eduardus III.* Rex Anglię titulos & jura Regni Galliæ armis sibi vindicaret. Hinc atroces illę Gallorum clades ab Anglis acceptæ ad *Greßiacum* in Picardia, apud *Pictones* & denique apud *Agencurtim*, quibus præliis tota Gallorum potentia ab Anglis fuit confracta, ita quidem, ut *Henricus V.* Rex Angliæ declaratus *hæres & successor* Regni Franciæ, excluso *Carolo Delphino* legitimo hærede, ac eius filius *Henricus VI.* Parisiis coronatus fuerit Rex Franciæ. Hæc odia & bella inter Gallos & Anglos durarunt usque ad annum 1558. quo anno Galli recuperarunt ab Anglis urbem *Caletum* atque ita finem imposuerunt omnibus illis bellis, quæ per 200. annos continuata fuerant. Nam ab eo tempore quanquam Angli perpetuò repeterent Caletum, & interdum quoque arma Galliæ inferrent, nihil tum amplius ab illis potuit confici, sed fortuna cœpit favere Francis, qui aliquoties ingenti strage, præsertim mari Anglos profligarunt, maximè A. 1627. & 28. Proximi post Anglos Gallorum hostes fuerunt *Burgundi*, & illi potius domestici quàm externi. Quippe Duces *Burgundiæ* ex ipsa Regum Galliæ familia originem ducebant: sed mox atrocissimæ factiones inter domum *Burgundicam & Aurelianensem* exortę fuerunt, quæ non nisi sanguine & morte utrorumque componi poterant. Quippe *Iohannes Intrepidus* Dux Burgundię *Ludovicum* Du-

cem

cem Aurelianensem Parisiis in media civitate jussit obtruncari, & factum insuper velut legitimum defendit: *Aurelianenses* verò non anteà quieverunt, quam *Iohannem Intrepidum* iterum contra datam fidem obtruncassent. Ita cædes cæde fuit compensata: sed vindicta utriusque sanguinis in hanc usque diem pertinacibus inter Burgundos & Gallos armis perdurat. Longa est historia, longæ ambages, ideóque dissertationi potius, quàm calamo committenda. In odia Burgundorum successerunt *Hispani*. Quippe *Ludovicus XI.* Rex Galliæ non ante quievit, quàm familiam Burgundicam nomini Gallico adeò infensam & formidabilem, penitus delevisset. Factum hoc videbatur. Anno 1477. cùm *Carolus Audax* Dux Burgundiæ apud *Nanceium* in Lotharingia ab Helvetiis fuit occisus, nullâ relictâ prole masculâ, sed unicâ tantùm filiâ *Maria.* Sed in hoc casu omnis Ludovicum XI. Sapientia humana fefellit, sicut prolixiùs apud Cominæum videre est. Quippe *Maria* nupsit Maximiliano Archiduci Austriæ, atque ita omnem potentiam Burgundicam conjunxit cum domo Austriaca: hæc conjugio Philippi I. Hispanię regnis fuit innexa ita quidem ut hodie Rex Hispanię, tanquam Dux *Burgundiæ* & Princeps *Belgarum*, antiqua illa odia Burgundica, contra Gallos longè majoribus viribus continuet, quæ licet interdum brevi pace componantur, vix tamen diuturna illa pax esse potest.

LXXXVI. Galli *Fœdus cum* Turca *inivérunt* sub *Francisco I.* Inde acerrimis libellis disputatum, *An liceat* Christianis *contra* Christianos

ſtianos cum *Turca* fœdus inire? *Hiſpani & Germani* pertinaciter negabant, ac multis congeſtis in Gallos opprobriis, factum exaggerabant. *Galli* dupliciter reſpondebant, (1. per ſimplicem *negationem*. Quippe *Franciſcus I.* conſtanter negavit, ullum ſeſe aliud fœdus cum Turca pepigiſſe, niſi commerciorum & publicæ quietis ergò. (2) per *retorſionem*: talia fœdera cum Principibus à Chriſtianâ Religione alienis frequentiſſimè ab ipſis Hiſpanis fuiſſe uſurpata. Et ſic latiſſimus campus ſeſe aperiebat, diſſerendi de omnibus fæderibus Principum inter ſe. Accuſatio hæc potius ad invidiam Gallorum ſpectabat, quàm quòd revera aliquid ſolidi complecteretur. Docet enim Hiſtoria & Sacra & Profana, talia fædera politica cum infidelibus ſemper fuiſſe recepta, etiam à Regibus, qui propter pietatem maximè celebrantur, quia non pro *Religione*, ſed pro *Regione* bella ejuſmodi gerebantur: licet uti defenſoribus quibuſcunque in extrema neceſſitate: Ita *Poloni* Tartaris contra Moſcos & alios hoſtes perpetuò utuntur, neque quiſquam propterea crimen ipſis aliquod intendit.

LXXXVII. Galli *denuo* Burgundiam *& Provincias* Belgicas *amiſerunt*. Cùm conſilia *Ludovici XI.* de exſtinguendâ familiâ Burgundicâ in irritum cecidiſſent, denuò data fuit Gallis occaſio, quam ne quidem ſpe aut voto concipere potuiſſent, ut omnes Provincias Belgicas cum Regno Galliæ perpetuò conjungerent. Quippe ipſi *Belgæ*, pertæſi Hiſpanorum & abjuratâ auctoritate *Philippi II.* communi omnium provinciarum conſenſu, ſeſe Regibus Galliæ non

tam

tam subjecerunt, quàm per ultimas preces ipsorum defensionem & protectionem expetierunt, suasu imprimis *VVilhelmi*, Principis Auriaci, qui tum temporis non aliâ ratione defendi posse Belgas contra Hispanos, quam opibus Gallorum, videbat. Successit consilium; *Franciscus* Dux Alansonius, Henrici III. Regis Galliæ frater unicus, accepit conditiones, ac Dux *Brabantiæ* & Princeps totius *Belgii* publicè fuit declaratus. Ita Galli fortunam Domus Burgundiacæ denuò habebant in sua manu, si tam benè novissent parta tueri, quam acquirere. Sed mox *furor* aliquis ac densa *cæcitas* Gallorum mentes occupavit, ita, ut *coniurationem* contra Ordines & Civitates Belgarum instituerent ac unâ die potentissimas civitates occupare conarentur. Præmium vesani hujus consilii erat *Antvverpia*, quâ occupatâ facilè cætera cessura videbantur. Sed in ipso facinore depræhensi suis cadaveribus portas Antvverpienses & plateas, & fossas impleverunt mille quingentis & amplius Gallorum ad unam portam occisis. Ipse Dux *Alensonius* in extremas miserias conjectus, cum populus Belgarum odio erga Gallos incensus, etiam cibos Principi negaret; ita quidem, ut crudis rapis vesci coactus fuerit. Atque ita denuò Galli amiserunt pulcherrimam occasionem conjungendi cum suo Regno Provincias Burgundicas. Et quanquam Princeps *Auriacus* summo studio niteretur conciliare Ducem Alensonium cum Ordinibus, nihil tum effici potuit animis populi antiquis odiis inter Burgundos & Gallos inflammatis; ac ipse Alensonius paulò post ex mœrore animi defunctus finem his consiliis imposuit.

LXXXVIII.

LXXXVIII. *Libertas* Religionis *Reformatæ præcipuum Regni Galliæ munimentum est.* Hanc *libertatem* sibi armis pepererunt Reformati anno 1560. Sed quia toties promissa ipsis servata non fuerunt, hinc tanquam fidei pignora præcipuas & minutissimas Vrbes occuparunt, quas inter caput erat *Rupella.* Hanc libertatem Religionis confirmavit *Henricus IV.* edicto Nannetensi, quo Reformatos in omnibus pares esse voluit Catholicis, ac iisdem privilegiis ac immunitatibus frui. Sed cùm Reges Galliæ hac *armatam* Reformatorum libertatem sibi formidolosam esse existimarent, atque *regnum in regno* diutiùs tolerare nollent, suasu inprimis Cardinalis *Richelij* Vrbes fiduciariæ Reformatis fuerunt ereptæ. Vnde ingens per Galliam bellum, quod tandem memorabili obsidione *Rupellæ* & stupenda ejus expugnatione anno 1628. fuit finitum. Nulla obsidio famosior, ac quicquid artium & machinarum in bello unquam usurpatum fuit, ad solam Rupellam vix sufficiebat expugnandam. Nitebantur Rupellani, non tam suis viribus, quàm auxilio & favore occulto vicinorum Regum. Inprimis *Angli* perpetuò Gallis infensi, Rupellam obsidione liberandam censebant, non tam studio religionis, quàm quòd Galliam factionibus inter se distractam vellent, neque conveniret vicinis Regibus concordem esse Galliam. Ipse Rex *Hispanus*, quanquam aliàs acerrimus Religionis reformatæ Persecutor, clanculum tamen favebat Rupellanis, & cum Marchio *Spinola* Hispanicarum copiarum in Belgio Dux tum forte obsidionem Rupellæ, & immensas illas moles, quibus

ipsi Oceano claustra fuissent injecta, spectasset, miratus Giganteos illos ausus, cùm in Hispaniam venisset, in consilio Regis perpetuo ursit, *Rupellam obsidione esse liberandam.* Sed Hispani sperabant *Anglos* hoc opus perfecturos, qui duplici classe instructâ bis conati fuerant perfringere aggeres Gallorum, semper turpiter repulsi, pristinam gloriam, quàm in Gallia acquisiverant, amiserunt. Ita tandem magnanima illa Rupella fame potius & extremâ miseriâ, quàm oppugnantium virtute succubuit, ac factâ deditione, Regis gratiæ sese submisit, Rupellæ graviori inflicta pœnâ, nisi quod ad instar *Carthaginis* mœnia & munimenta solo æquata, ac ipsa Vrbs hactenus inexpugnabilis, omnibus muris nudata fuit. Ita Regnum *Galliæ* in unius iterum Imperii corpus redactum fuit, ac servata hactenus *Reformatis* conscientiæ libertas, nisi quod erepta fuit sese contra vim & oppressionem defendendi occasio. Ab eo tempore Galli conjunctis viribus externa contra *Hispanos & Austriacos* bella continuarunt, usi imprimis armis & animis Reformatorum, quorum fides & constantia erga Regem Galliæ semper inviolabilis deprærhenditur. Vnde Rex Galliæ supremum armorum suorum Imperium felicissimo successu commisit Marchioni *Turennio* Reformatæ Religionis Principi. [add. *Hodie is in gratiam Regis religionem Pontificiam* adsumpsit.

LXXXIX. Regnum *Galliæ* pace Monasteriẽsi *magnum incrementum sumpsit.* Nam pace Germanicâ accessit Regno Galliæ *Alsatia*, & totius Rheni firmissimum propugnaculum *Brisacum:* præterea *Philipsburgum.* Pace Hispanicâ accessit

Comitatus

Comitatus *Russillon*, *Artesia*, *Gravelinga*, & multa alia ad Mosam loca. Ita Regnum Galliæ antiquos suos limites ad *Rhenum & Mosam* recuperavit; occupatis ipsis Germaniæ claustris; ut quandocunque necessitas postulat, exercitus trans Rhenum in Germaniam effundere possit. *Lotharingiæ* quoque Ducatus hoc bello in potestatem Gallorum pervenit. De cujus etiamnum restitutione tractatur: quippe Galli, etsi non abnuant restitutionem Ducatus, sibi tamen reservatam cupiunt urbem Nanceium, vel ejus munitiones dirui, & præterea vias publicas per Ducatum Lotharingiæ in Germaniam.

XC. Gallia *nuper per Primarium Ministrum Status gubernabatur*. An. Ch. 1624. Cardinalis *Richelius* creatus fuit primarius Minister Status, hoc est, Vicarius Regis. Hujus *primarii Ministri* summa in toto Regno erat potestas: ac omnes alii Consiliarii ab ipso dependebant. Ad tantum fastigium promotus fuit *Richelius* incredibili quadam mentis sagacitate. Solus enim tanti regni magnitudinem capacissimo ingenio implere poterat, æquè promptus Marte & Arte, consilio vel manu, & felicitatem sibi quasi famulantem habuit. Hujus industria Regnum Galliæ antiquum splendorem recuperavit, ac sese Hispanorum molitionibus tanta cum constantia opposuit. Quæ ac quanta hic Richelius peregerit, peculiari commentario publicè descripta extant. Richelio anno 1642. defuncto, successit in hoc supremo Magistratu Cardinalis *Mazarinus*, natione Siculus. Unde odia contra illum, tanquam extraneum, ac conjurationes & bella civilia. Proscriptus & toto re-

gno expulſus glorioſior rediit, Regis caritate defenſus. Hinc Principis *Condei* ad Hiſpanos fuga, ſed Mazarini dignitatem ſuam ſtrenuè tutatus, tandem inchoatis Richelii conſiliis ultimam manum impoſuit glorioſa pace cum Cæſare & Hiſpano inita; Qui exhauſtus curis & laboribus vita exceſſit. Cui an alius ſucceſſurus ſit primarius Miniſter Status, an Rex in plures hunc Magiſtratum ſit diſtributurus, incertum manet, & eventus docebit.[add. *Eventus jam docet Regi hodierno non amplius placere eiuſmodi Miniſterium.*]

XCI. Omnium in Europa Regnorum Princeps *Gallia* eſt, & inde omnis humanitas, omníſque morum cultura fluit. In ea regione natura oſtendiſſe videtur, quidquid alibi pulchrum aut amabile eſt. *Gallorum* natura ad omnem humanitatem facta eſt, & hoc magnum quaſi orbis *Theatrum*, in quo omnis ſeſe Europa excolere moribus ſolet. Non alia gens cum Gallis eâ in re comparanda. Ipſam linguam, mores, veſtitum, tota æmulatur communi conſenſu Europa exceptis Hiſpanis: quicquid *Gallicum*, pulchrum videtur atque egregium. Regum ſemper maximi æſtimatores ſunt ſuorum, & bona libertatis ferè ignorant; niſi quoties exterorum injuriis eo adiguntur. Mutabiles atque rixoſi, ſupra communem Europæorum conſuetudinem, leviſſima quæque injuria duello vindicatur: non interdicta Regum, non præſens mors eos ab ea inſania avocare poteſt: ſed quam prompti ſunt injuriam inferre, tam prompti ſi vim opponas eam patiuntur. Nulli confidere, ſemper armatam manum habere, ſumma apud eos prudentia habetur: Adulatores maximi, & ea inprimis aſtutiâ exteros plerumque

sinceriores fallunt atque decipiunt. Hæc vulgi vitia præcipuè in magnis urbibus. Cæterum nulla regio dignior spectatu, si quis sibi in gente illa cavere sciat.

XCII. Declinante Romano Imperio, quicunque in Germania liberi erant, *Franci* dicebantur, qui tandem universâ Galliâ potiti, eam à se *Franciam* appellarunt circa An. 400. Apud hos tres hactenus regiæ familiæ ordine regnarunt. Prima Regum familia *Morovingorum* est, ita appellata à Merovio tertio Francorum Rege. Nam primus Francorum Rex *Pharamundus* An. 419. Secundus *Clodio* Comatus. Tertius *Meroveus*. Hic *Meroveus* urbem Parisiorum occupavit, & contra *Attilam* Hunnorum Regem in Catalaunicis campis fortissimè pugnavit. Quintus Rex fuit *Clodoveus* sive *Ludovicus*, qui primus *Fidem Christianam* cum Francis suscepit, unde Reges Francorum hodiéque *Christianissimi & primogeniti* Ecclesiæ vocantur. Ita Regnis *Alemanniæ & Bavariæ* destructis, maximam Germaniæ partem Francorum Imperio subjecit, quod post ejus mortem in quatuor regna divisum fuit. Quicquid cis Rhenum in Germania erat, *Ost-Francia* dicebatur: quicquid trans Rhenum *Vest-Francia*. Sub *Clotario* II. famosa illa *Brunethildis* fuit, *Sigeberti* Austrasię Regis uxor, quæ altera seculi sui *Medea* decem regii sanguinis Principes, partim veneno, partim bello sustulit. Propter quæ facinora *Clotarius* eam caudæ equi indomiti alligatam per spinas & dumeta miserè discerpsit.

XCIII. A. C. 614. Hic *Clotarius* II. Primus instituit *Maiores domus*, penes quos suprema

belli & reipub. administratio erat, & qui hodie in Franciâ appellantur *Primi Ministri Status.* Hoc Institutum paulò post regiæ apud Francos Merovingorum familiæ exitio fuit. Quippe Reges omnibus negotiis in Majores domus conjectus in socordiam lapsi magis, magísque contemni cœperunt, crescente in dies *Maioris Domus* autoritate & potentiâ, quod imprimis circa Annum 1663. factum, à quo tempore Reges Francorum intra Palatium abditi , semel tantùm quotannis populo conspiciendos se præbebant, nimirum Kal. Maii, quam in curru rustico floribus conspersos à quatuor bubus tracto, ipsi promissis barbis, capillitio flavo & arte crispato per humeros dependente, conspicui, populo se repræsentabant. Quapropter *Franci* tandem harum ineptiarum pertæsi, detruso in monasterium ultimo ex Merovingis *Childerico* ignavo , Regem crearunt *Pipinum* parvum, *Maiorem domus* Caroli Martelli Brabantiæ Ducis filium. Quod factum Anno 757. Hujus Pipini filius fuit *Carolus Magnus* , à quo nova hæc Regum Franciæ familia, qui *Carolingi* dicuntur. Hic Carolus abrogato *Maioratu* domus tanquam ob nimiam potentiam ipsis regibus metuendo, duodecim *Pares* instituit, id est *Principes* æquales potestate, & ob rerum gestarum magnitudinem *Magnus* dictus fuit : Gessit atrocia contra *Saxones, Longobardos , Bavaros & Saracenos* bella, & Imperio longè latéque extenso intermissum per quadringentos annos in Occidente Imperatoris titulum primus restituit, & An. 800. ipso festo nativitatis Christi Romæ Imperator Romanorum à Papa *Leone III.* coronatus fuit , acclamante

populo

populo Romano: *Carolo Augusto, à Deo coronato, vita, salus & victoria.* Ita penes Caroli Magni posteros Imperatoria dignitas cum tribus amplissimis regnis, Gallia, Germania & Italia, fuit. Sed mox ea potentia intestinis patrum discordiis debilitata fuit. Quippe *Ludovicus Pius*, Caroli filius & Successor, diviso inter tres filios regno suo, magnis discordiis occasionem dedit, à filiis suis captus, Imperio spoliatus, & in carcerem summâ impietate conjectus. Ex eo paulò post liberatus grave bellum contra Ludovicum filium suum Germaniæ Regem gessit. Eo mortuo discordiæ inter fratres gliscere. Cúmque *Clotarius* Imperium cum majori parte regnorum obtinuisset, reliqui duo hac divisione non contenti, bellum moverunt, in quo prælio in Burgundia commisso centum millia Francorum ab utraque parte perierunt, cum internecione totius ferè nobilitatis & Francicæ & Germanicæ. Hoc prælio ita debilitata fuit Francorum potentia, ut in posterum resurgere & amissas vires recuperare non potuerit. Sequebantur atroces illæ Barbarorum irruptiones, ab *Austro* Hunnis, ab *Oriente* Sclavis, à *Septentrione* Normannis, Germaniam pariter & Galliam atque Italiam horrendum in modum devastantibus. Et quanquam externus hostis undique urgeret, non tamen Carolingi inter se concordes esse potuerunt, sed civilibus bellis inter *Carolum* Calvum Franciæ & *Ludovicum* ejusque filios, Germaniæ reges, quicquid restabat viriam, prodigè perdebatur. Respirarunt aliquo modo Francorum res, sub *Carolo* Crasso ab intestinis dissidiis, qui primus publico edicto annos à nato Christo

numerari jussit, & solus post Carolum Magnum cum imperio *Germaniam*, *Galliam & Italiam* possidebat. Sed idem, mirum fortunæ inconstantis ludibrium fuit, & ex summa potentia in extremam paupertatem repente delapsus: Quippe cum Anno 887. gravi morbo, mente imminutus fuisset, spoliatus ab Ordinibus Imperio, ita se ab omnibus desertum & neglectum vidit, ut intra triduum extremâ fame ac siti laboraret, ac nisi Episcopus Moguntinus ejus misertus fuisset, ac per aliquot dies cibum suppeditasset, tantus paulo antè Imperator fame periisset! Post longam instantiam à successore suo *Arnulpho* plura impetrare non potuit, quam exigui cujusdam pagi *Niedlingen* redditus, unde ægrè sustentatus paulo pòst obiit, ac plebeio tumulo conditus fuit. Sub *Carolo* Simplice circa A.C. 900. *Normanni* illam Galliæ partem, quæ hodiéque *Normannia* dicitur, obtinuerunt. Sub eodem Comitatus *Geldriæ*, *Frisiæ*, *Hollandiæ*, *Flandriæ* & multi alii originem habuerunt. Vltimus *Carolingorum* fuit *Ludovicus V.* quo intra annum veneno à conjuge suâ necato, series Carolingorum in Germ. pariter ac Gallia defecit.

XCII. Tertia familia apud Francos fuerunt *Capetingi* ab *Hugone Capeto* ad nostra usque tempora. Quintus ex hac familia *Ludovicus* fuit cognomine Crassus. Sub quo exarsit primum bellum *Anglicum* ex Ludo Latrunculorum inter *Ludovicum & Henricum* Angliæ Regem ortum, quod per aliquot secula intermissum potiùs quam compositum fuit. Omnium celeberrimus fuit *Ludovicus IX.* Sanctus, qui infelicia contra Saracenos

bella

bella gessit. Quippe ad *Damiatam* in Ægypto captus quæcunque occupaverat loca pro libertate obtinenda reddidit. *Philippus* Pulcher à *Bonifacio VIII.* Papa excommunicatus per contemptum ita rescripsit: *Sciat tua maxima fatuitas nos in temporalibus nulli subesse.* Cum verò *Carolus IV.* Pulcher absque mascula prole An. 1328. decessisset, gravissima propter successionem inter Gallos & Anglos bella exorta sunt. Quippe *Eduardus III.* ex sorore Caroli natus proximum se regni hæredem jactabat. Contrà Galli prætextu *Legis Salicæ* ipsum excluserunt assumpto Rege *Philippo* Valesio proximo agnato masculo. Hinc bellum, in quo superior *Eduardus* innumeris cladibus Galliam affixit. Primum ad *Slusas* Flandriæ commissum prælium maritimum, in quo triginta millia Gallorum capti, fractis omnibus ipsorum navibus, perierunt. Deinde pugnatum ad *Cressiacum* in Picardia, ubi iterum 30000. Gallorum ceciderunt, atque insuper duo Reges, *Iohannes* Bohemiæ, *Carolus* Navarræ; tum Lotharingiæ Dux, quatuor Episcopi, viginti octo Comites, mille ducenti Equites aurati. Hujus prælii præmium fuit urbs *Caletum*, quam *Eduardus* post gravem obsidionem expugnavit. Sub hoc Philippo Valesio *Delphinatus* Regno Gall. accessit eâ conditione, ut primogenitus Regis Gall. *Delphinus* appellaretur. Philippo successit *Iohannes* infelicissimus Francorum Rex, qui ab Eduardo Nigro Valliæ Principe in Pictonibus maximo prælio victus captúsque fuit, quo tempore Anglorum millia octo, contra sexaginta Gallor. millia victoriam reportarunt. Rex *Iohannes* in Angliam du-

ctus

ctus & post quadriennium ingenti pecunia soluta dimissus fuit. Ei successit *Carolus V. Sapiens*, qui refractas Gallor. res magna prudentiâ restituit, & plura calamo, quam armis recuperavit. Sed bella Anglica sub Carolo V. atrocius quàm unquam exarserunt, inflammantibus id *Iohanne* Intrepido Burgundo & *Ludovico* Aurelianense; inter quos tanta fuerunt odia & inimicitiæ, ut non nisi mutuo sanguine expiari potuerint. *Iohannes* Ludovicum in media Parisiorum urbe sicariis immissis trucidavit, & vocatus ad causam dicendam, cum exercitu comparuit, adducto secum *Iohanne* Parvo Theologo, qui parricidium hoc. eo inprimis fundamento ineptè & impiè defendebat: *Licitum* esse Tyrannum occidere: fuisse autem Tyrannum Ludovicum. *Iohannem Carolus Delphinus* specie colloquii interfecit. Sic cædes cæde expiata videbatur, sed incredibili Gall. detrimento. Quippe *Philippus* Iohannis filius Burgund. Dux Anglos in Gall. evocavit, iisque Lutetiam & totam penè Gall. tradidit. Quâ occasione *Henricus V.* Angl. Rex ductâ *Catharinâ* Caroli VI. filia hæres Franciæ declaratus fuit, excluso legitimo hærede *Carolo Delphino*; Tum denuò fatale Gall. prælium ad Agrincurtum in Picardia fuit, ac continuæ Angl. toto regno victoriæ. Quippe omnia Anglis favebant, & adversarum Gall. erant. Rex *Carolus VI.* mentis impos, filius ejus *Carolus Delphinus* exhæredatus, quem etiam Angli contemptim *Biturigum* Regem, quod unum illam urbem obtineret, appellarunt. Sed tandem DEVS *Franciam* respicere cœpit, excitatâ *Iohanna* puella Lotharingicâ, quæ divinitus sese missam dicebat

bat ad Anglos Gall. pellendos. Hujus auſpiciis *Aurelia* obſidione liberata, & Rex *Carolus VII.* per medios hoſtes *Rhemos*, ubi more majorum inungeretur, ductus eſt. Incredibile dictu, quanta Gallis ex hâc puella alacritas fuerint nata, ſed ea paulò poſt ab Anglis capta, & tanquam & malarum artium gnara incendii ſupplicio affecta fuit. Tandem Angli tota Gallia pulſi nihil præter *Caletum* retinuerunt.

XCV. *Carolo VII.* ſucceſſit *Ludovicus XI.* Tiberio in ſimulandi & diſſimulandi artibus æqualis. Is primus dominationis apud Gallos fundamenta poſuit: extincto Parlamentorum & Ordinum autoritate. Perpetuis cum *Carolo* Audace Burgundiæ Duce bellis colliſus fuit, quo ab Helvetiis in prælio interfecto, Ducatum *Burgundiæ* occupavit, & cum cæteras Belgii Provincias conjugio Mariæ Caroli filiæ ſui juris facere poſſet, armis uti maluit, adeóque ſpe ſua excidit. Ejus res copiosè exequitur *Philippus* Comineus. Poſt ipſum regnavit *Carolus VIII.* An. 1484. Qui ducto in Italiam ingenti exercitu Regnum Neapolitanum fulminis inſtar momento occupavit, iterúmque paulò poſt eadem facilitate amiſit. Ab hac expeditione Caroli VIII. *Thuanus* originem bellorum inter Gallos & Hiſpanos deducit. Anno 1498. *Ludovicus XII.* Ludovicum *Sfortiam*, Ducatu Mediolanenſi exuit, eumque ab Helvetiis deſertum capit, ac Regnum Neapolitanum cum *Ferdinando* Rege Hiſpaniæ dividit: mox à *Conſalvo* de Corduba *Magno Capitaneo*, ſua parte ſpoliatur. *Iulium* Secundum Papam ad *Ravennam* vincit, & amiſſo iterum Mediolano ad *Novariam*

ab Helvetiis ſuperatur. Anno 1515. *Franciſcus* Ducatum Mediolanenſem recuperat, & iterum amittit; à *Carolo V.* Imperatore ad *Ticinam* captus, perpetuum cum eo bellum gerit. Anno 1548. *Henricus II.* Vrbem Mediomatricum expugnat, proſperè contra Carolum V. belligerat. Anno 1560. *Franciſcus* Secundus, Primo regni anno obiit. Sub eo turbæ propter Religionem in Gallia exortæ, & factio *Hugenotarum* (ita vocabantur Reformatæ Religioni addicti) emerſit. Anno 1561. *Carolus IX.* bella cum Hugenotis varia gerit, & tandem inauditâ perfidiâ Anno 1572. in nuptiis *Henrici* Regis Navarræ immanem eorum cædem per univerſam Galliam committit. Hæc cedes vulgò appellatur *Nuptiæ Pariſienſes* cruentæ.

XCVI. Ann. 1574. *Henricus III.* Vltimus Valeſiorum *Poloniæ* Rex creatus, audita fratris morte clàm ex eo regno aufugit, & bella contra Hugenotas movit, novum fœdus, Ligam Sacram cum Guiſiis contra Hugenotas init, cujus ſcopus erat Hugenotas exſcindere. Interim *Guiſii* ſeditioſi, ſtudebant Henricum Navarræ Regem, qui proximus cognatus erat, ſucceſſione regni excludere. Inde *Henricus III.* cum ſe à Guiſiis ludibrio videret haberi, deſerta Liga ad Hugenotas ſe contulit, ac cum Lutetiam Pariſiorum obſideret, à monacho quodam *Iacobo Clemente* cultro confoſſus periit. Ita extincta familia Valeſiorum *Burbonii* ſucceſſerunt, ex quibus *Henricus IV.* Rex Navarræ An. 1590. bellum contra *Ligiſtas* continuat; à Reformata Religione ad Pontificiam deficit, totáque Gallia mirabili virtute pacata à nebulone

lone quodam *Francisco Ravailliaco* Parisiis cultro confoditur. Anno 1610. *Ludovicus XIII. Iustus* Ancreum tollit, bellum contra matrem & fratrem gerit, *Rupellam* expugnat, ductu Cardinalis Richelii maximas res in Italia, Germania, Hispania & Flandria perficit. Anno 1644. *Ludovicus XIV.* domi bellis civilibus propter Cardinalem Mazarinum exercetur: *Cataloniam*, *Casalam*, & pleraque Flandriæ amittit, Vrbem *Atrebatum* obsidione feliciter liberat.

XCVII. De primâ Francorum origine certi nihil constat. Prima eorum mentio in tempora Probi Imperatoris incidit. Probabile autem est, varios populos, à Romanis hactenus oppressos declinante Imperio sese, conspiratione factâ, in libertatem vindicasse, & ab eâ nomen *Francorum* h. e. liberorum hominum accepisse, idque factum atræ Caracallæ, ac Probi ætatem. Complectebatur Francia *Chamavos*, *Vsipios*, *Tencteros*, *Dulgubinos*, *Bructeros*, *Ansibarios*, *Cattos*, *Cheruscos*, *Chaucos*, *Chassuarios*, ut ex tabula itineraria, & aliis scriptoribus mediæ ætatis patet. Ita prima Francia complectebatur majorem Germaniæ partem & termini eius ad Septentrionem Oceanus, ad Ortum, Albis & Sala, ad Meridiem, Alemannia; ad Occasum, Rhenus. Atque hinc ratio reddi potest, cur Galli hodiéque omnes Germanos appellent Alemannos, qui antiquis temporibus universa dividebatur in *Franciam* & *Alemanniam*. Insulse ergo Franci hodie negant, sese origine Germanos esse, & hoc modo omnium Historicorum traditioni contradicunt. Primus Francorum Rex communi opinio-

ne

ne censetur fuisse *Pharamundus*; quanquam potiori jure *Marcomiro* illa prærogativa debeatur, qui A. C. 418. Rex Francorum electus fuit, eique intra Annum defuncto successit Pharamundus. Ad hujus tempora refertur origo legis *Salicæ*, cui tanquam unico fundamento innititur mascula Regum Franciæ successio. Sed nullis certis argumentis evinci potest Pharamundum eius legis authorem fuisse, ac omnibus subductis rationibus probabilis eorum sententia, qui eius originem non ad certum aliquod tempus vel Authorem restringunt, sed à longa consuetudine paulatim in jus abiisse putant. Illud verum est, Salicam appellari hanc legem à *Saliis*, quadam Francorum gente inprimis celebri, qui ita videntur dicti, quod sedes suas haberent ad flumen Saxoniæ, dictum *Salam*, vel ad *Isalam*, ubi hodiéque habemus *Trans-Isalaniam*, & *Salandiam*, id est, Regionem *Saliorum*. Verba legis Salicæ hæc fuerunt, *In terram Salicam mulieres non succedant*. Excludebat ergo fœminas ab universa hæreditate, omnémque successionem ad solos masculos restringebat. De hac lege post multa secula gravissimæ ortæ sunt controversiæ, inter Anglos & Gallos. Negant enim Angli, ullam unquam fuisse Legem Salicam, & eam merum figmentum esse *Philippi Valesii* dicunt. Hinc illa jocosa. Interrogatus à Pontifice quodam Gallus, ubinam scripta inveniretur Lex Salica? respondit, ab altera parte donationis Constantini. Et Anglus, dicente Gallo, se nescire, ubi scripta esset Lex, qua excluderetur à successione in Regnum Galliæ is, qui natus esset extra Regnum,

Inve-

Invenies, inquit, illam ab altera parte Legis Salicæ. Sed fuisse revera Legem Salicam ante *Philippum* Valesium ex eo patet, quia sæpius Regiæ filiæ à successione in Regnum exclusæ fuerunt, quod fieri non potuisset, nisi per Legem aliquam, sive Consuetudinem. Sed cum lex Salica in universum omnes fœminas excluderet, illa nimis lata consuetudo, tanquam iniqua, & impia abrogata fuit primò in *Allodialibus*, deinde etiam in feudalibus bonis, quæ hodiéque apud Gallos deficientibus masculis devolvuntur ad fœminas. *Pharamundi Successor Clodio Comatus* sedem suam habebat in castro Thuringiæ Disberga, ex quo patet Thuringiam illis tribus à Sala usque ad Rhenum extensam fuisse. Sub eodem *Franci* in Galliam Belgicam irrumpentes, Cameracum, Atrebatum, & reliqua usque ad *Somam*, Romanis eripuerunt, sed ab *Aëtio* & *Majorano* Ducibus Rom. iterum ejecti, antiquas in Germania sedes repetierunt.

XCVIII. *Merovingi apud Francos primo regnarunt*. Ab A. C. 450. ad Annum 750. ita ut præcisè 300. annos expleverint. Conditor huius familiæ fuit *Meroveus*, qui trajecto Rheno sedes cum suis *Francis*, ad Axonam fluvium posuit. Inde permixtus Gallis Romanam linguam cum Germanica, qua Franci utebantur, in eam faciem corrupit, quæ hodiéque recepta est. Hic Meroveus cepit Tornacum, Cameracum, Rhemos, Suessiones, Aurelianum, Coloniam Agrippinæ, ac penès totam Galliam regno suo adjecit. Sub ejus filio Clodoveo longè majora incrementa regnum Franciæ sumpsit, qui cunctis inter Sequanam,

nam, Rhenum & Ligerim oppidis potitus Romanorum dominationi in Gallia finem imposuit, ac præterea Thuringiam, Alemanniam, Burgundiam, Aquitaniam & Gothiam Galliam sibi subjecit. Primus etiam Francorum Regum Christianam fidem amplexus est; ac regnum maximum & latissimum filiis suis sibi succedentibus reliquit, nimirum universum Rheni tractum, ab ipsis fontibus ejusdem usque ad Oceanum cum omnibus regionibus in ripa Gallica sitis, & trans Rhenum ipsam Alemanniam usque ad Sueviam, atque inde ultra Danubium, Rhætiam, cum Nigra Sylva, vulgo Schvvartzvvaldt & lacu Brigantino, Algoya, & parte Helvetiæ inter Rhenum ac Vrsam amnes, Franciam præterea Orientalem, i. e. *Austrasiam & Thuringiam.* Hæ regiones uno nomine appellabantur Francia, & medio Rheno dividebantur in duas partes, quarum Occidentalis, Westrasia, itemque Neustria, & à sermone Latino Romania, Orientalis verò appellabatur Austrasia seu Francia Teutonica, quæ appellationes frequenter occurrunt apud. Ottonem Frisignensem, Gottfr. Viterbiensem, Gregor. Turonensem, & alios ejus ætatis scriptores.

XCIX. *Divisum Regnum Francorum in 4. Regna fuit.* 1. Prima divisio facta fuit post obitum Clodovei An. 514. Cum enim quatuor reliquisset filios, in totidem partes Regnum divisum fuit. 1. Regnum Franciæ, cujus sedes Lutetia Parisiorum. 2. Regnum Belgicæ, cujus sedes Vrbs Suessionum. 3. Regnum Aurelianense. 4. Regnum Austrasiæ, cujus sedes urbs Mediomatricum, seu Metz. *Theodoricus* Austrasiæ R. An. C. 527. etiam regno

Burgundiæ,

Burgundiæ, quod magnam partem Galliæ Lugdunensis complectebatur, potius fuit. Extinctis tribus fratribus sine prole mascula superstes solus *Clotharius* Rex Suessionum universa iterum Francia potius fuit. A.C. 558. Eo extincto A.C. 564. secunda divisio regno Franciæ in easdem quatuor partes facta fuit, nisi quod Burgundia regno Aurelianensi accessit, donec An. 568. *Clotharius* II. extinctis fratribus suis iterum Monarchia Franciæ potiretur, à quo tempore aliquoties Regnum Franciæ divisum fuit in 2. duo regna Austrasiæ & Franciæ. Et regno Austrasiæ sola hodie superest Austria, quæ nomen illud retinuit.

C. *Merovingi à Maioribus Domus potestate & regno exuti sunt.* Anno 687. primò in Gallia instituti fuerunt *Maiores Domus*: quod officium complectebatur totam potestatem Regiam pręter titulum & coronam. In eorum manu & pax & bellum: ac qui ab eo tempore regnaverunt Reges non nisi titulo tales fuerunt. Quod ergo sub *Caliphis Saracenorum* fuerunt Sultani, hoc in Gallia Majores Domus, qui postea sub *Carolingis* dicti fuerunt Comites stabuli, sed paulatim omnem suam potestatem ita amiserunt, ut nihil præter nomen ipsis restaret, quod superioribus annis omnino concidit Maximus ex his majoribus Domus fuit *Carolus Martellus*, Princeps omnium, quos Gallia unquam habuit, pugnacissimus, *Caroli* Magni avus, qui multoties oblatum titulum Regis animosè contempsit, dicens, malle se Regis Dominum quàm Regem esse. Vltimus *Merovingorum* Regum fuit *Chilpericus* IV. cognomine stupidus, qui à *Zacharia* Pontifice R. exauctoratus

ac in cœnobium detrusus fuit. Atque ita regnum à Merovingis ad *Carolingos* translatum fuit. Quod exemplum Pontifices R. imposterum in consequentiam traxere, ac penes se esse Reges creare & deponere hujus facti argumento asseruerunt. Præcipuè tamen in causa *Henrici* III. quo nemo Regum Galliæ fuit similior Chilperico. Hæc Regni à Merovingis ad Carolingos translatio tanquam fundamentum Pontificiæ potestatis habitum fuit.

CI. *Regnum Galliæ sub Merovingis diu fuit electivum.* Hæc est sententia Hotomanni sive potius Philippi Marnixii, Domini de Sancta Aldegonda, qui censetur esse author Vindiciarum contra Tyrannos, quæ editæ sunt nomine Stephani Iunii Bruti, eámque probat ex Gregorio Turonense & Aimonio, à quibus dicitur Pharamundus electus, itémque *Pipinus*, ejúsque liberi *Carolus &* *Carolus Magnus*. Præterea ipsos Ordines Galliæ potestatem habuisse abdicandorum Regum. Ita Childericum propter flagitia & libidines publico consilio regno expulsum, itémque Childericum alium Anno C.578. *Theodoricum* A.657. & A.890. Ordines neglecto Carolo *Ludovici* Balbi filio elegerunt Ottonem. Hanc sententiam confutat Bodinus 6. de Rep. cap. 5. productis ex Agathia & Cedreno, scriptoribus Græcis, rationibus. Sed profecto testimonia illa paulo longiùs petita sunt, ac nisi ex Gregorio Turonense & Aymonio antiquissimis ac indigenis Francorum historicis probari possit regnum Galliæ sub Merovingis fuisse hæreditarium, frustra ad Græcos, quorum in rebus Germanicis & Gallicis pudenda ignorantia est, provo-

provocatur. Ipse Bodinus præclarum argumentum suppeditat antiquæ Regum apud Gallos electionis ex archivis Rhemensis *Bibliotheca*, in quibus traditur duos Episcopos Laodunensem & Balluacensem rogare populum in Regis coronatione solitos, num Regem initiatum regnare velint, & responsum uno ore omnibus ter acclamantibus Laudamus, Volumus, Fiat. Nam quæ Bodinus ad enervandum hoc argumentum profert, non expediunt ipsam difficultatem, sed omnino comprobant regnum Franciæ fuisse aliquando electivum. Cur enim alias rogaretur populus proculdubio ex antiquissima formula, Num velit regem regnare? Cur itidem acclamarent illi, Laudamus, Volumus, Fiat: quæ de simplici approbatione vel etiam voto accipi non possunt. Præterea ipse mos creandi primos Francor. Reges ostendit regnum illud sub initia electivum fuisse. Quippe Rex novus scuto militari impositus ac humeris sublatis ostendebatur populo, quem ritum omnes scriptores antiqui vocant electionem. Quod quidam dicunt electionem in illo casu accipi pro elevatione, id & absurdum & planè inusitatum est, inprimis ridicula probatio, quam adfert Arnisæus ex Annalibus Germanicis, in quibus dicitur ad Annum 1077. Rudolphus indigena Sueviæ in Regem elevatur, quod ille putat perinde esse, ac in regem eligitur, id quod extra controversiam est: sed contra ipsum manifestè pugnat. Si enim perinde est elevari ac eligi: E. prisci Gallorum Reges elevati, fuerunt quoque electi. Huic ergo responsioni tanquam inutili subjunxerunt aliam, nim: electionem illa ætate acceptam esse

per approbationem, ad quod probandum producunt Canonem *Concilii* III. Toletani, cujus hæc ſunt verba: Si quis ad Regię Majeſtatis ambit pervenire faſtigia, quem nec electio omnium præficit, nec *Gothicæ* gentis ad hunc apicem attollit Nobilitas, ſit conſortio Catholicorum privatus: quæ probatio iterum eſt infirma, cum certiſſimum ſit antiquum regnum Gothorum fuiſſe electiuum: & ipſe Covarruvias ſcriptor Hiſpanus, Theologus ac ICtus ſummus hoc anathema accipit de libera electione Regum Gothorum ante tempora *Pelagii* I. Ex quo Arniſeus perquam abſurdè concludit, dicens, Si *Covarruvias* hoc anathema rectè accipit de electione Regum Gothorum antè *Pelagium* I. tum ſequitur maledictos eſſe omnes Reges, quicunque inde à Pelagio in Caſtilia, Luſitania, Aragonia, Navarra, Legione rerum feliciter potiti ſunt. Quaſi verò antiquæ Gothorum leges obligaſſent cunctos ipſos ſucceſſores, cum tamen *Rodericus* in fatali illa deſtructione regni Gothici ſuo ſepulchro & nomen & leges Gothorum intulerit. Sed, inquit Bodinus, vulgari proverbio dici Regem Francorum immortalem eſſe. Sed unde probabit hoc proverbium jam obtinuiſſe tempore Merovingorum, ac ut maximè id concedas, num verò conſequitur, quæcunque à vulgo dicuntur ſtatim vera eſſe. Sic vulgari proverbio dicitur, Regem Francorum eſſe Regem Aſinorum, neque tamen illud verum eſſe concedent Franci. Arniſeus his verbis concludit ſuum argumentum. Electionis ergo verbum per conſenſum interpretantes omnes Gallorum, ſeu Francorum Reges à ſtirpe ſucceſſiſſe, excepto eo

caſu,

casu, quando necessitas ex electione remedium adferre cives coëgit. Cum autem nullum idoneum argumentum hujus acceptionis adferatur, nondum recedere possumus à propria acceptione vocabuli Electionis. Vnum tantùm superest argumentum pro hæreditaria Regum Franciæ successione, quod nimirum multoties Regnum illud inter filios æquali portione divisum fuerit. Et verum quidem est divisionem patrimonii proprium hæreditatis consequens esse. Non tamen omnis divisio necessario & sponte infert absolutam successionem. Quis enim ignorat plures interdum simul eligi Reges? Ac ubi distincta regna sunt, diversos quoq; eligere Reges possunt. Sic olim Navarreni & Aragonii discordes secessione facta separatos habere cœperunt Reges eosque electivos. Ita cum Austrasia, Burgundia, Neustria, & Francia separata fuissent regna, aliquoties pro numero regiæ prolis diversos sibi præfecerunt Reges.

CII. *Sub* Carolo Magno *Regnum Franciæ florentissimum fuit.* Conditor secundæ familiæ Regum Francorum fuit *Pipinus* cognomine *Parvus* seu Brevis. Sed non ab eo, verum à filio *Carolo* denominata Dynastia fuit. Incrementum Regni Francorum consistit primò in Italia, quam *Pipinus* evocatus à Zacharia Pontifice R. eripuit Longobardis. Secundò, in ipsius Imperatoris Romanorum diu desueto & tum demum revocato titulo. Tum enim inde usque ab A. C. 475. extinctum fuisset axioma Imperii Romani in Occidente. Carolus M. A. C. 800. ipso die nativi-

tatis Christi Romæ à *Leone* III. Pontifice proclamatus fuit Imperator & coronatus acclamante populo R. *Carolo Augusto* à Deo coronato diu felici, vita, salus & victoria. Circa hunc actum magnæ occurrunt controvarsiæ. Pontifices enim Romani dicunt à *Leone* III. propria authoritate & potestate translatum fuisse Imperium Romanum à Græcis ad Latinos ac nominatim Francos. Nam ut omittam: quæ Pontifices hinc inde usque à *Gregorio* VII. iniquè ac tyrannicè propterea patraverunt contra Imperatores Romanos, ausus adhuc fuit *Pius* V. superiori seculo ad *Maximilianum* II. Imperatorem scribere, esse facultatem regios titulos conferendi Ecclesiæ, & ab ipsa in Germanos pervenisse imperium. Electores nullo jure nisi ex concessione Pontificis posse eligere Imperatorem: multos Imperatores à Pontificibus promotos, multos depositos, non esse rem novi exempli, ut regna à Pontifice modo dentur, modo auferantur. Et ante illa tempora *Thomas* de Aquino scripsit: *Tantùm in Germania duraturum Imperium, quantum Romana Ecclesia expediens judicaverit*, quæ adeò falsa sunt & tam malè deducuntur ex coronatione *Caroli* M. ut planè contrarium evidentissimum sit. *Carolus* enim Magnus suis armis ac victoriis Germaniam, Italiam ac magnam Hispaniæ partem domuit. Ejus majestatem comiter colebant, quotquot Regum in Europa erant, adeò ut à Persis quoque & Afris legati ad eum cum preciosis donis mitterentur. Cum ergo ad tantam pervenisset potentiam, præclarum consilium cepit fractas Imperii partes iterum conjungendi

per

per conjugium cum Irene, Constantini *Leonis* IV. Imperatoris Constantinopolitani vidua. Ac jam res transacta erat per tabulas clandestinas, cum Græci Proceres inveterato contra Latinos ac præcipuè Francos odio refragari & tanquam induceretur patriæ servitus ab extera Francorum gente, Irenem ipsam imperio amovere & totum *Caroli* Magni negocium disturbare. Non tamen *Carolus* deposuit cogitationes, de Imperio per Occidentem instaurando, cum nosset populi R. eo spectare vota & suffragia, nec Pontificis Romani aliæ in toto illo negocio partes fuerunt, quam *Ministeriales*. Coronavit ille Imperatorem tanquam Episcopus Ecclesiæ, non verò eum creavit tanquam Dominus Romæ vel Italiæ, & extant hodiéque epistolæ *Leonis* Papæ ad *Carolum* Magnum, quas primum evulgaverat Matthias Flaccius Illyricus. Sed ante aliquot annos demum ex antiquissimis membranis edidit *Hermannus Conringius*, ex quibus patet *Leonem* III. sibi haudquaquam arrogasse aliquod Ius vel Imperium in Carolum M. cum illum ubique humillimo obsequio colat ac veneretur. Præterea constat ex omnium historicorum fide Pipinum patrem *Caroli*, ipsumque *Carolum Exarchatum* Ravennæ aliásque per Italiam urbes liberaliter donasse Pontifici Zachariæ & *Leoni*, sed hac conditione, ut jura Majestatis ac potestas eligendi Romani Pontificis penes ipsos eorúmque posteros remaneret, quibus rebus, inquit Bodinus, non modo libenter Pontifex annuit, sed etiam ut Pipinus Imperatorem se appellaret, pene persuasit. Qua ergo cum impudentia asserunt Pontificii

ſcriptores penes ſe fuiſſe jus transferendi Imperii, qui tamen ante tempora Pipini ne oppidulum quidem proprio jure ac dominio poſſéderunt, ſed omnia ſua incrementa, opes ac poſſeſſiones & ipſum illud Divi Petri patrimonium Carolingorum liberalitati debent. Hæc ergo eſt illa donatio, quam Canoniſtæ plus quam Diabolica malitia transformarunt in donationem Conſtantini Magni, eamque tot fabulis, tot mendaciis exornarunt, ut Batrachomyomachia Homeri longè majorem fidem mereatur. De *Carolo* M. obſervandum contra temerariam Gallorum negationem cum & nativitate, & habitatione, & lingua & moribus fuiſſe Germanum, quod ſumma malitia negat Bodinus c. 7. methodi hiſtoriar. cui non alium opponimus teſtem, quam ipſius *Caroli* Magni Cancellarium atque etiam generum Eginhardum ſcriptorem vitæ *Caroli* Magni, ex quo luce meridiana clarius eſt *Carolum* M. fuiſſe Germanum, ac totam ferè ætatém ſuam tranſegiſſe *Aquiſgrani*, vel Ingelhemii prope Moguntiam, ut omnino *Carolus* M. poſſederit Imperium, non tanquam Rex Francorum, verùm ut Rex Occidentis, neque dici debet tranſlatum Imperium à Francis ad Germanos, cùm æquali jure participaverint de eo & Germani & Franci. Obſervandum quoque regnum Galliæ ſub Pipino, *Carolomanno* & *Carolo* Magno fuiſſe electivum, idque confitetur Bodinus, cuius verba ſunt libro *6.* c. 5. Siquidem *Carolus* primum dein *Carolomannus*, uterque Pipini filius, Nobilitatis ſuffragio Reges creari voluerunt, id feciſſe conſtat, ut Imperium adverſus Meroveorum reliquas, potentiorum

opibus

opibus & gratia tuerentur. Quocunque fine id fecerint, satis est eos Regum creandorum potestatem detulisse ad Proceres, si potiorem censuissent successionem hereditariam nunquam id facturi. Habuit ergo Regnum Galliæ sub *Carolo* Magno summum suum fastigium, ac mox eo extincto declinare, contabescere, denique & emori familia *Carolingorum* cœpit, ut quod *Alexander* Magnus Macedonibus suis, idem *Carolus* Gallis fuerit. Sub eo regnum Galliæ sincerè factum fuit hæreditarium una cum toto Imperio: Germania & Italia, ac omnia privati instar patrimonii inter filios ejus ac successores per lubitu profusa. Præterea accessit ratio Galliæ per *Carolum* Magnum Saxonia victo Wittekindo: Bavaria, Thassilone in monasterium detruso, quæ duæ regiones ab eo tempore Duces vel etiam Reges ex domo Francia habuerunt.

CIII. *Plerique per Galliam, Belgium & Germaniam principatus ab illis conditi. Carolus* M. Wittekindo ultimo Saxonum Regi ad fidem cōverso Ducatum Saxoniæ, Westphaliæ & Angriæ dedit, ex quo comitatus Oldenburgensis & alii quamplurimi orti sunt. In Gallia *Thursinus* A. C. 779. Comes Tholosæ, Burdegalæ, Narbonæ & Provinciæ factus est, ex quo descendere Comites Pictonum, Phocensium, & Castelli boni. Pannoniam filio suo *Carolo*, Italiam Pipino & Bernardo utramque regni titulo attribuit. Sub *Lothario* II. regnum Austrasiæ appellari cœpit Lotharingia, quæ etiam divisa fuit in comitatum Burgundiæ & Arelati. Sub *Carolo Calvo* comitatus Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Geldriæ, &

regnum

regnum Provinciæ, itemque Ducatus Fori *Iulii*, *Spoleti*, &c. initium habuerunt. Atque ita plerique Principes originem suam referunt ad tempora Carolingorum.

CIV. *Duodecim Pares ac Parlamenta sub iisdem originem habuisse videntur.* Ita vulgò tradunt, & Pipinus *Caroli* Magni Pater Parlamentum Parisiense instituisse dicitur, *Carolus* M. 12. Pares Franciæ, quorum sex Ecclesiastici, Remensis, Laodunensis, Lingonensis, Bellovacus, Noviodunensis, Cataulonensis, sex seculares Burgundus, Normannus, Aquitanus Duces, Flander, Campanus, Tholosanus Comites. Sed ex ipsa enumeratione patet longè posteriorem esse horum originem. Neque enim tempore *Caroli* M. ullus Burgundiæ vel Normandiæ Dux, neque Comes Flandriæ vel Campaniæ fuit, ut omnino statuendum sit originem & Parium & Parlamentorum longè esse recentiorem. Constat sub Merovingis atque etiam *Carolingis* magnam comitiorum in Francia authoritatem fuisse, adeò ut *Hottomannus* in *Franco-Gallia* multis argumentis ostendat Reges Francorum antiquos nullam habuisse partem nisi in comitiis. Quam diu floruerunt comitia vel nullus vel rarus usus Parlamentorum & Parium fuit, ut origo eorum referenda demum videatur ad Tertiam Periodum & familiam Capetingorum.

CV. *Decreverunt* Carolingi *divisione regnorum, mutuis dissidiis & propria ignavia.* Extincto *Carolo* M. successit *Ludovicus Pius*, qui A.C.817. inter tres filios regnum divisit, ita quidem ut *Lotharius* Francorum *Pipinus* Aquitaniæ, *Ludovicus*

Bojariæ

Boiariæ & Germaniæ reges fierent. Sed duo posteriores ac divisione non contenti A.838. fratrem suum *Lotharium*, post gravem illam in pago Altissiodorensi pugnam ad novam & secundam divisionem adegerunt,& ipse *Ludovicus* Pius à collegio Episcoporum ab imperio spoliatus & in carcerem conjectus fuit, donec à Principibus in integrum restitueretur. Ab eo tempore Francorum regna variis divisionibus exorta, hæc fuerunt, Regnum *Franciæ*, *Neustriæ*, *Lotharingiæ*, Burgundiæ, Austrasiæ, Aquitaniæ, Bojariæ, Germaniæ,Italiæ,Saxoniæ, Provinciæ, donec tandem omnia sub *Carolo* III. Crasso iterum conjungerentur,qui primus post *Carolum* Magnum Galliæ, Germaniæ, Italiæ R. & Imperator fuit. Eo extincto divelli iterum ac dilacerari Monarchia Francorum in 6. partes. Nam *Arnulphus* Germaniam ac Imperium occupavit, *Berengarius & Guido* Italiam, Burgundiam *Rudolphus*, Belgium *Rudolphus*,Provinciam *Guido*,Aquitanniam *Otto*, & ab eo tempore *Carolingi* quasi decursa periodo sua marcescere, ac primo quidem amittere Germaniam ac Imperium, quod post obitum *Ludovici* IV. ad *Conradum* Ducem Franconiæ Orientalis delatum fuit,à cujus etiam tempore apud Germanos perduravit. Fuit ergo varia & plerúmque misera *Carolingorum* post obitum *Caroli* M. fortuna,cum Normanni, Hungari, Slavi invasiones horrendas quotannis facerent, & ipsi mutuis sese conficerent bellis: inter quæ gravissimum illud fuit, quod inter tres filios *Ludovici Pii* pro divisione regnorum gestum fuit. Nam unico prælio totius Franciæ Nobilitas periit, neque recuperare

imposterum

impoſterum antiquam fortunam ulla ratione potuit.

CVI. *Sub* Carolo *Simplice ortus eſt comitatus Friſiæ.* A. C. 913. Quod ſupra origo comitatus Hollandiæ relatus fuit ad tempora *Caroli* Calvi & Annum Chriſti 863. ex opinione recepta eáque falſa eſt. Demonſtrant enim ex publicis tabulis ac inſtrumentis *Ianus Douſa* l. 5. Bataviæ, & *Vbbo Emmius l.* 5. Hiſtoriæ Friſicæ Comitatus Hollandiæ originem non eſſe referendam ad *Caroli Calvi* ſed *Simplicis* tempora; ſub quo *Dietericus* Vir Nobilis & ſtrenuus origine Friſius obtinuit comitatus titulo magnam antiquæ Friſiæ & Bataviæ partem, terras quotidianis Normannorum incurſionibus ferè devaſtatas, eo fine ut defenderentur contra barbaros. Et notandum malè vulgo appellari Comitatum Hollandiæ, quem *Carolus Simplex* Dieterico dedit, cum dicendus ſit Comitatus Friſiæ vel Weſtfriſiæ: quod Douſa loco citato & Beka in hiſtoria Vltrajectina probant. Ratio duplex; tum quia totus ille terrarum tractus ſub *Carolingis* Friſia dictus, tum quia omnes Comites à *Dieterico* I. uſque ad quintum ejus nominis, Friſiæ vel Weſt-Friſiæ Comites appellantur, ſub quo comitatu præter Frinam Hollandia, Zeelandia, Trajectum & aliæ ditiones uſque ad urbem *Neomagum* cenſebantur. Nam *Neomagum* priſcus regni Friſiæ limes fuit, quod comprobatur ex vetuſto ſaxo, cui inſcriptum: *Hucuſque ius Stauriæ.* Vulgò dicunt *Stauriam* accipi pro tributo. Abſurde: Quis enim exiſtimet jus tributorum in Imperio Germanico vel *Francico* terminatum fuiſſe ad Neomagum? Omnino ergo Stauria urbem Friſiæ regni

regni Principem *Staveram* denotat, cujus hodiéque supersunt reliquiæ. Atque hinc *Lambertus Schaffnaburgensis* Rhenoburgum & Flardingam, recentioris Hollandiæ municipia, vocat Frisiæ urbes. Scripsit autem ille tempore *Henrici* III. Imperatoris, & *Hermannus* Contractus coævus *Friderico* I. Barbarossæ Trajectum urbem Frisiæ appellat. Videatur Lipsius lib. 1. Lovanii. Quod si jam Hollandiæ nomen tempore *Caroli Calvi* vel Simplicis fuit, id potius Normannis quàm Frisiis adscribendum erit. Quippe constat à Danis utrumque nomen & Hollandiæ & Zeelandiæ fluxisse, in quorum regno hodiéque extant cognomines provinciæ Hallandia, & Seelandia, Selandos esse coloniam Danorum egregiè probabit M. Zuerius *Boxhornius*.

CVII. *Britannia sub* Carolingis *ex regno in Comitatus ac Ducatus formam redacta fuit. Armorica* Veteris Galliæ provincia tempore *Valentiniani* III. vel, ut alii volunt, *Gratiani*, incolas ex Britannia accepit tum à *Maximo* tyranno evocatos, tum ab Anglo-Saxonibus pulsos. Hi Britanni regnum condiderunt in Gallia, quod Minor Britannia appellatur. Primus Rex circa A. C. 380. fuit *Conanus*, à quo longa serie in Britannia Gallica usque ad A. C. 300. regnatum, ea tamen conditione, ut hi Britanniæ Minoris Reges essent Vasalli Regum Franciæ, à quibus multoties defecerunt. Controvertitur inter Historicos, Regésne Britanni habuerint, an verò Duces. Dubium movet *Gregorius Turonensis* scriptor ea in re fide dignus, quippe qui ipsius Britanniæ Archi-Episcopus fuit, & jura illius regni nec potuit, nec debuit ignorare,

ignorare. Is lib. 4. Hist. Francicæ cap. 4. ita inquit: Semper Britanni sub Francorum potestate post obitum Clodovei fuerunt, & Comites, non Reges appellati sunt. Obiit autem Clodoveus An. 511. Huic repugnant tot alii Historici, *Sigebertus* Gemblacensis, *Lambertus* Schaffuaburgensis, *Otto* Frisingensis Regino, Chronicon Fuldense, & alii multi, qui Reges Britonum usque ad A. C. 900. recensent. Solutio facilis: Gregorius Turonensis loquitur de stylo Curiæ Francorum, in qua Principes Britonum non nisi Comites appellati: cæteri scriptores loquuntur secundùm stylum curiæ Britonum, qui suum Principem appellarunt Regem. Et hoc non esse inusitatum multis exemplis ostendi potest. Ita Princeps Russorum à Russis non nisi Magnus Dux appellatur; Livones autem eum vocarunt Regem, quod testatur Sigismundus Baro Herberstenius. Ita Vandalorum & Normannorum Principes indifferenter ab hoc Reges, ab alio Duces appellantur. Post tempora Alani, qui ultimus fuit Britonum Rex, successerunt Comites ac dein Duces, qui durarunt ad A. C. 1500.

CVIII. *Capetingi hodie regnant.* Sub ultimis *Carolingis*, orti ex posteris Wittekindi Ducis Saxonum *Hugo* Magnus & *Hugo* Capetus, Comitatum Parisiensem obtinuerunt, cujus ea ferè fuit Potestas, quæ olim sub *Merevingis Maiorum Domus* seu Comitum stabuli. Hugo Magnus ille est, à quo derivatum fuisse Hugonottarum nomen *Thuanus & Strada* tradunt. Post obitum ergo *Ludovici* V. seu potius VI. *Hugo* Capetus Comes Parisiorum exclusa *Caroli* Magni stirpe regnum

Franciæ

Franciæ invaſit. Reſtabant ex *Carolingis* duo adhuc *Carolus* Dux Lotharingiæ & filius ipſius *Otho*, quibus duplici prælio victis regni poſſeſſionem ademit Capetus. Atque hinc eſt, quod hodiéque Lotharingiæ Duces ſe veros *Caroli* Magni ſucceſſores, atque etiam legitimos regni Galliæ hæredes jactant, contra verò omnes Capetingos pro invaſoribus & Tyrannis habent; de qua controverſia ſtante adhuc Ligua, & florente Guiſiorum potentia ſub *Henr.* III. integri editi fuerunt libri, neque aliunde fluxit humanitus loquendo ipſa *Ligua* & Hugonottarum per Galliam factio, quam ad reprimendam hanc antiquam *Carolingorum* prætenſionem. Quippe cum jam ferè extincta Valeſiorum familia ſoli ex *Capetingis* teſtarent Bourbonii, inter iuſos ac Guiſios *Carolingos* ortæ fuerunt æmulationes de ſucceſſione in regnum. Guiſii Pontificem Romanum, Hiſpanum alióſque Principes Pontificios in ſocietatem ſuam aſciverunt. Bourbonii, quorum caput *Ludovicus* Princeps Condeus, itémque Henricus tum temporis Rex Navarræ ad partes Proteſtantium ac Hugonottarum ſe contulerunt. Tantas controverſias etiam antiquiſſima aliqua injuria in regnis hæreditariis excitare poteſt.

C I X. *Sub iis comitiorum authoritas abolita.* Fatetur hoc *Hothomannus* cap. 17. Franco-Galliæ, idque refertur ad ipſum Hugonem Capetum, quem ferunt, quod videret illa regna, quæ nimium indulgent comitiis plerumque ad Ariſtocratiam delabi, paulatim enervaſſe jura Comitiorum. Sed ſi credimus *Philippo* Cominco, qui non potuit eſſe peritiſſimus rerum Gallicarum, res longè

aliter

aliter se habet, & Comitiorum authoritas usque ad tempora *Ludovici* XI. integra stetit. Verba Cominæi lib. 9. Commentariorum hæc sunt: Primus omnium *Ludovicus* XI. pro suo arbitratu pecuniam imperavit sine consensu populi. Vt autem voluntate Principum sibi liceret exigere pecuniam per ipsorum ditiones, promittebat eis pensiones annuas. Magnum ille profectò vulnus inflixit Galliæ, quod non facilè curabitur. Nam priorum Regum nemo Galliam sic afflixerat, ut ipse. Sunt & alia apud eum authorem loca, ex quibus patet, magnam adhuc Galliæ libertatem & satis strictam Regum potentiam fuisse usque ad tempora *Ludovici* Vndecimi qui velut alter Tiberius evertit Parlamenta & Comitia. Inprimis memorabilis est locus Cominei: Haud dubiè verò multum imminuta fuit potestas Ordinum inter bella Anglica, cum ingentibus præliis præcipuæ familiæ extinguerentur, remanentibus illis solùm, qui vocantur Principes Sanguinis, quibus cum agnatum sit jus succedendi in regnum, non præsumuntur quidquam quod ad diminutionem potestatis regiæ spectat, affectare vel consentire velle. Successerunt in locum comitiorum 12. Pares & Parlamenta. Ac quam recens sit Parium Franciæ ordo exinde colligitur, quod eorum vix ulla mentio occurrat ante tempora *Philippi* II. & *Philippi* III. id est, A. C. 1100. ac nonnulli Franciæ historici institutionem Parium referunt ad tempora *Ludovici* VII. & A. C. 1179. Vtcunque autem origo Parium se habeat,

id ſatis conſtat, non adeò magnam eorum fuiſſe authoritatem: & inſervire potius Regum libidini, quàm iiſdem adverſari ſolebant, ut nimirum haberent inſtrumenta ſervitutis etiam Principes. Videndum nunc an major Parlamentorum fuerit authoritas. Principio non eſt judicandum ex ipſa voce; & Parlamenta, prout hodie obtinent, vix umbram priſcæ libertatis retinuerunt. Alia longè ratio eſt Parlamentorum Angliæ, penes quæ ſumma totius regni poteſtas eſt: quæ non ſunt ſtata, ordinaria vel ulli loco aut ordini hominum affixa, ſed liberè ex tota univerſitate à ſolo populo viritim eliguntur. At verò Parlamenta Galliæ nihil aliud ſunt, quàm Collegium ICtorum, neque eliguntur à populo ſed à ſolo Rege, ſuntque curiæ ſtabiles ac perpetuæ ad controverſias potius privatas ac minores, quàm Regni negotia conſtitutæ. Vna autem ratio eáque validiſſima eſt, cur nullam ſibi adſcribere poſſint poteſtatem Parlamenta Galliæ, quia Regis ſtipendiarii ſunt. An enim credibile eſt Regem ſuis ſtipendiis ex infimo hominum Ordine conducturum, qui ſibi imperent & jura majeſtatis exerceant? Nam quod Bodinus Parlamenta Galliæ comparare audet cum comitiis Germanorum Principum, id adeò ſtolidum eſt, ut refutatione non indigeat. Hinc Parlamenta Galliæ ſunt nihil aliud, quàm inſtrumenta Regum, per quæ pro lubitu poſſunt decipere populum. Quod Rex promiſit ratum non eſt, niſi confirmetur à Parlamento & quod Reges libenter vellent eſſe infectum hoc reiiciunt in Parlamenta. Sic *Franciſcus* I. in Hiſpania captivus renunciaverat omni juri ſuo in Flandriam

& Burgundiam. Eo vix dimisso Parlamentum Parisiense refragari, irrita Regis promissa pronunciare: adeóque fidem semel datam frangere haud invito *Francisco*, cui nihil gratius accidere poterat, quàm quavis recti specie liberari à tam damnosa conditione. Igitur Reges Galliæ agunt & decernunt vel contra Parlamenta vel cum illis, prout commodum & utile. Sic *Henricus* IV. in causa pacificationis inter Hugonotas & Catholicos cum Parlamentum manibus pedibúsque refragaretur exercitio libero utriusque Religionis, respondit: Condidi edictum & volo ut id observetur: Mea voluntas vobis debet esse ratio. Ego nunc sum Rex, & loquor ut Rex, & à vobis obedientiam ut Rex exigo. Secundò Parlamenta Galliæ prout hodie sunt à singulis denominata urbibus originem suam referunt ad tempora *Ludovici* X. Huttini & A. C. 1314. Is primus Parlamentum Parisiis constituit, quæ plerumque ordinaria comitiorum sedes fuerat. Hoc exemplo per alias quoque Provincias paulò post Parlamenta nata sunt, Burdegalæ in Aquitania seu Gasconia, Tholosæ in Languedocia, Gratianopoli in Delghinatu, Divione in Burgundia, Aquis Sextiis in Provincia, Rothomagi in Normannia, Rhennesii in Britannia, quibus tandem accesserunt duo Metense in Lotharingia, & Pavense in Bearnia. Hæc omnia Parlamenta æqualem potestatem habent, nec unum alteri subiicitur, nisi quod major in Parisiensi authoritas propter ordinariam Regis præsentiam, urbísque & ditionis amplitudinem.

C X. *Præcipui hostes fuerunt primò Angli deinde*

deinde Hispani. Cùm Normanni ſub Wilhelmo Conqueſtore A. 1069. Angliam expugnaſſent, formidabilis eorum potentia Regibus Galliæ eſſe cœpit, cùm in Gallia ampliſſimum Normanniæ Ducatum tenerent. Cúmque hæc inſita mortalibus natura ſit recentem aliorum fortunam ægris oculis introſpicere, *Philippus* I. Rex Francorum prima belli contra Anglos initia fecit, quod acrius ſub *Ludov.* VI. Craſſo exarſit inter ipſum & *Henr.* I. Regem Angliæ. Initium tenue fuit, è ludo inter filios utriuſque Regis ac mox pro unico oppidulo ortum. A quo tempore per quinque ſecula vel apertum bellum vel infida pax inter Anglos & Gallos fuit, incredibili cum Galliæ damno, cum Angli ampliſſimarum Normanniæ & Aquitaniæ provinciarum Domini facilem inſuper exſcenſionem facerent, Galli verò vel nunquam vel rariſſimè pedem in Angliam inferre auderent, niſi quatenus Scotorum fœdere intromitterentur. Hæc odia aucta fuerunt ſub *Ludovico* VII. cum uxorem eius *Eleonoram* Aquitaniæ hæredem propter adulterii ſuſpicionem repudiatam *Henricus* II. Angliæ Rex duxiſſet, atque eo matrimonio præter Normanniæ & Andegavi Ducatum tota inſuper Aquitania potius fuiſſet. Certum erat duos tam potentes Reges ſimul in Gallia regnare non poſſe. Ergo alter in alterius perniciem perpetuò intentus fuit. Hinc aucta per utrumque bellum rebellio, cum ſubditi ab uno ad alterum facile tutúmque perfugium haberent. Conatus fuerat Pont. Romanus hæc & alia Principum Chriſtianorum diſſidia expeditione ſacra in Palæſtinam vel ſopire vel extinguere.

Sed tum maximè animi inflammati sunt. Quippe cum *Phil.* II. Galliæ & *Richardus* I. Angliæ Reges simul in Palæstinam profecti fuissent, ibi orta æmulatione ad bellum gerendum in Europam reversi sunt. Prior *Philippus*, qui Richardo in reditu per Leopoldum Austriæ Ducem intercepto, Normanniam aliásque Anglici juris provincias impunè occupavit, & universam Angliam miserè conturbavit, maximè extincto jam Richardo. Cum enim *Iohannes* Arthurum Richardi fratris sui filium legitimum Ducatus Normanniæ hæredem nefariè obtruncasset, ac cæsi cadaver in mare abjecisset, *Philippus* II. Rex Franciæ eum tanquam vasallum suum ad causam dicendam Parisios evocavit: cúmque in persona comparere nollet condemnatus & omnibus in Gallia provinciis spoliatus fuit. Quod eo facilius *Philippo* successit, quoniam universa Anglia *Iohanni* tum temporis rebellabat, contra quem *Ludovicus Philippi* filius & postea VIII. hujus nominis Galliæ R. à Baronibus Anglis ad regnum evocatus fuit. Sed hæc tamen præludia quædam fuere majoris alicujus belli inter utramque gentem, quod A. C. 1336. inter *Philippum* Valesium & *Edoardum* III. exortum fuit. Prætextus ejus lex Salica, de qua jam suprà dictum Eam negabat Anglus, asserebant Galli. Sed Iudex omni lege violentior gladius constitutus. Hoc bellum ad 200. annos varia vicissitudine continuatum, & nunquam majores Gallia clades, quàm in illo passa fuit. *Edoardus* insignia titulúmque regni Galliæ, ut Flandros in partes pertraheret, recepit. Pugnatum ad Slusas Flandriæ oppidum navali prælio, in quo 30000. Gallorum

Gallorum mari hausta sunt. Successit alia longè funestior ad Cressiacum pugna, ubi itidem 30000. Gallorum occisa, & tum præter magnam Galliæ partem Caletum quoque ab Anglis expugnatum. Levia hæc videbantur, nisi successisset clades longè atrocior in Pictionibus. Ducebat *Ioh.* Francorum Rex sexaginta millia pugnatorum contra *Edoardum VValliæ* Principem, in cujus exercitu vix 8000. numerabantur. Deprecari conscientia virium, & infirmitatis suæ Anglus & tutum modo abitum omnibus restitutis petere: abnuere *Franci.* Igitur desperatio in virtutem vertit, & Angli communitis tota nocte castris tanta fortitudine primum Gallorum impetum exceperunt, ut momento in fugam versi ipsum Regem suum Iohannem cum multa Nobilitate captum relinquerent. Eo tempore quasi nullus superesset Gallis Rex, omnia seditionibus & Procerum factionibus implicata sunt. Dimissus post longum carcerem *Iohannes, Pictones, Sanctones, Petrigorios, Lemovices, Pontiniacos*, Caletes cum comitatu Guinarum, Normannia insuper, Andegavo, Turonibus & Aquitania, id est, plus quam dimidiam partem regni Galliæ *Edoardo* in perpetuum & absoluto jure addixit, ac Galliam sua præsentia utcunque refocillavit. Deprehensum hactenus fuerat innumeris cladibus, nihil aperto Marte contra Anglos Galliam efficere posse. Ergo *Carolus* V. *Iohannis* filius deposita pelle leonina vulpinam adsumpsit, ac plura non pugnando sed literas scribendo, pacem faciendo, consiliis, quam quisquam regum in Gallia recuperavit. Sensit *Edoardus* III. hebetari vim armorum suorum, ac sese armatum ab inermi,

victorem à victo superari indoluit. Nihilominus tamen memor humanæ fragilitatis pacem Galliæ indulsit. Hic est ille *Carolus* V. qui Sapientis cognomen ac felicis jure meritóque tulit, sed successor ipsius *Carolus* VI. sua seu stultitia seu amentia (ut alii volunt) omnia iterum subvertit & amisit. Nam à Proceribus Gallis captus & *Henrico* V. Angliæ Regi traditus fuit, qui abusus seu captivitate seu stoliditate Regis ab eo impetravit, ut exhæredato proprio filio *Carolo* VII. adoptaretur. Sic Regnum Franciæ in solidum ad Anglos pervenit, ac *Henricus* VI. Quinti filius, sexennis puer Parisiis in primario templo Franciæ Rex solenniter coronatus fuit. Ab eo tempore pessum ire res Anglorum in transmarinis regionibus, ac ipsum cœlum favere Gallis. *Carolus* VIII. quem Angli contemptim appellabant Regem Biturigum per *Iohannam* puellam Lotharingam, soluta Aurelianensis urbis obsidione, passim concidere Anglos intestinis Lancastrensium & Eboracensium odiis distractos. Vniversam Franciam recepit *Carolus* A. C. 1450. ut nihil jam in continenti Anglis reliquum præter Caletum esset. *Carolus* appellatus Victor, Augustus, Patriæ liberator, & regni restaurator. Ab eo tempore Angli Gallia exclusi, quam interdum procul ostentatis armis terrere, nunquam verò ullam in eo recuperare provinciam, ac ne unicam quidem tueri urbem potuerunt. De Expeditionibus *Edoardi* IV. videatur Comineus. *Hēricus* VIII. ultimus Regum Angliæ An. 1514. cum exercitu in Galliam trajecit, sed nulla memorabili re gesta domum revertit, tandem An. 1559. *Franciscus* Guisiæ Dux brevissimo tempore

pore Caletum regnante *Maria* expugnavit, tanto cum Reginæ *Mariæ* dolore, ut paulò pòst extincta fuerit. Tum temporis interrogatus à Gallo Anglus, ecquandonam reversuri in Galliam Angli essent? piè & prudenter respondit, Quamprimum nostris peccata vestra majora fuerint. Quasi permutatione armorum facta Anglorum bellis Hispanica successerunt sub *Carolo* VIII. Francorum & *Ferdinando Catholico* Hispanorum Regibus. Occasio fuit expeditio *Caroli* VIII. in Italiam pro Regno Neapolitano suscepta. Cúmque eodem tempore *Ferdinandus* capta Granada, & Occidentali India per Columbum detecta Monarchiam quandam animo conciperet, Galli omnibus modis sese his conatibus opponere & nolle pati superiorem. Hæc odia eo demum tempore summum incrementum ceperunt, quo per conjugium *Iohannæ* cum *Philippo Austrio Hispaniæ* Rege Burgundia totúmque Belgium ad Hispanos pervenit. Hæc omnium bellorum prima causa, quæ jam 150. annis Galliam & Hispaniam collliserunt, inprimis tempore *Caroli* V. & *Francisci* I. *Henrici* II. *ac* IV. *&* *Phil.* II. denique *Ludovici* XIII. *ac* XIV. & *Phil.* IV.

CXI. *Sub Philippo Valesio accessit Delphinatus.* Eo ipso tempore, quo maximas ab Anglis calamitates sentiebat Gallia, amplissimus Allobrogum principatus regno accessit, adverso quodam casu, qui Humbertum Principem ejus ditionis afflixit. Habebat is unicum filium nomine *Delphinum*, qui repente extinctus, orbitatem Patri miseram, lætam *Philippo* Valesio successionem reliquit. Humbertus ea conditione Prin-

cipatum suum Regno Galliæ adjunxit, ut primogenito filio ad perpetuam nominis sui memoriam nomen Delphino esset. Ipsa exinde regio Delphinatus dicta.

CXII. *Sub* Carolo VIII. *Regnum Neapolitanum accessit.* Inter omnes Regum Franciæ res, quæ recentiori contigerunt memoria, maximè memorabilis est expeditio Italica à *Carolo* VIII. suscepta. Antiquum in Neapolim jus inde usque à temporibus *Caroli* Andegavensis prætendunt Reges Galliæ, quod instauratum fuit à *Iohanna*, quæ adoptavit *Ludovicum* Ducem Andegavensem A. C. 1381. Sed hoc jus eversum fuit victricibus Arragoniorum Regum armis, qui ab eo tempore in Sicilia ordine & pacificè regnarunt usque ad A. C. 1494. quo anno fatalis illa *Caroli* VIII. expeditio cœpit, quæ magnarum in Europa mutationum causa fuit. Non enim Neapolim modo, verum universam Italiam concussit, quæ undique à Tyrannis oppressa nihil aliud quam liberationem quocunque modo anhelabat. Atque huius tempestatis varia præcesserunt præsagia, & *Hieronymus* Savanarola Vir prophetico spiritu instructus expressè prænunciaverat adventurum Regem Galliæ. Locus memorabilis apud Cominæum extat quinto Belli Neapolitani libro. Suprà dixi, inquit, de *Hieronymo*, qui *Florentinis* inter alia multa prænunciaverat etiam de Regis *Caroli* VIII. adventu, quem excitatum esse dicebat à Deo, ut per vim & arma statum Ecclesiæ emendaret, ac simul Italiæ tyrannos mulctaret. Et quoniam divinitus ea sibi monstrata esse dicebat, in plurimorum incurrebat reprehen-

prehensionem, & lib. 3. *Hieronymus* prædixerat Galliæ Regem venturum esse cum exercitu, & excitatum à Deo, ut Italiæ Tyrannos mulctaret; ideóque fieri non posse ut ei resisteretur, Pisas quoque venturum dixerat, & fore ut Florentinæ Reip. status immutaretur, quod accidit profligato Petro Medices, de cuius etiam Patre *Laurentio* locutus antea fuerat. Ad hæc divinitus sibi patefactum esse dicebat, oportere statum Ecclesiasticum per vim armorum emendari. Hic *Hieronymus* quia veritatem dixerat, paulo pòst combustus fuit. Venit tamen *Carolus* VIII. ut prædixerat, & prophetias ejus implevit. Passim ei apertæ fuerunt portæ, & incredibili cum exultatione populi exceptus fuit tanquam Liberator ac Instaurator Italiæ. Historia nota est ex Cominei quinque libris de bello Neapolitano, & inde quoque Thuanus historiam suam auspicatur. Intra aliquot annos omnia iterum amissa fuerunt, nec quidquam Gallis remansit præter ossa & reliquias exercituum suorum in Italia.

CXIII. *Sub* Ludovico XI. *introducta Monarchiâ absolutâ.* Iam suprà dictum fuit magnam olim Regni Galliæ libertatem fuisse, & mera ostentatio est, quod multi recentiorum scribunt Reges Galliæ ante multa secula absolutè imperasse. Audiamus Cominæum, Verba eius lib. 10. Comment. hæc sunt: Sunt Principes, quibus hoc frequens est in sermone, ut dicant, habere se privilegia, ut quantum velint, exigant à populo. Certè Galliarum Rex omnium minimè causam habet, ut istud de se jactet. Nec enim vel ipsi vel cuivis alii licet. Qui verò comparandæ gratiæ

causa

causa potestatem hanc illi tribuunt, ii certè parum liberaliter agunt, & provide. Paulò post mortem *Ludovici* Regis convenerunt omnes Galliæ Ordines, ut de summa Imperii statuerunt. Non deerant id temporis imperiti quidam & tenuis conditionis ac nullius usus homines, qui dicebant eiusmodi conventus ad crimen Læsę Majestatis pertinere, quod Regum imminuatur eo ipso potestas. Verum qui sic loquuntur, scelere se polluunt, gravissiméque dubio procul & Deum & Remp. offendunt. Nam eiusmodi voces solum spectant ad privatam utilitatem eorum, qui nullo suo merito vel virtute authoritatem obtinent, qui ad nullam rem honestam idonei, clandestinis susurrationibus Principum aures demulcent, & gratiam eblandiuntur, qui conventus idcirco metuunt, ne ipsorum detegatur improbitas. Aurea hæc Cominei sententia est, ex qua plus discas de statu antiquo Galliæ, quám ex centum adulatorum chartis. Ac observanda insuper hæc eius verba. Non sic loquebatur *Carolus* V. Galliarum Rex, neque verò aut *Ludovicum* aut ejus filium scil. *Carolum* VIII. qui nunc præest, sed ipsorum familiares audivi non semel in eam loquentes sententiam. Et prudenter quidem ipsorum judicio, sed revera faciebant hoc partim adulatione, partim inscientia rerum. Quibus autem artibus introducta in Galliam à *Ludovico* XI. Monarchia ex toto Cominei textu notum est, idque recentiores Galliæ scriptores non diffitentur, qui expresè dicunt primum *Ludov.* XI. authorem fuisse Regiæ in Gallia libertatis ac potestatis.

CXIV. *Sub* Ludovico XII. *accessit Mediolanum.* An. 1499. *Ludovicus* Morus Dux Mediolani ejectus, ac paulò pòst captus vitam in carcere finiit. Mox Mediolanum *Maximilianus* filius ejus recuperavit, & paulò pòst iterum à Gallis captus in carcere quoque expiravit. An. 1525. *Franciscus Sfortia* à *Carolo* V. in Ducatum Mediolanensem restitutus est, quo mortuo An. 1535. in potestatem Hispanorum pervenit, exclusis in perpetuum Gallis.

CXV. *In* Henrico III. *extincti Valesii.* Causa princeps fuit iniquissima fidelium persecutio, qua cœpta *Henr.* II. in hastiludio, *Franciscus* II. ulcere capitis, *Carolus* IX. sanguinis profluvio, *Franciscus Alenconius* mærore animi ac insania, *Henricus* III. ille lanienæ Parisiensis Architectus cultro Monachi confossus periit, ac intra paucos annos florentem Capetingorum domum infelici exitu terminavit. Id summa Deus in familia *Henrici* II. horrenda iræ suæ argumenta edidit.

CXVI. *Post obitum* Francisci II. *summa regni Galliæ conversio secuta est.* An. 1560. emersetunt duæ per Galliam fictiones Hugonotarum & Guisiorum. Nomen Hugonotarum primo auditum fuisse dicitur Cæsaroduni Turonum, impositum Protestantibus, ut suprà dictum, ab Hugone Magno Comite Parisiensi, cujus nomine pro terriculamento puerorum per aliquot secula in Gallia usi fuerunt. Videatur Thuanus lib. 24 Histor. & & Strada *Decade* I. lib. 3. Videantur etiam illa quæ supra ad Periodi secundæ Canonem ultimum dicta sunt. Religio ergo in duas divisit partes Galliam, quorum una antiquitate, & Regis majorisq; partis

partis tum favore tum auxilio nitebatur, altera initio exiguis viribus, contempta, oppressa, ex ipsis calamitatibus incrementum sumpsit. Haud dubiè *Caroli* IX. ætas minorennis, tutela *Catharinæ* Medicæ matris, Guisianorum authoritas, procerum inter se dissidia ac factiones, ingens gliscenti dissidio momentum addiderunt. Qui ergo hactenus occultati per familias, ac incogniti latebant, in Principis Condei, aliorúmque Procerum tutelam recepti, prodire in publicum, causam suam defendere, ac, siquidem vis ingrueret, arma ostentare. Accedebant Elisabethæ Anglorum Reginæ, Principum insuper Germaniæ, *Iohannæ* & *Henrici* Navarræ Regum, denique Provinciarum Belgicarum eandem ob causam tumultuantium promissa auxilia. Ita aliquandiu mutuo metu partium Gallia utcunque in pace conservata. Mox *Iacob* Esauum supplantare, ac duæ factiones non jam de gloria, sed de salute certare. Igitur A. 1569. 3. Februarii *Carolus* IX. cum Matre *Catharina* Medicea ab una, & *Isabella Hispaniæ Regina*, *Philippi II.* uxor, & *Ferdinandus* Toletanus Dux Albæ & altera parte Bajonæ in Gasconia convenerunt. Summus ac præcipuus scopus erat, consilia ac potentiam utriusque Regni, pro opprimendis per Galliam Hugonotis, per Belgium Guisiis, per Germaniam Protestantibus, capere. Atque hic conventus veluti malignorum siderum constellatio fuit, ex quo horrenda paulò post bella, omni pacis ac concordiæ spe abrupta, occasionem sumpserunt. Videatur Strada Dec. 1. l. 4. *Thuanus* lib. 3. 6. Cùm quotannis per Galliam novum sive bellum sive Pax esset,

esset, ac utriusque partis æquè magno cum damno pugnaretur, duo pro enervandis Hugonotis consilia prævalere visa sunt, sive ut instituto colloquio erroris convincerentur, sive ut, pace facta, spe amplissimorum præmiorum inescati repente omnes obtruncarentur. Institutum ergo fuit colloquium Possiacenum A. C. 1561. in quo præcipuæ partes Cardinalis Lotharingi & *Theodori Bezæ* fuerunt. Aderat Rex, Regina Mater, omnium Procerum ac totius aulæ splendor. Beza quasi *Paulus* aliquis coram Festo & Agrippa causam Evangelii tanta cum spiritus divini vehementiâ defendere, tanto eloquio exornare, ut nemo adversariorum dicentis sustinere vim, vel refragari posset. Ac professus ipse Cardinalis Lotharingus fuit, optare se aut mutum in illo conventu fuisse Bezam, aut, qui aderant, omnes surdos. Eventus colloquii hujus longè alius fuit, quàm sibi promiserant Pontificii, ac quamplurimi etiam, qui diversa sentiebant, mitius de Hugonotis sentire. Secutum ergo statim fuit bellum A. 1562. inter *Franciscum* Guisiæ Ducem, & *Ludovicum* Bourbonium Principem Condeum: cæsa in prælio ad Druidum urbem in Normannia utriusque partis millia novem. Ipse Condeus equo collapso in Guisianorum potestatem venit. Post brevem pacem iterum arma commota, ac *Lud.* Condeus eo potentiæ partes Hugonotarum deduxit, ut ipsam Lutetiam Parisiorum obsideret, ac *Annam* Momorancium Galliæ Connestabilium ex urbe erumpentem cruento prælio ad *S. Dionysium* profligaret A. 1567. Biennio post Tertium Bellum successit, in quo Princeps Condeus fortissimus

Heros

Heros ad Iarnacum fortiter pugnans in prælio captus, ac contra fidem datam à Montesquio *Henrici* Andegavensis Ducis Excubiarum Præfecto sclopeto trajectus occubuit, eíque in imperio Hugonotarum successit *Caspar Colineus Galliæ Admiralius*, ac eo ipso anno memorabilis illa ad *Manconturum* pugna commissa fuit, jámque ita invaluerant *Evangelicorum* partes, ut bello plerumque superiores essent. Igitur deposita pelle leonina vulpinam adsumpserunt *Guisiani*, ac A. C. 1570. facta in perpetuum pace, de nuptiis quoque *Henrici* Regis Navarræ cum *Margaretha Caroli* IX. sorore actum fuit, & earum prætextu pellecti Lutetiam *Caspar Colineus*, & plerique alii Reformatæ Religionis Proceres, 24. Augusti, die *Bartholomæo* sacra, crudelissime trucidantur, ac eo momento horribilis per universam Galliam laniena cœpit, ausúsque fuit *Carolus* IX. publicè atrocissimi illius parricidii invidiam in se recipere, ac æterna nominis sui cum infamia profiteri, se volente ac jubente tot hominum millia interfecta. De quo quale judicium fuerit aliorum Principum Pontificiorum, inprimis *Maximiliani* II. Imperatoris, apud Thuanum & alios legere est. Hæc nefaria proditio ac conspiratio Hugonotas planè in desperationem egit, ac illi ab eo tempore ferro & flammâ ita devastare Galliam, ut plures arcium, templorum, monasteriorum ruinæ extiterint, quam in laniena Parisiensi homines interfecti: ac planè ultio tanto scelere digna sumpta fuit. Ergo omnes iterum furiis consurrexerunt Hispani, Guisiani, ac icto inter se fœdere novo, quod Liguam sacram dixe-

dixerunt, instaurare antiqua bella, ac pervicacissimis armis exscindere *Hugonotas*, quorum Dux erat *Henricus* Rex Navarræ. Et cum Valesia Domus in *Henrico* III. ad ultimam deducta fuisset orbitatem, Guisiani velut ex *Carolingis* oriundi affectare nihil dissimulato ambitu regnum, ipso *Henrico* socordia adiisque vitiis, in tantum delapso contemptum, ut merum Guisianorum ludibrium esset. Vtque explerent animum suum *Sardanapali* huius opprobrio, in omnibus ad Ligerim oppidis spargi curarunt, leprosum esse *Henricum*, ac ut illa peste liberaretur, conquisitis undique formosis pueris, in eorum sanguine abluendum, jamque missos undique Conquisitores, qui per universum illum tractum pueros raperent. Tum demum velut ex alto sopore excitatus statuit dignas de sceleratissimis Liguistis pœnas sumere. Convocata A. 1588. Blesis comitia, in quibus, cum *Franciscus* Guisius, ipsius frater *Ludovicus* Cardinalis vultu alacri⁹ ac superbo comparerent, ingredientem conclave *Franciscum Henricus* à satellite suo pugionibus confodi, ac altera die post *Ludovicum* fratrem ejus strangulari jussit. Vtriusque cadaver igne crematum, cinerésque in Ligerim dispersi sunt. Hinc detonare Romanus Pontifex, excommunicare Henricum, pleraque omnis Gallia ad Liguistas deficere. *Henricus* tum demum deprehendit suam totiúsque Regni salutem in Hugonotarum fide ac virtute sitam esse. Ergo quos hactenus implacabili odio prosecutus fuerat, ad eorum gratiam se jam recipere, eorum opem contra rebelles implorare, ac quod petiit, facilè impetravit. Cúmque *Henricum*

Navarræ

Navarræ Regem proximum agnatione, ac indubium succesſorem, ſed à Pontifice excommunicatum heredem declaraſſet, eius exercitu adjutus Lutetiam Pariſiorum Liguiſtarum metropolim obſidere cœpit. Iamque obſeſſi laborare fame, cum *Iacobus Clemens* Ordinis Prædicatorum Monachus in Regis conclave prætextu ſecretarum literarum admiſſus eum primo Auguſti A. 1589. anno ætatis 37. regni 15. confodit, illáque die tranſlatum à Valeſiis ad Borbonios regnum fuit, qui hodiéque regnant. Ab A. 1589. in hunc uſque diem.

CXVII. Generatio & incrementa potentiæ Francicæ corruptio & interitus non tantùm antiquæ Germanicæ libertatis fuit (dum oriens felicitas, fortunatúſq; armorum Francicorum curſus liberam Regiminis rationem priſcorum Germanorum in occidentem demiſit, inque caſum dedit) verum etiam ſenſim poſt ſe occaſum ac ruinam Imperii Romani traxit. Sanè in fatis jam erat, ut Imperium Rom. rurſus decreſceret, ejúſque Majeſtas in aliam gentem transferret Franco-Germanis ad tantum decus adoleſcentibus.

CXVIII. Hugonotæ dicuntur in Gallia non à teſſera conſpirationis, ſed ab Hugone Capeto; nec tamen quaſi Hugo ille Reformatæ religioni fuiſſet addictus, ſed quod ex poſteris illius, uti Henricus Navarræus, Dux Condeus & alii Reformatorum doctrinâ infecti eſſent.

CXIX. Liga & Hugonotarum per Galliam factio non aliunde, humanitus loquendo, fluxit, quam ad reprimendam antiquam Carolingorum in coronam Francicam prætenſionem. Guiſii

Carolingi

Carolingi Papam Regem Hispaniæ Regem aliósque Principes Pontificios in suam societatem adsciverunt. Borbonii verò quorum caput Ludovicus, Princeps Condeus, itémque Henricus, tum Rex Navarræ, ad partes Hugonotarum se contulerunt. Cæpit ista factio an. 1565. quo Lanienæ Parisiensis jam fundamenta fuere posita; Albano & Cardin. Granvellano ejusmodi communem vocem edentibus: *Inutilem esse in ranunculis aut halecibus capiendis operam; Salmonum potius aut maiorum piscium piscationi incumbendum esse.* Liga hæc maxima sumpsit incrementa, quum an. 1574. Henricus III. sobolis nullam spem haberet. Tunc enim, etsi summam Rex præ se ferret devotionem, Ligistarum uxores cingulis forficulas appendere solebant; quibus se Regem tonsuras, inque monasterium detrusuras, instar Childerici III. stupidi ac ultimi Merovingorum, quem Pipinus olim, Caroli M. parens, simili ratione Regno deturbarat, ut jam nec exemplum deesset, minabantur.

CXX. Monarchiam puram & absolutam fundavit Ludovicus XI. Rex, qui primus Reges Galliæ (*hors de bagues*) extra circulos misisse, id est, absolutos Dominos (*souverain*) fecisse traditur. *Hors de bagues* scil. sunt illi, qui nullis legum cancellis concluduntur, & absoluti Domini sunt. Ludovicus autem XI. absolutam sibi acquisivit potestatem *Parium* sublatione, & Parlamentorum sublatione. Parium, id est, Statuum regni Franciæ, familiæ hodie extinctæ sunt, ac solum memoria eorum titulo est reliqua. Supplevérunt in coronatione Ludovici XIII. (tote Gramondo)

 mondo)

mondo) Parium locum Duces, Condeus, Contius, Suessio, Comites Nivernus, Ellebovius, Espernonius.

CXXI. Omnium antiquissimum, cæterísque antecellens in Francia Parlamentum est Parisiense, à Philippo Pulchro institutum. Hanc conciliet ordinaria Regis præsentia, & Vrbis ditionísque amplitudo. Autoritas illa primum à Rege Ludovico XI. repressa, id quod etiam fecerunt Cardinales Richelius & Mazarinus. Hodie Rex Galliæ feliciter agere ac decernere vel contra Parlamentum vel cum illo potest, prout commodum est ac utile. Hinc Parlamentum ipsique Regis consanguinei haut impedire potuerunt, quò minus Cardinalis Mazarinus, in exilium semel pulsus, à Rege revocaretur. Et cogitur Parlamenrum hodie non tam ob humanitatis, quàm necessitatis rationem Edicta Regia verificare, ut rectè judicat *Dn. du Verdier.* lib. 1. de vero Statu Franciæ. c. 1. Rex Galliæ ergo pro arbitrio hodie dominatur, suámque voluntatem supremam legem constituit, nullâ Parlamentorum ratione habitâ sive contradicant, sive consentiant Hinc hodie etiam in Gallia nulla amplius celebrantur Comitia, quæ olim singulis annis mense Maio sub die (unde adhuc *Maicampi* nomen reliquum) habebantur. Abolitus est publicus iste conventus sub regimine Ludovico XI. ubi perduellionis reus habebatur, si quis de trium Statuum *Assemblea* restituenda (paulatim enim semovebatur) verbum fecisset; solebátque dicere; *se ex ephebis iam excessisse, neque tutoris egere.*

CXXII. Regem Galliæ esse plenissimum & maximè

maximè absolutum Monarchiam patet ex sequentibus. (1) Habet solus jus creandi ministros pacificos & militares, eosque iterum pro lubitu removendi (2) Solus Rex tributa & census indicat, & in casu necessitatis Clericis. (3) Solus habet jus cudendæ monetæ. (4) Solus jus habet creandi Duces, Pares, Comites, Nobiles. (5) Solus habet jus legum ferendarum & interpretandarũ. (6) Solus habet jus vitæ & necis, etiam in Pares, qui hodie ita nominantur. (7) Solus Episcopatus & reliqua beneficia Ecclesiastica confert. (8) Solus habet jus erigendi Academias & Scholas. (9) Solus habet jus belli & pacis. (10) Solus Concilia & Synodos convocat, regulásque Ecclesiæ Gallicanæ præscribit. (11) Solus habet jus fæderum admittendi, & excipiendi Legatos &c. Hinc Dn. *du Verdier* ipse concludit; Regem Galliæ purè esse Monarcham; & quidem talem, ut in Orbe Christiano non possit haberi absolutior. Hinc etiam nullam Edictorum aliam reddit rationem quàm hanc: *Car tel est nôtre plaisir Sic volo; sic iubeo; sit pro ratione voluntas.*

CXXIII. Duo Cardinales Richelius & Mazarinus Regem reddiderunt absolutum Dominum, qui si bellatores fuissent, ac liberos habuissent; vel ipsi coronam capiti suo imponere potuissent. Potest tamen huc applicari illud Roberti *Guagnini*, qui ante 200. annos in Histor. Franc. dixit: *Semper tunc popularem libertatem pati, si per Clericos regia administretur dignitas.*

CXXIV. Legem Salicam nonnulli dictam volunt à Sala fluvio; sed melior est opinio illam dictam à voce Seil: quæ aulam significat, ut ita

Lex Salicæ sit aulica, idest, Regni Galliæ fundamentalis Lex. Lindenbrogius in Legum antiquo Codice de authore illius legis ita scribit: *Temporibus Caroli M. an. 798. viri prudentissimi VVisogastus, Podogastus, Salogastus, & VVidogastus, in villis ultra Rhenum Salehain, Bodohaim, & VVidohaim convenerunt; Legémque conscripserunt, dictam Salicam à Sal, quod significat aulam.* Mota fuit de hac Lege controversia tempore Henrici IV. quum Pontificii partim ad Isabellam Claram Eugeniam, partim ad Ducissam Sabaudiæ respicerent, asserentes: *Posse interdum Leges fundamentales mutari, si Reipublicæ mutarentur tempora.*

CXXV. Prætendit Rex Galliæ in Superioritatem Flandriæ; quam Rectores Fæderatarum provinciarum à R. Galliæ tanquam vasallos agnovisse, Galli dicunt. Ius porrò in Brabantiam sibi Gallus attribuit, & adjuncta Dominia, Mechliniam item, Antvverpiam, Superiorem Geldriam, Namurcum, Limburgum, Dalheimum, & Dominatus ultra Mosam concurrentes, Hannoniam, Artesiam, Cameracum, Burgundiam & Luzeburgum hæreditario jure ad Mariam Theresiam Reginam Galliæ delata esse: Renunciationem autem Reginæ in dictos Principatus quantum attinet, hanc ideo nullam esse Rex asserit, quod illa non modo Hispan. & dictarum Provinciarum legibus, sed Civili etiam juri, qua filia renuncians successioni Patris non excluditur, si dotem ex ejus bonis non acceperit, repugnet. Vid. Tr. an. 1667. de Iur. Christianiss. Reginæ in Brabantiam. Regerunt tamen Hispani, quod renunciatio in has provincias tam à Reginâ facta, quàm à Rege Ludovico

XIV.

XIV. prævio juramento approbata fuerit; in jure autem Canonico definitum esse, quod renunciatio filiæ, prævio juramento facta, servari debeat.

CXXVI. Contractus inter Carolum Ducem Lotharingiæ & Galliæ Regem initus nostris Publicistis ideo iniquus videtur (1) quia in magnum Imperii nostri præjudicium vergit, quia Lotharingia est Imperii feudum, adeóque Dux Carolus illud alienare haut poterat. (2) Quia plurimum interest, quis Imperii feuda possideat, proximiores agnati in hunc usque diem in illum contractum nondum consenserunt. Contradixit certè huic contractui Carolus junior, Francisci Fratris Caroli contrahentis filius, & ob hanc causam Papæ, Italorum Principum, & imprimis Imperatoris opem imploravit. In jure feudali insuper notum quod jus quæsitum agnatis proximis non possit auferri; ne dicam quod remotiores agnati proximioribus præjudicare non possint.

CXXVI. Hugonotis hodie omne robur, præsertim postquam Marescallus *Tourennius* Hugonotarum caput ad castra Pontificiorum descendit in Gallia est ademptum. Collegium Theologicum Sorbonicum Parisiis habet nomen à *Roberto de Sorbona*, qui sese Paparum, in Gallicanæ Ecclesiæ ac libertatis Christianæ præiudicium multa novantium, machinationibus opposuit. Vnde etiam hodie num in Sorbona ad Doctoris Theologiæ gradum nemo admittitur nisi juramento affirmet: *Se Papam infrà Concilium agnoscere*.

CXXVIII. Lilia Gallicana an. 1558. devictis Britannis, & Caleto expugnato, pulcherrimè

omnium in hunc uſque diem magis atque magis florem ſuum explicant, ut adeò Liliaceum ſceptrum ad invidiam uſque floreſcat. Galli ipſi fatentur, Ludovicum adeò potentem eſſe Monarcham, ut nemo ſe ipſi opponere audeat. Excepi cujuſdam ſubditi Galliarum Regis vocem: Commendo animam meam in manus Dei, & corpus in Regium Brachium. Sed hæ ſunt voces privatorum.

TEXTVS

TEXTVS CONRINGII

DE REGNO SCOTIÆ.

TITVLVS XIX.

I. CONtinet Scotia Regna duo inter se distincta, quę post obitum Elisabethæ cœperunt uniri Angliæ in Iacobo Rege, qui voluit extincto Regio nomine utriusque Regni, hæc duo Regna, M. Britanniæ nomine conjungere. Alberius Gentil. de hac materia librum scripsit, scilicet de Vnione illorum duorum Regnorum. Iacobus ipse affectavit nomen Regis Magnæ Britanniæ, & aureis cudi curavit cum hac inscriptione: *Henricus Rosas, Regna Iacobus.* Nam in Regno Angliæ discordiæ, & factiones in familia Regia erant, Lancestrensis, & Eboracensis, quarum altera albam, altera rubram in honore & insigniis habebat rosam: Donec Henricus VII. extinctis familiis, conjunxit duas illas familias. Neutrius verò populi consensum Iacobus potuit impetrare, sed maluit uterque populus proprio gaudere jure & libertate. Hodie itaque reverà duo sunt Regna & sub uno gubernantur Rege. Nuper auspiciis Cromvvellii tota Scotia domita, inusitato exemplo; Et quamvis non ita potens, ut *Quomodo Regnũ Scotiæ & Angliæ unitum.*

Anglia, ſemper tamen defendere ſe potuit.

Scriptores rerũ Scoticarum. II. De Repub. Scot. nullum diſcurſum vel in Honorio vel in Nicolao Bello reperire licet. præterquam in Archontologia Coſmica Anonymi Galli, & in libello in Batavis edito. Ad pleniorem verò cognitionem rerum Scoticarum poteſt conducere *VVilhelmi Cambdeni* deſcriptio *Cambdenus.* Magnæ Britanniæ, Viri admodùm prudentis, cujus etiam extat Eliſabethæ hiſtoria elegans. Habent autem Scoti inſignes duos Hiſtoricos, alter eſt antiquior, *Hector Boëtius*, qui multa habet *Hector Boëtius.* præclara, nomen verò ſuum admodùm fœdavit admiſtis fabulis hiſtoriæ ſuæ. Sed longè majori ſcripſit prudentiâ *Georgius Buchananus*, qui hi- *Buchananus.* ſtoriam ab initio gentis uſque orſus eſt. Thuanus judicat, quòd hiſtoria ejus mereatur cum præclariſſimis hujus ævi hiſtoricis comparari, quod ſcilicet cùm non in Republica verſatus fuerit, ſed in ſcholis conſenuerit, tota judicii vi potuit Reipublicæ res etiam arcanas aſſequi. At verò Iacobo & aliis Regibus inviſa eſt admodùm ejus hiſtoria. Fuerat ille præceptor Iacobi, qui tamen eum, adultus, omni gratia privavit: nihilque magis eum pupugit, quàm præceptoris ſui hiſtoria. Cauſa quia multa narrat fœdiſſima, tamen vera, de matre Iacobi, quæ non potuerunt non propalari ſine Regiæ familiæ macula, ut de legitimis natalibus Iacobi dubitari poſſit. Fuit aliàs Regina adornata multis virtutibus, & conſtantiſſimè in fide Catholica mortua eſt; hinc à Catholicis martyr ſalutatur. Laboravit tamen bona fide. Legitur in Epiſtolis Caſauboni injunctum eſſe à Iacobo Caſaubono, ut ſcriberet ad Thuanum, ne

ſcili-

ſcilicet nimium crederet Buchanano, neque hiſtoriæ ſuæ inſereret ea, quæ ſcripſiſſet de matre. Regem enim curare jam aliam de matre ſua ſcribi hiſtoriam, fide digniorem. Verùm Thuanus parum curavit, & omnia potius, quæ Buchananus de matre tradiderat, hiſtoriæ ſuæ inſeruit. Rex jam diſceſſuro è vivis Buchanano adfuit, eúmque ſolicitè rogavit, ut ſcilicet publicè profiteretur, ſe quam de matre narraſſet, fama accepiſſe, ſed recuſavit. Se enim nolle dicens, lædere conſcientiam ſuam; interim hoc Regi conſilium dedit, ut ſcilicet prohiberet Hiſtoriæ ſuæ lectionem in Regno ſuo; hac ratione enim & famæ Matris & conſcientiæ ſuæ conſuli quàm optimè poſſet. Hinc etiam hiſtoria Buchanani hodiéque in Scotia eſt prohibitæ lectionis. Hoc notandum habere Scotos antiquiſſimos Poëtas, qui pretio conducti finxerunt fabulas variarum familiarum, quas uſque ad Noachum extendere non dubitarunt. Buchananus tamen vir gravis reprehendit ipſe eas fabulas, quod ſcilicet illis etiam ea, quæ aliàs vera ſunt, reddantur ſubleſtæ fidei. Nullam itaque merentur fidem illæ hiſtoriæ, etiamſi ipſe Buchananus iiſdem in initiis utatur. Nunc ad cauſam materialem.

III. Eſt Scotia pars Britanniæ, Inſulæ maximè Septentrionalis, quæ diſtinguitur ab Anglia per Tuledũ & Sulveiũ fluvium exiguum, & Nortumbria quæ ultima Angliæ Provincia eſt. Olim Romani ut Britaniam citeriorem ab ulteriore defenderent, auſpiciis Severi Imperat. utramque muro diviſerunt, cujus rudera hodie num extant. Hodie verò Regnum Anglicanum ultra Murum

Cauſa materialis Regni Scotiæ.

Anglia olim à Scotia muro diſtincta.

ſe

Northũbria. *Hebrides & Orcades insulæ.* *Regum Daniæ prætensio in Orcades Insulas.* *Situs Scotiæ.* *Scotiæ aër frigidus.* *Piscibus abundat Scotia, & feris.* *Auri & argenti fodinis Scotia caret; adsunt tamen ferri & æris fodinæ.* *Sal ibi quoque abundat, item carbonibus foßibilibus.* *Scotia nõ est opulẽta regio.* *Scotia nõ abundat hominibus.*

se extendit; Est enim Nortumbria ultra murum sita, Ad Regnum Scotiæ pertinent Insulæ vicinæ majores & minores, Hebrides & Orcades, quæ tamen propriè ad Norvegiam spectant. Nam Christianus I. in dotem filiæ suæ has Insulas dedit Regi Scotiæ, ita tamen, ut quam primùm redderentur 100000. taleri. Norvvegia quovis tempore sibi posset vindicare Orcades.

IV. Cæterum Scotia tota est Septentrionalis, unde & jam incommodis laborat, quæ Septentrio secum fert. Est igitur Scotia universa frigida, unde minus ferax frumenti, nec etiam arbores multas habet frugiferas, in primis ubi est Septentrionalior. Abundat verò piscibus omnis generis, quia abundat multis lacubus, stagnis, fluviis. Valles tamen habet gramineas, ut sufficiant pascendis armentis, quæ tamen sunt minoris staturæ. Abundat verò omnis generis feris, & avibus cumprimis, quæ piscibus vivunt, argenti verò & auri maximè ferax. Ferrum tamen & æs ad sufficientiam habet. Salis verò copia abundat; unde exportari potest. Carbonibus itẽ fossilibus Stein kohlen/ quibus etiam tota Northumbria abundat. Lini etiam ferax, abjetum & betularum, aliarúmque arborum Sylvestrium. Facilè hinc apparet, hanc Regionem non esse numerandam inter opulentas, sed pauperes, quia Regio planè sterilis, & rupibus impedita, ut hominibus alendis inepta sit.

V. Non igitur est copiosa hominum in Scotia multitudo, tanta tamen, ut par esse possit suis defendendis, etiam contra longè potentiores Anglos; id quod tamen magna ex parte facit congruus

gruus situs. Multa enim loca habet planè in via, ubi hostes penetrare non possunt. Cùm verò sit peninsula apparet neminė posse penetrare in Scotiam, præter solos Anglos. Facilè itaque se defendere possunt Scoti; sed aliena tamen nō acquirere. *Quare Scoti se possint defendere contra Anglos.*

VI. Ingenium Scotorum graphicè descripsit Barclaius, qui illorum virtutes & vitia describit. Sunt illi verò temperantes, fortes, justi inter se, sed vindictæ, supra quam credi potest admodum deditijam ab aliquot seculis. Populus enim divisus in factiones & familias multas Nobiles, quarum quælibet suæ gentis eligit caput, ita, ut si quis ex hac familia ab altera patiatur injuriā, tūc læsus nō defert rem ad judicē, nec ad Regē, quod fieri debebat, sed ad caput familiæ, quod putat toti familiæ etiam illatā injuriā etiā sibi: Hinc Princeps familię familia colloquitur, &, an injuria vindicāda sit, cū nec ne inter se disputant. [add. *Pessimum hæc Scotorum vitium, quum vindictâ privata legibus divinis & humanis sit inhibita. Vid. Struvii Tr. de vindicta privata.*] Quem morem ut tolleret, valde laboravit Rex Iacobus, qui quoque multum in hac re præstitit: manserunt tamen factiones nō tamen adeò multæ. Antea tamen cōtinuis laboravit Scotia factionibus, ita ut Scoti se invicem è medio sæpissimè sustulerint, nullis attentis sive legibus sive Iudicibus. Sunt Scoti aliàs animo erecto & bellicoso, & ad vitia animum appellere non possunt. [add. *Contrarium apparet ex Lansio & aliis.*] Major natu paternam hæreditatem accipit totam, reliqui parum vel nihil, ita etiam in Anglia. [add. *Ius primogenituræ quāvis in Illustriū Personarū familiis per rationē statm defendi possit,* *Ingeniū Scotorū.* *Vindictæ dediti.* *Scoti bellicosi.* *Primogenitura Scotiæ & Angliæ.*

tamen

tamen inter privatos neutiquam admitti debebat: Cromvvellius Protector ius sustulerat quam quum ob Politicam reflexionem : An hodiernus Rex, in Cromvvellii odium illud reduxerit, adhuc me latet.] Hinc illi pauperes, manet tamen generosus animus & patruus sanguis: In Anglia verò illi secundo & tertio loco nati, non dubitant vitia negotia subire, & arte histrionica victum quærere; Id quod Scotus, non facit. Hinc Arte Militari coguntur alibi victum quærere. Penè omnes Parochi nobili genere nati, quia nobilium filii non habent, unde victum sibi quærant, nisi sacro aliquo officiolo, unde plebeium non facilè admittunt. Corpus etiam habent militiæ aptum; Angli molliores, quod educationi adscribendum, quia lautius educantur, quàm Scoti. Eadem animi ratio efficit, quo minus Scoti ad artificia sint apti, quibus se credunt esse indignos, malunt itaque paupertatem exercere. Ita etiam rem nauticam non exercent ob superbiam. Ingenio sunt ad studia satis apto, & docuit experientia prodiisse ex ea gente nonnullos ingenio acutissimo. Ita ante annos 400. mirati homines *Iohannis Duns* ingenium, qui dictus Doctor subtilis. Sic uterque *Barclaius & Buchananus* felici ingenio valuere. Non multi tamen sunt qui in omnigena eruditione magnos fecerunt progressus. Causa fortasse est paupertas. Nulla verò terra magis apta ad studia excolenda & exercenda quàm Anglia. Habent Scoti suas scholas & Academiam *Edinburg.* Insulares Scoti longè miserius vivunt, & neque virtute bellica neque ingenio valent; vivunt in magna paupertate. Reperiuntur autem in ordinibus homines inusitatæ senectutis, nec enim ita naturâ luxu corrû-

Parochi in Scotia sunt Nobiles & quare?

Scoti ad artificia inepti, itẽ quare rẽ nauticã non exerceant.

Ad studia apti.

Iohannes Duns.

Barclaius.

Buchananus.

Scholæ & Academia Edinburg.

Insulares Scoti quare canam senectutẽ attingãt.

punt, ut nos. Senex quidam 100. annorũ uxorem duxit,&anno 150. piscatum mari ipse se commisit.

Scotiæ causa formalis.

VII. Ab antiquo tempore Reges suos habuere Scoti, & repetunt memoriam eorum ultra natales Salvatoris nostri; verùm incerta satis fide. Hæreditarii verò semper fuerunt Reges, ut etiam ad hæreditatem filias admiserint, id quod superiori sæculo contigit. Iacobo enim quinto filia Maria successit; ex qua natus Iacobus Sextus, patre Henrico Stuarto. Nunquam verò vera Monarchia obtinuit, sed temperata authoritate populi, quæ nonnunquam superior fuit. Non enim dubitabant Scoti Reges de solio turbare, si quid peccarent. Sic Maria à Proceribus Regni dignitate exuta, quamvis multi exorirentur tumultus & motus. Et si quidem vel bellum suscipiendum, leges, tributa indicenda, omnia de consensu populi agenda sunt, & decidi debent in Comitiis Regni, quæ Parlamentum vocant. Interim Rex habet dimidium comitiorum quodammodo. Nihil enim agi potest, vel decidi de iis, quæ Regi non placuerunt. Non verò licet agere, de quibusvis rebus in Comitiis. Triginta duobus delegatis solet Rex proponere, de quibus velit aliquid in Comitiis agi. Si dissenserint, non potest, & si Rex consentiat: contrà si Rex dissentiat, etiam proponi non potest. Quæ Ordinibus placuere, illa si displiceant Regi, solent induci, & silentio præteriri: si placent, Rex confirmat omnia, & fit decretum Comitiorum. Divisa itaque Respublica circa summam potestatem; habet tamen Rex aliquid præcipuum, scilicet collationem officiorum & Magistratuũ, tum civilium tum sacrorum.

Reges Scotorũ sunt hæreditarii. Filiæ Regum etiã sceptri capaces. Regnum ibi mixtum. Populus ibi potest deponere Regem. Populi potestas in Scotia. Parlamentum Scotiæ. Forma Comitiorũ Scotiæ. Reservatum Regis Scotiæ. Regii proventus exigui.

VIII. Suppetunt Regi exigui proventus, ut

ita, tametsi velit, non possit multum. Antehac patrimonium Regium satis fuit amplum, sed inconsulta Regis Molcholmi liberalitate circa annum 1404. omne nobilibus distributum fuit, penè animo, Reginæ Christinæ hodie. Subventum tamen paupertati Regiæ, scil. omnes nobiles indulsere Regibus, ut si quando morerentur, liberis nondum majorennibus, tum procederent patrimonio Regio Orphanorum bona. Ita illis, nisi victus conceditur, id quod etiam obtinet in Anglia. Restituuntur verò illis bona, donec masculi ad 17. annos femellæ ad 14. annos pervenerint. [add. *Miserabile hoc institutum: quum orphanis alias leges omnibus modis subveniant. Sed hic ratio status prævalet.*] Non potest Rex Scotiæ externum agere militem vel conductitium, quia caret pecunia; Coguntur verò omnes Nobiles, evocati à Rege, seipsos in bellum suis sumptibus alere, id quod tamen malè interdum Regibus cessit, uti apparet legentibus Historiam sæpiùs laudati Buchanani.

Nota institutũ contra orphanos

Rex Scotiæ ad bella quomodo sit instructus.

IX. Ad ordines 1. Archiepiscopi & Episcopi & Abbates pertinent; hinc etiam der Geistlich Orden dicitur. 2. ordo est Nobiliũ. Sunt autẽ duplices, alii Nobiles majoris, alii minoris ordinis: ad majores pertinent Marchiones, Comites, Barones, omnes hi habent jus Comitiorum. 3. Ordo est civium in urbibus degentium. Olim reliqui populi adjuncti & ad Comitia vocati. In octo comitatus Scotia dein est distributa, ex illis 32. delegati missi, qui repræsentarent totum populum.

Ordines Regni Scotiæ.

X. Verùm facta mutatio hac in re haud levis superio-

Mutatio circa Clericalẽ ordinem.

ſuperiori ſeculo, cum Sacrarum rerum mutatio contingeret, adeò ſpirituales Nobilitati inviſi eſſe cœperunt, ut tanquam perturbatores Reipublicæ cenſerentur Clerici, adeò abolita tota dignitas, & à Comitiis omnes ſecluſi. Inſtituta dein Regiminis ratio Eccleſiaſtica, ut à Calvino propoſita, ut ſcilicet omnes Clerici pares eſſent, id quod in Belgio etiam obtinet. Introducta verò per Iohannem Onoxum quàm maximè Hierarchia Eccleſiaſtica. Iacobo Sexto Regi nihil magis inviſum fuit, quàm Calvini illud Regimen, putavítque Regnum non poſſe eſſe ſalvum. Fuerunt autem multi, qui hoc Regimen tanquam pro aris & focis defenderent, & tanquam à Deo inſtitutum, dicti Puritani. Collaboravit verò Rex omnibus modis Archiepiſcopos reddere Scotiæ; tandem evicit, quanquam illi omnibus modis obluctarentur. Multi verò ex Nobilitate hoc licere apertè contradicebant Carolo Regi. Ingenti exorta rebellione contra Carolum primum, in Scotia omnes Archiepiſcopi fuerunt remoti, & talis forma verò Cromvellio obtinuit. Hodie Carolus ſecundus iterum authoritate ſua reduxit Archiepiſcopos, quia Rex videt ita ſe poſſe multum valere in Comitiis, & alibi; Siquidem & Epiſcopi toti dependent à Rege, & ſalvi ſine Rege eſſe non poſſunt, ideóque ipſi ſtudent. Ordo per Nobiles paulatim à comitiis ſemotus, quid futurum, & utrum Rex ordinem illum ſit reſtituturus, necne? apparebit. Idem ſtatus mihi videtur, quàm qui eſt in Suecia, ubi Clerici ſemper cum ruſticis in Comitiis conſpirant.

Calvini regimen Clericorũ

Puritan

Archiepiſcopi in Scotiam reducti hodie.

Regis Scotiæ potestas in Comitiis. XI. In Scotia non est jus Regi quodvis toti populo pro arbitrio proponere, sed cum consensu delegatorum populi. Id quod alibi perinde non observatur. Indicitur à Rege comitiorum dies. Spiritualis ordo eligit ex nobilibus octo, vicissim *Delegati Populi quomodo constituantur.* Nobiles ex spiritualibus octo, hi sedecim conjunctim eligunt ex delegatis urbium itidem octo; & ex delegatis agrestium octo. Hi 32. dein cum Rege ejúsque Ministris constituunt, quid sit proponendum. Dicuntur illi electi, *Domini de articulis.* Est hæc egregia mixtura. *Scotorum Leges.* Habet universa Scotia non alias leges scriptas, quàm decreta illa. Vsurpant jus Romanum interdum in judiciis; sed secundùm statuta Regni. Erat Iacobus Rex perquàm deditus ceremoniis: Et improbabat, quod à Calvino omnes prisci ritus essent deleti. Ideò *Motus in Scotia propter Hierarchiam.* dedit operam ut ritus, qui in Anglia observabantur, in Scotiam iterum deducerentur, qua in re turbavit Rempublicam, in ritibus enim illis nihil est pietatis seriæ: Oderat enim populus ritus illos tanquam Papisticum fermentum, obtrusit *Iacobi & Caroli regimen examinatur.* tamen illis. Factum id tempore Caroli, populus verò frenduit, & fuit primus prætextus armorum, quæ contra Carolum sumpsernnt, qui contemptui erat, & quia non benè instituerat Rempublicam, *Hierarchia hodie in Scotia deleta.* omnem tandem Hierarchiam populus è medio sustulit. In toto Regno non temerè reperiuntur hodie quidam magnæ authoritatis viri Religioni Pontificiæ addicti. In Anglia verò plures reperiuntur.

Regimen civile Scotiæ quale. XII. Regimen civile sic satis benè administratur, nisi quod alibi atque alibi Nobiles plebi impotenter, dominentur. Dicitur jus secundum

LL. Regni, quæ tamen ignorantur à plebe.

XIII. Belli negotia quod attinet, Scotia perinde non est composita ad bellum ut Suecia, vel alia Regna; nec est instructa Classe: Populus verò ipse satis est bellicosus; non habent verò militem conductitium, quia procul dissiti, & egent pecuniâ, nervo rerum gerendarum. Antea cum Gallis semper confœderati fuere, quia perpetuæ æmulationes per aliquot secula inter Anglos & Gallos fuere, cum Scotis itidem. Defecerunt verò illa fœdera supremo seculo circa mutationem Religionis.

Scotia quomodo ad belli tempora sit constituta.

Olim Scoti cum Gallicus fœderati; hodie verò non.

XIV. Spectatur verò in Scotia utilitas communis, non Regis solùm. Non dubitarunt Scoti ita se gerere, quasi Regis non deberet haberi ratio, sed Populi (vid. Buchanan. d. Iur. Regn. ap. Scot. Meretur verò ille liber legi, qui ostendit Regis Scotorum salutem, non nisi per accidens spectari debere, & disserit, quasi non alia ratio haberi debeat omnium Regum, prohibitus itaque liber legi in Gallia.) Non dubitavit verò Buchananus librum ipsi Regi Iacobo inscribere, puero tamen adhuc. Contra hunc & similes libros calamum strinxit Guil. Barclaius, libro cui titulus contra Monarchomachos, interim neuter medium assecutus est. Buchannus enim in nimium deprimendo statu Regio: Barclaius verò in nimium extollendo peccavit.

Scopus Regni Scotiæ.

De Buchanano & Barclaio iudicium.

Causa finalis Regni Scotiæ.

XV. Facilè apparet, Scotos non habere pro fine voluptatem, quia materia planè carent; nec divitias, quas nullas habent; nec magnam potentiam, quia extra Regnum suum nihil valent, sed studium virtutis in sufficientia rerum unde

Scotorũ finis est studium virtutis in sufficientiâ rerum.

præ cæteris felix est Scotia, quod reverà habeat beatitudinem civilem. Hodierna familia Regia est Stuarta, orta ex Nobilitate Scotica, & jam ante 200. ann. præter propter ex hac familia quendam duxisse Reginam, & ita factum esse Regem constat. Hæc autem familia duravit usque ad Mariam Iacobi V. filiam, in qua desiit. Sed ipsa Maria dein nupsit Henrico itidem orto ex familia Stuarta, atque ita denuò succrevit familia illa.

Hodierna familia Regũ Scotiæ.

Maria Scotiæ Regina.

XVI. Hunc autem Henricum curavit interfici Maria, relicto filio Iacobo VI. primo Rege Magnæ Britanniæ. Iacobi res gestæ usque ad an. 7. huius seculi ex Thuano peti possunt. Huic Iacobo fuerunt ex Anna Danica, Frideric. II. filia, liberi tres, Henricus, magnæ expectationis, sed qui subita morte adolescẽs obiit, scripsit ad illum βασιλικὸν δῶρον, ut illum instrueret, quid sit agendum in Republica. Est libellus exiguus, sed eximius, qui multa continet; ex quo elucet cumprimis, quanto odio insecutus fuerit Puritanos. Alter filius fuit Carolus successor ille infelix Rex, & filia Elisabetha, quæ nupsit Friderico Palatino, postea regi Bohemiæ, sed infelici, ita ut tota familia Stuarta videatur esse infelix, ex quibus verò causis, ego non video. [add. *Vid. liber in Belgio impressus cui titulus* : Ongluckschligkeiten van t'Huys Stuart.]

Iacobus VI. primus Rex M. Britanniæ.

Eius liberi.

Iacobi βασιλικὸν δῶρον.

Carol. I. Stuartus

Stuartea familia infelix.

Iacobus Rex eruditus.

XVII. De Iacobo autem porrò notandum, fuisse eum Regem eruditum, unde etiam libros conscripsit circa controversias cum Pontificiis; Cumprimis verò acris fuit defensor Regiæ potestatis, & fortassis nimius, quasi omnis Rex debeat esse Monarcha, nullis ligatus Legibus. Editi sunt eius varii sermones in parlamentis habiti,

Iacobus nimius Monarchiæ defensor.

&c alii belli, inter quos eminet ille, cuius titulum fecit; *Triplici Nodo triplex Cuneus*, quo oppugnavit duas Epistolas Pauli V. Pontif & Cardinalis Bellarmini: simul ac enim Rex factus fuisset, exegit juramentum fidelitatis etiam à Pontificiis, quorum tunc temporis satis magnus erat numerus. Inter alia volebat primò quòd Pontifex nullam habeat potestatem deponendi Regem: secundò, quod idem non possit quemquam absolvere à juramento; quæ duo puncta præcipua sunt curiæ Romanæ, ac si Papa possit subditos quasi ad pileum, idest, [libertatem] revocare, quod propugnant inprimis Iesuitæ, qui jurant in authoritatem Papæ. Cum itaque hæc Rex proposuisset, jurarunt etiam in hæc verba Regis Pontificii. Erat enim aliquis Wilhelmus Blaquet Archipresbyter Catholicorum in Anglia, qui dixerat, posse hoc conscientia salva Regi præstari. Quo audito Paulus Vacerrinus, Pontificiæ dignitatis assertor, brevi ad Blaquettum scripsit quod tamen parum curavit, tanquam supposititium, per Iesuitas expressum. Dein alteram Epistolam Paulus nimis acrem, & tandem Cardinalis Bellarminus monitorium ad eundem scripsit. His tribus Epistolis opposuit Rex Iacobus suum triplicē Cuneum. Idem Rex scripsit Apologiam pro Iuramento fidelitatis, quę dein magnos excitavit motus. Nā Curia Roman. videbat, se in invidiam adduci, nec tamen volebat ab illis dogmatibus recedere.

Triplici nodo triplex cuneus.

Iacobus Rex præcipua puncta Curiæ Romanæ benè refutavit.

Apologia pro iuramento fidelitatis.

XVIII. Refutata autem hæc Apologia sub nomine Matthæi Torti à Cardinale Bellarmino, cui Anglus quidam opposuit Torturam Torti. In Hispania dein magni nominis Iesuita Franciscus

Tortura Torti, quid.

ciscus Suarez se Regi opposuit; in Germania Becanus, Schiletonus & alii. Sed in Gallia libri hi omnes manu Carnificis sunt combusti, & parùm abfuit, quin idem evenisset Cardinali Bellarmino, nisi legatus Pontificius pro eo intercessisset. Refutavit autem illum *VVilhelmus* Barclaius de Potestate temporali Pontif. libro, ipse Pontificiæ sectæ assecla; quem tamen iterum refutavit Bellarminus; hunc verò *Iohannes Barclaius* filius, libro, cui titulus, Pietas *Parentis*. Interim Iacobus fuit miti animo etiam erga Pontificios, & moderato ingenio in controversiis Theologicis. Hac autem occasione jussus Epistolam conscripsit egregiam *Isacus Casaubonus* ad Cardinalem *Iacobum Perronium*: cui respondere Cardinalis voluit, sed morte præventus. Prodiit tamen ejus opus posthumum, doctum admodum. Fuit enim vir acutissimi ingenii; quam verò Epistolam refutavit *Petrus Molinæus*, Theologus Gallus, egregio libro, cui titulus *Novitas Papismi*.

Wilhelmus Barclaius.

Casaubonus.

Cardinalis Perrones.

Petrus Molinæus.

XIX. Iacobus scripsit & alia Politica; sed uti fuit miti ingenio, ita alienissimus fuit à studiis bellicis: Voluit enim pacificus esse; amans interim ceremoniarum veterum; malus tamen ærarii curator seu fisci sui. Hinc tametsi fuerit Rex doctus, minus tamen feliciter & prudenter rexit Rempublicam. Nam populus Anglicanus longa pace redditus insolentior, ac penè Regi ausus est obloqui; ipseq; Rex iniquus erat in exigendo jure Regio, qui error erat capitalis. Venit etiã in contemptum ob Puritanissimum, cui nihil nisi verba opposuit. Accessit ultimò, quod pateretur filium suum unicum in Hispaniam ire, ibique procari.

Iacobus Rex ad se belli tempora minimè habilis.

Iacobi Regis navi & errores.

Repulsam

Repulsam verò passus est, & filia tradita est in matrimonium Cœsari Ferdinando II. Passus etiam dein generum suum omni exui dignitate, cui ne obulo quidem succurrere non erubuit.

XX. Videtis itaque non esse de essentia Regis esse doctum, sed id demùm scire quæ faciunt ad Remp. [add. *Sufficit Regibus & Principibus, si mediocriter tantum docti sint in scientiis: Verum Civilem sapientiā inprimis indagare debent.*] Successit dein filius Carolus, imbutus iisdem dogmatibus patris circa ceremonias & civilem administrationem: Accessit insolentia Episcoporum. Natum hinc ferale illud bellum, dum Rex nihil volebat de jure suo remittere, & populus nimium sibi attribueret, ita factum, ut tandem Rex captivus factus fuerit, profugus autem ex captivitate in Scotiam, à Scotis Anglis traditus, manu Carnificis inaudito exemplo decollatus est. [add. *Ita etiam nocet nimius rigor Regibus & Principibus, cui pares non amplius sunt. Parricidæ vero propterea audiunt Angli; modernus Rex mortem Patris bene ultus est, ut cōstat ex Diario Europæo*]

Caroli successoris regimen examinatur.

Eius infelix fatum.

XXI. At longè aliter gubernavit Cromvvellius, qui initio erat, & audiebat popularis libertatis defensor, ac simul cœpit rerum potiri; tantum abest ut libertatem illam promoverit, ut nemo illam magis oppresserit. Gubernavit Angliam Scotiam & Hiberniam summâ planè potestate. [add. *Vid. anonymi scriptum, cui titulus; Cromvvellius cum Tiberio comparatus; & aliud, cui titulus: Politicus sine exemplo, Noribergæ impressum.*]

Cromvvellii Profectorium Anglicanum.

XXII. Is qui nunc rerum potitur Carolus II.

Carolus II. modernus Rex.

II. quomodo regat Scotiam non adeò ad nos defertur, Apparet tamen adhuc rationem haberi popularis libertatis, quia etiamnum Comitia scilicet sive Parlamenta instituuntur. [add. *Parlamentum Angliæ hodie (an. 1673.) durante bello Gallo-Hollandico , est congregatum , & sine dubio etiam in Scotia idem fit. Nunquam securius Rex Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ regnabit , quàm si Parlamentis constet sua libertas.*]

TEXTVS

TEXTUS CONRINGII DE REGNO

ANGLIÆ.

TITULUS XX.

I. DE hoc Regno extant dissertationes in Honorio, Bello & Ens, in Archontologia Cosmica itidem. In Hollandia editus liber Thomæ Smiti, qui vixit tempore Elisabethæ, & fuit Secretarius Regius, vir politicè doctus. Non autem latinè scripsit, sed Anglicè. Versus dein latinè ab aliquo, cujus nomen mihi jam non occurrit. Præter hos autem Historici sunt complures. Antiquissimus omnium Historicus est *Venerabilis Beda*, qui VII. sec. octavo & est noni initio p. N. C. vixit. Post hunc est *Matthæus Paris*, qui vixit seculo XIII. Scripsit autem Historiam Anglicam pereruditè; magna usus Parresia & libertate loquendi, etsi fuerit Monasteriensis S. Albani Ex eo potest peti quàm optimè historia Concilii Lugdunensis, contra Fridericum II. Imperat. habiti. Post hunc est *Polydorus Vergilius* Italus, qui vixit tempore Henrici VII.; cuius historiam persecutus seorsim, eleganter admodum, Cancellarius Regni Angliæ, *Baco de Verulamio*, qui multum prudentiæ inseruit

Scriptores reru Anglicarum. *Thomas Smitius.* *Beda.* *Matth. Paris.* *Polydor: Vergilius* *Baco de Verulamio.*

inservit, etiamsi non sit facundus & probè latinus scriptor. Meritò verò legenda historia ejus Henrici VII. ut pote qui prudentissimè rexit Rempublicam. Extat deinde præclara historia *VVilh. Cambdeni* de Rebus gestis Elisabethæ, qui & Iacobi vixit tempore. Fuit autem hæc prudentissima Regina, & prudenter etiam gubernavit Regnum. Cambdenus saltem primam historiæ partem edidit, dum vixit, posteriorem edere noluit ob odii metum: alteram verò partem debemus *Nicolao Peireskio*, Baroni Gallico, eruditorum ad stuporem Patrono. Descripsit huius vitam egregiè summus ille Mathematicus Petrus Gassendus. Lectu digna autem illa historia, quia mira multa invenias. Prodiit opus in folio in Batavis, ubi octo Historici Anglici in unum congesti.

Wilh. Cambdenus.

Nicol. Peireskius.

II. Nunc ad causam efficientem. *Insula* Britanniæ antiquissima apud Scriptores Græcos apparet & Carthaginensibus nota, non verò nomine Britanniæ. Romanis cognita cœpit esse, ex quo Cæsar Galliam domuit qui bis in Britanniam trajecit. Tunc Insula dicta Britannia. Claudio Cæsare Romano ulterius progressi; Iulius enim Agricola, Eques Romanus, domuit penè universam Britanniam; auspiciis autem Domitiani ulterius progressi Romani vide Tacitum in Agricol. Tota tamen etiamsi à Rom. armis fuerit petita, nunquam tamen tota occupata, & videntur Romani Septentrionalem partem sprevisse, ob loci sterilitatem & barbariem incolarum: Hinc diviserunt Britanniam muro interjecto ex cespite ab Hadriano: Severus murum lateritium circa

Causa efficiens Regni Angliæ.

Quomodo Romani Britãniam intrarint.

Romani Britanniam per murum dividunt.

Neu-

Neucastel erexit. Quæ gentes coluerint Britanniam tempore Romanorum ex Tacito apparet.

III. Mansit ad hunc modum sub Imperio Romano, usque ad tempora Theodosii ad seculum IV. Eo tempore coacti Romani, præsidium suum, quod perpetuò in Britannia habuerunt, revocare contra incursiones Germanorum in Italiam. Simulac illud recessit, Britanni longa pace molliti, tum non amplius fuerunt pares gentibus Septentrionalibus, quæ duplicis generis Picti & Scoti. Hi invaserunt Britanniam, & miserè vexarunt eam. Cum eodem verò tempore Saxones in Holsatia degentes, Piraticâ Nobiles, etiam interdum in Britanniam venissent, in auxilium vocati contra Scotos. Videntes verò Britanniam longè esse meliorem, incolas effœminatos, Britannos, aliquot præliis cęsos, in angustiam redegerunt magnam etiam partem coëgerunt migrare ex patria in Galliam, ubi incolunt Britanniam citeriorem dictam. Pars remansit quidem, sed in Provincia Walliæ compulsa in angustias. [add. *Ita tutius eiicitur quum non admittitur hospes* Man ladet zuweilen einem Gast ein / den man nicht loß werden Kan.] *Quădiu Britanni subiecti Romanis* *Picti & Scoti.* *Saxones veniunt in Britanniam*

IV. Anglorum nomen apud Tacitum de Morib. Germ. apparet; Ex Ptolomęo etiam liquet, Anglos vixisse tum temporis in Ducatu Mecklemburg. Vnde relictâ patriâ pulsi in Regionem Septentrionalem, videntur in Ducatu Slesvvicensi consedisse; & hodie superest Regio quæ dicitur Anglia Saxonum. Iidem Saxones Anglis juncti in Britanniam migrarunt. Constituere autem septem Regna, quorum hodiéque in Anglia nomen superest, *Angli quinam populi.* *Angli-Saxones quot regna in Brităniâ constituerunt.*

supereſt,& ſua lingua Saxonica vocāt. Ita Eſſex eſt Oſt-Sachſen/ Weſt-Sex, Nortvolck. Tandem factum, ut extinctis omnium Regum familiis ſupereſſet una Anglorum populi Regis, quæ adeò valuit, ut Rex Ecbertus edicto vetuerit amplius uſurpare nomen Saxonum, ſed appellare Britanniam Engelland. Ex illo tempore omnem illam terram tenuerunt Angli, non quaſi Saxones extincti, ſed nomen mutatum.

Britãnia hodie Engelland *appellatur.*

V. Cúmque verò ad hunc modum Angli cœperint præ aliis eminere, Regio tamen per 230. annos miſerè vexata incurſionibus gentium Septentrionalium. Dux quidam Normandiæ, nomine Wilhelmus non dubitavit traiicere fretum, & milite infeſtare Britanniam, adeóque devicto Rege in acie totum ſibi Regnum in poſſeſſionem vendicare. Dici hic ſolet ab Anglis Wilhelmus Conqueſtor. Ab illo omnes Reges Angliæ deſcendunt. Ille verò & ſucceſſores indignis modis Anglos vexarunt; certè exciderat quicquid generoſi ſanguinis ſuperfuit, Anglorum vel Saxonum. Hinc hodie primariæ Nobilitatis nulli inveniuntur, qui de vetuſtate gloriari poſſunt, ſed ſunt omnes originis Normannicæ.

Anglia incurſionibus gentium Septẽtrionalium infeſtatur.

Wilhelmus Cõqueſtor.

Nobiles Angli hodierni ſunt originis Normãnicæ.

VI. Facilè apparet Angliam propemodum eſſe Inſulam, niſi quod exigua parte cum Scotia conjungatur. Hinc terreſtri itinere à nemine niſi à Scotis peti poteſt, qui verò longè inferiores Anglis, adeóque tuta Anglia à Scotorum incurſionibus. Igitur peti non poteſt, & ſic ſatis tuta, niſi quis claſſe prævaleat. Quando verò Anglia Claſſe valet, tunc non temerè ſibi metuere poteſt. Non verò multos portus habet & pauca flumina, quæ

Cauſa materialis Regni Angliæ.

Angliæ ſitus & ſecuritas.

Anglia claſſe ſecura.

quæ ſe in mare exonerant, hoc juuat ad ſecuritatem Angliæ. Quâ reſpicit Anglia Hyberniam, pauci etiam portus adſunt. Hodie nulla reperitur gens, quæ par ſit Angliæ claſſi: multitudine quidem Batavicæ naves ſuperant, non verò etiam robore & præſtantia. Anglicæ naves & firmiores, & inſtructiores. A temporibus Henrici VII. cœpit Anglia valere claſſe, Quâ parte proxima eſt Galliæ, facilis eſt trajectus ex Dubrio Caletum verſus. Notandum eſt Anglos diu magnam tenuiſſe Galliæ partem, in primis Caletum, quod ſuperiori ſeculo demum amiſerunt, ſed hodie neſcio quâ calliditate Cromvvellius effecit, ut curantibus Gallis ipſis ceſſerit Dunkerka, quæ hodie eſt Anglis loco amiſi Caleti. [add. *Rex Angliæ modernus hoc nobile maris frenum ceſſit, ac vendidit, Regi Galliæ, qui jam ex eo loco in hodierno bello multum incommodat Batav. Culpam illius venditionis, contra commoda Angliæ, in Cancellarium Regis coniiciunt, qui hodie profugus in Gallia à Moulin vivit; ſed ſine ſigillo quid eſt Cancellarius? Auri ſacra fames quid non mortalia pectora cogis?*] Si quis videat ſitum Dunkerkæ & Angliæ, videt teneri clauſtra freti ab Anglis ab utroque latere. Non ſatis mirari poſſum conſilium Mazarini, qui non impediverit potius, ut Anglis Dunkerka cederet, eo ipſo tantæ Anglis acceſſerunt vires, ut ſint omnibus vicinis hujus loci beneficio formidabiles, & hoc eſt, quare hodie Hiſpani, Batavi & Galli tantopere laborent, & ſoliciti ſint, ut Dunkerka redeat in poteſtatem Hiſpani, ut ſic divideretur poteſtas. Tunc enim minus periculi metuendum eſſet, quam

Cõparatio inter Claſſes Anglorũ & Batavorum.

Caletũ.

Dunkerka.

quam si unus possideret totum fretum, uti hodie fretum Oresundicum divisum est inter Danos & Suecos, quod illi antea soli possidebant, & sic fractæ sint etiam Danorum vires. Accepimus in Novellis, Anglos velle restituere Dunkerkam Gallo pro certâ & ingenti pecuniæ summâ, sed non puto illos fore tam imprudentes, ut hoc faciant. [add. *Dunkerka ab Anglis postea vendita Gallis, & quidem suasu Cancellarii Angliæ Regis; Postea tamen pænitentia ducti Angli, Cancellariúsque profugus hodie in Galliâ vivit.*]

Fretum Anglo-Gallicũ quibus prosit. *Classis portentosa Philippi II. R. Hisp.*

VII. Fretum illud Anglico-Gallicum navibus est parvum, quia non sunt adeò magnæ; Hispanicis autem navibus magnis non est pervium, propter brevia & syrtes. Hac de causa cum superiori seculo Philippus II. Rex Hisp. vellet classe occupare Angliam, immani illa classe, cujus similem nunquam vidit orbis terrarum, *nihil* quicquam potuit in illo freto (in den Canal) facere operæ pretium, nec etiam potuit appellere propter brevia & arenas, & admirando Dei consilio ille conatus irritus factus est, cessitque in detrimentum Hispaniæ maximum.

Terræ Anglicæ qualitas. *Nec vites nec oleæ in Anglia.* *Arboribus Angliaabũdat.*

VIII. Terra Angliæ est fœcundissima, & Cœlum est miræ clementiæ, humidius quidem, sed simul etiam validius, & sic omnis generis frugum ferax: Est ergo terra ab omnibus vitæ necessariis instructissima, fert omnis generis frumenta, quæ populo sufficiunt, modo Cœlum respondeat, imò potest alio devehere. Omnis generis arborum etiam ferax, non tamen vitis nec oleæ, quâ parte præcellit Gallia Narbonensis. Interim ibi crescit Rosmarinus in sylvis. Verùm cum arbores

aliæ

aliæ ſint frugiferæ, aliæ ligno utiles, habet Anglia omnis generis arbores, ex quibus & claſſes & domus extrui poſſunt. Metalli eſt ferax, cum primis nobiliſſimi ſtanni, habet etiam ferrum quantum ſufficit. Auri verò & argenti parum habet; non caret etiam marmore, quamvis non mereatur comparari cum Italico, nec etiam reliquis lapidibus ad ædificandas domus neceſſariis. Habet hodie Anglia ſolitudines quaſdam, quæ curâ & ſtudio Regum ſunt inductæ ad paſcendas oves, cum antehac multi eſſent vici, quas Reges exſcindi curaverant. Notum eſt oves Anglicanas omnes Europæas reliquas magnitudine ſuperare, & multitudine. Abundat & equis præſtantiſſimis, & armentis, & moloſſis qui reliquos canes Europæos magnitudine & ferocitate ſuperant. Licet autem olim in Anglia non fuerit dives equorum copia; hodie tamen abundat, & cœpit cura eorum tempore Reginæ Eliſabethæ, quæ juſſit, ut ſubditi equos alerent, qui in tantum excreverunt, ut reliquas Europæ partes poſſit provocare. Quantum memini, ovium cura cœpit tempore Henrici VII. qui ſingulari prudentia hoc inſtituit, ut Angli, agrorum curâ relictâ, operam darent ovibus. Abundat etiam piſcibus, nuſquam terrarum vel eâ abundantiâ, vel præſtantiâ reperiuntur haleces, quam propè Angliam: Hinc eſt, quod nec Batavi ſoleant uſque majorem copiam halecum capere, quam ibi Mari Anglicano. Eſt eâ de re Nobilis controverſia inter Anglos & Batavos. Angli volunt arcere antiquiſſima poſſeſſione Batavos, eo prætextu, quod piſcatio fiat in Oceano Britannico, & ita intra limites Regni Britannici. Batavi id qui-

Metalla Angliæ.

Paſtoritia oviũ in Anglia floret.

Equi, armenta & moloßi Angliæ.

Halecum copia.

Controverſia de piſcatione halecum inter Anglos & Batavos.

quidem non negant, sed prætendunt, quod hoc jure usi fuerint jam per 200. annos & quotannis in recognitionem dominii directi Anglicani, canonem non magnum persolverint, quapropter nolunt sibi eripi hoc jus. Prodiit Hug. Grotii Mare Liberum, qui voluit jus piscandi Batavis vindicare; sed ille liber à Iacobo Anglorum Rege malè est acceptus. Verùm quæ ibi Grotius differit nullius sunt momenti. Fatetur enim ipse piscaturam in quovis loco non esse licitam. De solo Anglicano vide plur. ap. Boterum in differ. de Regno Anglicano quæ conjuncta est Smiti Angliæ. [add. *Piscatio illa halecum, quæ à Batavis in mari Anglicano instituitur, cum interesse Angliæ magnopere affligat, vix illam servitutem quiete possidebunt. Videbimus quid serus vesper sit adventurus.*]

Grotii Mare liberum.

IX. Quod incolas attinet, origine sunt Germani sc. Saxones. Abundat autem Anglia numero hominum, ut hac in parte etiam Galliæ præferri possit, licet hæc sit longè amplior. Incolæ verò sunt corpore egregio, quòd indicat salubritatem regionis, nec sunt deformes, in primis sexus muliebris est formæ elegantissimæ. De moribus populi si quis judicet, apparet, indolem populi esse eam: quæ sit apta omnibus rebus, quæ sunt necessariæ ad vitam comparandis, modò benè curetur à suis Regibus. Varia studia, quibus dediti fuerunt Angli, hoc docent. Nam prout Reges vel fuerunt bellicosi vel aliis etiam studiis dediti, ita etiam Angli fuerunt. Quàm faciles sint ad bellum, hoc patet tempore Edoardi III. & IV. qui omnium fuit bellicosissimus. Galli aliquoties fuerunt victi, & ipsorum Rex Ioannes tandem in captivitatem

Incolæ Angliæ cuius originis

Eorum qualitas & quantitas.

Angli ad studia belli & pacis apti.

In Anglia qualis Rex, talis grex.

actus

actus; vicit etiam Scotos solo milite Anglicano. Cæterum hæc omnia debentur curæ Regis. Si enim ille fuerit ingenio molli, redditur etiam populus mollis. Sic tempore Regis Iacobi populus valdè fuit effœminatus; Rex verò à bello erat alienissimus; tempore verò Elisabethæ fuit satis bellicosus.

X. Quod attinet ad virtutes morales, rebus secundis solent esse molliores & intemperantes in omnem partem, rebus autem duris longè temperantius vivunt, & benè se habent. Sic sub Cromvvellio miles fuit & fortis, & temperantissimus, præter morem reliquorum Anglorum, unde & aptus fuit ferendis ærumnis. Apparet hoc ex studio rei Nauticæ. Ex quo enim huic dederunt operam, adeò hâc in parte cæpit se ostendere populus tam generose, ut non reperias alibi, qui eum superent, licet Batavi æquent eos, non tamen superant. Rei nauticæ autem studium cœpit tempore Henrici VII. qui fuit Rex prudentissimus. Hic quo tempore cæpit rerum potiri in Angliâ, observavit populum conficere se mutuis usuris: ditiores enim solebant pecuniam aliis concedere sub usuris, & ita reliquos pauperiores emungere. Similiter observavit, Anglos & si viverent in Insulâ, & curam haberent rei nauticæ accommodatam, nullas tamen habere naves insignes. Porrò observavit populum pauperem agro colendo incumbere, unde tamen illi parum divitiarum exurgeret. Quid fit? cum omnis ager sit Regius in totâ Anglia à tempore Wilhelmi Conquestoris, & essent etiam Coloni regii, populum cumpulit ad rem Nauticam, eripuit bonam agrorum partem, incen-

Virtutes & vitia Anglorum.

Res nautica Anglorum.

Rei nauticæ studium quid cæperit aptos.

Henrici VII. prudentia.

Ager Omnis Angliæ pertinet ad Regē.

incendit vicos, villas, omnésque steriliores reddidit, ita nihil superfuit, unde victum quærere possent in agro: Rex itaque jussit, ut omnes, qui pecuniam locassent usuræ, eam redimerent iterum: se enim hoc nolle pati. Ita ditiores coacti sunt pecuniam suam domum revocare. Præcepit autem, ut istam pecuniam impenderent extruendis navibus, populum autem agrestem jussit conscendere naves, unde brevi tempore plurimæ naves fuerunt confectæ, & populus agrestis fuit factus longè ditior, cum ex re Nauticâ longè uberiores venirent fructus. Hinc spontè reliquit agros, & conscendit naves, ne autem ager solitudini relinqueretur, jussit Rex ut greges ovium in illo pascerent. Sic Anglia cœpit abundare ovibus & navibus. [add. *Agricultura tamen ab Henrico non debuisset in totum prohiberi.*] Hæc introducta sunt sola Henrici VII. prudentiâ. Illi autem qui anteà pecuniam in usuras collocaverant, redditi sunt multò ditiores ex re Nauticâ. Initio visa hæc fuere maximè dura, & iniqua, sed paulò post fructus apparuit. Certum itaque est, quod Anglia hodie navibus & commerciis abundet: Nam populus est rei Nauticæ aptissimus, & ita felix est in commerciis, ut penè æquet Batavos.

Optimus pannus fit in Anglia.

Lana Anglicana præstantissima.

XI. Caret inprimis Anglia confectione pannorum optimorum; cœpit illa demum fugientibus illuc Flandris, qui primum in Europa confecerunt pannos elegantiores. Hi, pulsi bellis civilibus, contulere se in Angliam, & secum in Angliam invexerunt artem, idque optimè processit ob præstantiam valoris. Nulla enim lana est præstabilior Anglicana. Reliquis virtutibus intellectualibus

Angli Philosophiæ maximè dediti.

lectualibus addiſcendis eos aptos eſſe, docet experientia. Sic Anglia nobis dedit ingenia præſtantiſſima; niſi quod videantur hodie nimis dediti novitatibus. In experiendis rebus naturalibus multum valent, ut ſuperent hâc in parte Europæos omnes. [add. *Videatur liber Gallicus, Genevæ impreſſus, cui titulus : Hiſtoire de la Societé Royale.*] Præ reliquis verò populis quam maximè dediti Philoſophiæ, ut nunquam liceat talia adminicula reperire; quàm in Angliâ, ad illam addiſcendam.

XII. Habet duas Academias, Oxonienſem & Cantabrigienſem, quas inter æmulatio vetus eſt. Oxonienſes tamen primas obtinent. Hæ ab iis, quæ ad ſtudia pertinent, adeò ſunt inſtructæ, ut nullæ aliæ. Oxonienſis Academia ultra 20. Collegia habet, in quibus publico ſumptu aluntur ſtudioſi; nec ſolùm aluntur, verùm etiam inſtituuntur. Vnum Oxoniũ ultra 2000. alit ſtudioſorum, ſumptibus publicis. Inprimis reperiuntur nuſquam tam copioſæ & inſtructæ Bibliothecæ, quàm in his Regionibus. Non diu quidem cœperunt, ſed intra 100. annos in tantam multitudinem, excreverunt, ut iis, præſertim manuſcriptis, nulli Academiæ cedat. Priores Regni contribuerant aliquot millia talerorum ad illos libros emendos. [add. *Paucæ Academiæ, Profeſſoribus & Magiſtris exercitiorum bene inſtructæ, indicant ſtatum Regni florentiſſimum; Quando verò nimis multæ in unâ Republicâ ſunt, unius flos, eſt alterius occaſus. Exemplo eſt noſtra Germania.*]

Academiæ Angliæ.

Oxonienſis Academia.

XIII. Cambria eſt pars Regni, ſed populus ab Anglicano longè eſt diverſus, quod retineant *Cãbria.*

pristinam consuetudinem Anglorum, seu Britannorum: vivunt tamen in re tenui & minus habent Spiritus generosi; nam sunt perquam pauperes.

Forma regiminis Regni Angliæ. Antiqua & nova.

XIV. Forma regiminis jam ab antiquis temporibus fuit status Regius; Cæterùm durante prima familiâ Regiâ non alia fuit ratio Reipubl. quàm qualis fuit apud reliquos Saxones, ita ut apud populum magna fuerit regendæ Reipub. pars, & sic obtinuit Status Reip. mixtus, sed posteà ea valdè sunt mutata. Fuerunt enim res Anglicanæ admodum maligno loco sub imperio gentium Septentrionalium. Cum primis verò populus omnis in servitutem redactus est à Wilhelmo Conquestore, qui, victo Rege Haraldo, totum Regnum sibi subjecit. Quàm miser fuerit status sub Wilhelmo, & iis, qui eum subsecuti sunt, egregiè tractavit D. Calixtus in hist. Sec. IX. & X. Matthæus Parisiensis item tradidit in Chronico *suo*. Cæterùm post ann. 1100. cœpit alia esse rerum facies, & populus pervenit in libertatem majorem, inprimis verò sec. XIII. & XIV. tunc decrevit Regis autoritas, & crevit populi libertas, præsertim tempore Eduardi III. Regis & bellatoris felicissimi.

Sub Wilhelmo Conquestore Populus Anglicanus in servitutẽ redactus Quando is rursus in libertatẽ pervenerit.

Angliæ status fluctuat.

XV. Nostis ex Arist. *in perpetuo motu esse Resp. mixtas, modo prævalente Rege, modò populo*; Hoc in Anglia apparuit, ubi populi autoritas fuit perexigua à tempore Eduardi. Convocatus quidem populus ad Comitia, sed nihil potuit, & prævaluit Rex. Sic se habuit Resp. usque ad tempora Iacobi: Hic cùm cœpit ostendere animum à rebus bellicis alienum, populus elatior redditus rebus secundis, cœpit erigere cristas, ut durante

Sub Iacobo incœpit decrescere regis autoritas.

tante Iacobi regimine inter populum & Regem ſemper fuerint contentiones, cum *populus nollet ſe premi, & Iacobus impar eſſet premendo populo.* Habuit multas orationes in Comitiis Iacobus, quaſi omnia licerent Regi in infinitum uſque. Verùm populus illas parùm curavit.

XVI. Eædem contentiones cœperunt tempore Caroli I. quæ tandem in nervum erupere, ex quo natum eſt illud ferale bellum civile, corripiente populo arma, & Rege infeliciter pugnante. Volebat autoritatem ſuam defendere more ſolito, ſed erat impotens. Populus autem in tantum valebat, ut etiam Regem prælio devicerit, eúmque captivum reddiderit. Hoc bellum ſacrum Regis caput ſecuri carnificis ſubmiſit an. 1649. [add. *vide hac de re* das Engelliſche *Memorial. & præ cæteris Caſpar. Ziegleri Exercitationes ad Regicidium Anglicanum.*]

Regum poteſtas in infinitum non eſt extendenda.

Bellum inter Regem & Parlamentũ ſub Carolo I.

XVII. Prodiit ſcriptum vocatum: Declaratio Parlamenti Anglici, quâ conſtitutam, ne poſt hac ullus Rex regnaret, & aboleatur collegium Procerum, & una tantùm eſſet domus quam quidem conſtituerant ſoli Legati populi: Hâc ratione electus fuit Cromvvellius in ſpeciem Protectoris Angliæ: Vocabulum illud jam olim in Anglia uſitatum fuit. Sic Eduardi VI. Tutor, qui erat Pro-Rex Angliæ, dictus Protector Angliæ, & alii itidem dicti. Cæterùm Cromvvellius ſub nomine Protectoris exercuit Dominatum, & plus quàm Regium, nec aliquot ſeculis Rex aliquis tàm impotenter dominatus eſt. [add. *Vid. ſcriptum cui titulus: Cromvvellius cum Tiberio comparatus, & Politicus ſine exemplo.*] Hoc videns po-

Regicidium Anglicanũ.

Mutatio Reipub. Anglicanæ.

Cromvvellius.

Eius poteſtas ſub nomine Protectoris.

pulus se sub Cromvvellio non nactum libertatem, sed in servitutem esse redactum, luit nequitiæ pœnas, atque pertæsus ejus dominatus factus est, in primis verò Nobiles, qui apud eum nullo erant loco. Cœperũt verò adspirare ad statũ pristinum, & sic revocatus est Carolus II. Ex omnibus autem Novellis liquet, Regem hunc versari in magnâ authoritate, & ei concessum esse jus belli & pacis, interim etiam patet etiam populum adhuc esse in magna authoritate. Videmus enim omnia constitui in Parlamento seu Comitiis Regni, quod est indicium popularis libertatis; Comitia enim indicant statum magis popularem. Hoc non factum est sub Iacobo Rege, nec aliis. Hinc verisimile est, Regem hunc non audere tale quid movere, aut petere, quale quid Iacobus, & Carolus omnibus competere Regibus professi sunt. Quæ igitur hodie in Anglia fiunt, ea omnia fiunt autoritate Parlamenti. [add. *Si colliduntur Angli & Hollandi, franguntur: Hinc Parlamentum Angliæ detestatur modernum bellum Anglo-Hollandicum. Rationem status pristinam Elisabethæ Reginæ si observaret Rex modernus, Populi benevolentia foret perpetua, nec ulla nova monstra in Anglia alerentur.*]

Hodierni Regis & Parlamenti autoritas.

XVIII. Hinc apparet non temerè dicendum esse, ibi vigere eundem Reip. statum, sed alium atque alium. Olim quidem obtinuisse principatum mixtum, ut Reges prævaluerint, hodie autem principatum mixtum, ut populus prævaleat. Notum autem est hunc Regem solius populi consensu vocatum esse; cum suis viribus, id non potuerit efficere; unde, quia debet omnia subditorum

Hodie in Anglia obtinet Principatus mixtus ita ut autoritas populi prævaleat.

rum arbitrio, coactus est Parlamento autoritatem Comitiorum salvam permittere. Dum autem Rex ita perpetuo agit comitia, benè rebus suis consulit, imò quam optimè, & hac ratione salvus esse potest, cum Cromvvellius nulla egerit; hic verò Rex perpetuum se ipsum reddit amicum populo. [add. *Cavendum tamen, ne exteri seducant Regem.*]

XIX. Tempore Elisabethæ non fuerunt hæ seditiones: Timebant enim ab Hispanis bellum, & aliis; itaque populum semper continuit in continuo metu, & non passa est otio diffluere; non gravavit populum tributis, sed semper continuit illum in continuo metu belli externi. Hinc factum ut populus semper fuerit bellicosus. *Status Angliæ tempore Elisabethæ.*

XX. Si velimus jus antiquum publicum illius regni inspicere, fatendum, Regum authoritatem esse summam, & populi infimam; sed non sufficit hæc scire, verùm necesse est, ut scias quibus modis illa possint conservari in statu pristino. Nulla autem major fuit contentio inter Regias partes, & populum, quàm tempore Caroli I. qui voluit constantissimè tueri jura Regia antiqua, sed ignorabat modum tuendi, & eo delapsæ res Regiæ, ut verbis, & illis modis, qui Carolo placebant, nequaquam potuerit conservare authoritatem suam. Non debuisset simul pervicaciam opponere populo; sed si planè nequeas tueri tuam authoritatem, velificando, vel connivendo debes declinare, donec melius tempus te in integrum restituat. *Antiquorũ temporũ autoritas.* *Caroli I. Regis error.*

XXI. Quæ nunc sit Regiminis forma dicam. Notum est hunc Regem solo populi consensu, & *Moderna regiminis forma.*

liberrimo arbitrio revocatum esse in Regnum; Hinc apparet, quicquid virium nactus est, hoc deberi liberrimo subditorum arbitrio : Notum, quàm in misero statu in Germaniâ vixerit exul, & à suis cognatis desertus ? Notum Regem Angliæ antè hac habuisse potestatem indicendorum & solvendorum comitiorum pro lubitu : Rege Iacobo I. Cum populus ad majorem adspiraret libertatem, sæpè dissoluta comitia, antequam in medium quicquam allatum. Convocaverat ex omnibus provinciis populum ad comitia. Quando autem animadvertebat, populum in id non consensurum, quod animo conceperat, jussit domum ire, cum summa populi offensione. Idem fecit aliquoties Carolus. Notandum autem, postea non dissolvi potuisse comitia, nisi omnia essent ritè composita, hac in parte coactus multum de authoritate sua remittere. Nec hic Rex habet potestatem dissolvendi comitia, sed requiritur etiam consensus eorum, qui intersunt comitiis. Ergo apparet hac ratione multum decessisse Regiæ authoritati. [*In summa; Populi Anglicani indoles & genius non potest perferre absolutum Dominatum, qui hodie viget in Gallia. Et quemadmodum aureo annulo conficiendo non sunt adhibendi rastri & dolabræ; ita populo libero, freni non sunt iniiciendi. Maiestas & Libertas in Anglia non sunt duo incompatibilia, (vt sic dixerim) & ita, dum unum ponitur, alterum non debet excludi.*]

Regis Angliæ potestas in comitiis.

Hodierni Regis potestas circa Comitia.

An Rex Angliæ habeat potestatem ferendarum legum, vectigaliũ, tributorum, vitæ & necis,

Regis Caroli II. prudentia.

XXII. Non habet potestatem ferendarum legum, sed omnia ex decreto comitiorum Rex peragit, adeóque potestas legum ferendarum est penes Regem & comitia, imò penes comitia maximè

Quomodo Patris necem vindicarit.

ximè. Poteſtas vectigalium etiam tributorum non eſt penes Regem, ſed Nobilium ordinem, qui ſedet in comitiis. Ius vitæ & necis in eos, qui Majeſtatis crimen commiſerunt, eſt penes comitia. Prudenter Rex fecit, quod promiſerit, antequam veniret in Regnum, ſe nolle quicquam vindicare, niſi conſenſu Parlamenti, & hactenus in neminem animadvertit, præter in illos, qui ſententiam tulerunt in Caput patris ſui. Conceſſit tamen quibuſdam veniam, hac ratione omnem invidiam à ſe removit.

Ius conſtituendæ militiæ eſt penes Regem ius tamẽ belli & pacis penes comitia.

XXIII. Ius conſtituendæ militiæ eſt penes Regem; attamen jus belli & pacis propriè dictum adhuc penes comitia eſt, nec poteſt alere militem quem & quantum velit, ſed permittit hoc Parlamento determinandum: Idcirco Regis poteſtas ſolito longè reſtrictior eſt: ſed laudo prudentiam Regis, qui potius malit potentiam reſtrictam, quàm nullam.

Comitiorum in Anglia conſtitutio antiqua & moderna.

Domus Superior in quot claſſes dividatur.

XXIV. Quia autem comitia hodie adeò magnam vim habent, hinc de iis agemus. Ab antiquis temporibus duo fuerunt ordines eorum, qui habuerant vim in comitiis. Conventus primorum dictus eſt domus ſuperior das Oberhauß: Conventus inferiorum das Underhauß: aut communium das gemeine Hauß. Domus ſuperior habet itidem duas claſſes, ad quos pertinent 1. Archiepiſcopi & Epiſcopi 2. omnes Duces, & Comites & Barones: Quicquid reliquorum fuit, pertinuit ad domum inferiorem. Antiquorum Regum temporibus, prævalente pontificiâ Eccleſiâ magna fuit Archiepiſcoporũ & Epiſcoporum

Olim Archiepiſcoporum magna in Anglia autoritas.

 rum

rum authoritas, nec Regibus obediebant, sed à Pontifice dependebant. Sed Henricus VIII. Rex, etsi Pontificius esset, tamen illam autoritatem primus de regno sustulit, & se declaravit caput Ecclesiæ Anglicanæ. Ex eo tempore Rom. Pontificum autoritas desiit, atque Archiepiscopi & Episcopi coacti fuerunt Regem tanquam caput suum suscipere. Ex eo tempore multum potuerunt in domo superiore, cum Episcopos sibi haberent obnoxios.

Quando illa imminuta.

Pontificis Romani autoritas in Anglia concidit.

Puritanismi origo in Anglia.

Sub Iacobo & Carolo I. Regibus Episcoporum autoritas crevit.

Caroli I. error circa Episcopos.

Archi- & Episcopi eiiciuntur è Regno Angliæ.

Modernus Rex iterum illos restituit.

XXV. Cæterum etiam tempore Elisabethæ Reginæ cœperat odio haberi, & laudari tale Ecclesiæ Regimen, quale Genevæ erat institutum; Iacobus tamen dedit operam, ut Episcoporum autoritas salva maneret: Sub Carolo autem crevit eorum autoritas magnopere, qui ipsis permisit, (cum anteà scripsissent, se *Regis gratia*) scribere; *Nos Dei gratia*, & alia multa eis indulsit, quo magis ac magis populum offendit. Debuisset potius eorum autoritatem diminuere in gratiam populi. Permisit ille verò, ut populo obtruderentur Episcopi, qui sapiebant religionem Pontificiam, quâ nihil magis invisum erat. Tandem cùm populus rebellaret, per eundem, Carolo invito, omnes Archi-Episcopi è Regno ejecti sunt à regimine Ecclesiæ & comitiis, Regis magno malo. Durante regimine Cromvvellii nullus admissus est: Simul ac verò hic Rex pedem intulit in Britanniam, nihil illi fuit antiquius, quã illos restituere in integrum: ut hodie iterum in Anglia sint Archiepiscopi & Episcopi etsi verò non pari autoritate, habentur tamen hodie inter ordines Regni. [add. *Est hoc inter arcana status Regum Angliæ; Conservatio*

ſervatio autoritatis Archi- & Epiſcoporum, conſervat autoritatem Regis.]

XXVI. Notandum ſimulac Rex fuit ſecuri percuſſus, tota illa domus ſuperior abolita eſt, atque omnes Duces, Barones, & Comites excluſi ſunt à comitiis ſub hoc prætextu, quod Reſpub. pertineret ad populum: Duces autem debere ſuas res agere. Hinc nulla fuit domus ſuperior uſque ad mortem Cromvvellii; poſt eius obitum reſtituta eſt, ante adventum Regis, quod Regi optimè ceſſit: nam cum viderent ſe ſalvos eſſe non poſſe, niſi per Regem, revocaverunt ipſum: licet itaque domus ſuperior ſit in integro, tamen vis Comitiorum eſt penes Domum inferiorem.

Domus Parlamenti Superior concidit. Poſt mortẽ Cromvvellii iterum reſtituta. Vis Comitiorum hodie eſt penes Domum inferiorẽ

XXVII. Tempore Cromvvellii poſt cædem Regis ita ordinata eſt Reſp. ut eſſet perpetuum Parlamentum, ſed paulò poſt hoc mutatum, & inſtitutum eſt triennale, quod tamen ipſum iterum mutatum à Cromvvellio, donec penitus illud abrogavit, (vid. hic artes eius detectas ab autore, qui in illius vitam notas hiſt. polit. edidit.) Minor Domus demùm rediit ad homines phanaticos, Anabaptiſtas, qui licet eſſent rudes, tamen ſolos ſe debere Remp. regere exiſtimarunt. Hos primò evexerat Cromvvellius, ſed cum videret, eos ſibi non prodeſſe, omnia, ut dixi, comitia abolevit, quod ei maximo ceſſit damno: Hoc in cauſa fuit quare populus conſenſerit in Electionem Caroli, ſeu potius revocationem; quod animadvertiſſet illud regimen protectorium non fuiſſe inſtitutum ad tuendam libertatem, ſed opprimendam.

Quomodo ſub Cromvvellio ordinata fuerit Reſpub.

Cromvvellii abrogatio Comitiorum anſam dedit Revocationi Regis.

XXVIII. Hodie inferior Domus eſt in priſtinâ

Domus Inferioris conſtitutio hodierna.

ſtinâ authoritate, ad eámque pertinent omnes ex omnibus Regni Comitatibus legati, quos illi provincias appellant, quorum legatorum 500. conſtituunt Domum inferiorem, & in ipſis Comitiis, quælibet domus eligit aliquem, qui faciat verba, quem vocant Oratorem, quem Rex confirmare ſolet. Noſtis igitur quomodo ſeſe habeat Summa Poteſtas.

Ordinatio Magiſtratuum in Regno Angliæ.

XXIX. Nunc videndum de ordinatione Magiſtratuum. Sunt autem alii Sacri, alii Profani. Sacri conſtituuntur à ſolo Rege, ut ea in parte nullum ſit jus Comitiis. Fuerunt quidem ante hac multi Abbates in hoc Regno, ſed ante annos 100. Henricus VIII. ſuſtulit medio eorum perquam multos, quia obſervavat in monaſteriis vitam peſſimam agi. Alii ſunt magis civiles; hi alii ſunt bellici, alii togati; Omnes hos Rex conſtituit, niſi quod minores etiam populus conſtituat. Majores Vrbis Londinenſis ſive Conſules Rex conſtituit, ut nominatio ſit penes populum; attamen, qui mittendi ſunt ad comitia, illi mittuntur à populo. Hi autem non ſunt propriè dicti Magiſtratus, ſed ſunt, quos Ariſtoteles vocat Magiſtratus indefiniti ſeu delegati; Similiter Magiſtratus omnes, & Iudices conſtituit; nec Parlamentum hac in re quicquam juris habet. Ex his manifeſtum eſt, quod ſit forma regiminis Anglicani mixta, partim Regia, partim Popularis. Nunc videndum eſt quomodo ſeſe hodie habeat Regimen Eccleſiaſticum.

Magiſtratuum diviſio in Anglia.

Regis poteſtas circa conſtituendos magiſtratus.

Regimen Eccleſiaſticum hodiernũ in Anglia.

XXX. Olim, ut dixi, magna fuit Archiepiſcoporum & Epiſcoporum autoritas, ut illi omnem rerum ſacrarum adminiſtrationem in manibus

bus ſuis habuerint: ſed nuperis temporibus multi ſe his oppoſuerunt, putantes illud Epiſcoporum regimen ſapere fermentum Pontificium, idque extirpandum eſſe ex Eccleſiâ Anglicanâ, & induſerunt Calvini ritus, qui Genevæ obtinebant, ſed de hoc negotio fuerunt acerrimæ cõtentiones in Regno, utraque parte vergente ad extrema. Archiepiſcopi jus ſuum venditarunt, quaſi ſit divino jure inſtitutum, nec dubitarunt illud expreſsè aſſerere etiam durantibus turbis, cùm eſſent aboliti Epiſcopi, & quidam Harmondus hoc ipſum edito libro defendit. Scripſerat ſc. libellum David Blondellus de Epiſcopis & Præſbyteris, qui probavit autoritatem Hieronymi & aliorum, Epiſcopos & Præſbyteros differre tantùm ordine humano: huic ſe oppoſuit Harmondus. Ex adverſo illi qui Genevenſe laudabant regimen, aſſeruerunt, illam eminentiam Epiſcopalem divino juri eſſe contrariam, & æqualitatem inter omnes Præſbyteros eſſe debere. Poſteriorem ſententiam jam olim Seculo IV. defendit Arrius, qui tamen ob hæc & alia inter hæreticos eſt nominatus.

Turbæ in Anglia circa Epiſcoporum ordinem.

Blondelli liber de Epiſcopis & Preſbyteris.

An æqualitas in Ordine Clericorum obtinere debeat.

XXXI. Ego credo neutram ſententiam eſſe veram, ſed totum illud regimen eſſe relictum humanæ prudentiæ, prout homines obſervabant Eccleſiæ profuturum, ita fas eſſe, illa conſtituere. Salus enim populi ſuprema lex eſto. Ita verò hæc omnia fiant ordine, & decenter in ſalutem Eccleſiæ. Olim presbyter idem fuit ac Epiſcopus. Verũ deinde ex re fuit viſum, creare Patriarchas, Epiſcopos [*vid. Conringius in Diſſert. de conſtit. Epiſc.*] Iure autẽ divino hic nihil eſt conſtitutũ, & utraq; graviſſime peccavit. In Gallia ita conſtitutum eſt,

Conringii opinio.

In Gallia quomodo ordo Clericorum sit constitutus.

est, ut multa Præsbyteria constituant unum corpus, quod illi classem appellant. His classibus singulis præficitur unus Presbyterorum, qui Præsidis loco est; non malè, sed habet sua incommoda, uti omnia quæ sunt in mundo. Hic modus gubernandi res Ecclesiasticas placuit Genevensibus, horum verò regimen Ecclesiasticum simile est conciliis, seu comitiis: ut enim comitia potestatem habent constituendi omnia ea, quæ ad totum corpus pertinent, ita & hæ classes Præsbyterorum. Ab initio verò Ecclesiæ non fuerunt talia concilia, nam quælibet Ecclesia fuit juris sui, & hæc omnia commissa sunt humanæ prudentiæ.

Novæ turbæ circa Ordinem Ecclesiasticum in Anglia.

Independentium origo, & Presbyterianorum.

XXXII. Cum in Anglia abolita esset per civiles turbas Hierarchia Ecclesiæ, cœperunt quidam inter se collidi: Alii voluerunt introductum illud Regimen per classes, vel concilia multa; alii contra obstiterant, contendentes, tale regimen sapere aliquid tyrannicum; debere Ecclesias sui juris esse. Hi dicti sunt *Independentes*, quod sc. Ecclesia dependeat à nemine: Pro hac independentia multi acerrimè decertarunt: contra qui voluerunt per classes dividi Presbyteros, dicti fuerunt *Presbyteriani*.

Causa quare Independentia orta.

XXXIII. Causa quod multi pugnarent pro Independentia hæc fuit, quod vulgus in varias sententias esset scissum, quodque multæ hæreses grassarentur in populo, quarum sectarii fugiebant regimen per classes, & volebant esse sui juris Ecclesias, prætendentes, hoc deberi libertati conscientiæ. Hæ contentiones valde regnum afflixerant. Durante tamen Regimine Cromvvellii independentes prævaluerunt. Tota enim eius mi-

militia conſtabat ex independentibus eiuſmodi.

XXXIV. Hodie quidem Rex conſtituit regimen Epiſcopale, & indulſit libertatem conſcientiæ, & abolitus eſt Preſbyterianorum & Independentium conflictus. Tolerantur omnes religionum conventiones; modò non dent turbas adverſus ſtatum, & quietem ſacra ſtudia obeant. Inde magna vis horum phanaticorum, inprimis Anabaptiſtarum ibi eſt, qui aliquando turbas daturi ſunt. Vt autem Ieſuitæ omnes reliquos à ſe diſſentientes non dignos vitâ exiſtimant, ita & phanatici docent, quod, qui non ſint ſuæ ſectæ, indigni ſint poſſeſſione bonorum ſuorum; ſe autem ſolos eſſe populum Sanctorum, & hæredum omnium eorum in mundo. Hi niſi compeſcantur, magnas daturi ſunt turbas: Eſt itaque regimen Anglicanum malè conſtitutum.

Hodie ceſſant in Anglia Independentium & Presbyterianorum conflictus.

Anabaptiſtarũ multitudo in Anglia ſtatui periculoſa.

XXXV. Quoad negotia civilia melius ſe habet illa Reſp. Pacis enim negotia adminiſtrantur per Iudices in toto Regno & Aſſeſſores, neque hac in re facta eſt mutatio. Negotia bellica itidem hic ſatis benè adminiſtrantur: Alit Regnum militem perpetuum terra, maríque, quod antea non eſt factum, ſed, quemadmodum Cromvvellio neceſſum fuit, perpetuam alere militiam, ad tuendam autoritatem ſuam, ita & Regis eſt, alere militem; & niſi hoc fecerit, omnia turbarum plena erunt, idque ob ſequentes tres cauſas. (1.) Quia magna populi multitudo aſſuevit armis, quæ aliunde ſibi victum quærere nequit; quem populum, ſi Rex exautoret, facilè tumultuabitur, vel etiam alium Regem eligere conabitur. (2.) Quod Regis res recentes omnes ſint, & opus illi ſit milite

Regimen Politicũ in Anglia.

Anglia alit militem perpetuum.

Regis Angliæ ratio ſtatus moderna.

Cauſæ quare in Anglia miles, perpetuus ſit alendus.

lite ad autoritatem ſuam conſervandam : Sunt enim adhuc multi, quibus regimen Cromvvellianum placet,& ad compeſcendam hominum phanaticorum (Der Libben.) & Anabaptiſtarum innumeram copiam. (3) Quia Cromvvellius oſtendit non quidem in ſpeculo, ſed ipſo facto, quanta ſit regni Anglicani potentia, ſi alatur miles perpetuus: Si igitur miles exautoraretur à Rege, fama Cromvvellii præcelleret famæ Regiæ. Populus ille Anglicanus per ſex ſaltem annos Protectorem habuit, magnas verò res geſſit, & terra marique ſe omnibus formidabilem reddidit. Populus enim ſatis bellicoſus, modo nactus ſit Ducem bonum.

Maritima potentia Regni Angliæ.

XXXVI. Inprimis Regnum hoc claſſe valet, ut nullum illud in toto orbe ſuperet, niſi quod hac parte Hollandi illis ſint æquales; certè dubium eſt, an Angli, an verò Batavi ſuperent ſeu prævaleant: Reliquos verò Angli longo intervallo ſuperant. v. g. Hiſpanos, Luſitanos, & Gallos.

Scopus Regni Anglicani.

XXXVII. Quod ſcopum Reip. Anglicanæ attinet, hic non ita habetur populi ratio, ut nulla habeatur Regis. Reſp. aliæ primariæ ſpectant utilitatem communem, aliæ Regentium. In Angliâ Spectatur utilitas communis, non Dominantium tantùm. Hactenus igitur Reſp. benè ſe habet, & videtur regnum hoc collocare ſummum bonum in operatione, ſecundùm virtutem perfectam conjunctam cum omnium rerum ſufficientia: ſed, ut illa abundet, hinc dant operam, ut exercitia floreant per Indiam, & quidem magis quàm antea. Quod videtur obtineri per Luſitanos, ut horum res ſint adeò anguſtæ, ut non poſ-

ſint

ſint eſſe. Salvi, niſi ope Anglorum. Audivimus nuper ceſſiſſe Luſitanos loca quædam in Indiâ Orientali Anglis, promontorium Tanger, caput viride in Africâ, quæ loca commerciis optima ſunt. Dant & operam, ut re Nauticâ magis magiſque floreant ac valeant, quod ipſum procurant hac lege, ne quid mercium vel invehatur, ſeu evehatur, niſi navibus domeſticis, quod multum facit ad utilitatem communem, & hæc lex eſt valdè ſalutaris Angliæ, Batavis verò revera hæc lex diſplicet. Tale quid cœperat inſtituere Henricus VII. prudentiſſimus Rex, ſed in deſuetudinem abierat; hodie verò iterum ad obſervationem revocatum. *Angli rei nauticæ ſtudent.*

XXXVIII. Occurrit hic ipſa Familia Regia, quæ hodie in Anglia potitur rerum: Ortum habet ex Scotiâ, & quidem ex Nobili familiâ Stuartorum. Henricus Stuartus Nobilis Scotus duxit uxorem Mariam, Reginam Scotiæ, unde Iacobus VI. Rex natus, qui defunctâ Eliſabethâ ſimul factus Rex Angliæ, jure quaſi hæreditario. Iacobi VI. avia fuit filia Henrici VII. Angliæ Regis. Stirpe Henrici VII. extinctâ, hæreditario quaſi jure ſucceſſit Iacobus Rex Scotiæ. Familia Henrici VII. (Si vera fatenda ſunt:) è tenui loco orta. Avus Henricus VII. fuit Ovvenus Tydder Danus, è Iutia oriundus, ſartor, cui non dubitavit poſt mortem mariti Regis Angliæ nubere ipſa Regina Angliæ, quæ è ſanguine Regio eſſet oriunda. Ovveni filius fuit Edmundus, ex quo natus eſt Henricus, qui occiſo Richardo in pretio, conſtitutus; erat Comes de Richemond, & factus eſt Rex Angliæ. Iacobo fuit filia unica Eliſabetha,

Cauſa Efficiens Regni Angliæ. Familia Regis hodierni.

Familia Henrici VII. è tenui loco orta.

tha, nupta Comiti Palatino ad Rhenum, Fridericus, & Carolus filius Rex infelix. Velim si in manus vestras incidant libri per eundem Regem scripti, vos comparetis eos, inter illos sunt optimi, tituli, Sylloge variorum tractatuum pro innocentia Caroli Regis. Scripsit etiam pro Rege magni nominis vir Cl. *Salmasius*; sed, ne quid dissimulem, non respondet expectationi, admodum enim tumultuarius est, & graviter Salmasius peccavit, quod non distinxerit inter varias Regnorum Species, sed ita disserit ac si simpliciter omnibus Regibus una eademque potestas, & quæ reperit apud autores de Regibus, illa omnia uni Regi applicat, cum tamen Aristot. plures ponat Regni species, licet minus plenas vel mixtas. Debuisset potius argumentari ex legibus & consuetudinibus Regni Anglicani, non ex iis, quæ in historiis legerat. Excepit eum mordax Scriptor Miltonus, sed in quo desideres prudentiam & æquitatem judicii: in sarcasmo est artifex, unde petulans ejus ingenium satis se prodidit. Summa contendit, quod naturæ jure potestas summa debeatur populo; quicquid contra fiat, esse juri naturæ adversum, nec esse statum Reip. democraticum. Ejus liber post reditum Regis manu carnificiis combustus est, ut etiam alius in Galliâ natus: prodiit etiam Caspar. *Ziegleri* exercit circa Regicid. Angl. elegans satis, & alius *Christophori Neandri*.

Scriptores pro Carolo I. R. Angliæ.
Salmasius.
Miltonus.
Zieglerus
Neander.

TEXTUS CONRINGII

De

HYBERNIA.

TITULUS XXI.

I. SOlent Reges Angliæ se jam ab aliquot seculis Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Reges vocare, quasi hæc unum faciant corpus. Non ego jam disputabo de jure Regis Angliæ in Franciam, an ei aliquid jure debeatur, nec ne? Nec agam de bellis, quæ Angli pro obtinenda Gallia gesserunt. Certum est, quod Angliæ Reges in Franciâ ne glebam possideant, etsi antehac multa possederint in eo Regno. Tempore Eduardi III. Regis, adeò invaluit Anglorum potentia, ut Regem Ioannem captivum duxerint in Angliam. Hybernia verò adhuc in Anglorum potestate est.

Angliæ Reges titulo Regni Franciæ utuntur.

Angli olim multa in Galliâ possederunt.

II. Hyberniæ nomine venit insula versus occidentem omnium maxima, freto non magno ab Anglis distincta. De illa insula, qui doctũ aliquid vult legere, adeat Cambdenum, ex quo, ut & Lilio Gyraldo aliquid, quod huc faciet, haurire poterit.

Hibernia Insula maxima versus Occidentem.

Scriptores rerũ Hibernicarum.

III. Insula illa, ut apparet ex situ, valdè vicina est Angliæ, ex parte Septentrionali & Scotiæ: Sed à reliqua Europâ longè latéque distat longius

Hiberniæ situs, & securitas.

etiam ab Asiâ, Africâ, Americâ, ut non temerè possit evenire quid mali, nisi ab una Angliâ.

Hibernia non fuit Romanis subiecta. IV. Fuit hæc insula nota Romanis; domitam autem eam fuisse non credo, nec videtur, Romanos, illis Barbaris domandis, ullum fecisse operæ pretium: Exinde insula illa fuit sui juris, & videtur satis cito dedisse nomen religioni Christianæ. *Hiberni quando Christiani facti.* Seculo V. jacta sunt ejus semina, ex quo tempore ibi fuerunt Ecclesiæ, sed non nisi fama. Non habent illi monumenta antiqua, ex Anglicis petenda sunt, quæ de iis scire volumus.

Cœli & soli qualitas. V. Quod Cœli solíque qualitates attinet, quâ parte est Australior, cœlum habet mitius & clementius ipsâ Angliâ; parte autem Septentrionali minus, nec tamen regio vel glacie, vel nivibus infestatur, obnoxia verò est humoribus, & pluviis. Hinc minus apta est frugibus aliquibus ferendis; *Pascuis abundat Hibernia & per consequēs armentis.* Ex adverso autem pascuis est lætissima, & lætior universâ Angliâ; Incredibile est, quanta ibi sit copia & dulcedo pabuli. Hinc opes illius regionis in armentis consistunt, & abundat regio ovibus, quæ tamen gestant vellera minus bona, quod non vitio terræ, sed culturæ adscribas. Abundat quoque vaccis, tauris, equis, ne quid dicam de varii generis feris. Vt itaque non satis instructa frugibus; abundat tamen lacte, carne, & aliis armentorum commodis. *Abūdat etiam apibus.* Similiter abundat apibus immane quantum, quâ in re præstat Anglię & Scotię. *Nulla ibi animalia venenata.* In primis notandum, quod tota insula sit immunis ab animalibus venenatis; quod si eò deferantur, moriuntur, & usque adeò tanta est ejus terræ vis, *Ligna Hibernica nullas ferunt araneas.* ut ligna Hybernica nullas ferant araneas: Vidi quædam confecta ex lignis hybernicis quæ immunia

munia fuere ab omnibus araneis. Metallorum non adeò ferax; illa enim aliunde inferre solent.

VI. Dividuntur incolæ in duas quasi partes: in Hybernos, & originis Anglicæ homines. Seculo XIII. Henricus II. captata occasione domuit totam Hyberniam; Victi autem Hyberni se dederunt jugo Regis, eiusque Monarchiam agnoverunt. Ex quo tempore multi Angli se huc contulere, allecti commoditate soli, inprimis in parte Australi. Vnde magis magisque crevit ibi Anglorum autoritas & multitudo, ita tamen ut reliquæ multitudini antiquorum seu incolarum Angli nihil detraxerint. Hinc incolæ indigenæ sunt multò superiores Anglis, ut vix unus Anglus mereatur computari cum decem Hybernis, qui quàm maximé student propagationi gentis suæ, & maximè sunt proclives in Venerem, & festinatas nuptias: undecimo, vel etiam decimo anno puellæ nubunt. Fuit hæc insula olim plena hominum, sed quæ hodie ibi sit facies, non dixerim, nisi quod ante annos 20. cum orirentur motus in Britannia adversus Regem Scotiæ, etiam indigenæ clanculum conspirare non dubitarint ad delendos omnes Anglos in Hybernia: Hac conspiratione factum, ut spatio 6. mensium misere jugulata fuerint 200000. Anglorum, nec enim ætati vel sexui pepercerunt, ex quo multùm decrevit autoritas & Anglorum nutus in Hybernia, sed sedatis motibus Anglicanis, initio statim feliciter arma deposuerunt Angli Hybernis, ut brevi temporis spatio interierint ad 200000. hominum, & intra anni, vel biennii spatium ultra 300000. hominum interfecta sint in illa insula.

Divisio incolarũ Hiberniæ.

Hiberni quando ab Anglis subacti.

Hiberni student propagationi gentis suæ.

Nuptiæ ibi immaturâ ætate contrahuntur.

Hibernorum conspiratio adversus Anglos.

Strages Hibernorum.

Qui fuerunt ferociores, eos educi curavit Cromvvellius, cessitque Hispanis, quorum auxilia implorabant. Sic aliquot millia excedere coacti fuerunt, hac conditione, ne unquam redirent; ita numerus eorum vehementer decrevit.

Mores Hibernorum. VII. Mores gentis sunt varii. Hyberni enim bonam partem sunt feri; Angli contrà sunt moribus Anglicanis. Cambdenus egregiè descripsit eorum mores, nec multum ab iis mutaverunt. Sunt inertes, laborum fugaces; turbulentos porrò esse, nec latrocinium apud ipsos infamia notari, in Venerem pronos, justitiæ minus cultores, homines efferos, in universum malos Cambdenus ait. Habent quidem Vrbes, sed perpaucas, & potius oppidula. *Armagh Dublinum.* Metropolis est *Armagh*, sedes Archiepiscopi, dein *Dublinum*, oppidum munitissimum, sedes Præfecti, quem huc sub titulo Vice-Regis mittit Rex Angliæ: (sedes item Archiep. ita Cluver.) Anglis celebris est portus. Deum incolæ aliàs parvi colunt, ut & virtutes; ad res verò novas planè proni & apti. Volunt tamen antiqui Hyberni videri antiquæ Religionis Pontificiæ observatores: quia verò bellicosiores & ferociores sunt semoti & pulsi patriâ, reliqua multitudo jam quiescit.

Regimen Hiberniæ Quo titulo Angli Hiberniam occuparint. VIII. Regimen seu summa Reip. est penes Regem Angliæ. Causa autem domandi Hyberniam Anglis defuit justa, nec alius prætextus fuit, quam quod Pontifex Rom. dederit illis jus occupandi Hyberniam. Tale jus dedit Alexander IV. Seculo XIII. Henrico Regi. Ex eo tempore paruit Anglis Hybernia, & Reges agnoverunt Papam, non quidem ut feudi Dominum, sed ut

Patronum;

Patronum. Non autem usi sunt alio titulo Reges, quam: *Nos Domini Hyberniæ*. Primus Henricus VIII. cum ejurasset omnem Pontificis autoritatem, etiam Regium titulum, inconsulto Pontifice, sibi adscivit, & eo tempore Hybernia Regnum nominari cœpit. Henrico successit Eduardus, qui Protestantium sacris fuit addictus: Huic Maria, quæ fuit pontificia, & passa est Regium titulum sibi confirmari. Elisabetha verò Romanum Pontificem ne flocci fecit. Solet verò Rex insulam illam gubernare per Pro-Regem, qui Regia autoritate Hyberniæ præest. Habet jus belli & pacis, nec usquã terrarum est Pro-Rex cum tanta potestate, Fit hoc ob necessitatem, & indolem populi cum crebræ in illo Regno soleant fieri seditiones; Residet Dublini. [add. *Huic Pro-Regi adiungendus esset legatus sive Iuridicus; ne agitare possit ea, quæ plus quam civilia sunt.*] Administrandi ratio penè eadem est ut in Anglia: nam ibi etiam est Parlamentum seu Comitia, sed minori autoritate, quàm in Angliâ, & revera Rex Hybernis non nisi miti potest imperare imperio. Quare non multum fructum capit Anglicanum Regnum ex Hybernia. Cogitur enim Rex ibi alere militem perpetuum, in quem omnes ferè reditus impenduntur. Nam postquam in Anglia mutavit regimen, etiam Respublica ibi mutavit.

Titulus Angliæ Regum ratione Hiberniæ.

Pro-Rex Hiberniæ.

Eius potestas ingens.

Administrandi ratio in Hibernia.

Parlamẽti autoritas.

IX. Scopus Reip. est directus ad utilitatem dominantium, ita tamen, ut Principes Hyberni in suos herile exerceant dominium, imò plus quàm herile; quod igitur salus communis ibi non observatur, id debetur ferocitati gentis & ruditati.

Scopus Regni Hiberniæ.

Causa Efficiens Regni Hiberniæ. X. Principes Hyberni antiqui, qui aliis prævalent, solent dici & litera O prænominari O *Mak*, qui aliquâ valent autoritate, sic etiam qui Mak habent, prævalent nomine. Est autem Mak idem ac filius, vox illis usitatissima.

Insula Boermayden. XI. Possidetur etiam ab Anglis in America, insula *Boer Mayden*, (Porto man quam totam Angli tenent; In Americâ Septentrionali *Virginiam*, ab Elisabetha Virgine dictam; *Virginia.* ferax illa est tabaci, quo nihil Anglis est acceptius, & nullum vectigal in Angliâ est opulentius, quam quod capitur ex Tabaco. *Herba Nicotiana.* Sub Cromvvelliano imperio adjecta est *Iamaica*, magni nominis insula, quæ *Iamaica.* olim possessa est ab Hispanis. Volebat is contra datam fidem occupare Hispaniolam, cum autem id ei infeliciter cederet occupavit Iamaicam, Hispanicarum navium ex Americâ venientium maximo cum periculo & damno. *Dunkerka pervenit ab Anglis ad Gallos.* *Dunkerkam*, ut Novellæ tradunt, tradent Angli R. Galliarum persolutâ ingenti pecuniæ summâ sc. million. Quare id fecerit Rex Angliæ non patet. Interim credo factum id cum magnâ omnium Politicorum admiratione. An verò Rex Galliæ locum illum sit cessurus Regi Hispaniæ vix credendum, quamvis id Novellæ innuere videantur. [add. *Ingens Politicus solæcismus hic ab Anglis commissus contra rationem scilicet dominii Maris Anglicani. Cancellarius, qui hoc Regi persuasit, pecunia expugnatus, hodie in Gallia delitescit.*]

EXCERPTA

EXCERPTA

MISCELLANEA

DE

ANGLIA,

SCOTIA & HIBERNIA.

I. ANGLIA divisa in *Loëgriam*, quæ vel superior, cujus Provinciæ sunt 1. Northumbria, 2. Cumberlandia, vel Cumbria, 3. Dunelmensis Episcopatus, 4. *VVestmorlandia*, 5. Lancastria, 6. Cestria, 7. Salopia, 8. Eboracum, in quo *Yorck*, 9. Linconia, 10. Notinghamia, 11. Darbia, 12. Staffordia, 13. Licestria, 14. Rutlandia, 15. Warvvicum, 16. Wigornia, vulgò Worcestershire. Lægria inferior in Oceanum Britannicum procurrit, ejus Provinciæ sunt 1. Nortfolcia, 2. Suffolcia, 3. Essexia, 4. Midlesexia, in qua *Londinum*, totius Britanniæ compendium. 5. Cantium, vulgò *Kent*. cujus primaria Vrbs reliqua sunt *Cantuaria*, Canterbury) Archiep. *Dovern*, (sedes. 6. Surria, 7. Suthsexia, 8. Southamtonia, 9. Dorcestria, 10. Devonia, vulgò Denshire, in qua *Ercester*, *Plimmouth*, ubi portus celebris, Francisci Draci Patria. 11. Cornubia, quæ & *Cornvvallia* dicitur. 12. Somersetus, in quo *Bristolia*, &c. 13. Wiltonia,

 14. Ber-

14. Berceria, vulgò *Barckshire*. 15. Glocestria, 16. Oxonium, in qua *Oxford*, vbi Academia Collegiis XVI. & VIII. Aulis instructa. 17. Bucking, à fagis, *Bücken*; in hac sunt *Buckingham &c.* 18. Hertfordia, in qua *Hertford*, *VVatlingstreat*, (*Tacito* Verulamium) cuius loco hodie *S. Albans*, oppidum floret, &c. 19. Bedefordia, ubi sunt *Bedford*, *&c.* 20. Northamptonia, in qua *Northamton*, *&c.* 21. Huntingdonia, 22. Cantabrigia, in qua *Cantabrigia*, ubi Academia XIV. Collegiorum. Cambria, sive *VVallia*. Primogenito Regis Angliæ paret, qui *VValliæ Princeps* dicitur, quemadmodum primogenitus in Gallia *Delphinus*. Insulæ minores Angliæ adjacentes sunt V. 1. Mona (*Angls theyle of Man.*) Iacet inter Boreales & Britanniæ partes. 2. Anglesia, in mari Hibernico Angliæ proximior, & in ea Walliæ, ubi Comitatus *Caernavam*. 3. Vecta, sive *Vectis*, alias *VVigt*, in Oceano Britannico sita prope Southamtoniam. 4. Est Garnesey, Hæc Insula, ut & proxima Iersey, relatæ fuerunt olim ad Normanniam, ubi etiam earum situs est in Canali Anglico, sive mari Britannico, intra Britanniam & Normanniam: oppidum habet, *S. Petri*. 5. Est Iarsei, in qua Castrum munitissimum *Montorguel*, impositum colli, habétque præfectum Vniversæ Provinciæ Ius dicentem.

II. Hactenus de Anglia, sequitur Scotia. Dividit autem omnem Scotiam Grampius mons, ab occasu in ortum tendens, in duas partes Septentrional. & Meridional. Scotiæ Septentr. sequentes sunt Provinciæ; 1. Strathnavernia, in qua aliquot castra versus Orcades jacent.

2. Ca-

2. Cathnesia. 3. Sutherlandia. 4. Rossia. 5. Moravia, vulgò Muray. 5: Loquuhabria. 7. Abrenethia, nunc *Strathdee*, ubi *Aberdon*, Academ. 8. Augusia. Scotiæ Meridionalis sequentes sunt Provinciæ : 1. Perthia. 2. Fifa. 3. Strivilingia. 4. Cuninghamia. 5. Clidesdalia. 6. Gallovidia. 7. Laudonia, ubi *Ediinburgum*, sedes Regia, Regníque caput, &c. 8. Marcia. Insulæ, quæ Scotiæ adjacent, sunt *Hebrides*, & *Orcades*. *Hebrides* in mari Deucaledonio ad Scotiam Occidentalem sunt sitæ, quarum numerus est XLIV. è quibus præcipuæ sunt *Levissa*, *Eusta*, *Skye*, *Mula*, *Ila*. *Orcades* (vulgò *Orkney*) numerantur XXX. & amplius, quarum caput *Pomona* est, in qua *Kirkvval*. Hæ sitæ sunt ad Septentrionalem Scotiæ plagam, è quibus serpentes & venenata animalia natura ejecit. Incolæ Lingua Gothica utuntur, quia Gothi has olim tenuerunt, fueruntque antiquitus pars Norvvegiæ Regni, ad quod etiamnum pertinent. Manétque jus Daniæ Regi in illas terras.

III. Ordo poscit Hiberniam, sive *Irlandiam*, Hæc undique clauditur Oceano, & ab ortu Angliæ Scotiæque parti obversa est. Provinciæ ejus sunt 1. Vltonia, sive *Vlster*, in qua oppid. primar. *Armagh*, sedes Archiep. & *Doun*. 2. Connachia. 3. Lagenia, (Angl. *Leinster*.) in qua primaria Vrbs est *Dublinia*, Regni Metropol. *VVexford*, 4. Momonia.

IV. Nostris temporibus Angli sunt moribus cultissimi & humani. Imprimis verò Nobilitas Angliæ summâ pollet humanitate, ut nulli in hac laude nationi cedat, plebis quidem mores agrestes *Mores. Anglorũ huius temporis*

agrestes & asperi sunt, at verò Nobilium ordo, cui & opes & ingenium supra cæteros emergendi facultatem præbuerunt, ex meliore luto præcordia habet. Cæterùm ingenia Anglorum prompta & subtilia sunt, omnium artium cum excellentia capacia: corpora habent mirum in modum agilia, & ideò omnibus celerrimis actionibus perquam apta. Homines spectatæ conditionis, moribus gravitate & modestia mixtis commendantur; id quod non ulla arte acquisitum, sed natura datum habent. Peregrinos optimè excipere, sibi in honore ponunt: hoc notatu dignum est, quod omnibus peregrinis ad ædes Majoris Londinensis (is Supremus urbis magistratus est) accedere, ibíque gratis cibum capere liceat. In bello strenui, & mortis acerrimi sunt contemptores, nulli timori vel fugæ obnoxii, nihil aliud animo quàm victorias, volventes. Insuper belli adversa non adeò patienter ferunt, magísque conflictum, quàm moras prælii, exoptant. Qui literis animum dant, incredibiliter in omnibus scientiis excellunt. Quod habitum corporis spectat, Gallicè vestiri ex longo volunt tempore. Natio hæc uti virtutibus magnis, ita vitiis etiam non levibus notabilis est. Ac quidem Angli furta exercent, & latrociniis aliis infesti sunt, ad quæ cum terra parvo circumscripta spatio non sufficiat, ideo in mari has malas artes etiam frequentant, & advenas ex hoc speculantur. Vino se implere, in consuetudine habent; illo verò liberalius hausto, ad pellendam crapulam, herbam Indicam vulgò Tabacum, accendunt: hoc remedio non viri solùm, sed etiam fœminæ
(libe-

(liberius, quàm decebat modeſtas, potæ) utuntur, quas eximia formæ pulchritudine natura donavit. Ad ultimum Angli novandi rebus, & ad ſeditiones exprompti ſunt, ut difficillimum ſit hunc factionibus aſſuetum populum intra cancellos coërcere.

V. Iam Scoti natura ſunt invidi, & ſuperbi, contemnentes omnes alios mortales. Nobilitatem ſuam valdè jactant; quin homines vilis fortunæ, infimíque ſubſellii, ita ſunt impudentes, ut genus ſuum ex Regali ſtirpe deducere, & jactare nil vereantur. Sed hoc notandum eſt, quod Scoti divisi ſint, in civiles, & feros. Quorundam enim magis civile eſt ingenium: Quidam velut bruta ſunt, quamvis Chriſtiano gaudeant nomine, bellóque ſtrenui ſint. *Politiores* illi ſunt, qui ad latus meridionale habitant, quod *Alta* dicitur *Scotia*, magis fertilis quàm altera Septentrionalis, & habitatores dicti ſunt *populus terræ ſuperioris*, illíque ferè ut plurimum lingua utuntur Anglicana. *Fieri* Scoti illi ſunt, qui Latus Septentrionale accolunt; incolæ dicti ſunt *populus terræ inferioris*. Hi retinent arma, mores, linguam Hibernorum ex quibus ſuam hauſerunt originem. Pro armis utuntur arcu, ſagittis, & gladio valdè lato, & pugione valdè acuto. Cæterum Scoti ſunt ingenioſi & induſtrii valdè; ſed vindictæ cupidi, & occaſione ulciſcendi ſe oblata, crudeles; præterea audaces, & animoſi ad bellum, incommoda varia patienter ferunt, multo magis quàm Angli Subtiles quoque ſunt, factionibus addicti & ſeditionibus, & præſertim ad omne genus ſcientiarum apti. A longo tempore propter ſervatam fidem inclaruerunt;

Mores Scotorũ recentiores.

runt; quapropter Reges Galliæ ex hac natione custodes corporis sibi eligere solent. Hodie magis sub hasta, quam pileo, miseram trahunt vitam.

Mores Hibernorum nostri temporis.

VI. Hiberni ut plurimum fortes sunt, agiles, animosi, se omnibus periculis facilè exponunt, laboris omnis sunt patientissimi, nec non frigoris, inediæ, variique generis incommodorum. Amori valdè sunt dediti, constantes in amicitia; humani erga peregrinos, implacabilis odii, exiguæ fidei, gloriæ cupidi, qui pati nequeunt, ut factis, vel verbis lædantur, affectibus addictissimi, ut qui mali sint, peiores; qui boni, meliores esse nequeant. Baptizatis infantibus nomina imponunt profana, adjiciúntque aliud ex eventu quodam natum cognomen; vel coloris, ut rubri, albi, nigri; vel alicujus morbi, vel similis rei; vel nomina injuriosa, ut *Scabri, superbi*, &c. Non est permissum, infanti nomen Parentis imponere, aut alicujus ex sua familia, si is adhuc vivit; quod autument hoc pacto illorum mortem accelerari. Patre verò mortuo, nomen ejus à filio suscipitur, ne cum patre intereat; cum ex majoribus eorum aliquis hoc nomen habuit, ab illo sibi magna quæque promittit. Hæc opinio per Poëtas aucta est, qui scriptis facta veterum memoriæ prodiderunt. Puerperam mulierem multæ salutatum veniunt, ad consequendam infantis nutriendi facultatem; & quamvis hic populus Veneri maximè sit deditus, & pudori ducat, fœminas præbere mamillas propriis infantibus; tamen sæpè uterque conjugum libenter à coitu abstinent, propter amorem infantis, quem nutriendum susceperunt.

Si

Si contrarium accidat, ipsi aliam suo ære conductam nutricem substituunt. Cum infans ægrotat, nutrix illum (sit honor auribus) veteri lavat lotio, & contra alia quæ ipsi possent occidere mala suspendit ipsius ex collo initium Evangelii S. Ioannis, & præterea clavum contortum ex ungula equina desumptum. Eandem ob causam infans cum nutrice cingula è capillis muliebribus facta gestant; Fœminæ etiam suis amatoribus armillas, propriis capillis contextas, donare solent. Qui ex eodem nutricis ubere pependerunt, se intimo deperiunt invicem amore, & sæpius accidit, ut magis se invicem eodem nutriti lacte ament, quàm uterini fratres. Cæterum hic populus desidiæ admodum est deditus, & pro maximis divitiis ducit, nihil agere. Musicam adhæc amant. Illi, qui Religiosam agunt vitam, austeri sunt, vigiliis, precibus nimiisque jejuniis se fatigantes. Fœminæ quoque Catholicæ bis in hebdomade, diebus Mercurii & Saturni, jejunant. Verùm illæ contrà, quæ flagitiis addictæ sunt, pejores sunt, quam ut credi possit. Ex arborum corticibus vestes nigro tingunt colore. Latrocinia, quamvis ab ipsis magna cum crudelitate exercita, neminem illorum infamant; dicúntque, quod sibi magno pudori ducant, ex propriis victitare manibus, & totam stertere noctem, nec ad prædas in longinquum excurrere; quibus ita inhiant, ut nec templa violentis rapinis inquinare vereantur. Matrimonia non facilè, nisi in oppidis, contrahunt, nec de præsenti, sed de futuro, ideo facilè divortium admittunt; ubi sine negotio maritus aliam quærit uxorem, & mulier alterum maritum. Ejecta ædibus mariti fœmina,

per

per veneficia sterilem solet facere novæ maritæ thorum, vel eam morbis infestare. Viri fœminæque magni crines suos, si longi & flavi sunt, faciunt. *Feri Hiberni* in genua procumbunt, cum novilunium spectant, Lunámque his alloquuntur: *Præsta nos etiam ita sanos, sicut nos invenisti.* Deum pro lupis orant, & autumant quod hac ratione nullum passuri sint damnum. Illam fœminam pro venefica habent, quæ 1. Maii ignem ab aliquo petit, quem nisi ægrotis non concedunt, nec sine convitiis, credúntque eam subsequenti æstate caseos omnes surrepturam: hoc etiam pro omine habent, quod defixa ante portas arbor 1. Maii, faciat ut greges pecudum lacte abundent. Non permittunt alicui equum vel aliud laudare animal, nisi præmissis verbis, *Deus illud servet*, aut contra exspuendo. Quod si intra triduum aliquid mali equo acciderit, requirunt eum, qui equum laudavit, ut ipsi dicat in aurem orationem Dominicam & Ave Maria. Ægrotis, neque de condendis testamentis, nec salute animæ quicquam dicunt; sed de cura convalescendi tantum: In excessu suorum tantos clamores & ejulatus produnt, ut diceres totum mundum perditum iri. Quod victum attinet, herbis, radicibus, fungis, butyro farinæ ex avenâ factæ mixto, itémque lacte, jusculo, & carne, sæpè sine pane, se sustentant. Frumentum enim pro equis, quorum ingentem gerunt curam, servant. Vrgente nimium fame, etiam crudas carnes comedunt, utque melius concoquere stomachus ingesta valeat, adustum vinum adhibent. Vaccarum quoque sanguinem coagulatum butyro superfundunt, & ita comedunt. Nudis semper ince-

dunt capitibus, nisi quando in bellum ituri galeis se tegunt. Longos crispatos alunt capillos, nec ullum ab aliis jocum ferunt. His non possumus non adjungere illa quæ de *Anglo-Hibernis* notavit *Richardus Staniburstius Dublinensis lib. de rebus in Hibernia gestis, &c.* ubi illa, in antecessum à nobis ex aliis dicta, fusiùs declarat, & quædam excusat. Qui incolæ sunt Anglicæ Provinciæ, ab Hibernis victu, cultu, & sermone differunt. Nam à pristinis Anglorum moribus ne transversum quidem discedunt unguem. Hibernicum tamen idioma ab Anglica provincia ferè exulat; quin & multi Angliæ senes in Anglia conspiciuntur, qui vix unum & alterum verbum Hibernicè intelligunt, nedum loquantur. Proceres quoque Hiberni & vulgus ab Anglico sermoue planè abhorrent. Adhæc Anglo Hiberni adeò ab antiquis illis Hibernis sunt separati, ut colonorum omnium ultimus, qui in Anglica Provincia habitat, filiam suam, vel Nobilissimo Hibernorum Principi in matrimonium non daret. Nam domestica connubia adeò inter se habent conjuncta, ut unus alterum proximitate sanguinis tangat. Cives & municipales more & instituto Anglorum vivunt. Legum Britannicarum auctoritate Rempublicam administrant; Anglicè pariter ac Hibernicè loquuntur propter quotidiana commercia, quæ illis cum vicinis Hibernis intercedunt; suos tantùm cives mutua devinciunt affinitate, Hibernicos tamen procos procul arcentes. De *nativis* verò *Hibernis* apud plurimos hæc consedit opinio, quod omnem exuerint humanitatem, fusos per densissimas sylvas & dispersos

persos vagari, & ferina quadam immanitate effrænatos, vitam horridam & incultam degere. Verùm qui illos per hæc convitia raptant, à veritate in plurimis discedunt. Quanquam enim non eadem qua Angli commendentur morum civilitate, & ab ipsorum lautitiis abhorreant; attamen neutiquam omnis apud illos humanitas in exilium pulsa censeri debet. Quantum ad ædificia, illa sanè adeò magnifica & splendida non sunt, sed agrariis culmis ut plurimum tecta: somnum tamen rarò, nisi in castellis, capiunt, quod aularum integumenta facilè ignem concipere queant. Castellano etiam præsidio se tueri solent, ne illos securè quiescentes nocturna aliqua vis insperatò occupet. Qua de causa, in castelli vertice, velut in specula, excubias nocturnas curatius observant, in quibus per noctem clamores edunt, majorémque noctis partem insomnem ducunt. Habent quoque areas magnis aggeribus & fossis circumdatas, dumetis ac virgultis circumseptas. In hac urgente necessitate armenta compulsa detridunt, ut eo melius illa à nocturnis grassatoribus tutiora reddant. Neque verò, ut plurimi præter verum autumant, per silvestres anfractus & paludes palantes vagantur, verum prædia & domicilia certa habent, quæ à magna hospitum frequentia quotidie visuntur. Adhæc illorum laus est, quod hospitales admodum sint, neque ulla re magis delectentur, quàm si quis sponte illorum ædes visat, vel illos ad convivium invitet. Hyeme, horis antelucanis, æstate verò circa horam septimam prandere solent. Si ullam habent à militia vacationem, cum satellitio in sylvas ex-

currunt

currunt. Iudicia ſua ita exercent: Statuto die ex tota vicinia ad certum locum concurſus fit; quî cum præcelſus ſit, unus inter cæteros eminet. Ibi quilibet de injuriis ſibi ab alio illatis conqueritur. Tales autem injuriæ clandeſtinis furtis frequentiſſimè committuntur, quo flagitio plebs valde laborat, & Dominorum ædes furtorum receptrices habent. Quod ipſi Proceres intèr ſe aliquo capitali odio accenſi ſint, noctem in ſocietatem ſceleris & auxilium prædarum non adjungunt, ſed exercitum ex ſicariis, excurſoribus, &c. conducentes, in inimici ſui territorium luce clara ingruunt, omniáque eius bona rapiunt, & palàm prædantur, niſi alter ad arma vocatus, paratus ſit ſuas rapinarum Miniſtris vires opponere, prædonúmque impetum arcere. In huiuſmodi excurſionibus multæ peraguntur cædes. Quod ſi congregata pecora in ſuas adducere poſſint ditiones, hoc, tanquam præclarum quoddam facinus, in album rerum egregiè geſtarum referunt. Qui ex his contentionibus fortunas ſuas amiſerint, tempori cedunt, vindicias ab inimico ex data occaſione ſumpturi: inimicitias foventes, implacabiliter odia ſervant, minas tamen non jactant, cum non latrare ſed mordere velint. Simulant tamen interea amicitias, mox ex occaſione in publicam vindictam exarſuras; quandoquidem hoc ſitum in animis habeant, ſanguinem non aliter quam ſanguine expiari poſſe. Hæreditarias autem inter ſe habent inimicitias, & paternarum diſſenſionum cauſſæ etiam filios in arma & vindictam compellunt. Hac ratione illorum ſtatus variæ fortunæ viciſſitudini obnoxius, vacillat. Vbi autem damna

alicui data ſunt, de illis querelæ ad coronam deferuntur. Adſunt præſto indagatores, qui mercede adducti furtorum veſtigia ſolertiſſimè ſectantur. Si quis reus falsò vel verè ſceleris inſimulatur, non alia juris forma reſpondent, quam *Nego hoc:* ſi autem actor apertum non deprehendat furtum, ſed ex præſumptionibus tantum agat, fruſtra litem agit. At verò ſi quis per aperta ac luce meridiana clariora documenta furti convictus eſt, tenetur reus aut ad reddendum ablatum, vel valorem ejus præſtat. Tales verò lites æſtimare ſolent certi homines, quos *Brehonios* appellant, qui tam juris Civilis, quàm Britannici ignorantes ſunt, judicántque ſolum ex domeſticis conſuetudinibus, quæ uſu & frequentia actuum receptæ ſunt. Hi artem aliquam ex rebus commentitiis conflatam habent, quam nullo modo divulgari patiuntur, ſed ſibi ipſi, velut abſtruſa quædam myſteria & à notitia aliorum remota, ſervant. Hinc autem propter opinionem affectare ſcientiæ apud imperitam plebem magni habentur. Agunt etiam inter illos ſemidocti quidam Leguleii, qui à primis annis civili & pontificio juri dediti ſunt. Vſum Latinæ Linguæ tanquam rem puerilem flocci faciunt, neque latinè unquam benè ſonant. Vbi tàndem poſt longam litigationem ſolum ad veſperam pronum vident, domum redeunt, & ut quiſque opibus & fortuna valet, ita etiam hoſpites ad cœnam ſecum capiendam invitat. Solent autem magnificè & opiparè cœnare: quamvis enim deliciis, quæ multorum ſumptuum jacturam promovent, careant; menſas tamen bovina porcináque carne, & aliis cibariis habent inſtructiſſimas,

ctissimas. Nonnullorum etiam fuit opinio, illos cruda carne vesci; quod tamen præter rei veritatem esse Auctor existimat, quamvis non adeò accuratè cibos coquant, & assos reddant. Vtuntur pro medicamine, ignito quodam vino, nullo alio liquore permixto, vulgò dicitur *Aqua vitæ*. Hoc potionis genus intimo artificio instillant. In vicinis oppidis magnam vini emunt copiam: in epulis accumbere solent: primum in mensa locum materfamilias tenet, talari induta tunica, feréque manicatâ: inter cœnandum adest citharista, sæpius cœcus, qui chordis ex ære plerumque factis animos accumbentium exhilarat. Vtuntur autem Hibernici, more tubæ, lignea quadam fistula, affabre composita, cui saccus ex corio adhærens dependet, ex quo aliæ fistulæ eminent: Musicus turgidis buccis ventum per fistulam in follem demittit, tum pellicula aëre fracto intumescit, quam presso ad latus brachio sollicitat, quæ per alia excavata ligna breviorem vel longiorem emittit sonum, per digitorum alternantem pulsum non ingratum. Hoc Musicum instrumentum etiam in bellis ad excitandum Hibernorum animos commune est. Iam de illorum ordine quo in bellis uti consueverunt, nobis agendum est. Primus in bello ordo Equestris est. Multùm autem Hibernicæ Gentes ab aliarum Gentium consuetudine alienæ sunt. Equidem ponderosas hastas habent; equis etiam insignibus pollent, quibus nihil est tractabilius, Equi per ferreas ascendunt scalas. Iubarum setas frontibus imminentes sinistrâ apprehendunt. Nihil autem equitis æstimationem magis minuit, & cachinnum promovet, quam equo

fœminâ vehi. Post equites pedites sunt, qui ex quodam sagatorum militum genere constant, quos illi vocant *Galeglasios*; homines eximia prædici sunt corporis magnitudine, habent tela pedalia, securibus similia, gemina, novaculâ acutiora. Prius verò quam aliquis in illorum assumatur collegium, tenetur juramento se obstringere, se non velle tergiversari. In omni acri conflictu, ubi ad manus ventum est, illi aut cito pereunt, vel citius perimunt. Extra controversiam homines sunt validi, Hibernicique belli robur atque fundamentum. Tertius ordo complectitur pedites levis armaturæ, dictos *Machærophoros*, vel ab Hibernicis *Karnos*. Isti hastas totis viribus adeò viriliter torquent, ut quasi in gyrum compelli videantur. Manicis ferreis armati pugnant, nec admodum ponderoso incedunt vestitu. Insignes sunt fundarum missores; armis more palæstræ uti ignorant, neque in ludicra gladiatorum arte exercitati. Hostes crebro ictibus vulnerant, enses acutos & scabros amant. Ferunt quendam è bello reducem gravissimis vulneribus fuisse saucium, cúmque respexisset gladium, & nulla parte læsum vidisset, gratias Diis egisse, quod vulnera gladio sed corpore excepisset. Bombardarum usus jam quoque apud illos increbuit: etsi enim olim illarum sonitum ferre nequirent, nostra tamen ætate ipsi pulverem tormentarium conficiunt, & plumbeos globos expedire collimant. Cum de hominis salute consilium ineunt, quo diutius consilium capiunt, eo propius captivî caput petunt. Habent proverbium Hibernico sermone receptum, quoties de rebus deliberatis diffidunt: Posterior Kar-

norum

norum consultatio. Si quem isti occidant, semper ad occisum cadaver nova vulnera addunt. Nam unusquisque interfecti sanguine gladium tingit. Vltimus omnium ordo Cursorum numero concluditur, quos Hiberni *Daltinos* vocant, nobis ministri à pedibus sunt. Totus autem tam equitatus, quàm peditatus, quoties ad manus & pugnam ventum, alta clamat voce: *Pharro, Pharro.* Qui ex acie invulnerati discedunt, saucios commilitones domum portant. Quod illorum spectat eruditionem, illa valde exigua est. Medicos ibi hæreditas, non doctrina facit, satisque se doctos putant, si illud Hippocratis, *Ars longa, vita brevis*, recitare queant. Lectitant tamen quidam eorum pervetustas & fumosas membranulas, multis lituris interpunctas, Hibernicè scriptas, quas valde amant. Si quis inter Hibernos, præsertim summo loco natus, ex vita decedat, incredibile dictu, effuso fletu & ejulatu omnia implent; ut enim quis dignitate conspicuus obiit, illico fœminæ per vicos & campos decursant, truci clamore omnia replentes, tum verò templum, quando mortuus terræ mandatur, idcirco redimicula ponunt, capita nudant, crines lacerant, frontem feriunt, latera intendunt, palmas dilatant, supinas in cœlum tollunt manus, mortuorum cistas versant, cadaver amplexantur, oscula figunt, ac vix humari sinunt. Idque simulata quadam pietate, unde proverbium apud Anglos: *Hybernicè lachrymari.* Sicut autem omnes Gentes non solùm vitiis sunt obnoxii, sed suis etiam virtutibus pollent; ita quoque Hibernorum indoles utrique obnoxia est. Primùm enim valde

ſunt hoſpitales, beneficæ mentis, laborum patientes, bellatores ſtrenui, rebus anguſtis animoſi. Nutrices ad ultimum vitæ ſpatium loco parentum honorant; earum natos, quos *collactaneos* vocant, magis quam germanos fratres amant. Tanta autem incredibili fide pollent, ut, licet exquiſitiſſimis ſuppliciis illos excrucies, ab inſita tamen fidelitate illos non deduces. Sacerdotes in magno habent honore, &, quamvis bello omnia ardeant. Religioſi ubique ſecuri agunt; quod nefas ducunt Sacerdotum bona contrectare, multo magis illos aliquo afficere damno. Neque verò ſolum Sacerdotes, ſed etiam literas magni faciunt, nullum autem, etiam in omni doctrina abſolutiſſimum, *virum doctum*, ſed *bonum doctrinæ filium* appellant. Cùm hoſtes etiam in maximo armorum ardore ad templa confugiunt, tuta aſyla ſemper ibi reperiunt; hoc remedio uti ſolent ruſtici, qui in magnis depopulationibus eo cum ſuis confugere ſolent. Vltimum notari debet, illa quæ ſuperius dicta ſunt (quod Hiberni ita feri ſint, ut in ſylvis & montanis velut feræ oberrent locis) ad id genus hominum referri debere, qui ex præda & flagitiis vivunt. Atque hæc de moribus Hibernorum dixiſſe ſufficiet. Qui indolem ipſius Hiberniæ noſcere vult, tum ſoli cœlique naturam, animalia tam terreſtria quàm aqualia, frugum genera, &c. vid. lib. Anglicum cui titul. *Irlands Naturall. Hiſtory*, *Samuelis Hartlib*, Londini An. 1652. Anglicè impreſſum, ut & alium, cui titulus *A Reſtitution of decayed Intelligence*, ubi mores & origo Anglorum aliáque memorabilia exponuntur.

VII.

VII. Alium fuiſſe Statum Eccleſiarum Magnæ Britanniæ ante Bellum civile, & in mediis paulò ante tumultibus, ſatis omnibus conſtat. Quamvis autem olim Eccleſiæ per Archiepiſcopos illíſque ſubſtitutos Myſtas rectæ fuerint; fuerunt tamen quidam à primis reformationis temporibus, qui publicum Religionis cultum in multis rebus Romano-Catholicæ Religioni nimium conformem quererentur, illámque Hierarchiam Epiſcopalem ex opinione illorum nimio faſtu turgentem, potentiáque prævalidam ſublatam vellent. Hoc Epiſcopi & Aulici perſpicientes, illos exoſo *Puritanorum* criminabantur nomine, & ut non ſolum ſibi, verum etiam Regiæ Majeſtati infeſtos apertis odiis perſequebantur, ut ita quos palam opprimere non poſſent, per artes paulatim omnes everterent. Poſtquam autem Rex Angliæ Carolus uxorem ex Gallia, Romano-Catholicæ Religioni addictam, ſibi matrimonio junxiſſet, tum primum *Puritanos* totis quaſi aggreſſi ſunt viribus, quos ut eò faciliùs exturbarent, ſyncretiſmum cum Romana Eccleſia moliebantur; ad quod promovendum negotium Pontifex Romanus Nuntios ſuos *Georgium Coneum Panzani* & alios in Angliam & aulam ablegavit Regiam. Acceſſit quod *VVilhelmus Laudus*, Archiepiſcopus Cantuarienſis ultimus, implacabiliter Puritanis iratus hoſtis, contra illos gravem moliretur perſecutionem, illorúmque animos novis conſtitutionibus & juramentis, Scoticáque Liturgia gravaret. Hæc cum Puritani, conſcientiæ dictamine prohibiti, amplecti non poſſent, & vero Hierarchi per vim

Status Eccleſiaſticus Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, Noſtri temporis.

illos ad unam in Religione opinionem cogere vellent; plerique ipſorum ab Eccleſia Anglicana abalienati ſunt, donec in ſchiſma apertum & ſeparationem diſceſſerint, dicti dein *Non Conformiſtæ, Separatiſtæ & Brovvniſtæ.* Hoc illorum facto admodum Hierarchici irritati, Regem ad illos perſequendos ſtimularunt; cujus juſſu multi Paſtores officiis Eccleſiaſticis exuti, quidam in carceres conjecti, ære & corpore mulctati, atque etiam in exilium acti ſunt. Horum dein pars in Hollandiam, Geldriam, alii numero plurimi in Americæ Septentrionalis Regionem, hodie *novam Angliam* dictam, per colonias velut commigraverunt. Ibi verò Eccleſias complures particulares fundarunt, in dogmatibus fidei cæteris Reformatis propemodum per omnia ſimiles; in Regimine ſolum eo diſcrepabant, quod nulli Eccleſiæ, præterquam illi cujus membra eſſent, ſe obnoxios agnoſcerent; unde etiam dicti ſunt *Independentes.* Cùm verò nuper Parlamentum Reformationem ſuſcepiſſet, primò omnium Epiſcopos & totam Hierarchiam abrogavit, deinde Synodum Nationalem convocavit, quæ Directorium, Confeſſionem Fidei, Catechiſmum Parvum & Magnum publicavit, quæ à pleriſque per Britanniam Eccleſiis ſuſcepta ſunt, quamquam in Anglia nemo cogeretur id ſuſcipere, libertate cuique in omnibus delictâ. At verò in Scotia huic ſe ordinationi opponentes gravibus cenſuris Eccleſiaſticis ad ſubſcriptionem & approbationem cogebant. Cùm autem Parlamentum abrogatâ Epiſcopali Hierarchiâ, non ſtatim novam Eccleſiæ gubernationem inſtituiſſet, pro-

hibitum

hibitum tum bello civili, illo tempore invalescente, tum verò Senatorum discrepantibus sententiis; hinc cuilibet libertas conscientiæ relicta, quæ mox in licentiam & complurimas mox degeneravit sectas. Hinc Anglia tot diversis in Religione opinionibus velut aggere rupto inundata fuit, quilibet sibi Religionem & sacra fingebat, somnia & commenta pro fidei articulis habebat, se eo sanctiorem, quo ab omni Ecclesiastico ordine remotiorem, fore autumabat. Ex hac verò diversarum opinionum colluvie, duæ inprimis præpotentes emerserunt in fide factiones, in fide quidem concordes & Reformatæ, sed in Ecclesiastico Regimine discrepantes, dicti *Presbyteriani & Independentes.* Equidem quicunque Directorium susceperunt, & Ecclesias per Pastores, & Presbyteria, hæc per classes, classes per Synodos Provinciales, has per Nationes gubernabant, dicebantur *Presbyteriani:* qui verò Directorium non susceperant, vocati sunt *Independentes*; ipsi se *Congregationales* appellabant. *In quo Presbyteriani & Independentes conveniant & discrepent.* Conveniunt I. In *Confessione fidei* & articulis Religionis omnibus, nulláque inter eos & Reformatos transmarinos alicujus momenti discrepantia est. II. Utrique Ecclesias particulares gubernant per *Presbyteros*, tum *Ducentes*, qui Pastores sunt, tum *Regentes.* III. *Ius vocandi Ministros* apud utrosque penes Ecclesiam est. Discrepant. I. In *constitutione Ecclesiarum particularium. Presbyteriani* quosvis, qui non in aperto scandalo & impietate vivunt, tanquam membra Ecclesiæ suscipiunt, & numero potius,

quam

quam delectu, gaudent. *Independentes* verò strictiores & rigidiores sunt in membris Ecclesiasticis admittendis, requirentes positivam ac visibilem sanctitatem. II. In *Gubernatione*. 1. *Presbyteriani* Ecclesias habent in templis publicis: *Independentes* partim in templis, partim in privatis ædibus, aliísque locis. 2. *Presbytariani* ad sacram cœnam admittunt quosvis sibi notos, si scandalo aperto non inquinati sunt; *Independentes* eos tantum, quos noverunt (quantum ex visibili & externa conversatione judicare licet) non tantum sceleris puros, verum etiam integros, in divinis scriptis & rebus Theologicis prope versatos, cujus documenta tum precibus, tum interpraetatione scripturam coram Ecclesia ediderunt. Celebrant autem Independentes sacram Cœnam vel singulis dominicis, vel rarius. 3. *Presbyteriani* illos tantum dignos habendis sacris concionibus autumant, qui operam studiis, Linguis & Theologiæ navarunt, & ad Ecclesiastica officia legitimè vocati ordinatíque sunt, diversis pro sententia sua defendenda in medium prolatis argumentis. E. g. *Sanctum non esse profanandum, nec antè currendum vel prophetandum, quam quis vocatus sit; omnia ordine & decenter in Ecclesia fieri debere. Deum quosdam dedisse Apostolos, alios Evangelistas; metuendam confusionem & sectas, tum verò hæreses ex promiscua illa licentia pullulantes.* Contra independentes quemlibet ad conciones admittunt, qui dona solum & impetum habent. Horum hæ sunt rationes: *Vocationem ad ministerium internam à Deo, & non externam, vel ab hominibus esse. Tales etiamsi non in scholis, tamen à Deo dictos*

Schola-

Scholasticam eruditionem non sufficere ad Ministerium, nisi interna accedat vocatio. Hanc caussam, illam solum ornamentum, & instrumentum esse. Spiritualia neminem posse comprehendere, aut docere, nisi spiritualiter & à cœlo doctum. Deum sua dona non alligare certis dominibus, sed nullo respectu personarum habito, vel etiam externæ vocationis, illa quibus velit largiri. Verbum Dei esse clarum & simplex; Deum contemptibilia Mundi elegisse, ut sapientiam hominum confunderet. Ea nunc instare tempora, quibus Deum spiritum suum in omnem carnem effundat, & universam terram sui notitia impleat: imminere Iudæorum & Gentilium conversionem, ac propterea relinquendam suam Spiritui Sancto libertatem, neque cursum verbi Dei impediendum aut dona Dei, ut lucem sub modio, occultanda: quemlibet teneri ad propagationem gloriæ cognitionisque Divinæ: solum Deum cordium esse scrutatorem. 4. *Presbyteriani* Ecclesias particulares subjiciunt Classibus, classes Synodis Provincialibus, has Nationali, eámque subordinationem juris divini, & Decreta Synodorum leges necessario suscipiendas faciunt. *Independentes*, quamvis Ecclesiam particularem sui juris, nulli alii subjectam statuunt; nemini fidei suæ rationem reddunt, nisi illi, cujus membra sunt Ecclesiæ: Magistratui autem in caussa turbatæ Reipub. aliísque rebus civilibus jus suum relinquunt. Habent etiam classes sive Associationes & Synodos, quibus consultandi & persuadendi, non imperandi & decernendi decidendíque, potestas tribuitur. Quapropter classes & Synodos approbant quoad consilia; improbant quoad jurisdictionem, hu-

manum institutum fatentur, Divini esse negant juris.

Sectæ, Quæ Sub Independentium Nomen Latent.

VIII. Propter illam libertatem, quam *Independentes* sibi in rebus Ecclesiasticis arrogarunt, multi alii Sectarii sub hoc nomine in Anglia propullularunt: horum præcipui sunt *Anabaptistæ*, qui in Anglia multo puriores, quàm alibi sunt, id quod illorum ostendit confessio. Hi in plerisque capitibus cum Reformatis faciunt, sanctis Sacramentis suam non detrahunt vim, Magistratus agnoscunt, bellum contra libertatis & conscientiarum oppressores legitimum esse statuunt; negant tamen, id Religionis propagandæ gratiâ susceptum cum æquitate geri. Conscientias cogi vetant, sed persuaderi. Contrà, libertatem prophetandi acriter urgent, secundùm quam, omni, qui instinctum Spiritus Sancti sentiat, conciones habendi potestatem faciunt. Quapropter ultimum Parlamentum abrogationem totius Ministerii, sublatis decimis & parochiis, moliebatur, & cuilibet potestatem conciones habendi dari volebat. *Anabaptistas* excipiunt *Antinomiani*, qui vetus Testamentum velut jam completum & abolitum rejiciunt, solúmque Novum Testamentum amplectuntur. In concionibus non nisi absolutam Dei gratiam & Evangelium, sublimia & spiritualia omnia, prædicant, legem verò & censuras Ecclesiasticas omnes, tanquam ad Mosaicam pædagogiam pertinentes, susque déque habent. *Antiscripturiani* vel gravius errant, qui totam scripturam sacram rejiciunt, dicentes *eundem se spiritum cum Prophetis & Apostolis habere*. Idcirco omnes libros, & eruditionem spernunt, con-

ciones

ciones Ecclesiasticas rejiciunt, spiritu solo cōtenti. Sequuntur *Shakeri* sive *Quackeri*, omnium Enthusiastarum colluvies. Hi se in hac vita planè perfectos existimant, & ab omnibus peccatis mundos, nec aliud cœlum, quam quod in corde suo sentiant; vel infernum, quam homines malos, credunt. Nihil ergo ipsis restare, quam ut corpore velut carcere liberentur. Sæpius in tantas incidunt Ecstases, ut toto corpore contremiscant, quod, ut perhibent, magnitudinem illam lucis splendorísque divini, quo obruantur, perferre non possint. In illa autem ecstasi horrendos edunt clamores: ubi id mentem redierunt, de summa gloriæ Majestate multa magnificè jactant. Verùm hi haud ita pridem in Wallia, ubi maxima illorum erat copia, publicè pro concione hæresis & diabolicarum convicti sunt imposturarum, & ex hoc invisi sunt, omnibúsque bonis detestandi. Qui succedunt, *Ranteri*, omnium turpissimi & impiissimi esse judicantur. Hi in agendis solum suam pravam sequuntur voluntatem. Omnia naturalia â Deo, adeóque necessariò bona esse putant. Verúm hi, cum omnem honesti respectum exuerint, in publico nullibi tolerantur; sed, ubicunque deprehenduntur, in carcerem conjecti libertatis amissione & corporis pœna plectuntur. Inter hos & alios multos fanaticos quidam se *Mosem & Aaronem* dicunt, sibi parem cum illis potestatem arrogantes. *Levellerii* politica potius, quàm Religiosa, factio sunt, Status Democratici, vel potius Anarchici, studiosissima. Leges naturales, vel illis dictas *fundamentale, gentis*, inprimis urgent, quibus

bus cuivis homini poteſtas æqualis in Rempub. ejúſque adminiſtrationem data ſit, neque verò alium alteri ſuperiorem aut inferiorem honore vel opibus eſſe debere, verùm omnia æqualia & quaſi communia habenda. Atque hi maximi ſunt Magiſtratus hoſtes, ſatíſque numeroſi. Eorum primis pilus eſt *Iohannes Lilburn*, homo plebeius & factioſus auctoritati ſuorum ſuperiorum ſemper contrarius, & multarum in Anglia turbarum auctor.

Quomodo ſe Magiſtratus erga Eccleſias gerat.

IX. Quemadmodum ſe Reges Angliæ *caput Eccleſiæ* vocarunt, ſummámque ſibi in eas poteſtatem vindicarunt: Ita hic Magiſtratus contrariam inſtitit rationem, & non dominium aliquod in fidem & conſcientias, ſed tantum defenſionem & prorogationem Religionis ſibi attribuit. Qua de cauſa non permittit, I. Vt Eccleſiæ ſe negotiis Reipub. immiſceant. II. Eccleſias Reformatas, eárumque Paſtores, ſive Preſbyterianum regimen, ſive Independens amplectuntur, publicis ſtipendiis fovent & tuentur, reliquas ſectas tolerant, & ſive publicè ſive privatim conventicula celebrare permittunt, hac tamen lege: *Vt ſolum verbum Dei, normam fidei & vitæ amplectantur, ac ſine offenſa erga Rempublicam, & proximum vivant.* Quicunque igitur vel ſeditioſa vel blaſphema atque impia dogmata fovent, illi ab hac conniventia excluduntur, & in facinore deprehenſi, corporali pœna vel carcere, prout meruerunt, plectuntur. Sicut aliquando factum, cum quidam herodoxi in ſacello comerſetio ſuas opiniones erroneas ſatis petulanter ſpargerent, atque etiam fœmina quædam publicè concionem haberet,

haberet, missi milites, qui fœminam captivam abduxerunt, & aliquos foribus obsessis per aliquot hebdomadas inde excluserunt. III. Vt verò huiusmodi Ecclesiarum mala extra Regnum eliminarentur, latæ sunt leges pro stricta Sabbathi observatione, contra impias maledictiones, superstitiones, inprimis ad extirpandam Religionem Romano-Catholicam, quam Reipublicæ noxiam, seditionibúsque concitandis aptam, pro comperto habent. IV. Vt verò Reformata Religio magis magísque propagetur, varia adhibent media, quantum in hac Reipub. distractione fieri queat. Primò Academias ab omni abusu & corruptione reformant, neque Scholasticas illas opiniones, quibus alibi Protestantes in contraria studia scinduntur ac colliduntur, regnare volunt, sed potius ipsam doctrinæ & vitæ sanctitatem. Cæterùm, certum aliquem numerum Virorum piorum & eruditorum constituerunt: horum munus est, Ecclesias omnes per totam Angliam visitare, de Pastoribus & Ministris ubicunque sint, diligenter & sanctè inquirere, num in tanto numero muneri pares sint, utrum illorum dicta factis respondeant, respicientes potius vitæ sanctimoniam & puritatem, quam variarum rerum acquisitam eruditionem, ac elegantiam: quod si tales invenerint, in officio & opere stabilire, de sufficienti stipendio prospicere, indignos verò removere, & magis idoneos in locum substituere; denique omnia cum diligentia procurare volunt, quæ ad propagationem Evangelii, extirpationem Anti-Christianismi facere possent. V. Confirmationem Conjugii velut rem civilem, quæ Sacramenti

menti prætextu à Sacerdotibus Pontificiis Magistratui prærepta fuerit, denuo sibi vindicarunt ita ut non permissum sit Pastoribus, sine auctoritate & consensu Magistratus, quemquam, ut illi dicunt, copulare: liberum tamen cuilibet relinquitur, vel à solo Magistratu, vel à Pastore præsente Magistratu & potestatem dante, copulari. In Belgio quoque hic obtinet mos, ut illi, qui matrimonium inire volunt, prius in curia coram Magistratu conjugii copula ligentur, postea ex sacris rostris publicè denuncientur. VI. Ad ultimum, summus scopus Magistratus esse videtur, se rebus Ecclesiasticis non immiscere, sed res ad fidem pertinentes, sive ut Theologi loquuntur, res de fide, conscientiæ & arbitrio cuiusque committere. Quapropter in sacris nec præcipiunt quicquam, nec prohibent; verum externam solum tuentur disciplinam, ne quis exercitationes impunè exerceat, aut Rempub. perturbet. Quicunque Iesum Christum secundùm scripturas profitentur, seque absque scandalo pacificè gerunt, illi, quamvis discrepent opinionibus, erroresque suos habeant, tolerantur tamen, & ut se quoque mutuo tolerent, publica auctoritate admonentur. VII. Inprimis omni conatu utuntur Presbyterianos & Independentes ad mutuam pacem & concordiam adducere, hoc præcipuo argumento; *Quod cum utrique secundùm illorum sententiam Reformatam fidem profiteantur, non pulchrum esse, illos propter solum diversum suæ Ecclesiæ Regimen collidi. Ne quidem Reformatas trans mare Ecclesias ad eandem formam omnes, sed quasdam adductius, remissius alias Regi.* Neque ullum dubium

est,

est, pacem brevi coituram, si utrique de pristino fervore & obstinacia quotidie quicquam remittant, & utrinque agnitis erroribus modestiores fiant.

X. *VVallia* sub Episcopis in crassâ Religionis ignorantiâ jacuit; propter ruditatem Pastorum, qui populo non nisi Liturgiam, neque eam ubique prælegebant. Iis sublatis, lux Evangelii ex tenebris illis clarius ferè, quam alibi, refulsit, ac ingens ejus gentis multitudo ad fidem conversa fuit. Differunt autem & ibi aliquomodo Ecclesiæ. *Quædam* enim, omissis omnibus illis inter Presbyterianos & Independentes ortis quæstionibus, in fide & pietate mutuò se ædificant, ac fractionem panis celebrant, liberum relinquentes aliis prædobaptismatis usum. *Alia* sunt illorum, qui se *Christianos Baptizatos* vocant, & tum hoc nomine, tum aliis externis ritibus, à cæteris distinguuntur. Hi minus puri sunt, & nimium suis imaginationibus indulgent, ac rixis & contentionibus colliduntur.

De Ecclesiis in Wallia.

XI. Scotiæ Ecclesiæ admodum hodie conturbantur, propter *Synodum Nationalem*, quæ cum hactenus in ipsam Remp. se ingessisset, nimiámque potestatem sibi arrogasset, hinc authoritas ejus valdè decrevit, & à multis palàm spernitur, qui se ab eâ eximunt, & particulares ac Independentes Congregationes instituunt. Cætera ferè sunt ut olim, neque quicquam vel in Ecclesiâ vel Scholis ac Academiis mutatum. Sola igitur Synodi nimia tum in Ecclesiasticis tum civilibus potestas imminuta & circumscripta est.

De Ecclesiis in Scotia.

XII. Ecclesiæ Hibernicæ in sanguinante illa Rebellione,

De Ecclesiis in Hibernia.

Rebellione, penitus excisæ à Papistis fuerunt. Nunc domitâ immani gente, sicut ipsa iterum regio colonis impletur, ita Ecclesiæ quoque passim constituuntur à piis Pastoribus. Sic Præpositus Collegii sive Academiæ Dublinensis magnam Ecclesiam, secum in Reformata fide consentientem, collegit. Idem alii alibi faciunt, & vel Presbyterianum vel Independens regimen sectantur. Inprimis magnus illorum numerus est, qui se *Christianos Baptizatos* vocant. Quos Commissarii, qui Hiberniæ regendæ præsunt, absque discrimine omnes fovent & tuentur.

Regimen Politicū Angliæ.

XIII. Anglia nostris adhuc temporibus Regum Imperio fuit subjecta, quos *Koning* vel *Kyning*, & ultimum *Kyng* vocabulo veterum Saxonum, suorum antecessorum appellabant. Ista dignitas per successionem acquisita, tanquam jus quoddam hæreditarium ad proximos semper successores & primarios sanguinis Principes devoluta est, adeò ut etiam in defectu masculæ prolis successio ad fœminas pertineret. Rex autem Angliæ nulli in Europa Principi, ut Imperatori, Papæ, &c. respectu Angliæ ulla ex caussa subjectus est. Neque solùm in causis civilibus, verùm etiam Ecclesiasticis nullum agnoscit superiorem: Quapropter visibile caput Ecclesiæ Anglicanæ ipse Rex fuit, se suámque Ecclesiam tam à temporali, quàm (vulgò) Spirituali auctoritate Papæ vindicando. Quod autem Regis vel Monarchæ, multis ita dicti, auctoritatem & potestatem attinet, sciendum est, Regem Reginámque summam pacis bellique denunciandi potestatem habuisse, tum verò fœdera percutiendi, inducias appro-

bandi vel improbandi, vel suo vel consilii sanctioris arbitratu. *Sanctius* autem *consilium* è Nobilibus, Baronibus, Armigeris &c. prout Regi placuit, collectum fuit. Hi singulis diebus, aut illud exigente rerum necessitate, de gravissimis Regni negotiis deliberaturi, convenire solebant, ut Principi optima suppeditarent consilia. Princeps autem, si ita visum fuit, aut omnibus, aut ex illis nonnullis summa Legationum capita, quæ ab exteris Principibus adferebantur, exponebat, literas ad se missas communicabat, in quibus quicquid tacitum vult, sibi soli reservans. Qua in re absolutissimum præ Venetorum Ducatu hoc Regnum Angliæ est. Domi militiæque Princeps absolutam, ac nullis Legibus coërcitam exercuit potestatem. Ejus placita vim Legis sustinebant. Sine ulla processus judicarii formula ad mortem condemnare poterat quemlibet, vel aliam damnatis pœnam imponere; tam belli quàm pacis temporibus rigorem Legum in caussis favorabilibus mitigare, mulctarum ad se pertinentium debitum restringere; de præcipuis Regni & Status officiis, tam sacris quàm profanis, disponere; decimas à rebus Ecclesiasticis, ut & anni primitias exigere, nonnulla Collegia & Academias excipiendo; omnia mandata, omnes actiones sub Regis fieri nomine. Adeò ut Anglicus loquendi mos fuerit: *Subditorum Angliæ vita, illorúmque membra ad Regem solùm pertinent, cuius in potestate est, gratiam ad mortem damnatis concedere.* Principalis etiam auctoritatis documentum in monetæ æstimatione fuit, quæ sub Regis imagine & titulo excudebatur. Forma, pondus, argenti puri aut im-

puri fusio ex solo Regis nutu pendebat. Cætera verò mensuræ genera, rerum sive solidarum, sive liquidarum, non edicto Principis, sed Senatus Consulto æstimabantur. Dictum est penes Regis potestatem esse gratiam pœnæ in delictis faciendi. Excipitur casus, quando actio criminalis per viam inquisitionis intenditur, quod proximè *ad Instantiam Principis* dici solet. Sub hujusmodi formula reo condonatur, *modo stet rectus in curia*, hoc est *dummodo delinquenti nemo imposterum aliquid obiiciat:* quo fit, ut quamvis indulgentiam à Principe nactus sit, si tamen is, qui damno affectus fuerit, actoris vel accusatoris vices sustinere voluerit (vocatur Anglicè *The appeale*) quod in quibusdam casibus admittitur, impunitatis concessio reo nihil conducat. Ad Principem etiam pertinebat tutela pupillorum & pupillarum. Quibus præter ejus consensum nuptias contrahere non licebat. Illis tamen illa libertas nubendi non est denegata, qui fundum vel Feuda imperii tenent. Præterea custodia mente captorum, morbique vitio insanientium omnium, ad Regem pertinet. Hoc per consensum trium Ordinum in Comitiis Parlamentariis semel impetratum, tametsi quędam mala hac ratione in Rempub. sint invecta. Supersunt etiam hujus ordinis consimilia jura & privilegia, quæ *Regalia* appellantur, quorum mentio fit apud Iurisconsultos. Ad conclusionem hujus membri notandum, quod tanta Regibus Angliæ à subditis suis reverentia & veneratio exhibita sit, qualem in nullo per totam Europam Regno Regibus à subditis suis habitam unquam leges. Nemo enim Regem

alloquebatur, nisi in genua procidens, nemo ad mensam ministrabat, nisi sub specie adorationis. Omnes Regni incolæ Rege præsente capita nudabant, immo in vestibulo Conclavis regii nullus ambulare, nullus, etsi absente Rege, ibi permanere, nisi nudo capite, audebat, præsertim Regni subditus: nam exterarum Gentium advenæ à stricta illa consuetudinis observantia facilè absolvebantur. Secundus à Rege filius ejus est primogenitus, qui veteribus Anglo-Saxonibus *Ætheling* & *Clito* vocabatur. Olim nullo certo gaudebat titulo, nisi *Filii Regis*, & *Primogeniti Angliæ Regis*. Postea Eduardus I. Filium Eduardum *Principem VValliæ*, & *Comitem Cestriæ* dixit. Eduardus, porro II. Eduardum, filiolum decennem, *Comitem Cestriæ & Flint*, qui Regni potitus, filium item Eduardum *Cornubiæ Ducem* creavit. Ex quo tempore primogenitus Regis *Cornubiæ Dux* natus censetur. Paulò pòst, eundem *Principis VValliæ* titulo per solennem investituram creavit. Hujus investituræ diploma extat in Seldeni parte 2. Operis sui, cui titulus *Titles of Honor*, cap. V. è quo hæc notanda: *Eduardum Principem VValliæ fecimus & creavimus, & dictum Principatum illi dedimus & concessimus, & per chartam nostram confirmavimus, ac ipsum de dicto Principatu, ut ibidem præficiendo præsideat, & præsidendo dictas partes dirigat, & defendat, per sertum in capite & annulum in digito aureum, ac virgam argenteam, investimus iuxta morem, habendum & tenendum de nobis sibi & hæredibus suis Regibus Angliæ in perpetuum cum omnibus dominiis, & terris nostris Northvalliæ, VVestvalliæ, Southvvalliæ, ac dominio, Ca-*

stro, villa & Comitatu de Caernarvan, in dominio, castro & villa de Crukich, *in diplomate Henrici* IV. *quo Filium suum Henricum creat Principem VVallia, Ducem Cornubia & Comitem Cestria*. Fit autem investitura per sertum in capite, annulum in digito aureum, & virgam auream. Postea quia Ducatus Cornubiæ censetur primogenito hæredítate obtingere, tantùm Comitatus Cestriæ fuit adjectus. Ex his successores Regni destinati *Principes VVollia*, *& Comites Palatini Cestria* electi fuerunt: Donec tandem Anglia & Scotia in unum corpus coalescerent; tum Iacobus Rex Henricum Filium *Principem Magna Britannia* appellavit.

De Parlamento eiusque potestate.

XII. In *Comitiis Parlamentariis* posita est omnis augustæ absolutæque potestatis vis. Equidem quemadmodum robur Angliæ in militia consistere creditur, quia ibi cum Magnatibus cæteráque omni Nobilitate Rex ipse adest, ita quoque pacis rerúmque aliarum ardua consilia Dynastæ, puta Equites, Armigeri, Nobiles, tanquam præstantior Reipub. pars, peragunt. Cleri nomine Præsules conveniunt; mox animam quasi & colophonem addit mandatum Principis. Vbi autem res in deliberationem apud illos vocata conclusáque est, post longum deliberandi spatium schedula pro more loci recitabatur, & in utraque domo rationibus agitata, seorsimque ambarum partium calculis comprobata, Regio demum assensu confirmabatur. Inde liquet, quod Reipublicæ Anglicanæ administratio penes tria hominum genera stare videatur. 1. *Regem*, (vel, deficiente masculâ prole, Reginam) cujus nutu

& au-

& auctoritate regebantur, 2. *Regulos & Dynastas*, qui Baronum ordine comprehenduntur, & qui honore *Dominorum* vocantur, *Equites Auratos*, *Armigeros*, & reliquam inferiorum *Nobilium* multitudinem. Tertium genus ex *plebeiis* constat, quorum unusquisque in judiciis, censuris, tributis indicendis ipsisque Legibus sciscendis, auctoritatem obtinet. Cum igitur res, ut dictum, per horum duorum Ordinum calculos approbata est, consensu Regis comprobatur, & confirmatur: quæ verò res ita gestæ sunt, Principis & universi Regni consultum & factum habebantur. Qua de re nullus postea cuiquam oboriri debet querelæ locus; sed quia rescindi amplius non potest, promulgatis Legibus omnes tenentur acquiescere, & Promulgatum firmum, stabile, & *sanctum* dicebatur, legisque vigorem habebat. *Parlamentaria Comitia* veteres Leges jubent esse irritas, novas inducunt, præsentibus juxta ac futuris modum constituunt; jura & possessiones privatorum commutant; spurios natalibus restituunt; cultum divinum sanctionibus corroborant; pondera & mensuras variant; jus in Regno succedendi præscribunt; incerti, juris controversias dirimunt, ubi lege nihil cautum fuit; censum agunt, capitationes & vectigalia indicunt; delictorum gratiam faciunt; afflictas majorúmque crimine perditas familias erigunt; vitæ necísque potestatem in eos obtinent, quos ad hujusmodi disquisitiones Princeps avocaverit: verbo, quicquid in centuriatis comitiis, aut tribunitiis, populus Romanus efficere potuit, id omne in Comitiis Anglicanis, tamquam in cœtu, qui Principem populúmque

repræſentat, commodè tranſigitur. In Legibus condendis, aut omnes in eandem deſcendunt ſententiam, aut major numerus, adhibito prius aſſenſu Principis. Qui munus aliquod in comitiis obeunt, ſunt Oratores, Scribæ duo, (quorum alter domui ſuperiori additus, alter inferiori) & Arbitri. *Oratoris* eſt, Schedulas, quæ in Parlamento exhibentur, verbis ornare & proponere: idque munus à Rege vel Regina datur. *Scribæ* ſunt Parlamento ab Archivis, & SCta. cuſtodiunt, tam quæ prælo excuduntur, quàm quæ in vulgus non emittuntur, ac tantum ad privatorum utilitates pertinent. *Arbitrium* penes illos eſt, quos domini civéſque peritiſſimos Legum componendarum artifices eſſe cenſuerunt, ſuper ejuſmodi negotiis, quæ in ſchedulis proponuntur, quæque illorum judiciis diſpiciuntur.

Modus habendi Parlamenti.

XV. Solenne quondam erat, ut Principis juſſu per literas, XL. plus minus dierum ſpatio interjecto, ad Comitia evocarentur Duces, Marchiones, Barones, cæteríque ſive Eccleſiaſtici ſive Politici Domini, quibus ſuffragandi jus erat. Quinetiam reſcripta Principis ad Provinciarum Vice-Comites ablegabantur, ut, facta in conventu Provincialium electione duorum Equitum, hi loco illorum ſurrogarentur, diſceptarent, & totius Provinciæ nomine ſententiam interponerent. Vrbes quoque & oppida ſingula quoſdam ex ſuis deligebant, qui, poſthabita cunctatione, ſe primo comitiorum die ſiſterent. Equites, qui cauſſas Provincialium procurant, à plebe Nobilibúſque deſignantur, qui ſtato die eum in finem conveniunt. Quod ſi quis per id tempus abfuerit, ille

jus

jus suum suffragandi perdidit. Numero plebis autem continentur illi; qui XL. solidos in singulos annos de censu proprio queant expendere. Atque his in unum convocatis, duo, qui plurium calculis fuerunt approbati, Equites Parlamentarii eliguntur. Consimili ratione ad hoc munus, in ipsis urbibus, municipes creantur. Primo Comitiorum die in Senaculum superius Principes cæterique Dynastæ convenire solebant, ubi re divinâ ritè factâ, præsentium nomina in tabulas referebantur: qui verò vel morbo vel sontico aliquo negotio impediti, interesse conventui non poterant, ex præsentibus sibi aliquem Procuratorem eligebant: unde omnes per se vel per proxenetam suum adesse illic intelligebantur. Locus, in quem convenire mos erat, tapetibus & picturis splendidè erat exornatus. Solium Rege dignum in medio conspiciebatur. Proximus à Rege in demissiore loco sedebat Cancellarius, Regis Orator & interpres. Dextrum latus Archiepiscopi; sinistrum Duces & Barones claudebant. Vtrumque inter ordinem, medii sedent Iudices & illi qui Regi sunt ab Epistolis, & Cancellario ab Archivis, de more insidentes saccis lana farctis, ut ibi de literis hinc inde missis, tum verò variis controversiis, commodè respondeant. Atq; hoc *Superius Senaculum* dicebatur; in quo prius singuli pro se, deinde pro aliis etiam illi, qui eorum vicem obibant, judicium suum, consensum vel dissensum formula *Placet, non Placet*, interponebant. Interea Equites, Habitatorésque Parlamenti (qui hoc ita vocantur nomine, & numerum quasi CCC. aut CCCC. plus minus hominum faciunt) in aliud conclave

viritim

viritim convocantur: qui interrogati, cujus provinciæ oppidíque rem gerant, illico virum aliquem idoneum jubentur eligere, qui Orator sit Ordinum, corámque Principe eum sistere. Hic verò, qui huic negotio præfici debebat, se modestè, velut impar illi negotio, excusabat; cui Principis verbis Cancellarius respondebat, illius virtutes dignis efferens encomiis, gratiásque plebi agens; quod tam circumspectum & prudentem Virum huic negotio præesse voluerint. Postea Rogator Comitiorum Regi plebis nomine supplicabat, ut conclave inferius immunitatibus & privilegiis antiquis perfruatur, ut, si liberè sententiam de quacunque re controversa protulerit, id ipsum Regia Majestas ne ægrè ferat; ut si fortè non nemo in illo casu deliquerit, aut quod dedeceat dixerit fecerítque, aut alium eo loci convocatum offenderit, pro vetusta consuetudine pœnas de illo sumant; ut, si dubium occurrerit, de quo consilio colloquióve Regis aut Baronum opus fuerit, eo uti liceat. Spondet verò se curam insuper adhibituros eam, quam fidi & amantes Principis sui subditi adhibere debent. Cancellarius pro eo ac visum fuerit, verbis Regiis respondet, Atque his negotiis transigendis unus dies, interdum biduum, absumitur. Præter Cancellarium adest quidam *Lector*, cujus officium est Schedas legere; ex quo *Parlamentarius* appellatur. Quicquid enim in consultationem venit, scripto prius excipitur, dein, utrum antiquanda suffragiis, an accipienda lex sit, in utramque disseritur partem: quo peracto, aliæ rursus Schedulæ publicè recitantur. Quod si quas semel aut bis perlectas esse

contigerit;

contigerit; adeóque judiciis illorum nonnihil approbatæ videantur, (adhibita quandoque, re ita exigente, verborum vel sententiarum castigatione:) rogat illos Cancellarius, num tabulas ea de re conficere, id est, in membranam referre, placeat. Tertia dein vice lecta schedulâ, mutuísque agitata sermonibus, quærit Cancellarius, num rem suffragiis committere velint, & percupere se annuentibus, inquit: *En Legem super hac (vel illa) facti specie vobis propositam, & pro more huius loci in hac domo promulgatam; velitis iubeatis eam vestro consensu scitam esse & confirmatam, an non?* Approbata vel improbata res fit plurium vel paucorum suffragiis. Quod si pro suadenda Lege major pars vicerit, schedulæ ἀναγνώσεως hæc verba subscribit: *Soit Baillé Aux Communs.* Inde verò, cum opportunum videtur, hujusmodi Schedulæ ad plebem perferuntur; qui, rogata prius venia, domum ingressi, Comitiorum Rogatorem honorificè sic compellant: *Insignis Domine Orator, Senatui Patribúsque auctoribus hoc expedire Reipub. videtur, ut hoc (vel illud) consultum* (tum summa rerum designat capita) *legis vigorem habeat, vósque plurimum rogatos volunt, ut maturè, quid opus facto sit, in commune consulatis.* Hoc dicto confestim discedunt. Vbi verò illi discesserunt, opertis rursum foribus, quid responsi dederint, Orator Domui exponit, &, nisi aliis negotiis interim destineantur, sententiam illorum super illa Schedula diligenter exquirit. Simili etiam modo sedens in loco quodam eminentiore Orator, ex quo ab omnibus conspici potest, scribam vel potius lectorem suum habet, cujus hoc officium

est,

eſt, ut Schedulas vel in ipſo concilio propoſitas, vel eo à Baronibus ablegatas, renunciet: ſiquidem utrique domui poteſtas ſemper æqua conceditur, illud quod æquum eſſe videbitur proponendi, ſeu novam legem rogare ſive abrogare antiquam placuerit. Inter diſſerendum conſulendúmque hac utebantur. Aperto capite ſurgens aliquid in medium adferebat, ac, ubi plures ſtare cœperunt, illum, qui primus ſtetit, audiebant, licet alter pro roganda, alter pro abroganda lege cenſeret. Quilibet autem Oratorem, non alius alium, alloquitur; neque conſuetudo fert ut aliquis ſaltem nomine deſignetur; ſed periphraſi uti mos eſt: *qui ſuaſit diſſuaſitque, hanc vel illam adduxit in medium rationem.* Qui ſemel orationem habuit, quamvis ſtatim confutetur, eodem die reſpondere non poteſt, utut ſententiam mutare vellet. Quapropter bis in die de eodem negotio nemini loqui permiſſum eſt, ne hac occaſione duo altercantes diem ſoli conſumerent. Idem facere poſtero die licet, unica tamen tantum vice. Opprobriis ſe invicem proſcindere ſicut non decorum, ita neutiquam eſt licitum. Quinimo obſervatum legitur, quod is qui verbum immodeſtius aut inſolentius adverſus Principem aut Senatum effutiverit, non prohibitus tantùm loqui, verum etiam in turrim confeſtim abreptus ſit. Quapropter in tam conferta multitudine, támque exagitata ſæpius animorum diſſenſione, haud temerè quiſquam verbis peccabit. A meridie comitia amplius non habentur; Oratori quoque nulla eſt perorandi poteſtas. Cæterum lectâ ſemel ſchedulâ, quam breviſſimè illam ſimpliciſſiméq; enarrat, id quod ad ejus pertinere

cinere creditur officium. Si Populus rem aliquam ratum habet, cujus Patres auctores extiterunt, tali subscriptione res confirmatur; *Les Communs Ont Assentez.* Vicissim si Senatus id habuerit ratam, cujus populus auctor fuerit, communi contestatur calculo; *Les Seigneurs Ont Assentez.* Quando Senatui populóque iidem non convenit, ex utraque Domo nonnulli deliguntur, quorum officium est super proposita quæstione disceptare, mutuóque sententias suas exponere: tum sæpissimè alter alterius sententiam approbat. In *concilio superiori* vota sua quilibet pro se facit; tum verò illorum nomine, quorum vicem subit. Vbi Cancellarius quæsivit, num rem suffragiis tentari velint, post renunciatum ter schedulam, *Placet*, *non Placet*, singulis assentientibus, absque ulteriore disputatione prout pluribus placuerit, ita res peragitur. In *Senaculo inferiore* nulli sive equiti sive municipi electo suffragium suum alteri conferendi jus est: eorum qui præsentes adfuerunt ratio solum habetur, apud quos pars major semper obtinet. Renunciata verò bis pro more consueto schedula, & dein scriptis consignata, repetita postea & satis agitata, Orator quærit, an caput negotii punctis & suffragiis decerni velint: cum annuerint, sublata in manibus schedula inquit: *Quotquot petitioni acquieverint, abnuerintque, clarè affirmato.* Tum, quibus Legis promulgatio arridet, *Etiam*; quibus verò displicet; *Non* acclamant. Quod si adhuc non constet utra pars vicerit, diremptis mox suffragiis Orator interloquitur: *Qui legem sciscendam censetis, descendite; qui non ferendam, accumbite.* Ita in partes discedunt, & pro suffragiorum

numero

numero Legis postulatio valet aut rescinditur. Nulla autem promulgatio decreti, constitutionis aut Edicti Parlamentarii vim sortitur, priusquam utraque Domus assensum præbuerit; quin imò neque subsistere poterit, nisi Princeps ipse ultimo consessus die assensu suo illam confirmet. Cujúsque autem Constitutionis caput hac quasi forma recitatur: *Decretum est*, &c. *Decretum est*, &c. simúlque observatur, quod Princeps dicto comprobet, ubi sic ait, *Le Roy* (aut *La Reine*) *le veult:* & ita consũmatę habentur Regni Anglici constitutiones. Atque hæc est præscripta supremæ curiæ Anglicæ forma. A Regis autem absoluta dependebat potestate, bellum gerere, & fœdera cum hostibus inire. Dein, Magistratus creare. Leges autem sancire & censum publicum procurare, Regis in Parlamento munus erat. Superest *iustitiæ administratio*. Invaluit autem consuetudo in Anglia, ut tres observatæ sint judicii formæ; nimirum in *Comitiis Parlamentariis*, in *Certamine singulari*, & in *Iuridicis conventibus*. Modus sententiæ in *Parlamento* ferendæ supra est observatus: sive inter Principem & privatum, civiliter vel criminaliter agatur, nihil ab illo discrepat modo, qui modo fuit expositus. *Certamina singularia*, sive duella, hodie ferè in desuetudinem abierunt in Anglia. Qualis hujus duelli fuerit formula sub Normannorum imperio, explicatur accuratè in libello Thomæ Ducis Glocestriæ, Eduardi 3. R. filii, ad Richardum Regem, narratúrque ibi, jam exoletam consuetudinem repetitam fuisse Anno 13. Elisabethæ Reginæ; quæ tamen rem sine sanguine composuit. Hæ duæ Iudiciorum species absolutæ sunt,

ſunt, neque per appellationem reſcinduntur; pariter ac illa quæ Iudices in Conventibus ſuis definiunt. Illi autem qui ſententiam capitalem pronunciant, vel reum abſolvunt, aut condemnant, *Iudicum* nomine non inſigniuntur, ſed *duodecim viri* vocantur: hic mos non ſecus in civilibus ac criminalibus obſervatur. Actiones, vel verius Accuſationes vocantur *coronæ placita.* Vbi autem quis ex ſententia XII. virorum deliquit, tum ad Principem res ſpectare incipit: Permiſſum autem eſt captivo, ut omnes rationes & exceptiones afferat, quæ ad cauſſam ſuam ſuſtinendam maximè valent, dúmque cauſſam ſuam agit, attentè & benevolè auditur: ſed ubi alicujus criminis reus poſtulatur, patronum aut defenſorem nullum conducit, quem tamen in civilibus negotiis; puta pro fundis, cenſu, jure aut poſſeſſione, etiam adverſus Principem litigans habiturus eſt. Præcipua *Tribunalia* & Curiæ in Anglia ſunt in *Aula VVeſtmonaſterienſi, Curia communium placitorum, Subſellia Regia, & Cancellaria.* In curia communium placitorum civiles cauſſæ; in ſubſelliis Regiis negotia criminalia peragebantur. Quatuor autem anni vicinus tantùm, quæ *termini* dicuntur, Fora in Angliâ aperiuntur; circiter decendium à Feſto S. Michaelis ad 6. hebdomadas; elapſo ab ipſis Natalibus menſe, hebdomadas 3. Dieb. XVII. A. Feſto Reſurrectionis interjectis tres hebdomadas: 4. ultra ſeptiduum à Sabbatho S. Trinitatis duas hebdomadas. Iudices verò duos uſu rerum & doctrina ſpectatiſſimos Rex eligebat, quorum alter *Iuſtitiarius Principalis Regiorum ſubſelliorum*, alter *Communium Placitorum* dicebatur.

Subſellia

Subſellia Regia, vulgò *Bancus Regius*, ex eo appellationem ſuam acceperunt, quod ibi ipſi Angliæ Reges ſedere conſueverunt, cauſſæque omnes coronam attingentes, quæque ad inſtantiam Regis fierent, ibi expediebantur. In hoc foro judicat Principalis Angliæ Iuſtitiarius, una cùm reliquis Aſſeſſoribus & collegis ſuis. Eſt etiam *communium Placitorum Curia*, in qua dijudicantur privatorum hominum lites, ex quacunque juris Anglici parte natæ. Ideo autem ſic dicta eſt, quia exactæ Legum municipalium adminiſtrationi ſubſervit. Illi Foro *principalis* (ut conſuetudo fert) *Iuſtitiarius communium placitorum*, una cum tribus Aſſeſſoribus, præeſt. Ad Legem ſervientes, quorum pro Regis arbitrio major minórque fuit numerus, omnes ſacramento obligantur ad præſtandam operam & conſilium conſultoribus ſuis in hac curia litigantibus. Quemadmodum autem Romani Magiſtratuum juſſa & mandata per lictores, viatores accenſoſque ſuos exequebantur; ita ſolenne eſt apud Anglos plerúmque per Vice-Comitem res executioni mandari. *Vice-Comes* autem, qui Comitatus procurationem ſuſcipit, nihil aliud eſt, quam Quæſtor Provinciæ: ad illius pertinet officium, omnia vectigalia capere, & acceptorum rationes in Fiſcum reddendas expeditas habere. Fiſci autem perpetuus & ſtabilis locus eſt, in quem cenſuum & redituum Principalium, tam ex matrimonio provenientium, quàm aliunde obvenientium, ut ſunt telonia, vectigalia, decimæ, decimæquintæ, indictiones, capitationes, &c. referuntur. Rationibus autem reddendis præſunt *tribuni ærarii*, quorum ſub imperio *Rationales*

conſti-

constituuntur. Sed illi præcipuum hoc in negotio locum obtinent, dicíque possunt *Iuridici Rationales*: Anglicè vocantur *Barones de Scaccario*. Inter eos qui præsunt, est *Tribunus*, aut *Iuridicus Rationalis primus*, vel Baro primarius, unâ cum aliis sibi assidentibus, *Cancellario Scaccarii*, *Camerariis* duobus, *Procuratore Generali*. *Supremus Angliæ Quæstor* aut Tribunus ærarii maximus, cæteris præest omnibus; illi demandata cura est pecunias publicas thesaurúmque Regium custodiendi. Habet autem plurimos Ministros, qui ipsius in hoc negotio obsequium observant. *Cancellarius* Proquæstor est, & Curiæ præsidet, ex cujus arbitrio nonnulli officiarii etiam dependent. *Tribunus ærarii*, vel *Baro Principalis*, de caussis omnibus ad hanc curiam spectantibus cognoscit; reliquos tres Barones *Assessores* habet. *Procurator Generalis*, vel ærarii, jus quodcunque ad Regem pertinet, tuetur; locationum formulas, petitionum, caussarúmque omne genus, quæ in hoc devolvuntur forum, cognoscit. Adhæc alii sunt *procuratores*, litibus inservientes. Restant duo *monitores Pipi* (nimirum dicti) *clerici* duo; decimarum & primitiarnm duo. *Monitores* Archivis ærarii præsunt, decreta & judicium placita tabulis excipientes. Vnus Principi, supremo Quæstori alter servit. *Clerici Pipi* chartas locationum componunt; illi in se recipiunt rationes Vice-Comitis computandas, accipiunt quoque literarum obligationes. Sunt præterea alii officiales, qui pecunias colligunt & numerant. Missas hic faciamus illas controversias quæ in hoc foro tractantur. Lites autem omnes pro more Legum Angli-

canarum deciduntur, ex *Duodecim virorum* sententia. Dicitur autem *Vice-Comes*, qui Comitatus procurationem suscipit: quod si aliqua mulcta pecuniaria cuiquam in hac curia indicta est, aut solidum non solvitur, Vice-Comitis est, illa fide bona colligere & in Fiscum referre. Vice-Comiti subest *Vicarius & Apparitores*, ad illius nutum parati. Quando super facto controversia est, neque certò de re constat, ad Vice-Comitem ejus loci, ubi fundus est, de quo lis orta, formula dicta *Venire Facias* ablegatur; tum eodem modo, *Alias Plures*; aut *Distingas*. Si citatus contumax sit, Vice-Comes potestatem habet ejus bona pignori accipiendi. Is etiam *Eirenarchis*, in conventibus qui singulis anni quadrantibus celebrantur, adest, tum Iudicibus, qui dicti sunt *Itinerantes*, vel iter in Provincias facientes; de carceris custodia & pœna capitis disponit. Dictum antea est de duodecim Viris, cujus ordinis & status in Repub. sint. Quamvis autem *duodecim viri* appellentur, ut sint XVI.XX. aut integer XXIV. numerus parum refert; pauciores esse, quam duodecim nullo modo debent. *Inquisitio* legitimum est per duodecim-viros judicandi genus. In actionibus Civilibus, quæ ex dominio aut contractu aut possessione descendunt, ubi qui inquisitionem constituunt comparuerint, uterque litigantium contra quemlibet aut quoscunque voluerit, exceptiones pro libitu intendere potest. Dicitur autem coram judicibus testimonium, non pro more juris civilis, sed publicè, ut non duodecim viri modò aut judices partésque intelligant, sed qui circumstant omnes. Mox testis interrogatoriis premitur, ab adversario

adversario vel causidico propositis, ut hominem pudore afficiant. Id quod contra Cæsareum jus videtur esse, quamvis Ciceronis & Quintiliani temporibus non inusitatum. Cui res, post factam inquisitionem, adjudicata est, illos in prandio accipere solet, quod partem mercedis facit: Illi autem duodecim-viri omnes ex eodem Comitatu, ex eadémque centuria esse debent, ubi vel fundus, de quo controversia nata, vel rei domicilium est. Comitatus autem partes, pro diversa loquentium consuetudine, alias aliásque habent appellationes, *Hundredum*, *Lathum*, *Rapum*, *VVapentachium*. *Centuria* (vulgò *Hundredum*) pars est Comitatus interdum decima, interdum duodecima, &c. Cuique centuriæ sive Hundredo duo assignantur *Constabularii* præcipui, qui in reliquos inferiores imperium exercent. Ab Eirenarchis isti Constabularii deliguntur. Habet & quæque centuria *Bailivum* sive Prætorem suum, qui vel per Dominum aliquem, si potestatem obtinuerit, aut per Vice-Comitem constituitur. Mirum forsan videbitur, quod, cum Anglia omnis in XXVI. Comitatus, & quilibet rursum Comitatus in Centurias, Centuria denique in Parochias distinguantur; jus tamen uno in loco, hoc est, in *aula VVestmonasteriensi* solummodo dicatur, idque statis temporibus vix anni quadrantem attingentibus; adeò ut non nemini hæc suspicio animum incedat, parùm justitiam in Anglia exerceri. Sed sciendum est, omnes juris ambages in Anglia, & frustratrices dilationes remotas esse. Equidem Populus æquali gaudet juris distributione, in quo eadem est divitum & pauperum conditio, neque post latam

ſententiam permiſſa eſt provocatio. Adhæc *curias minores* habent, in quibus lites poſſunt exercere. In ſingulis Comitatibus, tribus quibúſque hebdomadibus, negotia, quæ XL. ſolidos non ſuperant, *Vice-Comes* ipſe, & in centuriis aliquibus *Balivi*, dirimendi habent poteſtatem. Prædiorum etiam Domini, pro arbitrio ſuo, id ſibi habent conceſſum Privilegium, ut apud illos in foro ſuo judiciario, quod *Curia Baronis* dicitur, hujuſmodi controverſiæ quædam explicentur: ibi, qui Dominum illum agrorum ſuorum recognoſcunt, ſuper facti veritate inquirunt; quæ inquiſitio *Homagium* appellatur. Eſt etiam in Anglia dies legitimus, Anglicè *Leete* aut *Lavvday*, idem autem eſt, ac ſi diceres, *iuridicus dies*. Longi autem temporis conſuetudine vel Regis gratia præſcriptus, quo obſequii ſacramentum nomine Regio exigeretur, fidejuſſorum nomina caperentur, qui pro fide ſua ſatiſdarent, conſpirationes deferrentur, pugnas, homicidia denunciarentur, panis cereviſiæque bonitas exploraretur, & reliqua menſurarum genera examinarentur. Hinc nomen venit, *Curia de Leeto* quæ bis ſingulis annis ſtatis haberi ſolet temporibus. Cum in *cauſis capitalibus* judicium inſtituitur, trium conditionum Miniſtri qui illis præſint eliguntur, ut *Eirenarchæ*, *Homicidii Quæſtores*, *Conſtabularii*. Ex majorum autem minorúmque Gentium Nobilibus, puta Ducibus, Marchionibus, Baronibus, Equitibus, Armigeris, Generoſis, Iureconſultis, aliiſque ſpectatæ virtutis & prudentiæ viris, qui Comitatum incolunt, *Eirenarchæ* deliguntur, quandoque etiam primores ex Nobilibus, honoris gratia, non per unum

aliquem

aliquem Comitatum, ſed per univerſam Angliam, ad id munus vocantur. Id verò obſervatum eſt, ut pro Principis beneplacito, ſicubi commodum viſum, à poteſtate removeantur. Numerus illorum non fuit ſemper æqualis; ſed pro occaſione temporis modo auctior, modo remiſſior. Inter hos in eadem delegatione nominantur nonnulli, qui ob ſingularem fidem in numerum *de Quorum* reponuntur; ut conſtitutis mandato XL. vel XXX. Eirenarchis, quidam ſelectiores de numero Quorum adhibendi ſint. Talis autem eſt Delegationis forma: *Quorum nos A.B.C.D.E.F. unum eſſe volumus*. Officium autem *Eirenarcharum* hoc eſt, ut ad furum, latronum, erronum injurias compeſcendas, conſpirationes, vim, congreſſus illicitos, aliáque id genus maleficia coërcenda deſignentur. Penes illos poteſtas eſt pacis Reíque publicæ perturbatores in carcerem conjiciendi, Conſtabulario aut Vice-Comiti mandandi, ut eos deducant, Carcerum cuſtodi, ut cuſtodiat, & in *conventibus iuridicis* ſiſtat. Solent autem quater in ſingulos annos convenire, nimirum quolibet anni quadrante, ut in maleficia, tum verò crimen ſtellionatus, diligenter inquirant. Eſt autem ex officio *Vice-Comitis*, vel ſaltem *Vicarii* ejus, quatuor *Inquiſitiones* XXIV. Virorum ingenuorum centuriatim colligere, & unam inſuper è ſingulis, quæ *grandis inquiſitio* dicitur, per univerſum Comitatum cogere. Illi poſtquam convenerunt, jure jurando adiguntur, ut in hæreticos inquirant, tum verò in proditores, latrones, ſicarios, homicidas, monetæ adulteratores, repetundarum reos, &c. Quod ſi quem culpæ obnoxium cognoverint, ipſi

ultro deferunt; sin ab aliis deferunt, caput accusationis ab Eirenarchis pro Tribunali sedentibus primum relegitur: quod si illis super veritate criminis constiterit, hoc unum dorso schedulæ adscribunt *Billa vera*, hoc est scriptum verum, aut, *accusatio justa*; vel, *reus est, qui accusatur ibi*; qui sic arguitur, *delatus*, vel *in judicio postulatus* dicitur. Forma accusationis est talis: *Inquiratur pro Domino Rege.* Quod si crimen non satis liquet, inscribunt: *Ignoramus.* Vt reliquas hic observari solitas judicii consuetudines missas faciamus, hoc addendum est, quod sæpè ex jussu Regis Eirenarchæ conveniant, ut, si bellum ingruat, videant ipsi nequid Respub. capiat detrimenti; interdum, ut militum copias conscribant, luxum in vestibus coërceant, prohibitos ludos reprimant, malè otiosorum solutam in tabernis cerevisiariis licentiam circumscribant, errones castigent: verbo, quicquid è Reipub. commodo sit, procurent. Solet etiam Princeps ad insolentiam vulgi reprimendam æstatis tempore articulos quosdam proponere, & apud Eirenarchas deponere, qui in partes Regionis sibi demandatas Regis mandati implendi caussa secedunt, post aliquod tempus redeunt. Atque hæc ratio cavendi potius ne subditi peccent, quam ut peccantes puniantur, maximè Reipub. salutaris est; paucis tamen observatur.

Dicenda nunc quædam de *homicidii Quæsitore.* Is ex Nobilium minori classe eligi solet, non planè Legum ignarus: ubi verò homicidium commissum est, statim cadaver inspicit, quod nemini humare permissum est, antequam ab ipso visum fuerit: si tale quid contingat, exhumandum statim mandat,

mandat, & examini ſubjicit, mox Duodecim viros vi juramenti cogit, ut pronuncient, qua ratione tam lethale periculum trucidatus adiverit. Hi poſt xx. aut xxx. dies demum, re melius cognita, ſententiam dicunt. Modus cogendi duodecim viros, cadavérque inſpiciendi, tum ſententiæ proferendæ, in publica platea peragi ſolet. *Conſtabularii*, qui *cuſtodes pacis* dicebantur. Hi majore olim, quam nunc, dignitate fuerunt; quorum, ut credi poteſt, par fuit cum Eirenarchis dignitas atque auctoritas. Horum officium eſt, illos qui tumultum & turbas excitant, rixantes ab armis revocare, utque pacem Regiam colant, cogere; tum verò furti, homicidii, ſicariatus reos vel ſuſpectos deprehendere; & quod plus eſt, in ædes alienas, ut ſontem inquirant, intrare, eúmque ſub cuſtodia retinere, donec Eirenarchæ examen inſtituerint. Iſti autem Conſtabularii, Anglicè *Headboroughs* dicti, & alibi *Tithingmen* dicti, illis non ſunt diſſimiles, qui in vicis Gallicanis *Conſules* vocantur. Solent autem creari in curiis Dominorum ſuorum, quæ *Leete* dicuntur: in illo autem officio plerumque totum triennium vel quadriennium agunt. Quomodo verò *conventus iuridici* celebrari & in cauſſis criminalibus reorum cognoſci ſoleat, vid. Thomas Smithius in Repub. Anglicæ deſcript. c. XXVI. Dicendum nunc eſt aliquid de peculiaribus ſuppliciorum modis, quæ ſontibus irrogari ſolent, & nullibi præter quam in Anglia cognita ſunt. Si maritum uxor interfecerit, viva concrematur. Si Dominum ſervus, crati ſuperimponitur, & ad locum ſupplicii deducitur. Si quis venenum propinaverit, in mortem concoquendus

 datur;

datur; ipse verò conatus vel veneno interficiendi, vel insidiandi, nisi morte secutâ, capitalis non est. Equuleo aliquem torquendum subjicere, ut inter confessionem crimen eliciatur, moris in Anglia non est. Quod si reus in ipso judicio crimen fateatur, Duodecim virorum sententiam non subit; si factum inficiatur, nihil obesse potest, quod prius culpam agnoverit. Angli verò non tam mortem horrent, quàm levissimum etiam tormenti genus. Perantiqua etiam apud Anglos sanctio est, ut si in carcerem conjectum aliquem equuleo subjiciat carceris custos, ut indicet criminis participes, morte puniatur. Criminis læsæ Majestatis reis, gravissima pœna olim imponebatur. Primum suspendebantur, viventibúsque viscera eximebantur, cervice securi amputata, divisis in 4. partes membris, & diversis in locis palo affixis. Quod *appellationes, provocationes*, quæ sententiam latam rescindant, spectat, vid. Thom. Smith. l. 3. c. 1. Illæ autem variæ Appellationes, provocationésque apud alias Gentes frequentes, in Anglia locum nullum habent, sed lata sententia confestim absque ullo appellationis beneficio executioni per Vice-Comitem mandatur. Quod si Duodecim Viri sontem absolverint, non modò verbis increpantur, sed in Camera stellata, aut in Senaculo respondere tenentur. Refert auctor, quod sua memoria, Elisabetha nondum imperante, Duodecim Viri in carcerem conjecti, & magna pecunia mulctati, alii etiam ignominia publicè affecti sint, quod reum aliquem propter inductas probationes non pronunciassent. Id quod tamen pœnæ genus Anglis durum, & quandam tyrannidem sapere

visum

visum est. Est etiam in Anglia Forum, quod *Curia Cameræ Stellatæ* vocatur, quale alibi gentium non reperitur. Huic *Cameræ stellatæ* nomen ob fenestrarum multitudinem datum est. In hoc Foro singulis hebdomadibus, Mercurii & Veneris diebus conveniunt Barones, & quotquot à sanctioribus consiliis Principi sunt, & Barones qui regni consiliarii non sunt, itémque Iudices, ab hora nona ad undecimam usque. In hoc de illis judicium fit qui vim aliquam contra alios exercuerunt, cujus delicti milites laxius, quam militaris permittit disciplina, viventes postulari solent. Qui autem huic judicio præsunt in hoc Foro, sunt supremus Angliæ Cancellarius, Quæstor, Consiliarii omnes, Barones, &c. In dicenda sententia major judicantium pars minorem vincit. Negotia autem, quæ in hoc Foro tractari solent, per statuta definiuntur: hujusmodi sunt; Virginum impuberum præter parentum aut tutorum consensum abductio; falsarii; literarum adulteratores, Nobilium calumniæ, seditionum rumores, turbarum & tumultuum conventicula fraudis dolique mali architecti, &c. *Curia* quoque *Pupillorum* in Anglia clara est, ubi Tutores tutelæ administratæ rationem reddunt pupillis, pòst quam adoleverunt. A tutela autem, nisi exactis pupilli xx. annis, nemo est liber. Ita autem consuetudine in Anglia receptum est ut dominus ille, à quo pupillus prædium habet, simul atque de obitu parentis certior factus sit, manum illico in corpus pupilli injiciat, prædium occupet; cujus commoda ad ipsum solidè perveniunt, absque eo ut rationes administrationis referat, modo pupillum educaverit. Accedit insuper,

insuper, quod fœminas XIV. annos natas, juvenes XXI. annorum in matrimonium dent; quod si illi matrimonium oblatum contrahere renuerint, pretium vel valorem dotis, aut donationis propter nuptias, persolvere coguntur, cujus æstimatio ex valore prædii dependet. Ex hoc fonte nonnulli pravam Nobilium educationem provenisse volunt, modúmque illum Tutelarum planè improbant; qui vel hanc ob caussam maximè est improbandus, quod mortuo patre non proximo consanguineo tutela deferatur, sed prædii domino, Regi, Reginæque, Duci, Marchioni, aut cuivis alteri propolæ vel emptori. Hujus autem Fori *Præses* est Pupillorum, & emancipationum custos. Officiarii sunt: *pupillorum Procurator, Curator, rationarius, quæstor, scriba,* duo *Procuratores communes, inferiores Ministri, nuntii, apparitores.* Is autem est *Procurator*, qui titulum & jus Regium defendit. *Curator*, qui emancipationes confirmat. *Rationarius* est, qui præest subducendis rationibus, & citationum formulas explicat. *Quæstor*, qui pecunias Fisco applicandas colligit. *Scriba*, qui acta judiciaria fori literis consignat. Negotia, quæ in hoc tractantur foro, sunt ex tutelis, nuptiis, suppetiis pupillorum, & demandata illis possessione provenientia commoda. Quando autem justam ætatem hæres declaraverit, emancipationem suam persecutus, tum clientelam suam coram Principis delegato agnoscere illum oportet, & præmium Domino privati sigilli persolvere. *Curia Ducatus Lancastrensis* etiam ad Regem spectat, in qua actiones in personam & in rem, quæ fundos Ducales quoquo modo attingunt, disceptantur.

ptantur. Hujus fori præses est *Cancellarius*, assidentibus *Procuratore Ducatus Fiscali*, *scriba*, *curatoribus* quam plurimis, duobus *procuratoribus communibus*, *rationariis* aliquot, *Adsessoribus & iurisconsulto Regio*. Hi omnes suis certis defunguntur officiis. Præter superiores Curias, etiam alia est *Libellorum supplicum*: In hoc foro omne genus querelarum proponitur; cui nomen est *Pauperum & Indigentium Fori*; appellatur quoque *curia conscientiæ*. Huic præsunt *libellorum supplicum Magistri* duo, qui secundùm bonum & æquum dijudicant, & tam jus Cæsareum, quàm municipale sequuntur. Cum verò etiam politici status non leve fulcrum sit civium matrimonium secundum Leges benè constitutæ Reipub. initum, operæ pretium facturi videmur, si Angliæ Civium *matrimonia*, illorúmque Leges hic loci connotabimus. Et primò quidem in Anglia observatur, ut peractâ nuptiarum solennitate, quodcúnque uxores acquisiverint, id maritis omne acquiratur, ut æs signatum, argentum, aurum cælatum, gemmæ, &c. Vxoribus neque mariti res, neque suas donare aut alienare licet. In bonis mobilibus, constante matrimonio, jus nullum habent, nisi quale servi, aut filiifamilias peculium sibi vindicant. In quibus, si testamento nihil legetur, nihil debetur, quemadmodum neque filio ipsi. Cætera penes executores sunt, si testamentum suum aut voluntatem ultimam condiderit. Londini tamen, & in aliis præcipuis Vrbibus, invaluit mos, ut statim ac aliquis diem suum obierit, ipsius bona omnia in tres partes dividantur. Funebribus impensis & legatis triens impenditur; trientem alterum uxor

suum

ſuum facit; Tertius deinde triens inter liberos per capita diſtribuitur: quare ibi loci ultra trientem aliquid legare fas non eſt. Si verò teſtamentum nullum ſcripſerit; deductis funebribus impenſis, reliquum inter liberos diſtribuitur. Lege quoque municipali cautum eſt, ut, ſi quis inteſtatus decedat, tum judex loci ordinarius per privilegium, aut longi temporis præſcriptam conſuetudinem, defuncti bona viduæ, puero aut conſanguineo proximo, pro ratis portionibus adminiſtranda concedat. Cæterum uxores maritorum poteſtati ita ſunt obnoxiæ, ut non ſolùm completis nuptiarum ſolennibus in manus ipſorum bona harum perveniant, ſed patris quoque, quamprimum viro nupſerit, gentíſque cognomen illico amittat & maritorum aſſumat, quaſi in ſolum externæ familiæ tranſplantata eſſet. Quod ſi ad alia vota tranſeat, ſemper nomen cum viro mutabit. Quod ſi etiam Baroni aut Equiti nubat, connubium ipſi titulum *Dominæ* parit, licet deinde ignobilis ipſam denuo uxorem ducat, *Dominæ* tamen appellationem ſemper retinebit. Quamvis autem in manu & poteſtate viri uxor fuerit, minimè tamen velut in ergaſtulo concluſa libertate ſua excidit, quod in Italia vel Hiſpania fieri ſolet. Cura autem domeſticarum rerum ad illam ſpectant; viri Legibus & armis, domeſticíſque negotiis operam dant. Cum viri ex lethali decumbunt morbo, uxores occaſione illa commodè uti norunt, lectóque affixos maritos blanditiis permulcere norunt, ut, cum nihil in bonis maritalibus ſibi ex jure vindicent, ex donatione virorum ſuorum univerſa poſſideant. Aliter tamen Londini

uſu

usu & moribus receptum est. Quod si uxor ex hæreditate fundum aut prædium secum ad nuptias adferat, ejus ex asse filius natu maximus hæres fit, aut inter filias per capita distribuitur. Obtinuit etiam mos, ut fundum dotalem, aut aliunde emptum, viro distrahendi nulla permissa sit potestas, utut mulier assensum adhibuerit. Si proles nulla ex illo conjugio nascatur, prædium ad proximos hæredes ex jure nuptiali devenit. Pauca tamen de *liberis* Anglorum subjicienda sunt. Hi cumprimum ex Ephebis excesserunt, & ad pubertatem pervenerunt, peculium suum donandi, vendendi, aliud emendi, plenum jus & potestatem habent. Nullus etiam est in Anglia Emancipationis locus, neque suorum hæredum de inofficioso testamento, neque præteritorum liberorum non emancipatorum querelæ. Extra caussam matrimonii, nullus est liberos emancipandi modus; quare quid sit adoptio vel arrogatio, in Anglia nescitur. Suprema voluntas liberum morituris de rebus suis mobilibus disponendi permittit arbitrium, neque verò ad illas Leges testamenta facientes adstringuntur, quibus Leges civiles uti solent, sed illa jure militari condunt. In rebus autem soli, id est, in fundis legandis, ratio admodum est diversa. Equidem patre defuncto, ad filium natu maximum fundus pertinet hæreditarius; reliqui filii filiæque de hæreditate nihil capiunt, nisi ipsis vivente adhuc patre aliquid fuerit donatum, aut in testamento scripto, signato, corámque testibus tradito, aliquid relictum sit. Quamquam verò jure ordinario & municipali prædiorum univer-

sum

ſum jus ad filium natu maximum perveniat ; in quibuſdam tamen Angliæ partibus æquo jure filii omnes hæreditatem adeunt: quod jus in pleriſque Cantii locis uſitatum eſt , & *Gavelkind* vocatur. In quibuſdam contra locis filius natu maximus omnem accipit hæreditatem. Priuſquam hoc membrum concludamus, facienda eſt mentio de *Foro ſpirituali & Eccleſiaſtico* (ut vocant) quod & *Curia Chriſtianitatis* appellatur. Notari autem debet , quod in 4 potiſſimum cauſſarum generibus. *Archiepiſcopi Epiſcopique* peculiarem ſuam ſortiantur juriſdictionem ; nimirum in teſtamentis & legatis, in decimis, in funeralibus, in nuptiis, adulterio aut fornicatione; breviter, in iis demum omnibus , quæ ad ordinem & decus Eccleſiaſticum conſervandum, & Religionem ſtabiliendam pertinent. Quamobrem hæc negotia in ipſorum Curiis, pro more Legum civilium aut municipalium, per citationem, libellum, litis conteſtationem , teſtium examinationem , exceptiones , &c. expediuntur, ſuóſque *Advocatos*, *Aſſeſſores*, ordinarios *Commiſſarios* habent , quæ tamen longè à forma judiciorum ſuperiùs expoſitorum diſſerunt. Nam ſi teſtamentum adulterinum aut ſuppoſititium eſſe dixero , actionem in Curia Eccleſiaſtica proponere oportet; ſi rem aliquam mihi à teſtatore legatam petiero, id ipſum obtinet. Adeò diſtincta eſt utriuſque juriſdictio , ſuíſque quaſi finibus forum alterum ab altero diviſum. Curia autem hæc, perinde atque cæteræ omnes, auctoritatem imperium, vim, ac juriſdictionem ſuam ſoli Regiæ debet Majeſtati. Atque hæc illa Regiminis

minis Politici forma est, quæ sub Elisabetha Regina sequentibúsque duravit temporibus; id quod Thomas Smith in suo de Repub. Angl. libro testatur. Iam agendum nobis esset de Statu Politico, qui nunc sub Protectore *Cromvvellio* in Anglia est: verum cum in hanc usque horam certi quicquam de illo haberi nequeat, quod de hoc constituendo, nunc demum, convocatis Parlamentis, agatur; hanc hujus loci materiam, de rebus his certiora documenta nacti, dissidentium caussas procul habentes, in alio collocabimus peculiari loco.

XVI. Respublica Scotorum, pariter ac Anglorum, proximè præcedentibus annis ex Rege, Nobilibus, & Plebè constabat. *Rex* secundùm illorum consuetum loquendi morem, directus erat totius Dominii Dominus, Regiámque suam auctoritatem & jurisdictionem in omnes Regni sui ordines tam Ecclesiasticos, quàm civiles, exercebat. Proximus à Rege fuit ejus filius primogenitus, qui *Princeps Scotiæ* appellabatur, & peculiarî jure *Dux* fuit *Rotsayæ*, *Scotiæque Senescallus*. Reliqui verò Regis liberi absolutè *Principes* appellantur. Inter *Nobiles* olim erant amplissimi & honoratissimi *Thani*, quæ dictio Ministrum Regium denotat. Ex his superiores dicti erant *Abthanes*, & inferiores *Vnder Thanes*. Hic Magistratus (dicente Buchanano) census omnes Regios colligebat. Atque hi olim Thani, nunc vocantur *Stuarti* plerísque in locis Scotiæ, sic etiam Abthamus jam *Stuartus Scotia* appellatur. At verò hæc nomina paulatim exoleverunt, ex quo Rex Malcolmus tertius *Comitum & Baronum* titulos, *Scotiæ Regimen.*

ex

ex Anglia à Normannis acceptos, Nobilibus benè merentibus detulit. Novi igitur tituli honorum nunc in Scotia invaluerunt, habétque Scotia perinde ac Anglia ſuos *Duces, Marchiones, Comites, Vice-Comites, Barones*. *Ducis* titulum primus in Scotiam intuliſſe dicitur Robertus III. circa annum ſalutis M. CCCC. *Marchionum* autem & *Vice-Comitum* titulos Iacobus VI. Rex Scotiæ. Atque hi *Nobiles maiores* cenſentur, habéntque locum & ſuffragium in Comitiis Parlamentariis, & vocantur *Lords*. Inter *Nobiles minores* primum occupant locum *Equites Aurati*, qui celebriore ſolemnitate, quàm ullibi, creari ſolent, publicáque Fecialium voce denunciantur. Secundum tenent locum illi, qui *Lairds & Barones* ſimpliciter vulgò vocantur; quibus nulli olim accenſebantur, niſi qui immediatè terras à Rege in capita tenuerunt, & jus furcarum habuerunt. Illi, qui clarioribus familiis nati, nullo autem certo honore inſigniti ſunt, *Gentlemen* vocantur. Reliqui omnes, uti Cives, Mercatores, Artifices &c. plebi annumerantur. Sequuntur *Fora iuſtitiæ, & Tribunalia*; ubi notandum, primum præcipuúmque tam dignitate quàm poteſtate eſſe ordinum Regni conventum, qui eodem ac apud Anglos nomine *Parlamenti* vocatur, eandémque abſolutiſſimam habet auctoritatem. Conſtat autem ex triplici ordine, *Viris Sacris*, Epiſcopis nimirum, Abbatibus, Prioribus, tum verò *Dominis temporalibus*, puta Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vice-Comitibus, Baronibus, & Delegatis Civitatum; quibus non ita pridem etiam adjuncti erant pro ſingulis Comitatibus duo Delegati. A Rege autem pro

ejus

ejus arbitrio indicitur, certo tempore, antequam habeatur, præfinito. Vbi convenerunt, & concilii vocati caussæ à Rege & Cancellario explicatæ sunt, Sacri Domini seorsim octo seligunt ex Dominis Temporalibus; Domini Temporales pariter totidem ex Sacris (vulgò Spiritualibus.) Inde illi conjunctim, octo ex Comitatuum Delegatis, totidémque ex Burgorum delegatis nominant. Hi numerum XXXII. conficiunt, & *Domini pro Articulis* appellati, cum Cancellario, Thesauri Præfecto, privati sigilli custode, illo Regi à Secretis, &c. singula quæ ad ordines referenda proponuntur, admittunt, vel rejiciunt, Regi tamen prius communicata, admissa ab universo ordinum conventu sedulò excutiuntur, & quæ pro suffragiorum numero comprobantur, Regi exhibentur; qui, admoto sceptro, se confirmare, vel infirmare pronunciat: quod si aliquid Regi displiceat, primum deletur. In Scotiæ Comitiis sine impetratâ à Cancellario venia nemini loqui licet; non secus ac apud Polonos Comitiorum tempore in conventu Nobilium observari solet, ubi Mareschallus quilibet seorsim loquendi permittit potestatem. Mos Comitiorum in Scotia nihil habet populare. Viginti ferè diebus edicitur antè Comitia passim omnibus, ut Magistro Rotulatum quæstiones proximo conventu ventilandas, antè certum diem scriptis exhibeant: eas Rex privatim examinat, & quas visum fuerit, Cancellario suo tradit, in Comitiis proponendas; reliquæ supprimuntur. Quod si quis aliam rem ad Ordines detulerit, statim à Cancellario monetur, nullam hujusmodi quæstionem à Rege fuisse approba-

tam. Tum verò Leges de his rebus ad Ordines latæ Regi exhibentur; ille sceptro insignis, quod illi à Cancellario porrigitur, hæc dicere habet necesse: *Ego rata habeo quæcunque in Comitiis hisce facta sunt*, nam si quid Regi displiceat, id antè solet deleri. Proximum à Parlamento est *Collegium Iustitiæ*, sive, ut vocant, *The Session*, quod Rex Iacobus V. Ann. cIↃ. IↃ.XXXII. ad formam Parlamenti Parisiensis instituit, nimirum ex *Præside*, XIV. *Senatoribus*, VII. *Ecclesiasticis*, totidem *Laicis*, (his posteà fuit adjunctus *Cancellarius*, qui primum obtinet locum, & quinque alii *Senatores*,) tribus *Scribis* primariis, & *Advocatis*, quot Senatoribus visum fuerit. Ius autem non secundum juris rigorem, sed ex bono & æquo dicitur, ídque singulis per hebdomadem diebus, excepta die dominica, & die Lunæ, à Calendis Novembr. usque ad diem 15. Martii, & à festo Trinitatis usque ad Cal. Aug. Reliquo tempore justitium est, & judiciariæ relaxantur curæ. Iudicant verò ex Statutis Regni Parlamentariis: ubi autem illa deficiunt, ex jure Civili. Habentur etiam inferiora in singulis Comitatibus fora Civilia, in quibus Vice-Comes aut ab eo delegatus jus incolis dicere solet, de ejectionibus, intrusionibus, damnis, debitis, & à quibus ob iniquitatem aut affinitatis rationem nonnunquam fit appellatio. Illi autem Vice-Comites plerique sunt hæreditarii. Scotorum enim Reges, perinde ac Anglorum, hæreditarios olim & perpetuos Vice-Comites instituerunt, quo sibi præcipuos beneficiis obstringerent. Sed Angli, ex his magna prospicientes incommoda, consuetudinem illam mutarunt. Ha-

bentur

bentur etiam Fora Civilia à Prætore in Feudis Regalibus. Qui Regis munificentia Regalium potitus est dignitatem in liberis etiam Civitatibus & Magistratibus. *Statuta Regni* in certum ordinem redigi curavit *Malcolmus Mackenet*, ejus nominis secundus, ex quibus hi Ministri Regii provenerunt, *Cancellarius, Iustitiarius, Camerarius, Senescallus, Constabularius, Mareschallus, Vice-Comites Coronatorum*. Posteà Rex *David*, ejus nominis primus, *Leges Scotiæ* quatuor libris ad imitationem quatuor Librorum Institutionum juris Civilis componi & publicari mandavit A.C. 1124. Quibus successu temporis plures accessêrunt collectiones, è *Ioanne Skenæo* editæ & notis illustratæ. De *iure* verò *Scotiæ* operæ pretium est ipsum Regem Iacobum sextum in oratione illius tertia audire, ubi ad Parlamentum ita inquit: *Nullum proprium Scotiæ ius est; quod iuris huius populi municipali, vulgò communi dicto, respondeat. Sed totum quantum quantum est, è triplici constat genere. Nam universum illud ius tenendi, possidendi dominii, & cætera huius generis, Cancellariatui Angliæ debemus, ubi æquitas, non iuris disceptatio, est; maiora sunt inter nos verborum, quam rerum, divortia. Iacobus primus, apud Vos educatus, leges Anglicas in Scotiam scriptas secum invexit. Secundum genus faciunt statuta Regni, quæ comitiorum acta nominantur. Ibi enim illis, ut hic vobis, rogandarum Legum ius est; quas Leges iam vobis licebit excutere; neque enim spero amplius in ea Repub. Vos hospites fore. Nec diffiteor, præcipuum esse huius unionis opus, utriusque Regni inter se statuta conciliare. Tertium genus est è Iure Civili, cuius*

introducendi auctor erat Iacobus Quintus, instituta apud nos perpetua curia, ad illius imaginem, quam in Gallia ipse viderat. Horum est, in omni controversia Civili ius dicere. Nec tamen omnia, ut in Gallia, ad Iuris Civilis amußim exigunt: nam si constet, gentis statuta adversari, non datur Iuri Civili locus: & Præses Curiæ si officium facit, ubi quæstio in nostro iure deciditur, ius Civile non audit. Tum demum apud eos Iuri Civili locus est, ubi municipale deficit. Fora etiam sunt, quæ *the Commissariat* vocant, quorum supremum Edinburgi habetur, in quo coram quatuor judicibus agitur de rebus testamentariis, jure Beneficiorum Ecclesiasticorum, decimis, divortiis, & cæteris id genus Ecclesiasticis rebus: in cæteris ferè singulis Regni partibus ad hæc singuli sunt judices. In criminalibus *primarius Regis Iustitiarius* forum suum Edimburgi plerúmque habet, quod munus jam aliquamdiu gesserunt *Comites Argatheliæ*, qui duos vel tres jurisconsultos delegant, qui de capitalibus cognoscunt, aut quæ membrorum mutilationem, aut universorum bonorum amissionem inferant; & hoc in Foro reo permissum est, etiam in Læsæ Majestatis crimine, sibi adsciscere advocatum, qui suam caussam agat. Ad coronã Domini Regis, & illius justiciarii, pertinet crimen læsæ Majestatis, item crimen occultationis fraudulentæ thesauri, placitum de pace Domini Regis infracta, homicidium, raptus, incendium, crimen falsi, vel de falsa mensura, falsa charta, falsa moneta, & si quæ sunt similia, quæ ultimo puniuntur supplicio, aut membrorum detruncatione. Iustitiarii etiam in criminalibus nonnunquam Regiâ au-

ctoritate

ctoritate ad hanc vel illam caussam particularem cognoscendam constituuntur. *Vice-Comites* etiam in suis territoriis, & *Magistratus* in Burgis nonnullis de homicidio cognoscunt (si homicidia intra spatium XXIV. horarum deprehendatur) & à juratoribus reum peractum, extremo supplicio afficiunt. Verum tempore illo elapso, caussa ad justitiarium Regium vel delegatos refertur. Eodem etiam privilegio nonnulli gaudent Nobiles, contra latrones in ipsorum jurisdictionibus deprehensos. Illi & de furtis cognoscunt, secundum Leges Davidis primi. Sunt etiam qui hujusmodi gaudent regalibus, ut in criminalibus intra suos limites jurisdictionem exerceant, & in caussis nonnullis intra ipsorum terminos habitantes à Regio justitiario revocent, cautione tamen interposita ut ex lege jus administrent.

XVII. Ex Regulorum Hiberniæ variis simultatibus, pravísque æmulationibus, *Henricus secundus* Anglorum Rex occasionem arripuit seriόque cum Proceribus Angliæ Anno salutis CIↃ. CLV. consilia agitavit de Hibernia expugnanda, in usum Fratris sui Guilielmi Andegavensis; sed hæc res ex consilio Matris ejus Matildis Imperatricis in aliud tempus dilata est. Postea ergo coactis copiis Henricus II. in Hiberniam trajecit, & A.C. CIↃ C LXXII. insulæ Principatum obtinuit. Omne enim imperium suum & potestatem in illum Ordines Hiberniæ transtulerunt. Iam inde ab *Ioanne*, Anglorum Reges *Hiberniæ Domini* vocati sunt, donec *Henricus VIII.* in Hibernicis Comitiis *Hiberniæ Rex* ab insulæ Ordinibus declaratus esset. Hoc autem *Regni Hiberniæ*

Status Politicus Regni Hiberniæ recentioris huius temporis.

nomen & titulus Pontificia auctoritate confirmata fuerunt, cum *Maria* Regina ann. CIↃ IↃLV. Regni Angliæ nomine obedientiam per Legatos Regios Pontifici *Paulo IV.* detulisset. Ex quo autem Hibernia Anglici juris facta est, Reges Angliæ *Proreges* ad regendam miserunt Rempubl. quos primum *Custodes Hiberniæ*, deinde pro arbitrio *Hiberniæ Iustitiarios*, *Locum tenentes*, & *Deputatos* in codicillis vocarunt, sive literis patentibus, quibus illis jurisdictio & potestas mandatur. Hæc sanè fuit ampla & Regia, utpote cui annexa erat potestas bella gerendi, pacem componendi, magistratus & munia omnia, præter paucula, conferendi, crimina (excepto læsæ Majestatis) remittendi, Equites Auratos creandi &c. Hæ literæ patentes, cum quis iniret hunc Magistratum, publicè prælegebantur, & juramento coram Regni Cancellario præstito, gladius qui præferebatur in manus tradebatur, dein in solio collocabatur, adstantibus Regni Cancellario, Regnique Proceribus qui sunt à Sacro consilio, cum Rege armorum, Serviente ad arma, & aliis honorariis administris. Nec alius sanè est in toto Orbe Christiano Pro-Rex, qui propius ad Regiam Majestatem, sive jurisdictionem; sive auctoritatem, comitatum & apparatum spectes, accedat. Hic in Consilio habet Regni Cancellarium, Thesauri Præfectum, & alios ex Comitibus, Baronibus, Episcopis, Iudicibus qui à sanctiori sunt consilio. Nam eosdem planè habet Hibernia Ordines, quos Anglia, nimirum Comites, Barones, Equites Auratos, Armigeros. Nunc quædam de *Foris & Tribunalibus* Hiberniæ dicemus. Summum Regni

Hiberniæ

Hiberniæ forum *Parlamentum* est, quod pro Regis Angliæ arbitrio à Pro-Rege indicebatur, & dissolvebatur: & si imperante Eduardo II. sancitum esset, ut singulis annis Parlamenta in terra Hiberniæ tenerentur. *Iuridici* etiam *conventus*, ut in Anglia, quotannis habentur, & quinque sunt Tribunalia, nimirum *Camera stellata*, *Cancellaria*, *Bancus Regius*, *Bancus communium placitorum*, *Scaccarium*, sive Fiscus Regius. Sunt etiam *Iustitiarii assisarum*, missi prius ad audiendum & determinandum, prout in Anglia; & *Irenarchæ* in singulis Comitatibus, ad pacem conservandam. Habet etiam Rex suum *ad Legem Servientem*, *Procuratorem*, sive *attornatum generalem & Sollicitatorem*. Sunt etiam in remotioribus Provinciis ad jus dicendum *Gubernatores*, ut in Connathia *primarium Commissarium*, in Momonia *Præsidem*, qui suos è Nobilibus habent assessores & Iurisperitis; qui tamen singuli Proregis nutum respiciunt. Iisdem autem municipalibus *legibus*, quibus Anglia regitur, Hibernia quoque administratur; hæc enim in sacris Regni scriniis inveniuntur: *Rex Henricus tertius anno Regni XII. mandavit Iustitiario suo Hiberniæ, ut convocatis Archiepiscopis, Episcopis, Baronibus & militibus, ibidem coram iis legi faciat chartam Regis Ioannis; quam legi fecit, & iuvari à magnatibus Hiberniæ, de legibus & consuetudinibus Angliæ observandis, & quod Leges illas teneant & observent. Parlamentariæ* etiam, sive *statutorum*, ut vocant, *Leges Angliæ* usque ad Henrici VII. tempora in usu erant. Anno enim Regni ejus X. illæ stabilitæ & confirmatæ erant auctoritate Parlamentaria in

Hibernia : ſed jam demum ſua habuerunt *ſtatuta Parlamentaria.* Hos præter Civiles Magiſtratus, etiam unum habent militarem nimirum *Mareſchallum*, cujus maximus eſt uſus tam ad militum quam ad rebellium (qui ſubinde ſuis negotium faceſſunt) coercendam inſolentiam. Atque hoc munus olim Barones *Morai* ex Anglia hæreditarium tenuerunt: Rex enim Iohannes hoc officium hæreditario jure habendum illis conceſſit, his verbis : *Iohanni Mareſchallo dedimus & conceſſimus, pro homagio & ſervitio ſuo, Mareſchalliam noſtram totius Hiberniæ, cum omnibus pertinentiis. Dedimus & ei pro homagio & ſervitio ſuo Cantredum, in quo ſita eſt villa Kilburnii, habenda ſibi & hæredibus ſuis, de nobis & hæredibus noſtris.* Ab hoc ad Barones de Morley recta ſerie deſcendit. Eſt autem Mareſchallo ſuus *Submareſchallus* (dictus *Prevoſt Mareſchal*) & aliquando etiam plures, pro rerum & temporum difficultate, qui ſuam ſub Magno Hiberniæ ſigillo ſibi conceſſam exercent auctoritatem ac officium. *Ratio* autem *iuris adminiſtrandi* inter merè Hibernicos hæc eſt. Magnates, quorum nominibus quarta vocalis ob eminentiam & excellentiam præponitur, ut *O-Neal, O-Rorck, O-Donell, &c.* & cæteri, qui præfixum gerunt Mac, jus ſuum habent peculiare, cujus beneficio in ſuperbiſſimo vivunt dominatu, & in ſubditorum fortuna tributis, exactionibus, ita pro libitu graſſantur, ut ſub illis ſubditorum longè miſerrima ſit conditio. Habent quoque hi Magiſtratus ſuos *Iuridicos*, ut Gothi habebant ſuos Bellaginos, quos Breahans vocant: hi indoctum ſanè hominum genus ſunt ; & tamen ſtatis

quibuſdam

quibusdam diebus, in edito aliquo & præcelso colle vicinis inter litigantes jus dicunt. Coram his actores, querula voce injurias sibi illatas exponunt, Rei verò inficiatione facilè evadunt; si in furto manifesto comprehendantur, ad restitutionem, aliquando & ad mulctam damnantur. Habent etiam hi Magnates suos *Historicos*, quorum officium est res gestas describere; *Medicos, Poëtas*, quos *Bardos* vocant, & *citharœdos*: his singulis sua sunt assignata prædia, & singuli sunt in unoquoque territorio è certis & singulis familiis; nimirum *Breahani* unius stirpis & nominis, *Historici* alterius, & sic de cæteris, qui suos liberos sive cognatos in sua quilibet arte erudiunt, & semper successores habent. Ius verò hæreditariæ successionis apud hos magnates non observatur: sed qui ex honesta aliqua familia, viribus, clientelis & audacia validior, dominatum quadam Provincialium factione aut electione sibi arripit; demortui filiis, nepotibus, & sanguine proximis exclusis: & barbaris ceremoniis in solio saxeo, sub dio in monte aliquo edito collocantur, hoc etiam tempore lege quadam (*Tanistry* dicunt) successor aliquando designatur, qui *Tanist* nuncupatur; quidam autumant hoc vocabulum à Danis esse mutuatum, apud quos, ut apud Septentrionales Britanniæ incolas, *Thane* pro viro Nobili Regisque Ministro diu in usu fuit.

De opulentia, potentia, reditibus & viribus Reipub. Angliæ.

XVIII. Regni Angliæ opulentia ex eo præcipuè magna judicari debet, quod *solum* in omnibus pænè Provinciis habeat *fœcundissimum*; quod omnia humanæ vitæ necessaria & jucunda producat bona, excepto oleo & vino, licet vinum aliquando

quando produxisse dicatur. Æstimari quoque debet è *metallorum copia*, quam frequentissimæ venæ protrudunt; quorum tamen nobilissimum, aurum, & argẽtum parce; cætera verò, ut ferrum, stannum, & plumbum, largiter profert. Tertium conspicitur ex *tenuissimarum lanarum* ingenti *copia*, & *pannificio*, quod ibi locorum supra modum floret; & quidem adeò ut nulla alia per universam Europam Regio meliores ministret pannos, quorum hodie copiam illorum incredibilis commendat industria, quæ tamen his publicis Regni turbis ingens passa est detrimentum. Accedit quarto *commerciorum* opulentia, quam variæ & ex dissitis orbis partibus advectæ merces indies augent. Quintò, *navigandi* peritia, & *navalium sociorum naviúmque* stupenda *copia*, ad opes Angliæ augendas plurimum faciunt. Hac ratione fit, ut ex Angliæ Repub. in omnes propemodum Mundi partes naves expediantur, cum maximo institorum quæstu. Sexto, ex *auri argentíque* copia ingens Angliæ accedit lucrum. Equidem, quamvis utrumque ibi parcissimè nascatur; maxima tamen hic est aureorum atque argenteorum abundantia nummorum: & superioribus annis observatum est, intra quinquennium monetæ Regiæ causa fuisse aurea quædam numismata ad pondo 6214. argentea verò, 311384. Adhæc in Anglia non solum Nobilium, sed & plebeiorum ædes tantam habent argenteæ supellectilis frequentiam, ut incredibile sanè videatur: observatúmque quotannis; supra 25. millia librarum argenti in nova profundi opera. Hæc ut perennet copia, cautum est Legibus Regni, ne ullum aurum aut argentum

è Regno

è Regno efferatur. Denique ex immensis multorum *privatorum opibus*: nam vix ullum aliud Regnum opulentiores mercatores & institores alit, qui hæredibus suis inusitatas relinquant opes, non raro ad centum millia librarum Sterlingensium. Quidam opibus suis ad summas emergunt dignitates, & Baronum, Comitum, aliorúmque supremorum honorum titulos sibi comparant. Porrò quod *potentiam Regni*, vel hodie Reipub. spectat, illa non malè æstimari potest ex *situs opportunitate* pariter ac *firmitate*. Equidem cum intra insulam hoc clausum sit Regnum, difficilem aditum hostibus relinquit. Cæterum quamvis commodos multos habeat portus & aditus, hi tamen contra omnem ingruentem externam vim ita sunt muniti, ut omnes hostiles destinationes facilè eludant: Insuper mare undique ambiens, æstibus reciprocis tumidum, classes hostium facilè disiicit. Magnam quoque potentiam Angliæ esse, *indigenarum frequentia*, *fœminarum* mira *fœcunditas*, *cœli* gratissima *bonitas*, satis testari possunt; tum verò *Nobilitatis*, ac præsertim *Equestris ordinis, ingens numerus*, qui servitium militare imperanti ad nutum debent. Hinc fit, ut brevi tempore ingentes in Anglia copiæ colligi queant: quod luculentum ostendit exemplum anni CIↃ IↃ LXXXVIII. cum classis Hispanica ibi expectaretur: nam præter XX. millia bellatorum, per littora australia disposita, duo erant justi exercitus conscripti, quorum unus mille equitibus & XXII. mill. peditum constabat; alter XXXIV. millib. peditum & XI. millib. equitum. Ex gentis quoque Anglicanæ *fortitudine* & virtute militari, illorum potentia optimè judicatur.

judicatur. Nam nulla gens magis, quam Anglica, mortem contemnit: durare mala patienter novit; cupiditatem animi velocitati corporis parem natura esse voluit; quare usu & disciplina optimi milites evadunt Angli, præsertim si in exteris Regionibus stipendia meruerunt; siquidem domi mollius educati, laboribus & inedia foris exercitati meliores evadunt. Omnes tam idonei equites quàm pedites evadunt; hoc etiam cæteras gentes superant, illo verò multis sunt inferiores. Accedit *navium belli usui inservientium* instructissima copia, quibus in illa Regione struendis nec materia neque industria operariorum deest: quod Angliæ deest, Hibernia vicina suppeditat. Auget quoque potentiam Angliæ *bellicorum tormentorum* immensus numerus, quæ tam ex ære quàm ferro funduntur. Illam pariter formidabilem facit eorum hominum copia, qui navibus illis commodè uti norunt. Equidem superioribus seculis Hispani & Lusitani navigandi peritiâ celeberrimi fuerunt; verum illi hodie ab Anglis multis modis superantur, sive spectes artem nauticam, sive fortitudinem in maritimis periculis exantlandis, sive etiam in prælio faciendo vigorem animosum & circumspectum. Veniamus nunc ad *reditus* Angliæ Regni. Primò habuit Rex Angliæ patrimonium Regni, barbarè ita dictum *Domanium*. Illud quale & quantum sit, ex Annalibus Camdeni constat. *Henricus VIII.* quamvis tres liberos haberet, multa tamen è Regio Domanio profusè largitus est. Contra Regina *Elisabetha* paucissima è Domanio donavit, neque vero aliter, nisi hac cautione, ut deficientibus masculis denuo ad coronam reverteretur. Rex quoque *Iacobus* plurima

elargitus est, & tamen ann. 1607. in Comitiis Parlamentariis viva voce declaravit, se putare nullum Principem in Orbe Christiano pulchriores possessiones coronæ annexas hodie habere. Statuunt autem fide digni, Domanium ordinarium quotannis 54660. libras facere; cui accedunt aliæ libræ 105752. ex reditibus Abbatiarum, & aliarum domorum quas Rex Henricus VIII. ejectis Monachis evertit; & proventus annuos domanio Regni adjunxit, item libr. 37309. è Ducatu Lancastriæ. Secundò, quum Rex omnium pupillorum tutelam habuerit, quorum bona coronæ obnoxia fuerunt, ad annum usque ætatis XXI. durante pupillari ætate, omnes reditus ipsorum percipit, & in alimenta illorum expendit, & matrimoniorum eorundem dominus fuit, hoc pacto ingens pecuniæ summa ad Regem quotannis redundavit, quam alii 30. alii 60. millium librarum sterlingensium fecerunt. Verum Rex plerúmque bonam partem aliis elargiri solitus est, aut certo pretio ab agnatis redimi patitur, qui non raro X. imo & XX. millia librarum Regi numerant, ut suos ab illa eximant tutela. Hoc *ius tutelæ pupillaris* introductum est à Guilielmo Duce Normanniæ. vid. Pierre d'Avity tom. 1. in descript. Angl. p. 233. Tertiò, ex *releviis*, ut vocant, h. e. pretio quod in Feudis recognoscendis solvitur, quorum Feudorum tanta est multitudo, ut nonnulli equestrium numerum LX. millia esse prodiderint. Quartò, è *portorio*, quod Rex percipit ex omnibus mercibus, quæ exportantur & importantur, sub nomine *pondage*: Id, ne rem altius repetamus, *Mariæ* Reginæ anno primo ita erat concessum, ut vigesimam

partem

partem justi pretii mercium caperet, exceptis pannis, lanis, coriis, vino, & aliquot aliis mercibus: igitur indicem edi curaverat, quo pretia mercium plerarúmque continebantur, qui index & toto Regni *Elisabethæ* tempore obtinuit. Verum Rex *Iacobus* eodem Tributo à Parlamento ipsi confirmato, cum animadverteret, multas merces vilius, multas carius æstimatas; quasdam etiam omnino præteritas, omnes denuo æstimari fecit, & indicem edi, secundùm quem dein portorium hoc ab indigenis atque advenis solveretur. Adhæc quia superioribus temporibus maxima redituum coronæ pars ex lanis, quæ evehebantur, collecta fuerat, & tributum illud ob lanificium, sive pannificium in ipso Regno institutum valdè erat imminutum, feréque ad nihilum redactum, imposuit *Maria* Regina *pannis* in hoc Regno textis & extra Regnum exportandis certum vectigal; ut nimirum hanc resarciret jacturam. Hoc ab *Elisabetha* continuatum, à Rege *Iacobo* fuit confirmatum. Solvunt autem indigenæ Angli pro singulis pannis, qui capiunt ulnas XXIV. sive albi sint, sive colore aliquo infecti, solidos VI. denar. VIII. peregrini verò atque advenæ solidos XIV. denar. VI. cætera verò pannorum genera habita proportione tantundem solvunt. Rex verò *Iacobus* Regni sui anno 6. portorium sive vectigal omnium mercium nova auxit, ut vocant, *impositione*, annona solùm excepta, & iis quæ ad victum sunt necessaria, tum verò omni apparatu bellico & iis rebus quæ fabricandis navibus erant necessariæ, iis quoque mercibus exceptis, quæ in Regnum importantur ea conditione, ut iterum exportentur. Eorum

verò

verò mercium, quæ importantur, impositionem aut minuit, aut auxit. Portorium porro illud omne, quod ex omni genere mercium, tam domesticarum, quàm peregrinarum, in usum Principis ad superiorem exigebatur modum, non ita pridem certa pensitatione à Rege redimebatur à publicanis tam Londini, quàm in cæteris portubus; quia magna fraus vectigalibus inferebatur. Boterus hæc vectigalia centum millibus librarum æstimavit; alii decentis millibus; nisi quod hujus fraudis vitio longè minora esse fateantur. Compertum autem fuit Ann. 1621. quod vectigal mercium evectarum reddiderit publicanis 82162. libras; importatarum autem, 91059. libr. sterl. Magnum quoque emolumentum Regi accedebat ex *vacantibus Episcopatibus & Abbatiis*, tum verò *Episcoporum nominatione*. *Confiscatio* quoque bonorum, quæ Rebellibus pœnæ loco imponebatur, magnam pecuniæ accessionem fecit. Atque hi sunt ordinarii Regni Angliæ reditus. His annumerari debent illi, qui *extra ordinem* veniunt. Quotiescunque enim aliqua belli necessitas incumbebat, Reges Parlamentum indicere solebant, cujus auctoritate auxilium ab omnibus subditi impetrare solebant. Hoc autem duplex erat. Prius *subsidium* vocabatur; est autem pensitatio quædam, quam omnes omnino subditi è bonis suis omnibus, certa quadam ratione æstimatis, Regi, vel per partes, vel certis momentis solvebant, idque semel, bis, ter, quatérve, prout Parlamentum decreverat. Laici autem indigenæ, quorum bona mobilia tres libras annuatim valent, pro singulis libris II. Schillingos & VIII. solvunt denarios; advenæ autem V. Schilling.

Schilling. & IV. denar. Deinde quibus bona sunt immobilia, indigenæ quidem pro singulis libris annui antiqui reditus IV. Schillingos; advenæ VIII. Ecclesiastici verò ex annuis suis reditibus pro singulis libris solvunt IV. Schilling. Hæc verò Parlamentaria auctoritate limitari solent, & variis clausulis muniri. Atque hujusmodi subsidium magna argenti summa ærarium Regis cumulare solebat: illa autem subsidia laicorum bonis imposita 60. millia, & supra, librarum sterlingensium Regi dicuntur attulisse. Alterum auxilii extraordinarii genus, quod ab iisdem Comitiis Parlamentariis imponebatur, *dena & quindena* vocatur; harum quoque binæ, ternæve solvendæ Regi successivè conceduntur. Est autem *quindena*, interprete Camdeno, taxatio certa, olim singulis civitatibus imposita, tum burgis & oppidis, non viritim, sed universim, pro ratione decimæquintæ partis facultatum, locorúmque. Dicitur autem *decima*, quia in oppidis decima facultatum solvebatur; *quindena* verò, quia in pagis & rure tantum decima quinta. Quantum verò una quindena valeat, certo explicari nequit: Cantius refert eam ascendere ad 1553. libras; item de Cornubia 113. libras, de Hutingdonia 371. libras, Solebat etiam Rex sine Parlamenti auctoritate subsidium à locupletioribus petere: quod *benevolentia* dicebatur.

De Regni Scotiæ reditibus, divitiis, potentia.

XIX. Quod ex Morrisono Anglo liquet, Scoti superioribus annis majoribus haudquaquam abundarunt navigiis, neque navigandi scientiam cultam habuerunt. Quapropter Reges Scotiæ, ut suis rem nauticam magis, magísq; commendarent,

nulla

nulla aut sanè exigua navigantibus imposuerunt telonia. Flagrante dein inter Anglos & Hispanos bello; Scoti crebrius in Hispaniam navigabant, mercésque alienas vehebant, ab Anglis imprimis persuasi: hac ratione factum, ut & navigiorum numerus, & industria navigandi augerentur. Illi, qui occidentalem Scotiæ plagam incolunt, in Hiberniam, vicináſque maximè Regiones, halecces, carbones fossiles, vinum adustum, & similes transvehunt merces; & ex Hibernia argentum, vel boum tergora, lineáque fila revehunt. Illi, qui orientalem Scotiam incolunt, in Galliam vehunt pannos, lanam, pelles caprarum, tum cuniculorum, piscium diversa genera. Præcipuum verò mercatum quatuor exercent locis. Primo, *Veræ* in Zelandia, quo salem & ingentem pellium ex ovibus numerum, exuvias lutrarum, &c. advehunt; inde verò, præter argentum, frumentum etiam advehunt. 2. *Burdegalæ* in Gallia, quo pannos & pelles ducunt, & vina, grana, juglandes, castaneas reducunt. 3. In *mari Balthico*, quo eadem convehunt; indéque linum, cannabim, ferrum, picémque petunt. 4. Denique in *Angliam* lineos pannos, filamenta, & salem inferunt, & vicissim ex ea triticum, hordeum, & fabas, aliásque fruges efferunt. Reditus Regni Scotiæ olim fuerunt tenuissimi. Ex *Feudis Guardiæ*, sive custodiæ, quæ ad Regem spectabant, hæredúmque tutelæ in potestate Regia erant, usque dum ad maturam pervenirent ætatem, aliquod Rex capiebat emolumentum. Adhæc potestas hæredum in matrimonium collocandorum penes Regem erat, ita ut dos ad illum jure pertineret, vulgò *Maritagium hæredis* vocabant.

bant. *Relevium* notabat certam pecuniam, vel annuum censum (vulgò) *Novum extentum* vocant:) hunc hæres Feudi militaris, qui jam perfectam ætatem excesserat, Regi, vel alii suo præcipuo Domino dabat. Per quam hæreditatem suam vel terras, quæ in manus Regis vel Domini sui superiotis ratione Wardæ ceciderant, relevabat, hoc est resuscitabat, & à Rege vel Domino suo redimebat. In Legibus autem & consuetudinibus Burgorum, per *Davidem primum* editis, dicitur: *Quilibet Burgensis debet Domino Regi Burgagio, quod defendit, pro perticata terra, quinque denarios annuatim.* Hujusmodi reditus Fisco ac patrimonio Regis annumerantur. *Mogaldus* autem, XXIII. Scotorum Rex, legem iniquissimam, dicit Buchananus, condidit, ut damnatorum bona Fisco addicerentur, nullam in partem liberis & uxoribus admissis. Illam Legem quamvis omnibus iniquam & inhumanam esse judicent; tamen à Fisci procuratoribus, qui Regum cupiditatibus lenocinantur, hac etiam defenditur ætate. Quod *divitias Scotiæ* attinet, commodè de ipsa sentit auctor libri *Les estats, &c.* in descriptione Scotiæ, quod ejus maxima pars tam sterilis sit, ut ferè non sufficiat suis incolis alendis. Cúmque præter illas, quas superius diximus, merces nullæ aliæ importentur, igitur paucos sanè divitiis affluentes habet mercatores; maxima autem mercimoniorum pars, imprimis illa quæ ad delicias potius, quàm necessitatem facit, in Angliam concessit. Hæc terræ indigentia in culpa est, quod ad Regem exigui inde deveniant reditus, qui ne par quidem minimis in

Italia

Italia Principibus hac ratione esse possit. Quidam existimant, inter quos etiam Boterus est, quod Rex Scotiæ non plus ex suis percipiat Regionibus, quam centum millia coronatorum, quæ opinio proximè ad veritatem accedit. Nonnulli autem putant, qui rei fundamenta ex relationibus quibusdam deducunt, quod redituum illius calculus ad millionem auri accedat: modestiores tamen relationes non pluris, quam centum millium librarum sterlingianar. pretio illos reditus æstimant. Divitiæ hujus terræ in piscibus, feris sylvestribus, pecore, & mineralibus consistunt. Exhibet etiam aliis Regionibus rudiores pannos, pretii vilioris, parum hordei, glastum, vaccas præpingues, caseos: Hibernis suppeditat cerevisiam, & vina extranea, vinum adustum; mulsum, & alias vilioris pretii merces, quas Lesse de rebus Scotic. notavit. Præter aureum sabulum, invenitur etiam fodina auri in provincia Lothiensi; in aliis Scotiæ locis pretiosi lapides, adamas, uniones, rubini. Adamantes in magna sunt abundantia, facilíque parantur pretio, uniones rariores inveniuntur. Postquam Scotos & Anglos unius Principis imperium conjunxit, iisdem in bello utuntur armis. Qui verò deserta incolunt, arcum & sagittam habent, gladios sanè longos, & breves pugiones, quibus illa solent præcingere. In nulla autem legitur Historia, illorum Reges unquam magnis fuisse instructos copiis: illorum exercitus nunquam triginta millium superavit numerum. Legitur in prisca Historia, quod *Donaldus quintus* a Saxonibus & Pictonibus devictus sit, cum viginti millia hominum cecidissent; & cum Rex

Iacobus suo tempore 30. millium exercitum conduxisset, Historici Scotiæ illum *ingentem* nominant *exercitum*. Existimat Boterus in Relat. quod si Scotia ab Anglia ita separata esset, quemadmodum illa nunc illi conjuncta est, illius Reges minus essent idonei contra illos arma movere, qui in illorum essent Regionibus, quod adeò exiguos habeant reditus. Ad defendendam vero Regionem nullo externo opus habent auxilio, quod Scotiam mare undique alluat, quæ sylvis & montibus undique veluti septa est. Neque vero etiam peregrino ad defensionem sui eget ære, ideo quod illius Feudatarii, qui magnum faciunt numerum, propriis impensis sua illi Regioni præstare officia teneantur. Porro etiam ipsi Nobiles omnes, nemine excepto, obstricti sunt, urgente necessitate ex proprio ære se suósque in castris alere; contra vero liberi sunt ab omnibus oneribus & tributis, quæ reliquæ plebi imponi solent. Regio de Merck & de Teifidale, equestri pube abundat, magníque illius habentur milites, quod armorum peritissimi sint: illi de Nidisdale boni pariter sunt equites, & equos cursu habent admodum expeditos. *Vires* Scotiæ *maritimæ* majores esse possent, si reditus terræ præstarent ditiores: nec in ulla legitur historia, Scotos unquam maritimis bellis aliquod insigne factum edidisse. Et quamvis An. 1513. Iacobus IV. contra Anglos navalem misisset in Galliam exercitum; nihilominus nullibi legitur, illos memorabili aliquo facto maritimis armis inclaruisse.

Reditus divitiæ, & potentia Hiberniæ.

XX. Teste Botero maxima Hibernarum opum pars in illorum *ovibus* consistit, quarum tantus

est

est numerus, ut in solo Comitatu de Letrim, quamvis satis parvo, sæpius tamen numerata fuerint centum millia lanigerarum pecudum, ex quibus bis in anno tonsis ingens percipiunt lucrum. *Vaccarum* quoque magna copia, pariter non parvum indigenis præbet lucrum, quod ex illis tergora plurima vendant. *Lino* etiam abundat Hibernia, quod indigenæ in fila ducunt, & ad exteros exportant. Olim quoque magnam lineorum pannorum copiam solebant texere, cujus ipsi maximam partem intra Regnum consumebant. Ex *equis* etiam, quos *hobbyes* vocant, & in Angliam traducere solent, non levè commodum percipiunt, ideo quod & bellis sint aptissimi, & in itinere maximè expediti. Generat quoque Hibernia præstantissimum *marmor*, juxta Dublinum, Kilkenny, & Corcagium; neque dubium est, illam Regionem *metallorum* admodum esse fœtam, modo illius venæ accuratius lustrarentur: verum ea est Gentis desidia, ut labores opprobrio ducat; ea etiam pauperies, ut sumptibus ferendis non sufficiat: accedit, quod plurimi existiment, præstare illas Gentes pauperiores esse, cum magnæ opes illis ad magnas seditiones fomenta essent. Abundat etiam hæc Regio amœnissimis *fluminibus, piscibus & portubus:* Maria quoque varia pisciũ copia scatent. Tanta autem Gentis est segnities, ut neque lucri spe neque Legum auctoritate ad exercendam piscaturam adigi queat. *Frumenti* quoque Hibernia feracissima est, cujus abundantia non modo sibi ipsi, sed etiam aliis vicinis sufficit: verum illud extra Regnum alio transferre non licet, nisi prius impetratâ veniâ. Cum hæc Regio *sylvis*

etiam frequens sit, magnam *ligni* cædui copiam subministrat: inde multos asseres, ex quibus dolia fiunt, in vicinas emittit Regiones. Majora *navigia*, imprimis bellica, Hibernis fabricare non est permissum, multa tamen habent mercibus vehendis idonea. Hoc extra dubium est, quod singuli Comitatus *annua tributa* ab aliquot annis Angliæ pependerint. Amplissimi etiam reditus Fisco accesserunt ex *Rebellium bonis*, ut videre est ex proximè elapsi seculi Historia. Anno 1578. extincto Giraldo Desmoniæ Comite, qui contra Reginam arma sumpserat, & Pontificis Romani Regísque Hispaniæ copias in Hiberniam advocaverat, Comitatus ejus in Provinciam redactus est, & ex illius, aliorúmque malè confœderatorum bonis accesserunt coronæ Angliæ quingenta septuaginta quatuor millia, sexcenta & 28. jugera, certis reditibus in singulos annos Fisco reservatis, quos ad bis mille ducentas sexaginta sex libras sterlingenses ascendisse notavit Morrisonus Anglus. Quod *Vires & Potentiam* Hibernorum spectat, constat illorum militia ex quadruplici militum ordine: primus est hastatorum equitum, alter pedestrium copiarum, tertius illorum qui pariter gladiis ac missilibus accincti sunt, & Hibernis Karni vocantur; Quartus ordo cursorum est, qui Irlandis *Daltini* vocantur. Quantarum verò virium exercitum Hiberni producere queant, expeditum satis non est; pro certo tamen habetur, quod soli Comites de Tiron & Tirconel, qui se Regi Angliæ Anno 1608. opposuerunt, tam fuerint potentes, ut quilibet horum quasi in momento 12. & 15. militum millia in castris habere posset: quantas

copias

copias alii rebelles potuerint producere, vid. Pierre d'Avity in deſcriptione Scotiæ, hoc ſub argumento Tom. 1. p. 405. Regina *Eliſabetha* ibi X. habuit *propugnacula* præſidiario milite munita, cujus numerus tam equitis quàm peditis ad 12. millia hominum aſcendebat. Cæterum plurima loca ita ibi natura munita ſunt, maribus, fluminibus & ſylvis ita incluſa, ut facilè omnem hoſtium ingruentem vim eludant: magis autem Irlandos illorum paupertas periculorum ſecuros reddit, quam propugnacula; æſtate tamen in certiore vivunt ſecuritate, atque hiberno tempore; quod hyeme omnes glacie aſtricti campi, aquis ſuperfuſi ſoluta glacie aquarum magnam patiantur vim. Vltimum, nihil habet Anglia timere, ut aliquando Hiberniam amittat, cum propemodum nullæ ibi res ſint quæ hoſtium cupidinem illas occupandi terras irritare poſſint: majorem enim damni metum, quam emolumenti ſpem Hibernia novis advenis oſtendit.

XXI. Prætendebant Angli *immunitatem à vectigalibus* à Rege Daniæ in tranſitu *Freti Balthici*; hiſque nituntur rationibus. Allegant, quod Rex Daniæ tempore Regum civibus Anglicanis talia conceſſerit, quæ cum univerſitati donata fuerint, eſſe realia, neque unquam expirare, ſed ad poſteros tranſmitti contendunt. Quin poſt abrogatos Reges, eoſdem eſſe cives, eandem communitatem, quæ antea fuerit. Adde, quod privilegium conceſſum non ſubdito à concedente ſtatim revocari pro lubitu nequeat, ex communi conſenſu interpretum; maximè, ſi per formam contractus ſit initum. *Rex* vero *Daniæ* contra confitetur, ſe

Prætenſio Anglorum.

privilegia Civibus concessisse Anglicanis, sed non ut Civibus status cujusdam turbati, & qui Respublica esse velit; sed Civibus Regii status. Cum igitur privilegia stricti sint juris, & sicut à persona ad personam, ita à populari statu ad Regnum extendi non posse: quin contra, cum tantum inter hunc statum & illum intersit, ideo jure merito prætensam libertatem & immunitatem illis denegari, cum privilegiis suis privandus sit, qui alienis, h.e. Regiis, derogat. Angli pariter ab *Hollandis*, propter *piscationem Halecum* in Oceano Anglicano, *vectigal* aliquod sibi deberi prætendunt, illúdque exigunt; his in medium adductis rationibus: 1. Quod Rex, sive Regnum, sit Dominus maris Anglicani; quod ostendunt ex litteris Eduardi 3. quas *Seldenus in suo Mari clauso l. 2. c. 23.* exhibet, ubi Eduardus 3. se *Dominum Maris Anglicani* vocat. 2. Quod Rex, sive Regnum, custodiam, præfecturam, seu (ut vocant) Admiralatum maris Anglicani, post Normannorum adventum semper constituerit. 3. Quod certum vectigal, *Danegeldum* dictum, Regibus Angliæ pro usu maris ab omni antiquitate præstitum sit. 4. Quod, quamvis mare jure Romano sit juris gentium, tamen mores Anglicani illius admittant dominum. 5. Quod ab exteris peregrinisque Dominium Regum Angliæ in mari Anglicano demissione velorum recognoscatur. Quæ latè omnia à *Seldeno* in *Mari clauso* deducta sunt. Contra *Hollandi* regerunt; quod mare nullum admittat Dominium, cum contra naturam sit, illud Dominio subiicere, quod propter continuum fluxum & refluxum nullos admittit possessionis terminos;

quod-

quódque ipsa natura adeo amplum fecit, ut omnibus Gentibus sufficientem præbeat piscationem. Atque hæc hujus argumenti controversia in nuperis inter Belgas & Anglos habitis conclusisque pacis tractatibus, nondum fuit conclusa; sed ad certum tempus, quo de his agi debeat, devoluta.

XXII. Regina *Elisabetha*, quæ cum prudentissimis etiam orbis Monarchis, potentia & viribus componi potuit, veram Status sui Rationem in eo consistere existimavit: primo ut *concordiam* in Regno suo aleret, priorúmque reliquias factionum omnes simul extingueret; judicans, Angliam animal tam vastum esse, quod non nisi propriis queat mori manibus. Pro fundamentali observavit Regula, *Catholicam Religionem* exterminare; quo unico medio *Hispanorum* machinationes impediri possent, qui sub hujus prætextu omnes fovere rebelliones consueverunt. Hinc, utrum malè illi sentiant, qui in hac sunt opinione, quod Rex *Carolus I.* in culpa fuerit, quare vitam cum imperio amiserit, quia partes Catholicorum in Regno foverit, id aliorum relinquimus iudiciis. Quin ipsa Regina *Elisabetha*, quamvis fassa fuerit, se Philippo, quem magni faciebat, summopere esse obligatam; nihilominus status sui rationem tam alte cordi infixam habuit, ut nunquam consultum judicaverit cum illo pacisci: idque triplicem ob rationem. 1. Vt summam illam in Indiis potentiam, sibi maximè suspectam, coerceret. 2. Vt Regnum suum opimis prædiis locupletaret. 3. Vt hac ratione subditos sibi devinciret, ac in perpetuo bellorum maritimorum exercitio, in quo conser-

Ratio status Angliæ.

conſervatio ejus Regni fundatur conſervaret. Exiſtimavit etiam, rationem ſtatus ſui in eo conſiſtere, ut *Galliæ* regno ſubveniret, ne illius ruina incrementum illius eſſet, à cujus viribus ſibi imprimis metuendum erat. Hoc fundamine fulta, *Belgii fœderati* creſcentem libertatem promovit: tum quod hoc ipſo potentem vicinum aliquantum debilitaret: tum &, quod protectio hæc gradus eſſet ad altiora perveniendi. Cum *Proteſtantibus Galliæ & Germaniæ* propter ſingulares quaſdam rationes, arctiſſimam coluit amicitiam. Atque his paucis regulis prudentiſſima Regina ſucceſſoribus ſuis teſtatum fecit, Angliæ Regnum, præter communem Principum aliorum Status rationem, peculiarem aliquam habere; nimirum in *propagatione Religionis Proteſtantium* poſitam, & quidem pari zelo, quo Rex Hiſpaniæ ſe Religionis Catholicæ protectorem oſtendit. Igitur Anglia ubique locorum, re ita exigente, quid agatur, per ſuos emiſſarios ſcrutabitur; omnibus tractatibus, quæ cum Principibus Proteſtantium haberi debent, interſit; ſempérque arma in promptu habeat, ut ſe aliis hoc modo formidabilem reddat. Hæc Anglici ſtatus ratio quamdiu ſtrictè obſervata fuit, velut antemurale quoddam, dicentibus Anglis incolumem paſtorem cum ovibus præſtitit. At vero nunc, ſtatu rerum mutato, quotus quiſq; Anglorũ incola jam nõ exclamat: Totne in Anglia Religio

——— *Potuit ſuaſiſſe malorum?*

Hodierni Anglicani Regiminis ratio ſtatus in his tribus potiſſimum ſubſiſtere videtur, quæ etiam ex *Ratione nuper conſtitutæ Reipub. Angliæ* apparent. 1. Militarium copiarum tam terreſtrium quàm ma-

maritimarum aliquot millia, X. nimirum equitum & XX. peditum, in stipendiis servanda esse. Neque vero sola Elisabetha usu edocta est, *conservationem* Angliæ *in perpetuo maritimorum bellorum exercitio fundari.* 2. Vt nemo Romano-Catholicorum, aut conjurationis Hibernicæ reus, ad dignitatem Parlamentariam promoveatur. 3. Vt Rex *Carolus*, cum omnibus suis successoribus, in perpetuum Anglia, ejusque Regimine sit exclusus: cujus exclusionis rationes sonticas ipsum Parlamentum aliquot emisso tractatu notavit.

Regimen Politicū Reipub. Anglicanæ sub Protectore Cromvvellio.

XXIII. *Quemadmodum Regimen Angliæ an. M. DC. LIV. Londini in Comitiis Parlamentariis introductum est; ex tractatu, cui titulus* Ratio constitutæ nuper Reip. Angliæ *&c.* Postquam fessam bellis civilibus Angliam, consensu & auctoritate Parlamenti, *Olivier Cromvvellius* nomine *Protectoris* accepit, in publicis Parlamentariis Comitiis hanc mutuis suffragiis Reipub. Anglicanæ administrandæ constituerunt rationem. 1. Parlamentum triennio quoque, vel eo sæpius, convocandum est; neque id summi Magistratus arbitrio permittetur, velit necne convocare; aliis enim certa potestas facta est, imò ex officio injungitur, absque eo, si is ei muneri deerit, conventum indicere, perduellionis crimine postulandis, ni id fecerint, &c. 2. Quod ad Parlamentorum constitutionem; illorum numerus, qui eligendi sunt, majori cum æquitate ac ratione quam antea per singulas provincias descriptus est, ut neque laxus, neque plus justo constrictus sit. 3. In Electione de iis tam qui eligunt, quàm qui eligi debeant, cautum est, ne eligantur qui armis contra Parlamentum usi fuêre

post

post annum 1641. nisi si post illud tempus Parlamento militarint, aut suum insigne studium testificati sint. Sed quoniam spes est, posse tales, in civitate libera degentes, ad sanitatem aliquando reduci; præmissa illa cautio haud amplius *Trium Parlamentorum Triennalium* spatio duratura est, præterquam si *Romanæ Religionis* sint, aut barbaræ ejus ac sanguinariæ *Conjurationis Hibernicæ* conscii fuerint. Vtque observandæ in electionibus conditiones irritæ ne sint, potestas Concilio reservata est, de electis judicandi, eosque prius approbandi, quam in Senatum recipiantur; quæ itidem potestas post tria deinceps Parlamenta triennalia finem est habitura. 4. Ejusmodi nunc potestate Parlamentum instruitur, ut præter eam quæ Parlamentis præcedentibus attributa est, in inquirendis quæ à Magistratibus malè gesta sunt, ac corrigendis, &c. possint ex præsenti constitutione, auctoritate propria, leges ferre aut antiquare. Vnde prærogativa illa immensa, quam vocant *vocem Negativam*, Regum deliciæ, jam nunc omnino ejuratur: hoc etiam provideatur, si intra diem vigesimum Dn. *Protector* oblatas sibi à Parlamento Rogationes non signaverit, uti pro Legibus deinceps nihilo secius habeantur, ac si ipse suum assensum præbuisset. 5. De Parlamentorum duratione hoc cavetur, ut prorogari, intermitti, aut dissolvi intra 5. mensium spatium, citra ipsorum consensum, ne possit. Ita primum illud & supremum supremæ auctoritatis caput, quod in Legum latione positum est, integrum Parlamento reservatum est. Administratio Rei militaris, quam Rex sibi, velut jus suum proprium & absolutissimum,

II. De militia.

mum,

mum, excluso ab illo, ideóque maximè dissentiente Parlamento, vendicavit, nunc talis est, ut Dom. Protectori res militaris terra maríque curæ sit, quamdiu Parlamentum habetur, ejúsque duntaxat consensu; cum non habetur, consensu majoris partis Concilii. Quod si quid per intervalla posthac in administratione rei militaris à Concilio malè gestum fuerit, Parlamenti succedentis erit, ea de re cognoscere, remediúmque adhibere. Ius belli & Pacis, ex constitutione hujus Regiminis, non solum cum concilio, sed cum Parlamentis etiam communicandum est. Si quod bellum cum externo hoste imposterum contigerit, convocabitur statim Parlamentum, ut de eo gerendo consulatur; quod est Privilegium, ne à Parlamento quidem in suis *Novendecim Propositis* postulatum neque in ullis eorum scriptis per id tempus evulgatis; sed Regi semper ex more permissum. Ius Vectigalia ac tributa imponendi etiam totum Parlamento reservatur. Quod autem articulo hujus constitutionis tricesimo est clausula quædam, qua *D. Protectori* potestas facta est ad tempus, habendi census, consentiente Concilio, ad prævertenda pericula atque incommoda quæ alióqui poterunt accidere; advertendum est, quemadmodum hoc necessitati solùm tribuitur, nec diutius quam ad sequentis Parlamenti initium durare debebit, ita multo minus est, quam quod ab Exercitu an. 1467. propositum erat: quo tempore postulabatur, ut Commissariis quibusdam, vel Concilio, daretur per intervalla potestas similis. Quintum auctoritatis supremæ caput, ut ad eam ultimo provocetur, Parlamento quoque reservatur. Ius creandi & constituendi

III. De Iure pacis ac belli.

IV. De vectigalibus.

V. De extrema provocatione.

VI. De Magistratibus.

constituendi Magistratus, à summo usque ad infimum, adhuc vel disertè, vel implicitè atque ultimò in Parlamento situm est. In iis, quæ ad Religionem attinent, ei quoque fini hoc Regimen per omnia respondet, quem & Parlamentum & Exercitus sibi proposuerant. Nam memoriâ repetendum est, Parlamentum ad id imprimis incubuisse, (exceptis semper dissolutis & blasphemis quibusque opinionibus ac vitæ moribus) ut infirmis conscientiis Christianâ libertate consuleretur; idque operam dedit, Religioni, eámque sincerè profitentibus, faveret ubique, ac patrocinaretur, utque ad Evangelium propagandum liberum iter muniret, adeóque formas omnes cultus superstitiosas atque corruptas ei contrarias amoveret, &c.

De Religione.

De Religione autem Romano-Catholica ita statutum est: Atque huic convenienter sanctissimo & Christiano consilio arbitramur piorum omnium rationibus summopere prospectum esse, uti & Evangelii Ministris alendis, errorum atque hæresium confutationi, Papismi, Prælatus, & quicquid pietati sanæque doctrinæ contrarium est, extirpationi. Cum etiam exploratum sit, factionem *Papisticam* domi foríſque incertum hunc apud nos Religionis statum in sua commoda quam maxima convertisse, quantáque exinde occasio astutis quibusdam atque irreligiosis data sit, Religionis obtentu innumeris sese factionibus duces præbendi, opinionésque blasphemas fovendi &c. existimamus, venisse jam tempus, in quo Magistratus nostros maximè oporteat vulneribus hisce ac morbis lethalibus medelam aliquam adhibere. Constitutione aliqua stabili veritatémque doctrinámque

que Christi Evangelicam exhibendo; nec Disciplinæ Ecclesiasticæ habenas aureas omnino vel abiicere vel relaxare; ita tamen moderari, ut ne omnium conscientias quotquot veritatem sobrie profitentur, uni cuipiam cultus divini formulæ astringant, neque animis hominum religioni deditorum velut laquei aut vincula imponantur: cum is tantum coërcendi finis summus sit, ut ii soli cohibeantur, qui suâ libertate ad aliorum injuriam civilem, pacísque publicæ violationem abutuntur; aut Christum profitentes, licentiam docent atque exercent,&c. De ratione alendorum terrâ maríque militum ita constitutum est, ut ea statuto annuo reditu perficiatur. Terrestrium copiarum numerus, in stipendiis habendus, sunt equitum X.millia, peditum XX. ex eoque reditu supra dicto stipendium iis suppeditandum est: quod reliquum erit, in classem tutando mari satis validam impendetur. Quod si postmodum non erit ex usu Reipub. tantas copias terra maríque instructas retinere, ejus pecuniæ residuum sub publicis usibus in ærario reponendum erit, atque ex consensu Parlamenti erogandum. Quod ad ducenta millia librarum, quotannis insuper solvenda, non illæ quidem D. Protectoris domesticis sumptibus sustinendis, aut privatis cujuscunque commodis destinantur; veram administrandæ justitiæ aliísque Reipub. rationibus; judicum nimirum stipendiis aliorúmque Ministrorum curialium persolvendis, legatis accipiendis, aut ad exteros mittendis, negotiis publicis per tres nationes obeundis Legatis accipiendis aut ad exteros mittendis, mutilatis militibus alendis, aliísque ejusmodi

De militibus.

De iure creandi Magistratus.

ejusmodi usibus insumendæ sunt. Postremum atque præcipuum supremæ Auctoritatis caput est Ius creandi ac constituendi summos Magistratus, summósque rerum gerendarum Ministros. Reperimus autem, Magnum Cancellarium, Custodem magni sigilli seu Commissarios, Thesaurarium, Ammiralium, Scotiæ & Hiberniæ præsides, & Tribunalis utriusque summos judices, non nisi comprobante Parlamento, eligendos esse. Quod autem ad *Consilium*; tametsi electio eorum, qui in illo adsunt, non explicitè & proximè: virtute tamen atque ultimò penes populum in Parlamento est, ab eóque imposterum originem ducere oportebit. Quoties enim eorum quisquam vel moritur, vel loco movetur, Parlamentum sex alios nominabit, spectatæ prudentiæ ac probitatis viros, Dei timentes; quo ex numero Concilii pars major duos eliget, Dominóque Protectori nominabit; quorum unum is vacantem in locum cooptabit. Vnde, si quis indignus cooptabitur, id Parlamento imputandum erit, cum eligendi potestas prima ejus sit &c. Præterea si quis Consiliarius in suo munere corruptus invenietur, ex Parlamento VII. viri, sex aliis è Concilio additi, in istoc negocio Iudices dabuntur; ex quo fiet, ut quæcunque causa sit, Parlamentum uno suffragio semper superius sit futurum. Postremò, quod ad ipsum D. *Protectoris* munus, advertendum est; neminem ad illam dignitatem provehendum esse, vel sui, vel familiæ suæ causa, sed prout idoneus & illo munere dignus videbitur; quòd non hæreditario jure, sed suffragiis ad illum perveniet.

XXIV. Britannia insula totius orbis celeberrima

berrima & maxima *totius orbis est omnes inter par insula nulla Britannis*: quæ à circumvicinis regionibus commodo undique intervallo disiuncta, gremiisque passim patentibus universi orbis commerciis opportuna, & tanquam ad juvandos mortales avidè in mare omni ex parte se proiiciens, undiquáque cœlo & solo juxta fruitur felicissimo. Cœlum enim ita mite & temperatum est, ut æstatis fervorem perennes auræ, terræ nascentia creantes, & homini pecoríque saluberrimè abblandientes, castigent suaviter, & hyemis inclementiam crassiusculus aër in frequentes ac sedatas pluvias dissolutus, mare quoque circumfusum moderato tepore terras fovens, pene tollant; remissioribus frigoribus, quàm in Gallia, aut Italia. Solum autem ab omni frugum genere ita beatum est, ut in ea Cereris sedem fuisse rectè dixerit Orpheus. *Cæsar. l. 5. de bel. Gal. Iov. in Brit.*

Anglia terra ferax; tibi pax secura quietem,
multiplicem luxum merx opulenta dedit.
Tu nimio nec stricta gelu, nec sydere fervens,
clementi cœlo temperiéque places.
Cum pareret natura parens, varióque favore
divideret dotes omnibus una locis;
Seposuit potiora tibi, matrémque professa,
Insula sis felix plenáque pacis, ait;
Quicquid amat luxus, quicquid desiderat usus,
ex te proveniet, vel aliunde tibi.

XXV. Fossa illa, quæ Britanniam ambit, & insuperabilem (rumpantur ut ilia hostibus) facit; non ita leviter transilienda est: *Oceanum* dico, vastissimum, & apertissimum, regioni, qua qua patet, circumfusum: qui tantis æstibus concitus ac- *Cambd. in Britan. de Oceano Br. p. 720.*

cedit, & recedit, ut *octogenis cubitis* supra Britanniam intumescere Pytheas Massiliensis prodiderit, & B. Basilius *mare magnum & navigantibus horrendum* dixerit. Latè equidem modo campos vicinos inundat, modo refugit & nudat: tantáque vi semper grassatur, ut non solùm flumina retroagat, sed & excursionibus suis terrestria deprehendat animalia, aut fuga præpropera destituat marina. Britanniæ natura fossam circumduxit, quam nullus hominum labor complanare, nullum ingenium & nulla machina siccare potest. Muniant licet Belgæ Ostendam novis substructionibus; Albanus arcem Antuerpiæ inusitato fastu & opere ædificet sua opinione invictam; Mediolanenses Portæ Ioviæ castrum Europæis aliis omnibus anteferant: Hungari suum Iavarinum & Comorram, Turcæ suam Guletam, Veneti Palmam suam, Sabaudi suum Momilianum, Galli Rupellam, Bajonam, (in quam nemini ingredi licet armato, nisi Regi ipsi, & Regii sanguinis Principibus, cum alii quicunque arma sua ad inferiorem urbis partem relinquere cogantur) & Ambianum suum; Hispani Malacam & Fuentarabiam suam, Poloni Smolensko suum, Sueci suam Calmariam, Dani suum Croneburgum, dilaudent; Alsatij Argentinam, Austriaci Viennam, Bavari Ingolstadium, Wirtembergici Tuelam altam & Aspergam; Brandenburgici Custrinum, Hassi Ziegenhanium, Silesii Bressaviam, Francones Norimbergam, Misnii Konigsteinium; & alii alia loca benè munita prædicent: sed qui illa omnia fossæ Britannicæ voluerit componere, eadem opera is colliculum arenaceum monti Senisio contulerit.

P. Merula, Cosm. p.2.l.3.c. 34.

Neque

Neque verò securitatem tantùm insulanis, sed & alias commoditates præstat inæstimabiles fossa illa, mare illud. Nam quod ibi terrarum latifundia perpetua quadam caloris temperie animentur quasi; quod aër vaporibus nutriatur & agri irrorentur; quod flumina innumeris piscium examinibus repleantur; & ea omnia, & alia plurima, à mari sunt. Non sunt ibi piscatorum labores frustranei: & ubique salmonibus, passeribus, paguris, asellis, halecibus, congris, mugilibus, rhombis, phocis, cuculis, soleis, sardis, raiis, ostreis, locustis, canceris, & cæteris, insidiæ præsentissimo lucro strui possunt.

XXVI. Et *Haleces* quidem sive *Leucomiendæ*, aut *Chalcides*, si ita mavis, cum proavorum seculo ad Novvegiam tantum sua quasi stativa habuerint, nostro tempore non sine divino consilio quotannis Insulam totam immensis exercitibus circumnatant. Circa solstitium æstivum ex alto litora Scotiæ petunt; quo tempore, quia pinguiores sunt, statim divenduntur: inde Anglica litora adeunt, & ab Augusto medio ad Novembrem optima & uberrima eorum est captura, à *Scarborrough*, castro in Brigantibus, usque ad Tamisis ostium, postea aliqua vehementiori procella in Britannicum mare deferuntur, & in eo ad Christi usque Natalitia se piscantibus offerunt, hinc Hiberniam utrinque pernatantes in Septentrionalem Oceanum circumnavigata Britannia se transferunt, & ad Iunium quasi subsistunt; & postquam sibi fætificavêre, numerosissimo agmine regrediuntur. *Cambd. in Br. d. Brigantiê p. 586.*

XXVII. *Doctores nostri* & alteri parentes

Britanni; qui nos in re religionis & literarum erudierunt; qui nos ex impiis & barbaris, novas Christianæ pietatis doctrinæque animas quasi ex machina infundendo, novos homines effecerunt. Quamprimum Christi nomen innotuit, adeò flagranti germanæ probitatis adfectu curáque devota se isti Deo nostro humanissimo hominíque divinissimo consecravêre; ut penè prius Christianæ fidei capita crediderint, quàm audiverint; imbiberint, quàm acceperint. Non defuerunt tamen, etiam in ipsa Ecclesiæ infantia, sancti Præcones, qui salutarem Liberatoris generis humani adventum illos gratulabundi edocerent. Nam ut Iosephum ab Arimathæa, nobilem Decurionem, quem è Gallia digressum esse in Britanniam memorat Baronius; atque *Claudiam Rufinam*, Auli Pudentis uxorem, Britannam, , fæminam doctiorem an Christianiorem haud facilè dixerim, (& hodie Britannia Rufinas habet) à Divo Paulo & Martiali celebratam, non numerem: Simon Zelotes peragrata Mauritania in Británnia occubuissè; Petrus verbum Divinum ad Occidentalem Oceanum Britannicásque insulas pertulisse; Paulus quoque, vinculis Neronianis Romæ solutus, idem Gratiæ lumen in Britannia sparsisse, feruntur. Talibus tantísque magistris usi Britanni, precibus & rebus sacris quotidie faciendis, templis magnificè extruendis, & quibusvis pietatis operis atque operibus gnaviter peragendis, omnes certatim ita incubuerunt; ut primi Christianorum omnium Christianum Regem habuerint *Lucium*, circa A. Christi CL^{mum} Christianam religionem amplexum; & postea, gloria non minori, *Constantinum*,

Cambd. in Br. de Rom. p. 47.

Ann. Eccl. Tom. I. ad An. Ch. 35. n. 5.

P. ad Tim. cap. ult.

Mar. l. 11. Epig.

Doroth. Tyri Ep.

Nicepho. & Sim. Metaphr.

Sophron. & Theodoretus.

De quo Beda l. 1. c. 4 H. Eccl.

Cambd. in Br. de Rom. p. 52. & de Brig. P. 572.

tinum, primum Imperatorem Christianum, orbi terrarum educaverint. Et quemadmodum inter creberrimas tyrannorum persecutiones Ecclesiæ fundamenta jacta sunt: sic nulla alia est regio, quam Britannia, quæ Christianismum conservarit constantius, professa sit sincerius; & quæ tot tantósque Principes, in *Sanctorum, Martyrum, & Confessorum* catalogum relatos, ostendere possit. Digna me-Christe, quæ propterea, non ut olim tenebris paganorum immersa ab impio illo Porphy- *Cambd.* rio dicebatur, *Ferax tyrannorum provincia*; sed *in morib.* *Regio Sanctorum fœcundissima* nominetur. Sed *Br. p. 23.* postquam nobilissimi illi Christi athletæ per ali- *& de* quot secula ex quotidianis & acerrimis exercita- *Anglo.* tionibus invictum fidei robur collegerunt; simúl- *Sax. P.* que institutis non paucis Musarum domiciliis or- *89.* natissimis, virtutum & scientiarum galea animos masculè induerunt: tunc veluti torrente benignitatis cœlestis obruti, & felicitatis suæ colonias deducere coacti, admirabili promptitudine miracula verbi divini & literarum adminicula liberalissimè quaquaversum distribuerunt: *VVinfrido*, *Dissentit* inprimis, *VVillebrodo*, & aliis, in Germania; *Al- ab hac de cuino* autem in Galliis, ubi Parisiensem Acade- *origine* miam, multarum Academiarum postea matrem, *Parisien-* auspiciis Caroli Magni, discipuli sui in vitam, lu- *sis Aca-* *demiæ* cem & splendorem produxit; strenuam & egre- *opinione* giam operam navantibus. Nos Germani, Germa- *St. Pas.* nico more & candore, versibus poëtæ Germani, *de R. de* tanti beneficii accepti memoriam hoc testemur *le Fr. l.* modo: *3. c. 29.*

Hæc tamen Arctois laus est æterna Britannis;
quod post Pannonicis vastatum incursibus orbem,

illa bonas artes, & Graiæ munera linguæ,
stellarúmque vias, & magni sidera cœli
observans, iterum turbatis intulit oris.
Quin se Religio multum debere Britannis
servata, & latè circum dispersa fatetur.
Quis nomẽ VVinfride tuum, quis munera nescit?
Te duce, Germanis pietas se vera fidésque
insinuans, cœpit ritus abolere profanos.
Quid non Alcuino facunda Lutetia debet?
instaurare bonas ibi qui feliciter artes,
barbariémque procul solus depellere cœpit.

Camd. in Brig. p. 606. Cambd. in Ott. p. 670. A. Gentil. de laud. Ac. Ox. Iul. Scalig. appellat illum limam veritatis: ad C. Exerc. 324. P. Iov. in elog. Doct.

Quibus meritò addo *Bedam*, qui pietate & eruditione *Venerabilis* cognomen adeptus est; addo *Io. Duns Scotum*, qui in Dialectica & spinosa Theologia ad miraculum doctissimus *subtilis Doctoris* titulum promeruit, & novam *Scotistarum* sectam condidit; Homero major, utpote cum de eo non civitates, sed regna contendant; Anglis verè suum, Scotis suum, Hibernis suum, suum quoque Civem Gallis & Italis adseverantibus; sed vitæ exitu infelix, quippe apoplexia correptus & nimis festinato funere elatus, cum redeunte vita sero morbi impetum natura discuteret, frustra miserabili mugitu opem petens, & diu sepulchri lapidem pulsans, tandem in ipso sepulchro fessam animam elisit: addo *Io. VVickliffum*, virum ingenio subacto, & in sacris literis versatissimum; & huic geminum *Gul. Ockam*, patrem *Nominalium*, cui ambo Pontificem Romanum calamo strenue sunt aggressi; addo *Ioan. Baconthorp*, virum seculo suo tam varia & recondita doctrina præditum, ut ab Italis propterea *Doctor Resolutus* vocaretur: addo *Ioannem de sacro Bosco*, autorem de Sphæra; *Reg. Polum*, *Io. Fischerium* Roffensem Cardinalem, *Th.*

Cam. in Icenis. p. 349.

Morum, Th. Stapletonum, Nic. VVottonum, Io. Foxum, Philip. Sidneium, Thom. Smithum, Io. Seldenum, Gul. Perkinsum Addo denique *Gul. Cambdenum*, Strabonem Britannicum; & insuper *Ioan. Ovvenum*, sæculi nostri Martialem.

XXVIII. *Omnium Europæ populorum bellicosissimi & strenuißimi sunt Britanni.* quam turpiter fassi sunt Romani, esse *validissimas gentes*, & esse invictos Romano Marte Britannos. Quid factum Carolo Magno? Descenderat is in aciem per legatos, & ter aut quater cum Britannis conflixerat, sed tanta suorum clade & cæde, ut serio affirmaverit; *Si vel semel tantum cum illis adhuc sibi depugnandum esset, ne unum quidem militem sibi superfuturum*; ut non abs re Bodinus scripserit, *Gallos sæpè ab Anglis maximas in ipsa Gallia clades accepisse, ac penè imperium amisisse, nunquam in Angliam, nisi ab incolis accitos, penetrare potuisse.* Et Anglicus Martialis: **P. Matt. In hist. H. IV. l. 7. cap. 1.** **Bod. in M.H. c. 5.**

> *Anglorum sensit virtutem Gallia semper:*
> *Ad Galli cantum non fugit iste Leo.*

Quam existimas fuisse Galliæ faciem, cum *Eduardus III.* Angliæ Rex *Philippum Valesium* Galliarum Regem ad Cressiacum vinceret: ubi *interempti Gallorum circiter XXX. millia*; & inventi inter cadavera *Iohannes Rex Bohemiæ*, (hic etsi captus oculis, in hostem tamen pugnare voluit) *decem Principes, octoginta Barones, mille ducenti Equites*, flos totius Nobilitatis Gallicæ; Philippus autem vix fuga evaderet, qui noctu ad Bojam arcem deveniens, Præfecto ad portam quærenti, *Qui va là?* miserabili voce respondebat, *La Fortune de France.* Etsi verò Iohanne Rege captivo **P. Æmil. de reb. gest. Fr. l. 9. in P. Vales.** **Froßar. H. l. 1.** **Serres in Ph. Val.**

Gallia eo inopiæ devenerat, ut *Arietini*, aurei arietis effigie insigniti, pluribus solito assibus æstimari cœperint, Carolo Delphino id jubente, necquicquam Parisiensibus reclamantibus; & posteà *coriacei numi traiecti clavo argenteo* fabricati fuerint, auro & argento ad redimendum Regem impensis deficientibus: tamen & hanc & illam cladem multo horribiliores tragœdiæ sub Carolo V. Carolo VI. Carolo VII. Ludovico XI. Gallis Regibus, usque ad *Boni publici* bellum secutæ sunt; hoc ferè semper eventu, ut Britanni aut Galliæ Valesios, aut Galliam Valesiis extorquerent. Tenuerúntque Britanniæ Reges continuata possessione per *trecentos ac quinquaginta annos* Aquitaniam & Normanniam; & adhuc per titulos & insignia totam Galliam tenent, haud dubiè jus suum armis repetituri, quando occasio erit. *Hispanos* an præteribo? qui olim & hodie nil nisi vindictam in Britannos spirant; nil nisi cruces, furcas, & excidia somniant: sed qui nunquam sine vehementissima animorum commotione recordantur, *Elisabetham* Britannam Belgarum patrocinium palam suscepisse, Orbis Christiani Principibus masculam in muliere fortitudinem demirantibus, quæ potentissimo Monarchæ quasi bellum denunciare ausa; adeòut Suecorum Rex dixerit, *Elisabetham capiti diadema iam detraxisse, & dubiæ Martis aleæ exposuisse.* Quin etiam ferunt illi nunc ægerrime, Britannos toties in Indias feliciter ire & redire; Indis injustitiam, crudelitatem, atque veteratorias ipsorum artes detegere; in America multa loca occupare, & novam sibi Britanniam parturire: imò insanè dolent illi, Britannos

St. Forcat. de Gall. imp. & Ph. l. 1.

Serres in Ioan. Valesf.

Comin. l. 8. & Sleid. in notis. Th. H. l. 13. A. Gētil. de iur. belli, l. 1. cap. 21. Contz. de falsa pace c. 5. P. Iov. in Br.

Camd. in An. Ang. ad An. 1585.

Britannos duce Roberto Essexiæ Comite, (qui ne immensis sumptibus Regina terreretur, privatim sua & propinquorum fide militibus navibúsque armandis sexcenta florenorum collegerat millia) felici audacia Gadeis, frustra Gaditanis, & navibus Regiis commeatu ac milite instructissimis, resistentibus, diripuisse; oras & Hispaniarum & Lusitaniæ terrore suo in solitudinem redegisse, atque immensam prædæ vim asportasse. Ædificaverat *Philippus II.* Rex Hispaniæ *stupendam classem* ferè per triennium, tanta hominum rerúmque omnium abundantia fartam, ut alter quidam orbis navigare videretur; eámque anno superioris seculi LXXXVIII[vo] emiserat in altum; ut Britanniam captivam, atque catenatum ponderibus constrictam, in Peruviam ad opus metalli deportaret. Constabat illa in universum *CL. navibus*, admirandæ magnitudinis & roboris, quarum similes Septentrio nunquam antea vidit. his vehebantur *nautarum millia VIII. & classiariorum millia supra XX*. præter Nobiles & voluntarios, qui suis sumptibus operam & fidem insigni aliquo facinore Regi probare voluerunt, *tormentorum ex ære fusili erant mille sexcenta: è ferro, mille plus minus: globorum centum viginti millia :* reliqui apparatus bellici, infinitas. Et Rex ipse æstimabat; quod ex Didaco Pimentello legionis tribuno, qui in Hollandorum potestatem devenit, posteà cognitum est; *classem continere hominum millia XXXII. & singulis diebus constare ducatorum millibus XXX.* Bernardinus autem Mendoza, Philippi Regis in Gallia orator, habito cum Gallico Rege sermone narrabat; *inita diligenter ratione omnis expensæ in classem,*

Ens Merc. Gallo. B. t.4.l.1. Meteran. Belg. H.l. 17. Reid. An.l.13. De hac classe vide Meteran. Belg. H. l. 15. Th. H. l. 89. Ens Comm. de bello Gallo-B. t.3.l.1.

classem, à quo tempore primum incepta est, antequam Olißipone solveret, à rationalibus compertum esse, sumptus in eam factos centies vicies centena millia aureorum excessisse. Trepidabatur undique in Belgio ad rumorem tanti monstri marini adventantis; eóque magis, quod Parmensis etiam terra maríque solito majores copias conquirebat. Britanniæ Regina, Elisabetha, à Galliarum Rege monita, diligentissimè sibi suísque prospiciebat, *Recusantes* (hos vocant in Anglia, qui Protestantium sacris, quòd semel quoque anno singulis per leges faciendum, aut mulcta XX. librarum Anglicarum menstrua solvenda est, omnino interesse recusant) Recusantes, inquam, aliósque suspectos in Eliensium & Visbichiensium paludes relegando, quosdam etiam per Episcoporum ædes distribuendo, militem conscribendo, exercitum lustrando, castra obequitando, naves instruendo, utramque Tamisis ripam propugnaculis muniendo, omnia denique Palladis & strenuæ bellatricis munia obeundo. Verùm moles illa Olissipone solvens, mox ad Coronam Galliciæ promontorium, Oceani furiis fœde jactata, tres actuarias triremes amisit: cum Britannus quidam remex, *David Guinus* nomine, ex tempestatis injuria & Hispanorum infortunio animum & occasionem rei præclarè gerendæ mutuans, effracta catena & sociis aliquot mancipiis, Gallis & Turcis, liberatis, Præfectos militésque omnes istius triremis, in qua ipse erat, occideret; atque ita una potitus, reliquas duas decumanis fluctibus graviter afflictas debellaret, & Bajonam Galliæ pertraheret; ambiguum, majori audacia, an meliori fortuna. Inde è portu

portu Coronensi egressa classis, recta Angliam versus cursum tenet; sed vix freti fauces ingressa, sentit Hispanorum & Parmensis expectationem evanescere; qui stolida spe nimis superbe sibi persuaserant, Britannicas & Belgicas naviculas, visa tantùm tantæ potentiæ & tot arcium velivolarum pompa, fugam arrepturas: quod etiam Petrus Valdesius, primariæ auctoritatis tribunus militum, Francisco Drako, cujus clementiam dedendo se, quam vires pugnando maluit experiri, fassus est; *qui plurimum Anglorum audaciam mirari se dixit; qui tam parvis, tâmque paucis navigiis tantam classem adoriri non dubitassent.* Belgæ enim Parmensem in Flandriæ litoribus ita obsidebant; ut is ne unam quidem navem in mare subducere ausus fuerit: Britanni autem, quanquam omni alia re inferiores, quia tamen animis, virtute & promptitudine præstabant, intrepidè gigantes Iberos aggrediebantur; navibúsque suis equorum instar summa agilitate circumrotatis, venti prærogativam præripiebant semper; atque momento ferè elibrandis commodissimè tormentis utroque latere obverso tantam vim grandinis mortiferæ undíque eructabant, ut hostis se non defendere amplius, nedum offendere alios potuerit. Hoc modo per multos dies, & diversis in locis, ad Caletum usque hostilis classis velitationibus, præliísque salutata, excepta, vexata, cæsa & conquassata fuit: multis navibus cum magno dedititiorum numero, cum magna pecuniarum, vasorum argenteorum, cimeliorum, & variæ nauticæ suppellectilis multitudine, captis: multis submersis: multis ad colles arenarios ejectis: & nihilominus interim

in

in vicina Gallia de Anglia jam ab Hispanis debellata rumore constanti passim circumlato. Tandem Britanni dolum virtuti jungentes, ut Hispanos de statione Calctensi pellerent; octo naves viliores exinanitas, pulvere, sulfure, pice, aliáque materia ad concipiendum & alendum ignem idonea, replent, easque tormentis instructas & incensas, VII^{mo} Augusti, hora secunda post noctis meridiem, vento & æstu secundis, contra classem emittunt: ad quarum conspectum tanta inter Hispanos orta est trepidatio; ut amputatis rudentibus & expansis velis extemplo pro se quisque effugere, & in apertum Oceanum recipere se magno cogatu laborarit. Ita classis longè Norvvegiam versus ad LXII^{um} usque gradum excurrens, & totam Britanniam Hiberniámque circumvecta, atque novo naufragio miserè mactata, domum rediit cadaveri similima. Ita paupertas opulentiam, dexteritas potentiam fregit; ita fœmina virum, Regina Regem castigavit; ita aliquot naviculæ classem maximam, pauculi Britanni Hispanos penè innumeros domuerunt. Magnum clades ista dolorem plerísque omnibus in Hispania familiarum Nobilissimis attulit: è quibus paucæ erant, quæ non gentilem aliquem, affinem, aut cognatum, vel naufragio amissum, vel in pugna cæsum captúmve non luxerint: Rege proinde, cui id gnarum erat, premendis vocibus, & atratis privato cujusque luctu vestibus, ne mali in dies memoria recrudesceret, brevissimum edicto spatium ponente. In Britannia contra, festo ad diem XXIX. Novembris gratiis agendis & sacris faciendis indicto, (quod etiam in Belgio confœderatorum Ordinum jussu factum est

eſt) Regina curru triumfali è palatio per urbem Londinenſem ad primarium templum San-Paulinum vecta, equo devictorum Hiſpanorum inſignia & vexilla propendentia ferente, magnificentiſſimè triumfavit. Zelandi autem tantæ victoriæ memoriam apud poſteritatem per monumentum quoddam depoſituri, numum argenteum & æneum percuſſerunt, qui in una facie referret Zelandiæ arma, cum hac inſcriptione, *Soli Deo Gloria*; & in altera magnas aliquot naves, cum his verbis, *Claſſis Hiſpanica*; ſuper additis in circumferentia iſtis, *Venit, Ivit, Fuit*. In Gallia autem, cum non ita pridem Hiſpani novam parturirent Hiſpaniam, & legitimo Rege Legeque Salica (qua *Lilia non Laborant, neque Nent.*) neglectis, alium ſive Hiſpanum ſive Hiſpanicæ factioni addictum legi percuperent: quid non laboranti vicino regno præſtitit officiorum & auxiliorum fortiſſima & fidiſſima magna Britannia? In Normannia ad Dieppam, in Picardia, in Armorica, alibi, ab Hiſpanis acceptæ clades luculentum Britannicæ virtuti perhibent teſtimonium: & potiſſimum illa famoſa Crodunæ expugnatio; ubi accidit tunc res inter Anglum & Hiſpanum laude & exemplo, quod ad poſteros tranſmittatur, digna; etſi dolendum eſt, nomina utriuſque intercidiſſe. Tenebat Crodunam Thomas Praxedes, veteranus belli Dux, cum CCC. delectis Hiſpanis: quam dum pertinaciſſimè propugnat ille, Io. Aumontius, illuſtitiſſimus ac vetuſtis heroibus æquandus Imperator, qui locum obſidione cinxerat, edicto præcepit, ne cui præſidiariorum à milite gratia fieret, & ſi qui caperentur, coram ſe ſiſterentur,

Th. H. l. III. rentur, qui de iis arbitrio suo statueret. Sed jam expugnata Croduna, plerisque præsidiariis atque ipso etiam Praxede interfectis, dum Anglus ille abdita scrutatur, in Hispanum incidit, à quo olim in Belgio contra pari severitate conditum edictum fuerat servatus; agnitúmque hominem complexus bono animo esse jubet, *Et hodie faciam,* inquit, *ut intelligas, beneficium benè collocatum nunquam perire, nam vitam, quam tibi debeo, prius amittam, quam permittam, ut tibi vita eripiatur.* Igitur ab æmulis accusatus, quod Hispanus apud se celaret, & ab Aumontio ut captivum sisteret jussus, audacter respondit, *Se ei salvam vitam promisisse.* & cum in edictum commisisse argueretur, *Si de edicti,* inquit, *severitate nihil remittitur, sum paratus pro eo pœnam subire, ea lege, ut Hispano vita salva, sicuti ei promisi, maneat; & is sciat, se meo beneficio servatum.* Cum mirarentur omnes, qui aderant, & Aumontius à reo quæreret, quid causæ esset, cur Anglus tantopere Hispanum diligeret, ut pro eo vitam ponere non dubitaret. Anglus rem, ut erat, exposuit. Qua intellecta Aumontius valdè commotus est, & providentiam Dei admiratus, qui tam præclaram occasionem homini generoso gratiæ benè merito de se Hispano rependendæ obtulisset; utrumque laudatum & donis oneratum dimisit.

Cambd. de Ordd. Ang. p. 118. *Mete. Belg. H. l.* 13. *A Gent. de Leg. l.* 1. *c.* 4, *& in Disp. de pot Reg. absoluta.*

XXIX. Britanniæ Reges suprema & absoluta præditi auctoritate, præter *Deum*, superiorem inter homines agnoscunt neminem; peregrinam jurisdictionem, ne tantilla quidem in re, insigni supra Hispaniarum & Galliarum Reges, Pontificum famulos, prærogativa, venerantur nullam; & nullos

nullos subditos habent, qui peregrino imperio ullatenus sint devincti. *Henricus VIII. Eduardus VI. Elisabetha, & Iacobus*, omnem *servi servorum, & domini dominantium* dominatum de cervicibus Britanniæ fortiter & piè depulerunt; sceptro à servitute quasi manumisso, & immensa pecunia, quæ pro *primitiis, indulgentiis, appellationibus, dispensationibus, palliis*, & id genus aliis, Romam assiduè exportari solebat, domi retenta: Henrico etiam tributum annuum jam ab *Inæ* temporibus pendi solitum (is enim regnum Papæ fecerat vectigale, singulis argenteis numis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis) abrogante; ac pœnam capitis, si quis supremam potestatem Pontifici adscribat, constituente.

Cambd. Ann. Ang. An. Ch. 1559. *De tributo vide P. Virg. l.* 4. *H. Ang. M. Becanum de primatu R. A. cap.* 6. *Sleid. Com. lib.* 9.

XXX. Quærimus in Rege *iustitiam & clementiam?* Ecce Britanniæ Reges æqua lance jus distribuunt omnibus; aditu quibusvis concesso liberrimo, blandè audiunt desideria omnium; refractarios comitate & facilitate flectunt ad obsequium, quantum possunt; nec ultima experiuntur, nisi quando alii remedio amplius non est locus. *Eduardus senior* ad viculum *Austclive*, in Comitatu Glocestrensi, subditi *Leolini*, Walliæ reguli, enormem contumaciam humanitate & indulgentia correxit mirificè. Cum enim ambo Sabrina fluvio dividerentur; & Leolinus ad Eduardum colloquii causa traiicere nollet; hic ad illum transiit. *Videns autem ipsum & agnoscens Leolinus, proiecto pallio solenni, (nam se foro paraverat) usque ad pectus ingressus est aquam, & cymbam amplectens, ait: Sapientissimè Rex, tua humilitas meam vicit superbiam, & sapientia triumfavit*

Iac. Rex. l. 2. Reg. Inst.

Verba Gu. Mapæi. qui ante annos CCCC. floruit. Cambd. in Brit. de Dobũ. p. 256.

ineptiam:

ineptiam: collum aſcende, quod contra te ſtatui erexi; & ſic intrabis terram, quam tibi hodie tuam fecit benignitas, acceptúmque humeris ſuper pallium ſuum ſedere fecit, & iunctis manibus ſibi fecit hominium.

XXXI. Quærimus jam in Rege *tranquillitatis publicæ tuitionem?* Ecce Britanniæ Reges pacant omnia, tranquillant omnia, à latronibus hominum & pecorum tuta faciunt omnia. Et ecce *Ælfredus* Anglus, advertens in regno ſuo raptores licenter graſſari, omnia itinera brevi tempore tam reddidit pura ſanctáque, *ut ſi viator quantámcunque ſummam pecuniæ in campis, vel publicis compitis veſperi demiſiſſet; manè, vel poſt menſem rediens, integram & intactam videret.* Et ecce *Eadgarus*, crudelitatem & tyrannidem *luporum* in homines oviúmque greges cum magna ſtrage diu exercitam deteſtans, *Ludvallo*, Merviniæ Principi, *tricenos in ſingulos annos vectigalis nomine imperando*, non longo temporis intervallo carnivoras iſtas beſtias omnes ex tota Anglia ita extirpavit; ut poſteà, & etiamnum, lupus non minùs ſit peregrinus in Anglia, quàm Leo, aut Elephas.

Verba Ingulphi Croulandenſis. Cambd. de Brit. div. p. 114. Malmesb. & Camd. in Mervinia. p. 530. adde Camer. M.H. Cen. 1. c. 28.

XXXII. Quærimus in Rege *curam ditandi ſubditos?* Ecce Britanniæ Reges ſubditos ſuos locupletant, ornant, amplificant; eóſque evadere Craſſos, quam Codros, Crœſos, quam Iros malunt. *Eduardus III.* *pannificium* in Anglia inſtituit primus; ex quo privatorum opes & regni patrimonium tanta ſumpſerunt incrementa, ut etiam hodie inter Reipub. columina merito numeretur; nec ineptè *per ſaccos laneos, rubro panno tectos*, quibus in regni comitiis diverſorum tribunalium

Camd. in Cant. p. 247.

Meteranus Belg. H. l. 13.

Iudices,

Iudices, Rotulorum Magistri, Secretarii Status, insident, *commodum lanarum & ovium non negligendum esse, Parlamentum moneatur*. Pannos enim Anglicos Suecia, Dania, Polonia, Gallia, Germania, semper æstimavit magni, & emit magno: *& nuper una Antuerpia ex uno Londino ducenta pannorum millia quotannis accepit*. Quid? quod opes planè incomparabiles ex Anglorum commercio redundarint, ex quo Ludovicus Malanus Flandriæ Comes, circa annum CHR. 1338. Anglos immunitatibus amplissimis concessis ad emporium lanæ Anglicæ Brugis Flandriæ constituendum illexit. Iam inde enim ex concursu omnium ferè gentium in Flandriam ad pannos ex Anglica lana aliásque Anglicas merces emendas & suas distrahendas, incredibile est, quantum res mercatoria, institoria, navalis & piscatoria, apud Belgas floruerit. Adeò ut *lana Anglica* verum fuerit Belgis *Vellus aureum*, cui inclytus ille *Militaris ordo Velleris Aurei* suam originem, & Burgundiæ Duces ingentes divitias debuerunt. Certè *hoc nostro tempore commercium inter Anglos & Belgas duodecim milliones aureorum in singulos annos superavit, & panni Anglici Antuerpiam quotannis exportati V. millionibus aureorum sunt æstimati. Diva Elisabetha* non tantùm indictionibus non ursit subditos, sed etiam tributa, quæ tertio quoque anno exigi consueverant, sustulit: imò cum regni ordines aliquando magnam pecuniæ summam pro sumptibus Reipub. necessariis offerrent, illa magnam partem recusavit, ac populo gratias egit; dictitans, *pecuniam in subditorum arculis esse perinde ac in suis*. Credat hoc olim sera posteritas,

Camden. in Trin. p. 313.

Camdeni in Ann. Angl. A. Ch. 1564.

Bodin. de Re. l. 6. *c.* 2.

Camd. An. Angl. 1566.

& fidem adhibeat; *Elisabetham virginem* quadraginta quatuor annos ita sceptrum sine ullo vel vetustorum vel præsentium temporum exemplo tractasse; ut illam subditi amaverint ut matrem benignissimam, vicini Principes coluerint ut reginam sapientissimam, hostes metuerint ut ultricem justissimam, & totus Christianus orbis cum admiratione suspexerit ut pacis & tranquillitatis publicæ conservatricem; quippe quæ quasi heroina & honoraria arbitra inter Hispanos, Gallos, & Belgas sederit; ut illud patris *Henrici* usurpare potuerit, *Cui Adhæreo, Præest*; & verum fecerit, quod ille scripsit, *Galliam & Hispaniam esse quasi lances in Europæ libra, & Angliam lingulam sive libripendem.*

Cambd. in Ann. Angl. A. Ch. 1577.

XXXIII. Quærimus autem *subditorum* erga Principes & Dominos suos *observantiam & fidem?* Ecce Britanni Principes & Dominos suos venerantur humilimè, colúntque fidelissimè. Et ubi veneratio major? Ecce nunquam illos alloquuntur, nunquam officia sua præstant illis, nisi adorantium in morem, ad genua subsidentes: etiam absentiam & umbram illorum honorant; cum nemo tegat caput in illo conclavi, ubi est sedes regia; nemo locum, in quo regia sigilla asservantur, sine honoris exhibitione prætereat. Et ubi fides illustrior? Cum Hispanus antè hos L. annos per clandestinos internuncios cum Duce Norfolciæ & Ormondiæ Comite egisset; ut hic in Hibernia, ille in Anglia Elisabethæ Reginæ facesserent negotium; tamen illi, qua fuerant in Reginam fide, ingenuè aperuerunt; quamprimum maritimi Angliæ populi hæc comperissent, incredibile

Meteran. H. Belg. l. 13. Bod in M. H. c. 6. P. Matt. in hist. H. IV. l. 4. n. 3. Camden. Ann. Angl. A. Ch. 1569.

dibile est, quanta alacritate maria insiluerint, & quam late piraticam in Hispania exercuerint; adeò, ut ad eos cohibendos edictis fuerit opus.

XXXIV. *Cornvvallia* sive *Cornubia*, frugum feracissima, quas cum Hispania quotannis liberalissimè dividit, in qua præter aurum, argentum, adamantésque ab ipsa magistra natura in angulos eleganter conformatos & lævigatos, *stannum* copia effoditur incredibili; ex quo vasa domestica ducta apud omnes Europæos in mensarum usu, argenteis fulgore æquiparantur. Atque uti ora illius regionis maritima celeberrimis nitet oppidis, ad numerosam classem conficiendam satis potentibus: ita ibi quæstus colligitur longè maximus è piscibus illis, quos *Pylchardes* vocant; qui immensis examinibus ad litora à Iulio ad Novembrem circumfusi capiuntur, exenterantur, saliuntur, infumantur, condiuntur, premuntur, & in Galliam, Hispaniam, Italiámque exportantur; quibus sunt gratissimæ merces, & *Fumados* appellantur. Sed singulare, & quod curiosos in stuporem dare potest, est celeberrimum saxum *Main-Amber*, parum distans ab emporiolo *Pensans*: illud quamvis sit vastissimum, digitulo tamen moveri potest, sed à loco ne à magna quidem hominum multitudine dimoveri potest.

Camd. in Dan- mon. *p.* 136.

XXXV. Ex Cornvvallia transilio in *Devoniam*, vbi nec stanni ditissimas venas, Cornvvallicis ne tantillum quidem cedentes, nec Dertmoricos magnetes nuper inventos, nec Kirtonium natale solum *VVinifridi* illius Germanorum Apostoli, qui Hassos, Thuringos, & Frisios ad Christum convertit; nec item Exoniam, quondam

Regum West-Saxoniæ sedem, laudibus efferam: *Plimmouthum* tantum jam contueor, oppidum, si ex capacitate æstimetur, minimè magnum, sin à portus commoditate & incolarum virtute, apud omnes longè maximum. Hinc enim, ut alia omnia taceam, fuit *Franciscus* ille *Drakus*, Eques auratus, in gloria navali nostræ memoriæ facilè princeps: qui primum, ut damna quæ ab Hispanis acceperat resarciret, Mexicanum sinum toto biennio victoriis quasi obsidebat, isthmúmque illum Darienæ peragrabat; unde cum Australe (quod vocant Hispani) mare prospexisset, navigandi illud tanto flagrabat ardore, ut eo loci in genua procumbens divinam opem implorarit ad desiderium istud suum explendum: imò quasi novus Themistocles Miltiadis trophæis excitatus, sibi, patriæ, & suæ gloriæ defuturum se existimabat, nisi mare illud perlustraret; ita animo semper observabatur. Anno igitur superioris seculi LXXVII^{mo} solvens Plimmoutho, Australe illud mare per Magellanicum fretum ingressus, orbem terrarum inter varias fortunæ vicissitudines triennio secundissime circumnavigavit. Quo tempore non solum variarum gentium hactenus ferè nobis ignoratarum leges, studia, mores, ritúsque admirabiles annotavit; novas terras, & præsertim *novam ALBION* detexit; *mare Australe* (quod *Pacificum* vocant) turbidum supra modum expertus est; partem cœli Austrino polo proximam pauculis iísque minoris magnitudinis stellis ornari, trésque tantùm primæ magnitudinis in illo hemisphærio conspici, quas Anglia non viderit, observavit; deprehendit quoque, cum

Cam. in Br. p. 343.

Cam. in An. A. Ch. 1580.

Vide Cam. in An. Ang. A. Ch. 1580. Th. H. l. 71. Meteran. H. Belg. l. 10.

cum fretum Magellanicum ægrè eluctatus Aquilonem versus tenderet, sperans hoc sese cursu Peruvianum Regnum feliciter aditurum, recentes tabulas Geographicas illis locis mutilatas aut non fideliter descriptas esse, errorémque ad minimum XII. gradus excedere, & discriminis maximi credulis hominibus causam præbere: verum etiam ultionis impetu in Hispanos hinc inde terra marique converso, multis eorum navibus direptis invidendas conquisivit divitias; cepitque in unica *Cacofoga* (id navi opulentissimæ nomen) præter pretiosissimas gemmas & uniones inprimis, *optimi auri XXC. libras, argenti signati factiq; XIII. arcas, & argenti infecti vim tantam, quanta navi in saburram sufficeret.* Et erat tunc mediastini Hispani jocus non illepidus, qui cum *Cacofoga* vacua abiturus ad Drakum dixisse fertur: *Nostra navis nomen jam tuæ resignamus: nostra* Cacoplata, *id est*, Argenticaca *deinceps vocabitur: tua autem* Cacofoga, *id est*, Ignicaca *ut vocaretur, capta nostra meruit.* Verum rediit Drakus in Angliam incolumis magna gratulatione & lætitia ab Elisabetha Regina exceptus; quæ & illum ob expeditionis tam feliciter susceptæ gloriam laudatum Equestrique honore decoravit, & prætoriam ejus navem *Publicanum*, ad perpetuam rei memoriam, insigni ceremonia consecravit. O præclarissimum Angliæ Iasonem!

XXXVI. *Somersetia* quam ampla, quam opulenta, quam populosa est? in qua veluti gemma radiat *Bristolia*, urbs ad aspectum ita pulchra, publicis privatisque ædificiis ita exornata, omnibus ad uitæ necessitatem pertinentibus bonis ita

instructa, civibus ita frequens, ut inter Britannicas post Londinum & Eboracum sit prima. Bristolienses mercaturam ubertimam per Europam exercent, & in remotissimam usque Americam excurrunt, ad id portus sui, qui in ipsum urbis sinum naves passis velis admittit, commoditate invitati. Avona etenim flumen Oceani irruentis æstu tantopere intumescit, quoties luna à meridiano fastigio devergit, locúmque oppositum prætermeat, ut naves in vado hærentes ad undecim & duodecim ulnas extollat. Avona etiam, antequam in Sabrinianum æstuarium se exonerat, prææltis utrinque rupibus obvallatur: quarum altera ad ripam orientalem, sancti Vincentii nomine, *adamantum* adeò fœcunda est, ut quis modios inde impleat; & existimationem pretiúmque (nam uti duritie solummodo Indicis cedunt; ita eosdem colore translucido provocant; & quia laterum sexangulo vel quadrangulo lævore à natura ipsa turbinati sunt, etiam vincunt) copia tantum invideat: altera verò ad ripam occiduam, non minus adamantum est ferax; quos cavi & rufescentes silices, ceu fœtu gravidi, in se miro naturæ artificio & industria continent.

Camden. in Belg. p. 173.

p. 174.

XXXVII. *Hantoniam* verò, cum alia multa, tum *Southantonium*, urbecula peramæna, facit illustrissimam; & præsertim ob heroicum illud potentissimi *Canuti* Angliæ & Daniæ Regis factum, quo assentatorem, omnia ad regis vultum & nutum converti asserentem, ibidem loci repressit. Et cum nulla factio in Principum aulis sit validior, quam illa adulatrix: quæ dum serviliter nimis gratiam aucupatur, Reipub. & Principum familiis

pestem

pestem & interitum non raro accelerat: audi Princeps, sapientiam Canuti; & una aulicos istos Placentinos animitus mecum detestare: *Sedile suum Canutus* (verba sunt Historici) *in litore maris, cum ascenderet, statui jussit, dixit autem mari ascendenti: Tu meæ ditionis es: & terra, in qua sedeo, mea est; nec fuit, qui impunè meo resisteret imperio: impero igitur tibi, ne in terram meam ascendas, nec vestes, nec membra dominatoris tui madefacias. Mare verò de more conscendens pedes regis sine reverentia madefecit. Ille igitur resiliens, ait: Sciant omnes habitantes orbem, vanam & frivolam regum esse potentiam; nec regis quempiam nomine dignum, præter eum, cuius nutui cœlum, terra, mare, legibus obediunt æternis. Nec unquam postea coronam sibi imposuit, &c.* *Huntingdonensis. Cam. in Belg. p. 189.*

XXXVIII. *Cantium* est nobilis Britanniarum portio: pratis, pascuis, arvísque ubique læta; pomis ad miraculum abundans; nec non cerasa, felicissimè hic proveniunt, arboribus in quincuncem jucundissimo spectaculo directis: villis, oppidis, & stationibus satis tutis frequens: humanitate civium & olim & hodie celebris: bellatoribus tantæ virtutis præcellens, ut in procinctu exercitus frons Cantianis, tanquam triariis, merito inter Anglos debeatur. Loca verò ante alia visenda sunt; *Grenovicus*, regiis ædibus splendidus, sed nativitate Reginæ Elisabethæ multo splendidior: *Roffa*, quo in Medvveago navale exhibet classi omnium, quas sol vidit, bellico apparatu instructissimæ, & in omnia momenta paratissimæ, ab Elisabetha Regina ad suorum tutelam & hostium terrorem maximis impensis ædificatæ: *Cantuaria:* *I. Sarisburg. in Policratico. Cãd. in Brit. Cantio. p. 230. p. 231. p. 236.*

p. 239. *tuaria*, ſedes Archiepiſcoporum; qui ut olim Pontificis Romani Legati, & veluti alterius, ut dixit Vrbanus II. orbis Patriarchæ erant; ita nunc, abrogata Pontificum autoritate, Primates & Metropolitani totius Angliæ dicuntur; *Dubris*, ſive Dovera, in ipſo cautium divortio conſidens,

p. 243. The Strait of Calleis.

——gemini qua ianua ponti
faucibus anguſtis, latéque frementibus undis,
Gallorum Anglorúmque vetat concurrere terras,

trajectu in Galliam celebre eſt oppidum; cautúmque olim lege erat, ut nemo, qui religionis gratia peregrè proficiſceretur, alibi traiiceret.

XXXIX. *Vrbs Oxonienſis.* Eſt ſitu ſaluberrima: ſiquidem planitiem ejus ita circumſident nemoroſi colles, ut hinc peſtilenti Auſtro, illinc tempeſtuoſo Zephyro excluſo, tantum ſerenantem Eurum, & Aquilonem corruptionis vindicem admittant: eſt etiam nitida publicè & privatim, undiquaque elegans; ſed caput pulchritudinis eſt, quod *Academiam habet antiquiſſimam*, & in quatuor nobiliſſimis, quæ ſunt *Oxonium, Lutetia, Bononia, Salamantica*, primam; populoſiſſimam, & frequentiſſimam; quæ jam Eduardo primo regnante *triginta millia Studioſorum* cenſuit. Et quid de illo Collegiorum genere, ubi non tam docetur, quàm alitur juventus, & ſubſidia ſtudiorum in certos annos habet, dicam? Oxonium hic magnificum eſt: neque credam, in orbe terrarum ſimile nunc eſſe, addam & fuiſſe. Magnæ ibi opes & vectigalia; bibliothecæ animatæ præſignes. Verbo Lipſii dicam: *unum Oxonienſe Collegium ſuperet vel decem Belgica.*

p. 267. *A. Gent. de laud. Acad.* Ox. eſt mater Acad. Pariſienſis. *Sc. Gent. de iuriſd. l. 3. c. 17. Armach. Cam. p. 270. Lipſ. in Lovanio. l. c. 5.*

XL.

XL. *Londinum*, Britannici Imperii ſedes, inter omnes Europæ urbes eminet. Nihil non præclarum Londini, nihil non pulchrum, nihil non excellens: & quorum bonorum alibi magna raritas, quódque ſequitur magna charitas eſt; eorum Londini magna copia, & quod ſequitur, magna vilitas eſt. Habet Londinum elementum utrumque mancipio: habet ſolum lætum; unde vix credenda omnium rerum affluentia & exundantia: habet Tamiſin ad omnia ſervitia paratiſſimum, qui ſtatis horis Oceani æſtibus ſuperbus, alveo tuto, *Cam. in* præalto, & navium quamlibet magnarum & mul- *Br. Tri-* tarum capaciſſimo, tantas Orientis & Occidentis *nobant.* opes quotidie invehit & evehit, ut orbis Chriſtiani emporia in certamen de palma venire cum illo non auſint. Stupent exteri intuentes ſacra profanáque palatia, & opera inuſitati ſplendoris: arcem, quam *Turrim Londinenſem* vocant, munitiſſimam: Burſam, quam Regina Eliſabetha *Excambium Regium* dixit, ad negotiatorum uſum; pontem ſaxeum XIX. fornicibus, præter verſatilem unum, conſtantem, & ſpecioſis ædificiis in formam plateæ utrinque decoratum; Prætorium Comitiis Parlamentariis & foris judiciariis dicatum; Regiam verè regiam; & templum Weſtmonaſterienſe, plurimorum Regum, Principum, Magnatum & Literatorum ſepulchris, præſertim Henrici VII. ſacrario (quod Lelandus *orbis miraculum* vocavit) auguſtum; & San-Paulinam ædem Epiſcopalem undiquáque ornatiſſimam. Ingentem prætereà populi multitudinem alere *Fitz.* Londinum, vel hoc teſtimonio ſit; quod jam *Steph.* Gulielmi Normanni ſeculo, facta hominum armigerorum

migerorum oſtenſione, *quadraginta millia peditum, equitum viginti millia* ſub ſignis eduxerit, quem numerum nondum fuiſſe imminutum aſtimabit ille, qui illic CXXI. Eccleſias, (quot nec ipſa Roma oſtendit. Thomam Bozium enim, qui in Romana urbe atque ſuburbiis numerat *tria millia templorum*, pipulo abſolvimus,) præter noſocomia & xenodochia numeraverit; & in pædotrophio orphanos plus minus DC. alióſque pauperculos circa MCCXL. collata ſtipe ſuſtentari viderit. Laudabo Londinum cum humaniſſimo & eruditiſſimo Londinenſi Cambdeno

Cam. in Br. Trinobantibus. p. 313.

LONDINVM *gemino procurrit litore longè*
æmula maternæ tollens ſua lumina Trojæ,
clementer ſurgente jugo dum tendit in Ortum:
urbs peramœna ſitu, cœlóque ſolóque beata,
urbs pietate potens, numeroſo cive ſuperba,
urbſque Britannorum quæ digna Britannia
dici.
Hæc nova doctrinis Lutetia, mercibus Ormus,
altera Roma viris, Chryſæa ſecunda metallis.

XLI. *Eſſexiam* virtus *Iohannis Havvkvvood* (Itali *Aucuthum* corruptè vocant) mirificè inſignit; quem illi ſic æſtimaverunt, ut quæcunque is proſpere geſſiſſet, & hoſtes & ſocii pro documentis & militaris diſciplinæ præceptis habuerint; poſtea etiam Senatus Florentinus propter inſignia merita Equeſtri ſtatua & tumuli honore fortiſſimum virum ornarit. Sed ſunt alia tria Eſſexiæ decora, non contemnenda. Primum eſt ager Waldenenſis, croco ſativo blandiſſimus; cujus proventus eſt tantus, ut è ſingulis jugeribus octoginta,

P. Io. in El. illuſt. vir.

Camden. in Trinobant. p. 226.

ginta, vel centum plus minus croci, dum humidum est, pondo colligantur; quæ siccata ad viginti pondo conficiunt, & quòd peculiariter memoriæ tradendum est; solum, quod tres continuos annos crocum protulit, hordeum sine stercoratione annos octodecim affatim profundet, denuóque crocum non recusabit. Secundum est sinus maris, optimorum illorum ostreorum, quæ Angli Wallfleet nominant, & olim Romanorum gula inter exquisitissimas retulit delicias, piscatu percelebris. Tertium est Centuria *Dengy*, ubi casealiis operibus omnia fervent, virique muliebri officio oves mulgent; unde casei raræ magnitudinis conficiuntur, qui non modo per Angliam, sed etiam per exteras regiones ad saturandos agrestes & opifices distrahuntur. Sed in *Suffolcia* pascuorum pinguedo laudem casealiam adhuc magis illuminat. Hic enim non solum, ut in Essexia, casei magno cum incolarum commodo, qui eos in Germaniam, Galliam & Hispaniam, divendunt, coagulantur: verum etiam Placentinis iidem colore & sapore à peritis Medicis conferuntur. At quid caseos loquor? Suffolciam, imò totam Angliam, mirum quantum exornavit *Thomas Cavendishus*, qui tertius à Magellano insigni gloria orbem terrarum circumnavigavit. *Norfolcia* ingeniorum versutissimorum, & IC^torum^ acerrimorum est altrix; præter hoc tamen soli bonitas, quæ partim ex incolarum nitore, partim ex agriculturæ labore minimo, (ager enim vili equo, & à parte altera jugi anu vomerem trahente, facilè proscinditur) fructúque maximo, colligitur; & halecum piscatus, qui haud procul Norvvico, urbe clarissima, totius

p. 32.

p. 320.

Cam. in Br. Icenis. p. 334.

Pantaleõ Medicus.

Cam. in An. Angl. A. C. 1587.

Camd. p. 346.

p. 348.

totius orbis est copiosissimus ; invidiam vicinorum difficulter amoliri possunt.

p.357. XLII. Comitatui *Cantabrigiensi* universus literatorum ordo annuos panegyricos & laudationes solennes debet. Quis enim Academiæ Cantabrigiensi XVI. pulcherrimis Musarum sacrariis sive collegiis, pari cum Oxonio numero, coruscanti, doctrinæ & eruditionis antistitibus, & omnium scientiarum alumnis florenti; & salutaribus adversus ignorantiæ & inscitiæ scabiem thermis undecunque celeberrimæ ; illud gratitudinis officium non præstet? *Huntingdonensem* ditionem ruris studium, non patitur latere in obscuro. Quin Gormonchestria, vicus ab agresti Philosophia ubique in Anglia laudatissimus, Reges Angliæ hac itinerantes olim centum octoginta aratris, rustica quadam pompa eductis, se excepisse etiamnum gloriatur. *Leicestria* propter carbones fossiles Coleovertonenses, quos in vicinas provincias ad extruendos focos liberali manu distribuit merito benè audit. Nec fraudat suis encomiis *Nottinghamiensem* provinciam Workensopum, lætissimo glycyrrhizæ proventu nobile; nec *Darbiensem* optima cerevisia Darbiensis, & potissimum pars terræ occidentalis ultra Derventionem plumbi feracissima, ut Chymistæ, qui planetas tanquam criminis reos ad metalla damnant, Saturnum, quem plumbo præficiunt, Anglis animo esse benigno, quod plumbum concesserit, Gallis infenso, quibus denegavit, ridiculo errore tradiderint. *VVarvvicensis* pagus variis ferri venis dives fabriles operas plurimum juvat. *Vigornia* autem per salinas suas nobilissimas ; atque insuper pyra sua,

Margin notes: p.367. p.387. p.514. p.519. p. 420. Camden. in Br. Cornav. p.432.

ſua, & ex horum vinoſo ſucco fictitium vinum, *Pyrry* dictum: fluviatiles quoque muræenas, quibus in Sabrina circa Holtium, Beauchamporum caſtrum, vivarium feciſſe videtur natura; cujuſmodi olim creſcente luxu excogitarunt Romani; non immerito honorum brabeium ambit.

In Comit. Worceſtrenſi & Salopiēſi ſepes omnis eſt onuſta Cruſtumiis Syriiſque puris, gravibuſque volemis.

XLIII. *Staffordia* plurimum laudis & fructus haurit è piſcoſo *Trenta*: quem imperiti quidam à Gallica dictione *Trente* dictum ſomniarunt; unde etiam finxerunt *triginta* fluvios in illum influere, *totidémque piſcium genera* in eo natare, quorum nomina rythmo Anglico decantant accolæ, in mirabilem autem lacus Staffordienſis naturam Nechamus ita:

rugitu lacus eſt eventus præco futuri,
cuius aquis fera ſe credere ulla ſolet:
inſtet odora canum virtus, mors inſtet acerba;
non tamen intrabit exagitata lacum:

in mirabilem, inquam, naturam inquirat Plinius aliquis, & Phyſicorum ſagaciſſimus ordo.

Merc. Brit. In M. altero l. 1. c. 2. De laudib. div. ſapiētiæ.

XLIV. *Salopia* lætatur ſuæ metropolis ſchola numeroſiſſima, cui Minerval honeſtiſſimum *Thomas Aſton* primus Scholarcha, vir optimus & integerrimus ſua opera comparavit; & fonte *Pitchfordenſi*, cui liquidum bitumen indies, quamvis diligentiſſimè deſpumetur, innatat; perinde ac in Aſphaltite Iudææ lacu, in Samoſatæ ſtagno, & Agrigentino Siciliæ fonte. *Herefordia*, ſi ulla alia regio, alendis frugibus nuſquam non mitiſſima; nobili marmore, & præterea *Lemſteriana lana*; cui (excepta Apula & Tarentina) palmam relinquunt reliquæ Europææ omnes, beata eſt.

Cam. p. 451. p. 448.

Camb. in Br. Silurib.

XLVI. Ex agro *Maridunenſi*, *Penbrochia*,

& Cere-

&Ceretica, tribus non ignobilibus provinciis, tria tantum recito. Ex illa primum est, fons non longè Mariduno distans, qui, ut scribit Giraldus, naturali die bis undis deficiens, & toties exuberans, marinas imitatur instabilitates. Ex ista est alterum, portus Milfordensis, quo non alter est in Europa aut nobilior, aut tutior, tot angulosis recessibus, tot portuosis stationibus distinctus: ubi

Camden. in Br. Dimet. p. 504.

p. 510.

——— ——— exarmatum terris cingentibus æquor
clauditur, & placidam discit servare quietem.

p. 512. Ex hac tertium est, fluminis Tivii ad Kilgarranum lapsus ex alto præceps; *salmonis* saltum dicunt; eo quod salmones interiora fluminis ex Oceano petentes, cum obstaculum hoc occurrit, caudam ad os replicant, interdum etiam ad majorem saltus efficaciam caudam ipsam ore comprimunt, dumque à circulo hujusmodi se resolvunt, cum impetu quodam, tanquam virgæ circulatæ explicatione, se ab imis ad alta intuentium admiratione transmittunt; ut scitissimè scripserit Ausonius:

nec te punico rutilantem viscere salmo
transierim; latæ cuius vaga verbera caudæ
gurgite de medio summas referuntur in undas.

XLVII. *Merviniam* prædicat lacus *Pimble meure*, quem Deva fluvius integer transmeat, exítque tantus & talis, quantus & qualis venit; adeò ut nec *Guiniad*, peculiares lacui pisces, in Deva videas; nec salmones qui sunt in Deva frequentes, in lacu capiantur.

p. 510.

Io. Lelãd.

Illud habet certè lacus admirabile dictu;
quantumvis magna pluvia non æstuat: atqui,
aëre turbato, si ventus murmura tollat,
excrescit subito rapidis violentior undis,

& tumido

& tumido ſuperat contemptas flumine ripas.

Arvoniam pretioſam facit Conovius fluvius, conchas alens, quæ cœleſti rore gravidæ margaritas parturiunt. In *Eboracenſi* provincia, totius Angliæ patentiſſima eſt Hudleſtonia latumia nobiliſſima; è qua lapides cum primum exciſi, ſunt molliores; vento autem & aëre indurati, evadunt ſolidiſſimi. Eſt ibi fons *Dropping VVell*, in quem quicquid ligni immittitur, lapideo cortice brevi obducitur, & lapideſcit. Eſt ibi agrorum tractus, quem dum anſeres illi immanſueti, hyberno tempore lacus & fluvios in Auſtralibus partibus non congelatos gregatim petentes, tranſvolant, in terram non ſine ſumma omnium admiratione ſubito decidunt. Eſt ibi in littore circa caſtrum *Moultgrave* ſuccini nigri copia, ſive Gagatis, quem inter rariores lapides gemmáſque habuerunt veteres; aitque rectè Poëta, *Cam. p. 535. p. 567. p. 570. p. 587. p: 587.*

naſcitur in Lycia lapis, & prope gemma Gagates:
ſed genus eximium fœcunda Britannia mittit,
lucidus & niger eſt, levis & læviſſimus idem:
vicinas paleas trahit attritu calefactus,
ardet aqua lotus, reſtinguitur unctus olivo.

Marbodæus de gemmis.

Eſt ibi *Scarborrough*, caſtrum in editiſſima rupe, in cujus ſubjecto mari halecum piſcaturam Hollandi, & Zelandi exercent quæſtuoſiſſimam; venia prius ex caſtro veteri inſtituto impetrata. Veniam enim piſcandi ſemper conceſſerunt Angli, honore ſibi reſervato, utilitate verò exteris quaſi per negligentiam deſidiamq; reſignata. Eſt ibi Ripponenſe templum; quod *S. VVilfridi acus* avorum ætate fecit celeberrimum, iſta erat anguſtum in cryptoporticu foramen, quo mulierum pudicitia explo- *Cam. p. 586. P. 570. S. Witfrids Needle.*

exploraba tur: ſiquidem id caſtæ tranſibant facilè; ſed quæ famæ dubiæ, neſcio quo miraculo conſtrictæ detinebantur. Eſt ibi Halifax, eſt Kingſto-
p. 564. & 78. nium, oppida mercatoria magni nominis; illud ex re pannaria, hoc ex Iſlandiæ piſcibus induratis quaquaverſum divendundis, ingentes divitias conſequutum. Eſt ibi, *Eboracum*; Brigantum ca-
p.556. put; urbs Angliæ ſecunda, ampla, munita; opibus, operibus, civibus, & Archiepiſcopali ſede, illuſtris: & ſi priſcorum temporum dignitatem obſervare velimus, uti decet, Imperatorum, Severi & Conſtantii Chlori Auguſta ſede illuſtriſſima.

XLVIII. *Richmondiæ* montes ære, plumbo,
Cam. p. 591. & carbone foſſilli gravidi, ſunt grati, gratior eſt Svvala fluvius, antiquis Anglis merito ſacer habitus; cum in eo, uno die, quando Angli primum Chriſto initiabantur, pluſquam *decem millia viro-*
p.593. *rum*, præter fœminas & parvulos, à Paulino vitali baptiſmo feſtiva lætitia fuerint regenerati. *Cambriæ* Oceanus piſcibus repletus eſt optimis, & negligentiam accolis, minus gnaviter piſcaturam exercentibus, quaſi exprobrat. Quid? quod in amniculo *Irt*, mare petente, conchæ ex rore, quem veluti maritum appetunt, oſcitatione quadam
p.630. hauſto, fiunt gravidæ, margaritáſque ſive baccas concheas pariunt; quas accolæ reſidente aqua venantur, ac parvo vendunt gemmariis, non parvum
p.631. inde quæſtum facturis. Habet inſuper Cumbria æris venas opulentas, non ſine auro & argento, jam olim inventas: ſed à *Daniele Hochſtettero*
Cic. ad Attic. Ep. 84. lib.4. Germano, Auguſtano, noſtro tempore denuo repertas: tantum abeſt, ut Ciceronis illud verum ſit; *neq; argenti ſcrupulum eſſe ullum in inſula Britannia.*

Nec

Nec Cæsar, si has novisset fodinas, Britannos importato ære uti scripsisset; cum hæ & aliæ ærariæ non solùm universæ Angliæ sufficiant, verum etiam magna vis quotannis exportetur. Vltima autem Angliæ provincia est *Northumbria:* sed primis existimatione par. Incolæ enim sunt bellicosissimi, & velites optimi; cúmque omnino Marti se veluti consecrarint, non est inter eos quispiam melioris notæ, qui suam turriculam aut munimentum non habeat. *Cam. in Br. Ottadin. p. 658.*

XLIX. In Scotia *aurifodina* inter Craufordiæ tesqua tempore Iacobi IV. Scotiæ Regis reperta, è qua Azurum quotidie ferè sine ullo labore eruitur; & Sutherlandiæ *ex candido marmore surgentes montes*, dignis laudibus exornandi Scotia bonarum frugum dives adeò probum profert triticum; (cedat hic Zelandicum triticum, quod tamen ad oryzam proximè accedere, aiunt.) ut cum *pane Scotico*, sanè candidissimo, levissimo, & maximè solutili, nullus præterea tota ex Europa comparari mereatur. Nobilitas copiosa & bellatrix, populi ingens probitas ac fides: datur enim honoris causa ob eximiam fidem hoc Scotis militibus in Gallia, ut singulari privilegio jam à Carolo V. concesso custodes Regii corporis sint præcipui; ita, ut inter tria satellitia *Scoti* stipatores obtineant locum *primum*, *Helvetii secundum*, *Galli* verò *ultimum*. *Iul. Sc. lig. ad Card. Ex. 140. & Ex. 200. Camden. in Scot. p. 695. Iov. in Scot. Cl. Malingre en l'H. de Louys XIII. R. de Fr.*

L. De ingeniis autem Scotorum excitatissimis judicium ferre nemini erit arduum, qui *Bellendenos, Blacuodæos, Barclajos, Androsonos, Ramsæos, Sibaldos, Ihonstonos, Cragios, Stuartos, Lestæos, Brusæos*, & tot alios illustres & præstantissimos *Th. Dep. Ep. ad Iac. R. Brit.*

Musarum alumnos noverit, aut qui vel unum *Georgium Buchananum*, virum ingenii felicitate
Th. H. l. 76. & scribendi facultate, quod ejus scripta ad omnem posteritatem victura testantur, incomparabilem, cognoverit; quem mortuum veris laudibus extulit Ios. Scaliger, hoc Epitaphio:

Postquam laude tua patriam, meritisque beasti,
Buchanane, tuis Solis utrúmque latus:
contemptus opibus, spretis popularibus auris,
ventosæque fugax ambitionis, obis;
præmia quina quater Pisea functus oliva,
& linquens animi pignora rara tui:
in quibus haud tibi se anteferant quos Itala vates
terra dedit; nec, quos Gallia mater alit,
æquabunt genium felicis carminis; & quæ
Orbis habet famæ conscia signa tuæ.
Namque ad supremum perducta Poëtica culmen
in te stat, nec quo progrediatur habet.
Imperii fuerat Romani Scotia limes,
Romani Eloquii Scotia finis erit.

Cam. de Hibernia, & Ins. Britannicis. LI. Hiberniam *Richardus Strigbuliæ & Penbrochiæ Comes*, vir infracto animo, & projectissimis brachiis, *Strongbovv* cognominatus, quod arcu intentissimo uteretur, & nihil levi brachio ageret, Anglis primus sua virtute aperuit: regio, sive terræ fœcunditatem, sive maris & portuum opportunitatem, sive incolas respicias, qui fortes sunt, ingeniosi, corporum lineamentis conspicui, mirifica carnis mollicie, & propter musculorum teneritudinem agilitate incredibili, à multis dotibus ita felix; ut non malè dixerit Giraldus, *Naturam hoc Zephyri regnum benigniori oculo respexisse.*

xisse. Prata ibi adeò luxuriosa, herbis non lætis modò, sed & dulcibus, ut etsi exigua diei parte pecora se impleant; &, nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Et pecorum quidem numerus tantus, ut Comitatus Letrimensis angusto illo, quo circumscribitur spatio, uno tempore *supra centum viginti millia* pecorum capita numerarit. Equi passim optimi; quos à mollissimo incessu *Hobinos* Angli vocant, ob idque delicatis expetuntur, & in Gallia Italiáque Nobilioribus fœminis dono dantur. Sed & apum tot tantáque examina; ut non solùm in alveariis, sed etiam arborum truncis, & terræ cavernis reperiantur. *P. Iovius in Hibernia.*

LII. Ex Hibernia fuerunt *Cælius Sedulius Presbyter, Columbanus, Colmannus, Aidanus, Gallus, Kilianus, Maidulphus, Brendanus,* & alii monarchi plures vitæ sanctitate & doctrina illustres. Longè tum alia *Monachismi* quanquam recentis & nuper instituti facies erat. Re ipsa cupiebant esse, quod dicebantur: nihil fucatum illis, nihil personatum placebat: simplicitatis erat, non malitiæ, minus pertinaciæ, si qua in re errabant. Opum autem & rerum seculi tantus illis contemptus, ut eas nec ambirent, oblatas etiam & hæreditarias respuerent. Præclarè enim *Columbanus*, qui à Sigeberto Francorum Rege magnifica pollicitatione, ne regno suo decederet, invitatus hoc ipsum respondebat, quod & de Thaddeo Eusobius retulit; *Non decere videlicet, ut alienas divitias amplecterentur, qui Christi nomine suas dereliquissent.* Quinetiam Anglo-Saxones prisca illa ætate in Hiberniam, tanquam ad bonarum literarum mercaturam, undique confluxerunt: unde de viris *Abbas Walafridus.*

 sanctis

ſanctis ſæpiſſimè in ſcriptoribus Anglicis legitur, *Amandatus eſt ad diſciplinam in Hiberniam:* & in Sulgeni vita, qui antè ſexcentos annos floruit;

Exemplo patrum commotus amore legendi,
ivit ad Hibernos Sophia, mirabile, claros.

LIII. *Mona* inſula *Druidum ſedes* olim, hodie tritici proventu ſic beata, ut *mater VVallia* vulgò audiat. *Menavia*, inſula ſive *The yle of Man*, *The calfe of Man*, marinis avibus, quas *Puffins*; & anatibus illis, è ligno putrefacto enatis, quas Angli *Bernacles*, *Scoti Clakes & Soland Geeſe* vocant, abundantiſſima. Ad ortum æſtivum ſi litora legantur, Inſulæ *Orcades*, nunc *Orkney*, XXX. plus minus, interfuſo Oceano diſcernuntur; ex quibus *Mainlandia* ſtannique & plumbi ferax eſt. Magis ad Arcton ſedet *Thule*, noſtris *Schetlandia*, Poëtis celebratiſſima, LXIII. gradibus ab Æquinoctiali definita. In ipſo autem mari Germanico conſpicitur Inſula *Bas:* quanta *marinorum volatilium* præſertim *anſerum* copia ſuo tempore huc advolet; ſua enim, ut ferunt, multitudine in ſerenitate ſolem adimunt: quot piſces iidem adferant; ſiquidem centum præſidiarios milites, qui hic in præſidio egerunt, non alio cibo uſos perhibent, quam recenti piſce ab hiſce delato; quantum ramuſculorum ad nidos conſtruendos convehant, ut abundè hinc incolis de materia ad ignem ſit proſpectum; quantum lucri ex horum plumis & oleo factum, adeò fidem ſuperat narratio, ut vix credat, qui non viderit. Et in Britannico *Vecta*, quæ jam Anglis *The yſle of VVight, & VVhigt*, dicitur; cujus incolæ facete gloriari ſolebant, quaſi reliquis beatiores eſſent; *quod cucul-*

latos

latos monachos, causidicos, & vulpes non habuerint. P. Iov. in Britãnia.
Carnsey (hæc nihil venenosum; & nullum bellum habet, gaudétque ex veteri Angliæ Regum privilegio induciis perpetuis: siquidem Gallis aliísque licet bellum exardescat, ultro citróque huc sine periculo venire, & commercia securè exercere licet. Smyris item lapis durissimus & asperrimus hic inter cautes reperitur: quo gemmarii lapides expurgant scindúntque, & vitiarii vitrum diffindunt.

LIV. Sunt inter omnes Europæos longè Principes ac generosissimi, in Britannia *Canes* certè canum impetus non sustinent Britannicorum canum ferocitatem ita Roma olim admirata est, *ut ferreis caveis putarit advectos:* quos etiam in Amphitheatralibus illis & aliis venationibus ad pugnas emittere solebat. Verum Britãnicorum canum summa laus in eo olim consistebat, quod & *milites* essent, priscique Galli etiam in bello eorum opera uterentur. Reperiuntur enim robustissimi, audaces, ac prodigiosæ magnitudinis; qui herum vel contra armatos hostes egregiè tuentur; cum admirabili ingenio fidéque depugnent, illísque etiam innata vis sit humanæ propè solertiæ, ut furum, sicariorum, maleficorúmque hominum vestigia indefessa indagine insequantur, & tanta pertinacia, ut nec clausæ portæ, nec objecta flumina remorari possint, usque dum fugitivos deprehenderint, vel latebris ad pœnam eruerint. Nec ambigo, quin ob singularem illam præstantiam canum, quos *magna Britannia gignit veloces, nostríque Orbis venatibus aptos*, inde factum sit, quod Scoti antè cunctas alias gentes studium

Symmac. l. 2. Ep. 77. Strab. Geograp. l. 4. Iovius in Scot. S. Maiol. de dieb. canicul. T. Demp. Ant. R. l. 2. ad c. 7. Paral. Aur. Nemesianus in Cyneg.

venandi ſemper coluerint. Namque

illa pharetratis eſt propria gloria Scotis,
cingere venatu ſaltus, ſuperare natando
flumina, ferre famem.

Buchan. in Epithal. Fr. 2. Val. Balæus de ſcriptorib. Br. Bucha. rer. Scot. l. 4. A. Tiraq. de Nobilit. Bod. de Re. l. 5. cap. 1. Comin l. 6. Th. H. l. 4. Cam. de Br. prim. inc. p. 11. Cic. Divinat. l. 2. Am. Marc. l. 2. Ovid. Met. l. 1. f. 47. Cam. in Br. Dim. p. 504. A. Ch. 1548. Th. H l. 5.

Et ante natum Aſſertorem humani generis, Anno CCLXX^{mo}, *Dornadilla Maini filius Scotorum Rex* præcepta venandi ſcriptis commiſit, & ſubditis ſuis ſervanda propoſuit: quæ leges & noſtro adhuc ævo ceu ſacræ obſervantur.

LV. Ingenia Anglorum ſunt maximè varia & mobilia: & uti illi conſilio ſuperantur à Gallis, ita quoque *ſuperſtitionis* vanitate vincunt Gallos. Tribuunt *vaticiniis* plurimum, & cum de rebus arduis tractant, in medium ſemper aliquid tale adducunt; adeóque vel Mileſiis fabulis avidam admovent aurem, & ineptiſſimis prædictionibus ſuperſtitioſa vel ſpe vel ſollicitudine ſtatim credunt. Atque ut Tages, genii filius, aruſpicinam ſuis Hetruſcis effinxit:

Indigenæ dixêre Tagen, qui primus Etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros:

ita *Merlinus* Maridunenſis, incubi filius, vaticinia, imò mera Oreſtis ſomnia ſuis Anglis tradidit; quo nomine etiamnum apud credulam plebem celeberrimus eſt. Sanè cum Galli ſuperiori ſeculo Febrium caſtellum in Scotia ab Anglis detentum caperent, inter captivos Anglos quidam ſacrificus repertus eſt, homo tanta vecordia, ut etiam contumelioſis verbis victoribus illuderet, Gallóſque in Angliam veniſſe diceret, ut vice equorum aratro terram verterent, ſervatis Anglorum in uſum belli equis, cum queis propediem in Galliam eſſent deſcenſuri, ut eam ſubjugum mitterent: id enim

enim indigenas vates suos prædixisse; quibus non minorem, quam Dei verbo fidem adhiberet. Cum ergo is Gallos præter opinionem victores cerneret, tantum mœrorem animo ex indignatione concepit, ut in terram prostratus clausis oculis, nec cibum capere, nec cœlum, quod victores Gallos videre tulisset, adspicere ad mortem usque voluerit. Quæ communis Anglorum de illis nugis fanatica opinio multum verò Religionis cultui detraxit: & non minus nationem infamavit, quàm civis ille pessimus, hæresiarcha virulentus, *Pelagius*; qui in gratiam *Dei* iniquissimus damnatos errores in Orientem, Palæstinam, Africam, Constantinopolim, Italiam, Siciliam, Gallias & Britannias, *Beda Ecc. H. Angl. l. 1. c 10. Cam. in Br. Cornav. p. 457. Prosp. Aqu.*

pestifero vomuit coluber sermone Britannus.

LVI. Fœminæ Anglicanæ cum deformes non sint, verentur, ne vel ex solis radiis nigrescant, aut ex pulvere nævum contrahant, aut ex laboribus duris occalleant; ideóque se mitellis, larvis, & galeris diligenter communiunt, & manuum candorem contra quasvis aëris tempestates perpetuo chirothecarum usu sedulo vindicant; more omnium tam communi, ut etiam rusticæ non minus familiariter istis curiositatibus studeant, quam apud nos Aulicæ & Nobiles. At viri, quales? Turpiter torpent: ut ea causa piratæ maris Mediterranei, si quos capiunt, eos tanquam ad laborem inutiles vilissimo pretio addicant. Habent mare piscosissimum: sed mera ignavia facit, ut a vicinis pisces emere cogantur. Nec diu est, cum plerique artifices & opifices in Anglia peregrini & exteri, & aurifabri Londini penè omnes fuerunt Germani: *Bodin. de Rep. l. 5. cap. 1. Meteran. H. Belg. l. 13.*

mani: Anglis interea gulæ voluptatibus (& ferunt, Anglos totius culinæ disciplinam epularúmque apparatum, cum in Gallia latè imperarent, Gallis & Belgis tradidisse) & rebus nihili, atque adeo *histrioniæ* jugiter operam dantibus; in qua sic profecerunt; ut jam apud nos Angli histriones omnium maximè delectent. Sed qui sunt isti homines? Sunt ludiones, sunt mimi; quos Impp. *viles & inhonestos* appellant; indignos, qui in honesto loco adnotentur sive collocentur; quos etiam, quia quæstus causa & propter præmium in scenam prodeunt, *famosos* esse, Pegasus & Nerva filius responderunt. Angli *ab humanitate plerunque alieni, & exterorum contemptores:* quoniam infelicem & semihominem eum putant, qui alibi quam in Britannia sit natus; cum porro longè infelicissimum, cui extra insulam in aliena terra spiritum atque ossa reliquisse contigerit.

l. 4. C. de spect. l. 11. l. 2. § f. ff. de his, qui n. in fam. Pet. Greg. Synt. iur. univ. l. 39. c. 5. & A. Gēt. de Actorib. fab. C. B. Adrian. l. 11. Th. H. l. 44. Iov. in Brit. Cæs. de bel. Gall. l. 6. Cā. de pr. Br. incol. p. 12.

LII. Sunt etiam *fastuosi & superbi*. Et ut hunc pravum adfectum prodant, publicè Nobiles Angli, more veterum Gallorum, qui plurimos circum se ambactos clientésque habebant, ingentem affectantium famulorum cohortem, longè supra vanitatem Hispanicam, secum trahunt: quos tamen, quam tractent liberaliter, communi hoc innuitur veriverbio; *Angliam fœminarum paradisum, servorum purgatorium, & equorum infernum esse:* republica gravissimum tamen inde sentiente incommodum; dum otiosi illi stipatores, qui nullam unquam quærendi victus artem didicêre, familia ejecti, ne esuriant strenuè, latrocinantur strenuè, & furantur ita ingeniosè, ut Anglia jam etiam ex ipso Nobilium ordine (*) *Baccalaureos & Magistros*

(*) *Ie pēsois, (dicit quidam) que la vertu de desrobber fust seulemēt pratiquée en Angleterre: là ou quelques Gētilshōmes,*

Magiſtros in ſcientia furandi oſtendere poſſit. Exemplum autem faſtus ad omnem memoriam deteſtabile dedit *Nicolaus Breakſpere*, in Comitatu Hertfordienſi Langleii natus; qui creatus Pontifex Romanus (*Hadrianus IV.* cognominatus) eo inſolentiæ proceſſerat, ut Imp. Fridericum Barbaroſſam objurgarit, ſupra modum incandeſcens; quod ille nomen ſuum Imperatorium in literis præpoſuerit Pontificio; & ipſius Hadriani de equo deſcendentis ſiniſtram ſtapiam tenuerit, cum dexteram tenere debuiſſet; fruſtra Friderico excuſante, nunquam ſe ſtratoris officio functum, & culpam non devotionis, ſed ſcientiæ defectui adſcribendum eſſe. Sed prætumidos hoſce ſpiritus tandem muſca intercluſit, quæ in os Papæ involans ſpiritum ejus præcluſit & excluſit. Hadriano huic non impar, quin typho fuit major, proximo ſeculo *Thomas VVolſæus*, qui vili & ſordido loco natus (quippe *Lanii filius*) ſed tanta ambitione & ſuperbia præditus, ut gravis proceribus ac Nobilitati, poſtremò Regi ipſi Henrico VIII. moleſtus fuerit. Is ad ſummam dignitatem favore Regis evectus, Vintonii Epiſcopus, Eboraci Archiepiſcopus, dein etiam in Cardinalium Collegium cooptatus, ac legatione ampliſſima ornatus, omnia regni negotia adminiſtrabat. Itaque Cæſar Carolus V. qui ſciret quantum ſua intereſſet amicitiam Anglorum cum Burgundis olim initam conſervare, ſummo ſtudio enitebatur, ut Wolſæi gratiam omni cultu & obſervantia demereretur; adeò ut etiam in literis, quas ad eum crebras nec alterius quam ſua manu ſcriptas dabat, *Filii* nomen & *Cognati* in ſubſcriptionibus apponeret.

meſme ſe paſſent Bacheliers & Maiſtres es arts en telle ſcience.

Cam. in Br. Cartiouch. p. 297. Nauc. vol. 2. gen. 39. Helmold. l. 1. Chr. Salv. cap. 81. Mornæus in H. Papatus. Camden. in App. Ann. Ang. Th. H. l. 1.

Et

Et ut vanitatem hominis magis inflammaret, ſpem dederat fore, ut Leone X. mortuo, votis Cardinalium in Pontificem eligeretur. Verum cum Leoni præter ſpem Hadrianus VI. ſuffectus fuiſſet, & præterea indignaretur Wolſæus, Archiepiſcopatum Toletanum ſibi à Carolo negatum eſſe, mox odium, quod huc uſque implacabile Cæſaris contemplatione in Gallos exercuerat, in Cæſarem vertit. Igitur de Henrici animo & ingenio certior, qui Catharinam conjugem, fœminam moribus ſanctiſſimis & Hiſpanica gravitate, ſed ſæpius abortientem, poſt XVII. annos faſtidiebat, eam occaſionem opportunam injuriosè laceſſendi Cæſaris ratus Wolſæus, Regi ſcrupulum iniicit, nuptias illas cum Catharina, quæ prius fuerat Arthuri fratris ipſius uxor, lege divina eſſe prohibitas; Deúmque in has tam injuſtas nuptias iram effudiſſe, qui prolem maſculam ſemel atque iterum ſuſceptam ſupereſſe noluerit; nec aliud quicquam expectari poſſe, quam ut funeſta illa bella nuperrimè conſopita novis cladibus reſuſcitarentur, niſi de legitimo Regni hærede certo conſtiterit, illam iccirco repudiandam, ut omnis ſcrupulus Regi ex animo tolleretur, ejuſque animæ tot annos inceſtu pollutæ, & ſimul Regni ſaluti ex certa legitimæ prolis ſucceſſione conſuleretur. Licet autem Rex hiſce Wolſæi artibus, qui ſimul quoque Franciſci Galliæ Regis ſororem Margaritam ei commendaverat, à Catharina penitus fuerit alienatus; tamen ubi reſcivit Wolſæus, Henricum non tam Galli adfinitatem appetere, quàm inſanum amorem, quo *Annam* Thomæ Boleni Equitis filiam proſequebatur, nullo rerum ſuarum & Regiæ dignitatis

dignitatis respectu explere velle, ille negotium de divortio, quod curandum susceperat, multis tergiversationibus & procrastinationibus de industria frustrabatur: quo factum, ut gratia sensim exciderit, & aliquanto post à Thoma Havarto Norfolcio comprehensus Vintoniensi Episcopatu se abdicare fuerit compulsus, móxque in aulam evocatus, ut se Regi sisteret, in itinere ex animi mœrore decesserit. Erat homo ille ingentis fortunæ suæ incantamentis ita fascinatus; ut potentiæ suæ ostentator scriberet *Ego & Rex*; ut insignia sua Cardinalitia supra Regis insignia loco statueret & præfigeret eminentiori; ut denique familiam & aulam instrueret immensis sumptibus splendidissimam, & vel Regiæ parem: in qua (quod in viro subdito fidem superat) assiduo famulitii obsequio aderant, *Comes unus, Barones novem, Equites & Armigeri multo plurimi, aliíque non pauciores quam quadringenti*; homines adeò omnes corporis animíque lineamentis commendabiles, ut etiam ex inferiori ejus famulorum ordine, Rex sexdecim simul in selectissimi satellitii sui numerum cooptaverit, cæteri verò omnes eo merito, ut à Wolsæo jam declinante monerentur, ne cuiquam infra Regiam dignitatem dignarentur famulari.

Vide Polyd. Virg. in H. Ang. G. Cavēdish. in vita Wolsæi IJ. Walke in Rege Plat.

LVIII. Quid verò nunc dicam de flagitiosis otii administris *libidinibus*? Quæ natio Anglicam in hac perversæ & aversæ Veneris palæstra exuperat? Quis nescit, jam olim Bonifacium Echeldobaldo Regi scripsisse, *gentem Anglorum spretis legalibus connubiis adulterando & luxuriando, ad instar Sodomiticæ gentis, fœdam vitam ducere.*

cap. 10. Dist. 56. B. Chover. de Publ. concub.

Quem

N. Sãder. de Schism. Anglic. l. 1. H. & Mart. de la Royne d'Escosse, imprimé à Par. A. Ch. 1589.

Quem *Henrici VIII. Regis* amores latent? Quis ignorat, illum *Annæ Bolenæ* (quæ in Galliis *la mule du Roy & haquenée d'Angleterre* antea appellabatur) patrem & maritum à multis creditum esse; notissimo insuper dicterio, Franciscum Brianum hominem dicacem, & ob facetias urbaníque leporis venustatem alioqui gratiosum, Regi quærenti, *Quale peccatum videretur, matrem primum, deinde filiam cognoscere? Tale*, respondisse, *quale Gallinam primum, deinde pullum eius gallinaceum comedere*. Quæ ut fortè sint falsa, & à *Nicolao Sandero* (cui divina justitia os illud ad rebelliones concitandas, & calumnias cum mendaciis eructandas semper apertum fame obstruxit in Hibernia) & ab aliis malevolis in odium Religionis ad infamiam Henrico, & Reginæ Elisabethæ natalibus, inurendam nequiter conficta: tamen in illa *sex coniugum* vicissitudine; quarum *secundam & quintam* securi percussit, *primam & quartam* repudiavit, *tertiam* in partu perdidit, *sextam* superstitem reliquit; quot & quantas uxorius ille Henricus insanivit insanias?

Cam. in Annal. Ang. A. Ch. 1583.

Cam. in appar. ad Annal. Angl.

LIX. Ex quo Fr. Drakus cum sociis Indicam illam plantam, quam *Tabaccam* vocant & *Nicotianã*, qua adversus cruditates ab Indis edocti usi erant, in Angliam attulerunt; illa inde usu cœpit esse creberrimo & magno pretio; dum quamplurimi graveolentem illius fumum, alii lascivientes, alii valetudini Venerea lue prostratæ consulentes, per tubulum testaceum inexplebili aviditate passim hauriunt, & mox è naribus efflant; adeò ut tabernæ Tabaccanæ non minus quam cerevisiariæ & vinariæ passim per oppida habeantur, integræ

Iac. Rex in Misocapno. Cam. in Annal. Angl. A. Ch. 1585. Is. Wake in Reg. Plato.

vix

vix sylva, magni Regis *Iacobi* judicio, Britanniæ fumivendulis suffocandis suffectura; & generosos juvenes *Tabaccophilos* reperire sit, qui in expensi codicem quotannis referre solent Tabacci pretium, *argenti uncias mille & sexcentas.* Atque fas est credere, *Anglorum corpora* (quod idem Rex salse dixit) *qui hac planta tantopere delectantur, in barbarorum naturam degenerasse: cum iisdem, quibus barbari delectentur, & sanari se posse credant.*

LX. Cum *Carolus VII.* Galliæ Rex, bonus magis quàm felix, mortuo patre laceri Regni sceptra capesseret, jam tum Henricus V. Anglus Gallicos agros, viros, & oppida latè possidebat, eoque postea Carolum perduxerat angustiarum, ut inter jocos *Biturigum Regem* ipsum (Bituriges enim tanquam arcem tutissimam, furentis fortunæ impetum in ea excepturus, elegerat Carolus) appellitare non erubesceret. Sed adversus istam Anglorum vim divina providentia supremo Galliæ bono mox excitavit duos fortissimos Equites, *Stephanum Hirum, & Potonem Xantralium*; quorum conspectus non minus jucundus Gallis debuit videri, quàm Romanis olim Castor & Pollux extitêre, ex equo pugnare visi in acie, dum A. Posthumius Dictator cum Octavio Mamilio Tusculano dimicaret. Nihil verò, si singula percurramus, æquè firmavit vacillantem Galliam, atque adventus *Ioannæ* puellæ fatidicæ, ex Lotharingia Galliæ suburbana oriundæ, nisi cœlestem civem dicere malimus; quippe cum supra humanam virtutem se se bellicis factis dictísque sapientissimis extulerit. Anglos enim obsidionem Aureliani solvere

Æmil. in Car. VII. Po. Virg. in Hëric. V. St. Forcat. de Gall. Imp. l. 7. Nic. Gill. Serres in Car. VII. Mõstreles vol. 2. Chr. in Car. VII. Cic. l. 2. de nat. Deor.

ſolvere coegit, multis prȩliis fudit, multis urbibus exuit; demum ad Compendium ab hoſtibus capta, & Rotomagnum traducta, ibi flammis exuſta eſt; ut ſcilicet quaſi aurum excoctum ſplendidiorem animam redderet Deo. Moriens illa veluti ex teſtamento Gallis reliquit proſperitatem eandem, quam vivens iiſdem ubique attulerat. Nunquam enim ex eo tempore deſierunt peſſum ire Anglorum conatus, & ſponte ſua feſtinabat ad Gallos victoria, rotæ exemplo ex clivo in præceps labentis; & quidem cum *Ioanne Talboto* Comite Salopienſe, magno Duce, omnis ſimul Anglorum poteſtas in Gallia corruit; ita ut nihil illis reliqui citra Oceanum fieret, præter Caletum & contributa illi caſtella; quæ tamen omnia poſtremo Franciſco Guiſio Duce Henricus II. Gallorum Rex expugnavit. At memoria ejectorum Anglorum etiamnum in primariis Galliæ urbibus per eſt jucunda, civibus ſemper recens, & cum odio in inſulanos illos æternum duratura. Ita *Aurelianenſes* quotannis die VIII. Maii, ſupplicationibus publicè decretis, gratulabundi civitatem obeuntes ad pontem procedunt, ibique ad *crucem* in honorem ſuæ liberatricis *Ioannæ* erectam, ubi inhibitus perhibetur irruentium Anglorum impetus, re divina peracta in urbem redeunt. Appellant κατ' ἐξοχὴν vernacule *La feſte de la ville*. Ita *Rotomagenſes* XII^mum^ Auguſti celebrant anniverſarium in memoriam exactorum cum urbe, tum tota Gallia Anglorum. Ita quoque *Rupellenſes*, quod hodie ex civium corpore Majorem Scabinóſque legant, qui urbis politiæ præſint; quod nullam peregrinorum gubernationem admittere cogantur; quod nullis

Mer. Coſm. p. 2. l. 3. cap. 22.

M. ib. c. 30.

Merula ib. c. 34. I. Sincer. in Gall. itinerario.

nullis militum præsidiis divexentur; quod arcis à suis pomœriis arcendæ jus habeant; hæc & alia amplissima privilegia consecuti sunt, cum exturbato Anglorum præsidio se Galliæ Regi Carolo V. submitterent.

LXI. At verò, quæ hodie nihil potest amplius in Gallia: quidnam domi potest Anglia? Non ita multum. Capi potest unica pugna intra viscera ejus commissa: quia caret urbibus & arcibus ad ferendas obsidiones idoneis. Sic facili negotio Britones pulsi sunt per Saxones: hi per Danos, & Normannos. Et cum bellis civilibus prin- *Bod. de*
cipes familiæ Lancastrensium & Eboracensium in- *Re.l.5.c.*
ter se exarsissent, *non amplius semestri spatio ter* *5.P.*
amissum & recuperatum regnum fuisse legimus. *Matth.in*
Quamobrem candidè & verè Anglus Historicus: *H.IV.l.*
Anglia, inquit, *exterorum habitatio, & alienigena-* *7.n.1.*
rum dominatio. Et si inter ipsos vicinos Scotos & *Malmesburiẽsis,*
Anglos instituatur collatio; quoties Angli succu- *& vide*
buerunt? quoties profligati sunt? Henricus Per- *A. Gent.*
cius, Comes Northumbriæ, & tum limitis Orien- *de un.*
talis Angliæ Præfectus, multas suorum clades fe- *regn.*
rens indignissimè, coactis amplius septem milli- *Brit.*
bus hominum in Scotiam irruit, & ultioni frenos *Buchan.*
laxaturus: sed illum rustici & pastores genere cre- *rer.Scot.*
pitaculorum, quibus cervos & pecora absterrent, *l.9.*
ingenti strepitu in proximis collibus edito ita turbaverunt, ut in toto exercitu tumultuatum, & *ad arma* clamatum sit; Anglique jumentis una cum equis amissis, & relictis impedimentis, fugien- *Holvedenus.A.*
tium modo domum redierint. Quid sub Conquæ- *Gent.de*
store contigit? Nonne repleta fuit Scotia captivis *un. regn.*
Anglicis; ut nec villula, nec domuncula illic diu *Brit.*

poterit

potuerit ſine his inveniri? Equidem ex diuturnis & cruentis bellis inter Anglos & Scotos enatum odium, tandem capitale & hæreditarium factum eſt; quod etiam nulla ſuperiorum Regum amicitia, vel cognatione, aut fœderum tabulis extingui potuit. Et Rex *Iacobus*, Princeps, nomen *magnæ Britanniæ Regis* hac maximè de cauſa aſſumpſit, ut animos invicem abalienatos communi nomine ſociaret, & ſimul Scotos demulceret; aliter torvum viſuros, ſi ille in titulis Angliam Scotiæ anteponeret. Quamvis autem interdum Angli domi foríſque victoriis potiti ſint; (neque enim eos facio omnino imbelles) tamen illis plerumque aut uſi ſunt valdè crudeliter; aut per avaritiam turbatis confuſiſque imperiis illas penitus corruperunt. Hoc quidem luculento experimento patuit in Luſitanica expeditione, qua Antonium Priorem Cratenſem Regina Eliſabetha in amiſſum Regnum reducere conabatur, claſſe in eam rem egregiè armata, in qua præter Regias quam ornatiſſimas naves, aliæ C. & XX. privatim à Britannis, qui prædæ ſpe una profecti nulla ſtipendia faciebant, fuêre inſtructæ, Iohanne Noritio terra ſummum in milites imperium, mari Franciſco Draco obtinente. Appulſis in Luſitaniam aderant præclaræ multæ feliciter rem gerendi occaſiones, ac certa ſpes potiundi Oliſſipone, jam ſuburbio, quod ad occaſum celebre vaſtúmque eſt, ſine vi, ſine certamine capto, in quo repertæ mercatorum opes, quadragies centenis ducatorum millibus æſtimatæ: at prædæ hujus tanta vis erat, ut mox fractis gloriæ ſtimulis Noritius etiam ſupplices Antonii ac toties iteratas preces atque obteſtationes

Iac. Rex l. 3. Baſ. dori.

P. Matt. in Hiſt. H. IV. l. 7. nu. 4.

A. Ch. 1589. Reid. Ann. l. 8.

adſpernatus,

aspernatus, & quibuscunque quæ ceperat locis dimissis, cum tantis divitiis in Britanniam reversus fuerit: expendendum inde relinquens, quam falso sæpè homines, qui fortunæ ac prædæ spe militiam absque stipendio sequuntur, *Voluntarij* appellentur; quos nuncupare *invitos* majori jure possis; cum soli rapinæ inhiantes, si quid insigne gerendum, neminis imperia accipiant. Antonium equidem, qui dicentem ipsi audiverant, tradidêre firmare solitum; *Quamvis in spem Paradiso potiundi veniret, nunquam Anglorum ope tentaturum.* Illud verò, quam victorias crudeliter exerceant Angli, in Nobili illa pugna, qua Gallicum Imperium ferè pessundederant, fecêre testatum: ubi, cum plures captivos haberent, quam ipsi victores essent, veriti nocturna pericula, selectis Nobilioribus cæteros trucidarunt; victoria ipsa magis cruenta, quàm ipsum prælium fuit. Et videtur alias ingenium Anglorum ad *sævitiam* occulto quodam naturæ ductu nimis propendere; ita, ut in crudelitatis exercitio etiam voluptatem consectentur. *Eduardus enim IV. Rex*, dum fratrem *Georgium Clarentiæ Ducem* post graves inimicitias in gratiam receptum, tandem tamen *in carcere dolio vini Cretici immersum* inaudito carnificinæ genere delevit; ecquid aliud, quam voluptatem in crudelitate spectavit? *Leofricus* primus Conventriæ Dominus; dum in cives commotior durissimis illos tributis oppressit, & ea nulla alia lege mitigari voluit, Godiva uxore obnixè intercedente, nisi ipsa nuda frequentissimam urbis partem obequitaret; (quod & præstitit) ecquid aliud quam ludum immanitati miscuit? *Robertus* Comes

Commet. Pii. 2. l. 6. Polyd. l. 17. A. Gent. de Iure bell. l. 2. c. 16.

Cam. in Br. Icen. p. 336.

Cam. in Br. Cornav. p. 428.

Cam. in Br. Corn. p. 453. Salopiæ, dum filios & obsides suis ipse manibus exoculavit & castravit; ecquid aliud quam sanguinis sui voluptuarium edidit munus? Et quid Angli in *Mariæ* Scotiæ Reginæ morte, post XX. annorum carcerem, venati sunt aliud? O tempora! O mores! Eone rem rediisse, ut Franciæ & Scotiæ, & ut multi addunt, Angliæ Regina, in ipsa Anglia, tam crudeliter, impiè, contumeliosè habita; ut à carnifice attrectata, securis ictibus repetitis decollata, capútque illius in sublimè elatum plebi commonstratum fuerit! O pessimè Davisione! qui licet surdaster non esses, audivisti tamen pessimè; quando condemnationis tabulas contra voluntatem & justum Dominæ tuæ prodidisti, & sententiæ executionem festinasti. O immisericors Elisabetha! quæ Mariam capitis damnavisti. Hoc factum totam tunc Europam in varios raptabat affectus & censuras; nemine non infelicitatem Mariæ deplorante; benè multis novi exempli rigorem in Elisabetha exsecrantibus: cum etiam Galli cæteris populis magis exacerbati hisce versiculis Anglos compellarent,

P. Matt. in Hist. H. IV. l. 6. nu. 1. & vide Met. H. Bel. l. 13. Cam. in An. Angl. Ann. Chr. 1587.

Anglois, vous ditez, qu'entre vous
un seul Loup vivant on ne trouve.
Non: mais vous avez une Louve,
pire, qu'un million des Loups.

Nimrodus vocatus est *robustus venator:* quod plerique Theologi interpretantur, illum fuisse præpotentem tyrannum.

G. Mor. de iure ven. p. 1. c. 2. n. 74. LXIII. Sed ubi terrarum plures unquam fuêre Nimrodi Venatores quàm in Anglia? Vbi major vivariorum multitudo? quæ jam ante secula aliquot in eum numerum excreverant, ut plura

fuerint

fuerint in una Anglia, quam in reliquo orbe Christiano universo. Ex quo insano venandi & cum feris conversandi studio quanta profluxerunt mala? Quales populi querimoniæ auditæ sunt? Sarisburiensis paucis verbis multa comprehendit: *Quod magis mirere, ait, pedicas parare avibus, laqueos texere, allicere nodis vel fistula, aut quibuscunque insidiis supplantare, ex edicto sæpè fit criminis reus; & vel proscriptione bonorum mulctatur, vel membrorum punitur salutisque dispendio, volucres cœli & pisces maris communes esse audieras: sed hæ fisci sunt; quas venatica exigit, ubicunque volant; manum continet, abstine; ne & tu in pœnam læsæ Maiestatis, venantibus cedas in prædam. à novalibus suis arcentur agricolæ, dum feræ habeant vagandi libertatem: illis ut pascua augeantur, prædia subtrahuntur agricolis; sationalia insitiva colonis; cum pascua armentariis & gregariis, tum alvearia à floralibus excludunt: ipsis quoque apibus vix naturali libertate uti permissum est.* Cam. in Br. Dobun. p. 266. in Polycratico. Cam. in Br. Atrebat. p. 210.

LXIV. Quinetiam Regum tyrannis ipsos subditos fecit tyrannos: adeóque *turbulentis Regis Stephani temporibus tot erant in Anglia tyranni, quot castellorum Domini*; singulis sibi jus pecuniæ signandæ & alia majestatis jura arrogantibus. Certè Angli ex Regibus XL. civili conspiratione *duodecim*; atque annis triginta sex, quibus bella civilia Philippi Cominæi ætate gesta sunt, Regiæ stirpis homines amplius LXXX. interfecerunt. Vnde & Maria Scotiæ Regina, cum magno animo mortis sententiam in se latam audivisset; immanitatem Anglorum perstrinxit hisce verbis: *Angli in suos Reges subinde cædibus sævierunt; ut* Cam. in Br. Belg. p. 199. Bod in M. H. c. 5. & 6. & de Rep. l. 2 c. 5 l. 4. cap. 7. Cam. in Annal. Angl. A. Ch. 1586.

 neutiquam

neutiquam novum nunc ſit, ſi etiam in me ex eorum ſanguine natam itidem ſævierint. Quid? quod etiamnum Angli ſub optimi, & clementiſſimi Regis *Iacobi* imperio, animos immanes & tortores non deponunt. Quod enim, poſt homines natos *coniuratione pulveraria* majus aut horribilius ſcelus fuit unquam ſuſceptum? quod ferinæ crudelitatis tetrius exemplum legiſtis unquam editum? Vt Populus Romanus unam cervicem haberet, Caligulæ, Principis furioſi & humani ſanguinis avidiſſimi, votum fuit; ſed votum tantum: Angli verò, non voverunt illi quidem fortaſſe, ut univerſa Anglia cervicem unam haberet, uno ictu præcidendam; ſed quod longè majus eſt, ſubtiliſſimam rationem novi Siſyphi vel Autolyci excogitarunt, qua id ipſum ferè in Anglia effectum darent, quod Romæ Caligula voluit, nec potuit. Regem enim, Reginam, Principem Henricum, cum fratre Eboracenſi Duce, item cunctos Regni proceres, cunctos Epiſcopos, cum ipſo flore cæteri ordinis Eccleſiaſtici, magiſtratus prætereà majores omnes, minores pleróſque omnes, nec non aliam populi multitudinem infinitam; uno impetu diflaſſe, & in aërem impulſos (ô crudelitatem!) membratim ac fruſtillatim diſcerpſiſſe; quid futurum erat aliud, niſi totius Angliæ caput una veluti cervice nixum amputaſſe, & reliqui corporis trunco vitam eripuiſſe? *Iohannes Grant* è conjuratis unus, jam jam ad ſupplicium ducendus, in ſuſcepto negotio adeò nihil fuiſſe delicti contenderit; ut è contrario conſideret, *generoſi incepti id eſſe meritum, quod pro ſatisfactione omnium ſuorum in omni vita peccatorum abundè ſufficeret.*

Casaub. in Ep. ad Front. Ducaũ.

Et

Et è conjuratis alius *Guido Fauxius*, cum primum à cõsiliariis examinaretur, fiduciam planè antiquã & veluti novus quidam Angliæ Mutius Scævola Romanam constantiam præ se ferebat. Nam neque sceleris aut immanitate, aut conscientia, nec gravissimi Concilii audientia, nec quæstionum numero vel assiduitate confusus deiiciebat vultum; sed potius renidens ultro ludificari, ad omnia expedite respondere, & si quid alienum, aut ineptum quæreretur subsannare; Regem nec Dominum suum, nec *Dei* unctum; ut qui esset hæreticus, agnoscere; factum non negare, verum cum Scævola dolere frustrà susceptum; *postremo Deum non detexisse, sed Diabolum*, truculenta voce testatus est.

Iacobus R. in coniur. Sulphurea & Ens An. t. 5. l. 3. de tragœd. Angl.

LXV. Franciscus Draco vaferrimus archipirata cum in portu San-Iuliani patibulum invenisset à Magellano seditiosis puniendis erectum, ibi *Iohannem Doughteium* Anglum Nobilem, virum gnavum & animosum, atque ab ipso secundum, veluti gloriæ æmulum ad mortem minus inclementer damnavit. In Angliam reversus nihil tulit impatientius, quàm *quod primarii aliquot in aula viri oblatum ab eo aurum respuerunt, quasi piratico scelere partum:* & Elisabetha Regina Draconicas illas opes, ut præsto essent, si Hispaniarum Rex peteret, sequestrando seposuit; uti & postea grandis pecunia Petro Seburæ Hispano, qui licet nulla ab institoribus mandata haberet procuratorio nomine restitutionem persequebatur, numerata fuit; quam Dominis minimè restitutam, sed in usum Hispanorum in Belgio militantium conversam fuisse serò fuit deprehensum.

Camden. in Ann. Angl. A. Ch. 1580. Th. H. 71.

LXVI. In *Dorsetia saltus cădidi cervi*, qui vernacula gentis lingua, *The forest of VVhite hart*, est celeberrimus, in quo, cum olim Rex Henricus III. venaretur, & cervo pulcherrimo parceret, quem postea *T. de la Lynde* cepit & occidit: ille in istum & asseclas decumanos irarum fluctus volvens, non solùm ab iisdem ingentem pecuniæ vim mulctæ nomine extorsit; sed & prædia, quæ tenuerunt, ad annuum vectigal fisco regio inferendum, quod *VVhite hart Sylver*, sive *candidi cervi argentum*, etiam hodie appellatur, damnavit. Portlandia, continenti Dorsetiæ adnexa, quæ sparsim licet habitata, sylvis tamen adeò est indiga, ut incolæ ad ignem alendum fimo bubulo sole exsiccato lignorum vicem supplere habeant necesse. Et quid censes? An existimas, quemquam sensibus integris, qui rupibus adamantinis *Somersetanis* pretiũ non constituit; vastissimis & patẽtissimis in media *VViltonia* campis, quos incolarum magna raritas, & latrociniorũ magna crebritas infamant, honorẽ habiturũ. In *Hantonia* ferarum lustra saltúsq; amplissimus, triginta plus minus milliaria in ambitu colligens. Gulielmus Normannus furiali venandi pruritu excæcatus, *propterea terram Deo & hominibus abstulit, feris & canum lusibus dicavit triginta sex matrices Ecclesias extirpavit, populum inde exterminavit.*

Cam. in Br. Dunotrig. p. 156.

Cam. in Br. Belg. p. 179.

New Forest.

Cam. p. 188.

Gualt. Mapæus.

LXVII. Quantumlibet Windesora regio palatio fulgeat; hoc tamen facit, ut magis feris, quàm hominibus tota provincia serviat, nemorúmque & inerrantium ferarum frequentia, villarum raritatem & hominum infrequentiam inducat. Guildfordium vicum si nominavero, an non perfidiam & immanitatem Anglicam, maximè

p. 210.

Diabolicam, simul insimulavero? Illic enim Godvvinus Cantii Comes in Alfredo Ethelredi Regis filio, & Regni Anglici hærede, demonstravit, quantum sceleratus animus instrumenta explicandæ nequitiæ nactus, attentare ausit. Nam non tantum regium juvenem, è Normannia in Angliam ad jus suum repetendum venientem, contra fidem datam Haraldo Danico in manus tradidit; à quo privatus oculis, in vincula abreptus, & ad mortem usque carcere conditus fuit: sed aulicum illius comitatum, sexcentos Normannos, intempesta nocte ex improviso oppressos, novo & ingenioso sævitiæ genere decimavit: siquidem non decimum quemque sorte ductum antiquo militiæ more interfecit, verum novem interfectis, decimum quemque dimisit, decimósque reservatos summa cum crudelitate redecimavit. *A. Ch. 1036. Cam. in Br. p. 13.*

LXVIII. In *Midlesexia* Londinum quidem excellit; sed monstro est simile, quod urbs illa totius Angliæ caput cum reliqui corporis decremento crescit adeò, ut de ea dicere liceat, quod de Constantinopoli Hieronymus, *eam nuditate omnium civitatum constructam fuisse*. Lien urbs illa est Anglici corporis: eo intumescente cætera membra contabescunt. Quare Regina Elisabetha edicto vetuit, ne qua ædificia ad habitationem intra tria millia passuum ab urbis portis de novo extruerentur, sub pæna carceris & amissionis materiæ ad ædificandum convectæ, nec plures quam singulæ familiæ singulas ædes incolerent. Quid ponderis autem Elisabethæ illud interdictum apud contumaces Anglos invenerit, Iacobus Rex postea expertus est, & multoties repetitis edictis *Cam. in Br. Trinobant. p. 312.* *Cam. in Annal. Angl. A. Ch. 1580. Th. H. l. 70.*

 ædificandi

ædificandi licentiam compeſcere, adeóque temeritatem nonnullorum, qui vim edictorum feſtivis ac ridiculis evaſionibus ad certum tempus perperam reſtringebant, in ſolenni oratione ad Ordines voce & lingua Regia ſeverè prohibere neceſſe habuit; aulicis, civibus, cauſidicis eorúmque clientibus in urbe vivere fas eſſe pronuncians, cæteris in agros ire juſſis. Neque etiam ibi ea in ædificiis elegantia, non is viarum & platearum ordo ac compoſitio, quæ in Germania noſtra communiter cernitur: & privatorum domus in eo potiſſimum à nitore deficiunt; quod quo ſurgunt altius, eo in vias ſuis ſubgrundis & protectis prominent & propendent longius, adeò ut ſæpè tecta adverſa penè coeant contigua, viaſque deformiter obſcurent.

habita in Cam. Stellata, 12 Kal. Jul. A. Chr. 1616.

LXIX. Caſearios *Eſſexios & Suffolcios* ferrem, niſi hiſce magno nimis eſſet dedecori *Edmundus Burgus*, mutua civium & Monachorum rabie, ſupra fidem ferè truculenta, & tumultibus frequentiſſimis celebratus: niſi quoque aſpergeret ignominiam Heningſtonium, ubi Balduvinus, dictus *Le Pettour*, beneficio regio *tenuit terras per ſeriantiam*, (ita enim loquitur ſcriptor antiquus) *pro quo debuit facere die Natali Domini, ſingulis annis, coram domino Rege Angliæ, unum ſaltum, unum ſuffletum, & unum bumbulum:* id eſt: debuit ſaltare, buccas cum ſonitu inflare, & ventris crepitum edere. O Regia ſervitia! O feuda Nobilia! O piam in die Chriſto Natali devotionem!

Cam. in Icenis. p. 335.

p. 337.

Hereford̃iam quanquam uberem provinciam, *montes* tamen *ambulatorii*, veluti ſpectra lemurésve inſignes ædes, nimium horribilem reddunt.

Camden. in Siluribus p. 473.

Nam,

Nam, ut ne quis putet, me antiquas fabellas recitare, anno salutis post seculum decimum quintum septuagesimo primo, XII. Kal. Martii, vesperi hora sexta, in orientali Comitatus parte, terra decessit, mónsque cum subjecta caute (ingenti mugitu primum & stridore, ut à vicinis longè exaudiretur) tanquam si ex diuturno somno consurrexisset, se extulit; & in superiorem locum, relicto cubili profundo, ascendit; secum una deferens arbores infixas, caulas & ovium greges. Arborum quædam terra obrutæ jacuerunt: aliæ monti accedendo juncta ita coaluerunt, ac si eo loco radices egissent. Quo loco discesserat, *hiatum quadraginta pedes latum, longum octoginta ulnas reliquit. Ager omnis viginti iugerum plus minus erat.* Inter eundum sacellum obvium evertit: taxum in cœmeterio sitam ab Occidente in Orientem transtulit. Eadem vi publicas vias cum caulis, sepibus, & arboribus protrusit. Ex culta pascuam, ex pascua rursus cultam effecit. Terram eminentiorem, cui obviam occurrit, provolutam & vi majori actam, in montem celsiorem tanquam aggere facto redegit. *Ita cum à vespere die Saturni usque ad meridiem diei Lunæ obambulasset*, veluti ex itinere fessus & mole sua laborans subsistit. Hoc terræmotus genus Physici, uti judico, *Brasmatiam* vocant.

Camden. in Ann. Angl. A. Ch. 1571.

LXX. Et quid Scotia extremus ille & septentrionalis mundi tractus, Naturæ privignus, inter vastis paludes, inter montium supercilia, inter ericeta spinosa, producat opimum & locuples? ubi etiam lupi non solùm in armenta maximo damno, sed etiam in homines magno periculo

adeò

adeò immaniter grassantur, ut ex Parlamentaria sanctione Vicecomites & incolæ in singulis Comitatibus ter singulis annis ad lupos & eorum catulos tollendos venatum prodire jubeantur.

LXXI. Homines etiam regionis bonitatem, quæ ferè nulla est, vixdum imitantur: alibi quidem satis humani; sed alibi, & majori ex parte, *Caledonii*, id est, duri, asperi, agrestes; alibi etiam prædones, abactores, & maximè illi, qui limitaneas Angliæ & Scotiæ valles incolunt, quorum studia & ingenia Ioannes Lesleus ipse Scotus & Episcopus Rossensis ita describit: *Noctu*, ait, *turmatim per invia loca, pérque multos mæandros è suis finibus exeunt. Interdiu in latibulis præstitutis equos viresque suas recreant, donec eo tandem per tenebras, quo volunt, perveniant. Arrepta præda similiter noctu per circuitus & devia duntaxat ad sua redeunt. Quo quisque peritior Dux per illas solitudines, anfractus, & præcipitia, media caligine & tenebris esse potest, is ut ingenio excellens maiore in honore habetur: & tanta calliditate hi valent, ut rarissimè prædam sibi eripi sinant, nisi canum odorisequorum ductu rectis semper vestigiis se se insequentium ab adversariis nonnunquam capiantur. Cæterum si capti sint, tanta eloquentia pollent, verbórumque suavissimè fluentium lenociniis, ut & iudices & simul & adversarios quantumvis severos, si non ad misericordiam, saltem in admirationem & commiserationem quoque vehementer permoveant.* At hi limitanei prædones mitium ovium titulum tueri possint præ illis *Albanensibus*, qui *Highlandmen* vulgò vocantur, genus hominum incultum, inprimis maleficum, latrociniis innatum, & ad

Camden. in Scot. p. 629.

p. 797.

vindictam

vindictam odio capitali projectissimum; quorum effera crudelitas *legem* extorsit, quâ licet, *si quis ex aliqua illorum gente damna intulerit, quicunque ex illa gente captus fuerit, aut damna resarciat, aut capite luat.* Nec tamen hi Albanenses tantùm, sed & Scoti in universum animos gerunt prorsus implacabiles; & vix est in omni Europa natio, quæ in *ultiones* feratur ardentiùs. Privatas contumelias in ipsarum familiarum injuriam vertunt: & vis inimicitiarum in hæredes quoque abit. Cædem cæde repensare decorum: incendia alternis ignibus vindicant. Nec aperto solum Marte; insidiis, fraudibus agunt. Nihil turpe aut ignobile satianti oculos inimicorum malis. Etiam quod ut plurimum regio arboribus caret, quidam putant illorum odiorum facinus esse: dum adversis facibus inimicorum silvas cremant, & privatis injuriis vastitatem patriæ faciunt. *Euphorm. in Icone Animo. cap. 4.*

LXXII. Alibi legi, *tres & quinquaginta Reges Scotiæ, aut bellica vi, aut Procerum insidiis crudeliter interemptos fuisse.* Recentia sunt facinora contra Reginam *Mariam* (iterant enim hujus memoriam perduelles Scoti) flagitiosissimè perpetrata; & quæ sunt in Europa sine exemplo. Vbi enim gentium auditum est, populum & Proceres in suum Regem vel Reginam ita sæviisse, prægnantem vi metu exagitasse, tuta loca captantem in Regia obsedisse, ad iniquas conventiones compulisse, regno exturbasse, apud cognatam Angliam, ubi auxilium quærebat, capitis ream egisse, in carcerem vicennalem misisse, securi & carnifici subjecisse, de morte triumfasse? Vbi terrarum auditum hoc est? Aut si illa sunt legitima & debita *Iov. in Scotia.* *Cam. in Annal. Angl. passim.*

subditorum

ſubditorum erga Principes obſequia; ubi à condito mundo ſubditorum major laus atque gloria, quam in Scotia? *Iacobus* verò Rex magnæ Britanniæ ſapientiſſimus; cineres & memoriam matris coram habuit; *Buchanani & Knoxii*, qui turbas Scotiæ & ſuum adfectum ſcripſerunt, libellos in ſuis Regnis morari haut paſſus. Nam ſicuti venenum inficit nullo forti antidoto munitos: ita illi incautos faſcinant lectores; imò manes illorum *Iac. Rex l.2. Baſ. dori.* ſeditionum flabellorum μετεμψυχώσει quadam in eorum corpora tranſeunt, qui talia impura ſcripta & nequam dogmata vel legendo imbibunt, vel defendendo aliis commendant, non minore ſupplicio plectendi, quam ipſimet autores, ſi à mortuis jam eſſent reſuſcitati. Et quidem *Buchananus*, homo fide promercali, partium ſtudio & Iacobi Moravii, in cujus verba fuit juratiſſimus, munificentia abreptus ita ſcripſit, *ut libri eius falſitatis* *Cam. in Annal. Angl. A. Ch. 1567. & 1584. & in deſcr. Scot. p. 713.* *damnati fuerint ab Ordinibus Regni Scotiæ; & ipſe ingemiſcens coram Rege, cui fuit pædagogus, ſubinde ſe reprehenderit, quod tam virulentum calamum in Reginam benè meritam ſtrinxiſſet, moriénſque optaverit, ut tantiſper ſupereſſet, donec maculas, quas maledicentia falſo aſperſerat, revocata veritate vel ſanguine elueret; niſi* (quod ipſe dixit) *hoc vanum eſſet*; cum præ ætate delirare videretur.

Iac. Rex in Orat. quadam. Ens An. t.5. l.3. P. Matth. in hiſt. H. IV. l.3. nu.3. LXXIII. Sed recentior adhuc eſt *Rethuenorum*, Comitum Goureæ, atrocitas; qua ſceleratiſſimum illud fratrum par, clementiſſimum Regem *Iacobum* (eheu quot periculis innocentiſſimus & optimus Rex ſubiicitur! qui non tantum poſtquam natus eſt, ſed etiam antequam naſceretur, atque in ipſo matris utero vix ullo tempore

ab

ab insidiis & sicariis fuit tutus) penè oppressit. Cum enim Rex Perthum ire ab *Alexandro* altero fratre consutis dolis persuasus esset, facta spe thesauri, quem nuper invenisset, illi exhibendi: prandio sumpto, inermis per aliquot conclavia circumductus tandem in Musæum perducitur, locum lanienæ destinatum; in quo homo pugione armatus parricidii adjuva erat solus. Ibi Alexander occlusa prius janua, pileóque in caput superbè injecto, è vestigio armato pugionem eripit, & Regis pectori admovet, ultimáque minis & factis intentat. Rex autem, qui eloquentiæ viribus & majestatis veneratione armatum illum continebat, Alexandrum tamdiu luctando sustinuit, donec quatuor ex aulæ familiaribus unus post alium intervenerunt, qui numero & armis impares licet, conjuratos tamen vel interfecerunt, vel malè multatos in fugam egerunt; Rege inde in medio suorum in genua suppliciter procumbente, Deóque pro liberatione tam miraculosa & victoria tam insperata gratias prolixè agente; & postea *Ioannem* *Ramsey*, cujus potissimum dextera vindex fuit Principis in nefanda illa conjuratione, titulo & honore *Vicecomitis Hadingtoniæ* ob fidem donatum, inter Regni Scotiæ Proceres cooptante. Ordo præterea Regni amplissimus decreto damnavit memoriam Rethuenorum, ita, ut qui ejusdem essent nominis, illud deponerent, & novum sibi adsciscerent.

Camden. in Scot. p. 687. & p. 709.

LXXIV. *Adulteriorum* licentiam & frequentiam in Scotiam induxit impius *Evenus III.* Rex Scotorum, qui non contentus *centum è Nobilitate concubinis*, ni suam spurcitiem, latis legibus, in vulgus

G. Buchan. rer. Scot. l. 4.

vulgus proderet. Tulit enim, *ut cuivis liceret pro opibus, quot alere posset, uxores ducere: ut Rex ante nuptias sponsarum Nobilium, Nobiles plebeiarum prælibarent pudicitiam: ut plebeiorum uxores cum Nobilitate communes essent.* Etsi verò *Milcolumbus*

Bucha. ibid l.7. Boeth. in Sc.hist.& Ken. Chop.de Sac. Polit.l.2.t.7.nu.4.

III. Rex Scotiæ LXXVItus, longo tempore post uxoris precibus dedisse fertur, ut primam novæ nuptæ noctem, quæ Proceribus per gradus quosdam lege Regis Eveni debebatur, sponsus dimidiata argenti marca redimere posset: quam pensionem adhuc *Marchetas mulierum* vocant: noctium tamen fures propterea non desierunt esse frequentes, & non minus postea, etiam extra Grammaticorum scholas,

mansit apud Scotos indeclinabile Cornu.

Iov.in Scot.

LXXV. *Voracitatem* eorum satis testantur immoderatæ quotidiani convictus impensæ, quibus plerique devoratis patrimoniis ad tantam rei familiaris inopiam rediguntur, ut ab obviis stipem emendicare non pudeat; quod agrum colere, aut sellulariam exercere artem honesto loco natis

Munsterus Cosm. l.2.cap.9. & 15.

(mendici enim se stirpe Regia prognatos esse dicere audebunt) indecorum arbitrentur, usque adeò, ut plerique latrociniis & furtis se se alere, nullo pœnæ metu, æquissimum putent.

LXXVI. Hiberni lupis & suis infernalibus spectris peiores, ea pollent nequitia & improbitate; ut nequitiam & improbitatem ipsas, si se conspiciendas mortalibus darent, ad duellum ipsi nequiores ac improbiores sint provocaturi, facilè victuri & triumfaturi. Non omnes quidem hujuscemodi in humanitatis accuso; cum non pauci Anglico sub Imperio rectius imbuti ad civilitatis

& ho-

& honestatis castra trāsierint: belluę tamē & bruti inhumaniq́ue illi homines longè superant; quorum maxima pars odium in Anglos alit contumacissimum & quasi inexpugnabile; adeò quidem, ut *Conus*, Coni filius, cognomento *Bacco*, id est, *Gladius*, qui patri in dignitate *O-Neal* successerat, (hæc dignitas barbaris tanti est, ut insolenti fastidio elati *Principum*, *Ducum*, *Marchionum* titulos præ nomine *O-Neal* dedignentur) suis posteris malè fuerit inprecatus, *si vel Anglicè loqui discerent, vel triticum sererent, vel ædes extruerent*; solicito timore, ne Angli his invitamentis in suos agros pellicerentur. Et quidem cum *O-Neali* non ita pridem læsæ Majestatis damnati essent ab Elisabetha Regina, *Thomas Smith* Eques auratus, & Reginæ à Secretis, Regio permissu coloniam deduxit in Comitatum Dunensem, præclaro certè ausu, at fato nimis infesto. Nam post magnas expensas filium naturalem, quem præfecerat, ex insidiis interceptum canibus objecerunt Hibernici; cujus tamen immanitatis pœnas perditissimi illi postea gravissimas persolverunt, interfecti, & lupis in prædam dati.

LXXVII. Illa hominum purgamenta, *sylvestres Hiberni*, summum bonum, & omnem felicitatis consummationem hodie collocant in otio: ditissimos se esse reputant, dum labore careant; & omnes deliciarum opes possidere se credunt, dum libertate gaudeant. Cumq́ue aliquibus in locis agrorum pinguedo negligentiam cultorum quasi increpet, & ora maritima multis sinubus & navigabilibus alveis pervia accolas ad navigationes quodammodo invitet; illos tamen in-

natæ

natæ desidiæ dulcedo ita detinet, ut ostiatim mâlint victum quærere, quàm honestis laboribus paupertatem repellere.

LXXVIII. Latrocinia apud eos nullam habent infamiam, quantumvis habeant plurimum immanitatis: & latrocinaturi preces ad *Deum* fundunt, ut præda offeratur; & prædam pro munere à *Deo* oblatam arbitrantur; neque vim, neque rapinam, neque homicidium *Deo* displicere religiosè persuasum habent. Audire est à sicariis & incendiariis; *Misericors est Dominus, & non sinet pretium sui sanguinis in me irritum.* Quin patrum vestigiis se insistere dicunt, & eam sibi vivendi rationem reliquam esse; Nobilitatis suæ autem infamiam esse, si velint ex labore manuum victitare, & à facinoribus abstinere.

LXXIX. Liberis, cum ad sacrum Baptismum accedunt, ad propria, profana etiam nomina imponunt, ut *Rufus*, *Albus*, *Niger*, *Calvus*, *Latro*, *Superbus*, *Scabiosus*; & licet contumeliarum sint impatientissimi; hæc tamen nomina non dedignantur Optimates (verius Pessimates) illi, qui ob eminentiam O literam hominibus præfixam habent. Lupos sibi adsciscunt in patrimos, quos *Chari Christ* appellant; pro eis orantes & benè precantes, & sic se ab illis lædi non verentur.

Iov. in Scot. LXXX. Omnes in præproperam Venerem effusi, nec annorum maturitatem, quæ in aliis regionibus observatur, præstolantur: in peramplis cubilibus integræ familiæ cubant, & facilè tenebris verecundiam extinguunt. Etiam matres statim post sextum à partu diem ex integro se maritali operi dedunt; & parvulos ad nutrices exponunt.

exponunt. Nobiles autem *nutrices* tot habent, quot adolescentulas famulas; quæ stupri pretium, lactandi infantulum facultatem putant; & quæ alumnos suos ad obscœnitatem & flagitiorum immanitatem omnem gnaviter erudiunt.

LXXXI. Sacrificuli sunt omnium turpissimi; qui è *Dei* domibus meretricum stabula efficiunt: horum filii, qui *Mac Decan*, *Mac Pherson*, *Mac Ospac*, id est, *filii Decani*, *Ecclesiæ Rectoris*, & *filii Episcopi* dicuntur, plerunque insignes evadunt prædones, parentum liberalitate ad seditiosorum manum conscribendam adjuti: filiæ patribus superstitibus magnis dotibus elocantur, si nubunt; patribus verò defunctis, aut mendicant, aut meretricantur. Quinetiam fama est, lacum illum *Erne*, in Comitatu Fermanaghensi celeberrimum & maximum, quippe tot insulis habitatis confertissimum; quarum nonnullæ centum, ducenta & trecenta jugera continent; tot insuper luciis, trutis, salmonibus, & aliis piscibus tam copiosum, ut piscatores nimiam frequentius piscium copiam retiúmque rupturas potius, quàm defectus conquerantur; fama, inquam, est inter accolas, hunc lacum olim fuisse agrum cultissimum, & incolis frequentissimum; sed subito propter eorum infandam cum bestiis Venerem superfusis aquis in lacum redactum. *Terram*, ait Giraldus, *tam turpium contra naturam facinorum consciam non tantùm primis, sed cunctis in posterùm habitatoribus indignam autor naturæ indicavit.*

LXXXII. Olim Episcopali sedi *Conerensi* præerat *S. Malachias*, vir suo seculo doctus & pius, & qui *de natali barbarie nihil minus traxit*,

quàm de sale marino pisces maris : sed qualis tam sancto Pastori ibi grex fuerit, hisce verbis describit S. Bernardus : *Tricesimo fermè ætatis suæ anno Malachias consecratus Episcopus introducitur Conereth. hoc enim nomen civitatis. Cum autem cœpisset pro officio suo agere, tunc intellexit homo Dei, non ad homines se, sed ad bestias destinatum. Nusquam adhuc tales expertus fuerat in quantacunque barbarie. Nusquam repererat sic protervos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem impios, ad leges barbarosos, cervicosos ad disciplinam, spurcos ad vitam. Christiani erant nomine, re pagani. Non decimas, non primitias dare, non legitima inire coniugia, non facere Confessiones: pœnitentias nec qui peteret, nec qui daret, penitus inveniri. Ministri altaris pauci admodum erant. Sed enim quid opus pluribus, ubi ipsa paucitas inter laicos propemodum otiosa vacaret? Non erat quod de suis fructificarent officiis in populo nequam. Nec enim in Ecclesiis aut prædicantis vox, aut cantantis audiebatur. Quid faceret athleta Domini? Aut cedendum turpiter, aut periculosè certandum : sed qui se Pastorem, non mercenarium, agnoscebat, elegit stare potius quàm fugere, paratus animam suam dare pro ovibus, si oportuerit. Et quanquam omnes lupi, & oves nullæ, stetit in medio luporum pastor intrepidus, omnimodo argumentosus, quomodo faceret oves de lupis.* Hæc S. Bernardus: & dubito, an mitiora, qui hodie ibi præest Episcopus, de suis sit prolaturus. Cum enim Robertus Dudleius Licestriæ Comes in fœderato Belgio summam gereret Præfecturam, hoste in propinquo ac Daventriæ imminente, offerebat Comes Magistratibus urbis, ut ex omni

E. Reidan. Annal. l. 5. A. Ch. 1586.

exercitu,

exercitu, quas civitati gratissimas putarent, centurias deligerent in præsidium. Cæterum illis obstinatè detrectantibus, cum nihil impetraret, Leicestrius mille ducentos Hibernos, inopinantibus civibus Duci in urbem jubet, præfecto Gulielmo Standlæo, Nobili Britanno. De civilitate horum præsidiariorum si quæritis, Auditores? *Homines barbari ferissimique erant, quos unquam vel uspiam vidisset Belgica. Medium corpus nudi; verenda exiguo linteo velabantur, ita ut inclinati nullam fere partem occultarent. In capiendo cibo bestiis, quàm humano generi propiores: & victus, sæpè crudæ, sæpè meræ sine pane carnes. Cultus omnisque humanitas aberat: nec Christiano in orbe, sed America educatos crederes. Nulla per sermonem commercia. Ea denique vita, ii mores, ut feros Hibernos, haud iniuria ipsi appellare Britanni consueverint. Christianorum sacra incognita illis; de Missa fando aliquid audierant, ac ceremoniis inhiabant.* Tales sunt Hiberni: quibus *Henricus Sidnejus*, cum annos plus minus XI. divisis temporibus Prorex præfuisset, navem conscensurus versiculo è Psalmis valedixit: *In exitu Israël de Ægypto, & domus Iacob è populo barbaro.*

Cam. in An. Angl. Ann. A. C. 1578.

LXXXIII. Anglia quamvis aliquantulum Septentrionalior sit, nihilominus maris beneficio, aut occulta siderum virtute, aër ibi benignus temperatúsque est, potius densus & humidus, quàm rigidus & frigidus, quod demonstrant lauri & rosmarini, qui virent floréntque feliciter, éstque res certa, quod Flandria & Brabantia plus à frigore & glacie infestentur, quàm Anglia, in qua, terra ut plurimum plana est, amœnis & fertilibus col-

liculis distincta, qui adeò placidè & paulatim assurgunt, ut eos è longinquo intuentes à planicie non distinguant. Præcipua hujus regni annona sunt frumenta, pecudes & pisces, quorum abundantia, bonitas, perfectióque tanta est, ut Franciæ non invideat, imò nec aliæ regioni vicinæ. Inter alias res, caro maximè porcorum & boum pisciúmque luciorum & ostrearum est ibi magis sapida, quàm in aliqua alia Europæ parte.

LXXXIV. Opes Angliæ consistunt in venis nunquam deficientibus stanni & plumbi: sunt in ea quoque venæ æris & ferri: habet quoque maximam abundantiam lanæ tenuissimæ. Ferè in toto Regno, præcipuè autē in Cornvvallia effoditur stannum tantæ excellentiæ, ut ipsi non multum ad qualitatem argenti deesse videatur. Lanæ habent hic suam bonitatem propter colles, quibus regnum plenum est: in iis assurgit herbula parva tenuisque, quæ nec irrigatur fontibus aut rivulis, nec stercoratur, sed ipsi hyeme aëris vapor, æstate ros sufficit; éstque ovibus adeò grata, ut ferant vellera singularis tenuitatis & molliciei. Cum insula non generet Lupos, nec aliud noxium animal, vagantur greges interdiu noctúque per colles, valles & agros, tam privatos quàm publicos sine metu aut periculo. Ex lanis texuntur panni delicatissimi, qui magno numero in Germaniam, Poloniam, Daniam, Sueciam & alias regiones evehuntur, ubi magno in precio sunt.

LXXXV. Anglia fortitudine sui situs, superat omne aliud regnum: habet enim per excellentiam duas illas proprietates, quas Aristoteles in situ civitatis requirit. Vna est, quod hostibus

accessu

accessu difficilis: altera, ut ejus exitus facilis sit ad faciendum expeditiones. Est Anglia in Mari, cujus ea est natura, ut regnum fortificet. Mare Hibernicum enim quod ei ad Occasum est, adeò depressum, & scopulis periculísque plenum est, ut magnis navibus non sit undosum. Maris Britannici (quod Angliæ ad Meridiem est) æstus, ibi cum tanto impetu fit, ut à 12. ad 15. passus altum turgeat (horrenda profectò hæc res est) & iterum tantum resideat, possúntque naves difficulter appellere, nisi vento & alluvione adjutæ, sed altero multo magis. Ora maris undiquaque aspera feróxque est, præterquam aliquot locis, quæ optimè munita sunt sicut Barvicum, Douvera, Totnes, Dorcestria, Dermont, Bleimutum, Falmut, Milfort, Brigstovia. Vnde tota insula pro uno munimento & castro censeri posset. Fortitudini situs adjunguntur arma maritima & terrestria. Quod maritimas vires attinet, Eduardus III. transmisit ad expeditionem Caletensem, Henricus VIII. ad obsidionem Boloniensem mille navigia omnis generis. Itaque insulam aggredi, cujus portus, propter munitiones ibi factas, accessu, non tantum introitu difficiles & periculosi sunt, & quæ in sua potestate tot naves habet, arduum erit, factúque haud facilè. His difficultatibus accedit, quod Angliæ populus in rebus maritimis mire dexter sit; non enim alia gens audacior, nec mari promptior est. Ipsi navibus levissimis apprimeque optimis tormentis bellicis instructi (quibus Regnum maximè abundat) intrepidè tam hyeme, quàm æstate Oceanum sulcant: negociantur in Moscovia, Cathajo, Alexandria Ægypti, Constan-
 tinopoli,

tinopoli, in Livonia, Barbaria, Guinea. Anno 1585. classe 25 navium (in qua erant 2500. milites) vela fecerunt in Indiam occidentalem, ceperúntque San. Iacobi oppidum, Fanum Dominici oppidum in Hispaniola, Cartagenam in continente, quæ portum habet commodissimum ad mercaturam inter Hispaniam & Peruviam exercendam, Civitatem S. Augustini, ligneis ædibus constructam, quæ ab Anglis injecto igne exusta fuit. Infestant continuo Terceram & Capitis viridis insulas, & Brasiliam. Duo ipsorum Capitanei, non minori audacia, quàm fortuna, circumnavigarunt totum Orbem. Est præterea in Anglia militia terrestris magni momenti propter ejus multitudinem: cum enim Regnum in 51. Comitatus partitum sit, in eorum uno, qui vulgò Lorcassier dicitur, exercitum 70. peditum millium conscribi posse putatur: Sed utcunque res se habet, in confesso est, *quod* Anglia in campos educere possit centum peditum, & 20. equitum millia. Vnicuique Comitatui præest Vicecomes, is cum opus est, delectum militum facit. In faciendo delectu, modo qui sequitur utuntur: cogunt omnes habitatores Comitatus, qui annum sextum supra decimum attigerunt, nec sexagesimum excesserunt, se sistere, ex quibus eos deligunt, quos armis magis putant egregios. In peditum numerum adscribuntur majores membrosioresque, dividitúrque peditatus in quatuor genera. Aliqui utuntur arcu & sagittis, quæ arma Anglis propria sunt. Olim enim iis sibi acquisiverunt, maximam Franciæ partem, retuleruntque victorias gloriosas, fecerunt captivum Regem Franciæ Ioannem, occuparunt Lutetiam

Parisiorum

Parisiorum, quam 16. annis tenuerunt. Romanis non tam fuerunt tremendæ sagittæ Parthorum, quàm Anglorum Francis. Alii utuntur pro armis, hastis spatho similibus; sed ferro magis solido & graviori, quibus percutiunt & ex equis extrahunt homines: hoc armorum genus satis diuturnum fuit militiæ Anglicanæ, & satis magnæ executionis. Duo alia addidit experientia usúsque temporum præsentium: unius generis sunt Sclopeta, alterius sunt Sarissæ, quæ ipsorum compositioni quam optimè conveniunt, sunt enim ut plurimum staturâ satis alti, nervosi, pleni & firmi. Pro militia equestri seligunt homines staturæ mediocris, sed benè compactos, dexteros, agilésque. Eorum equi magnarum virium non sunt, nec incursione impulsúque boni, Flandricísque aut Germanicis minimè conferendi. Præterquam enim, quod pinguedo & amœnitas terræ id non fert (boni enim equi nec terram valdè crassam, nec prorsus siccam requirunt) nec ipsi iis multum dediti sunt. Angliæ equitatus duorum generum est: aliqui equites se gravibus armis induunt & hi maxima ex parte Nobiles sunt; Alii levioribus armis utuntur, horum duo sunt genera: unum se Albanensium more armat; aliud equitibus levis armaturæ Italicis similius est, induuntur thoracibus, squamis, & tela cannabina farcitis, aut laminis & semigalea utuntur, gestántque lanceas graciles & longas.

LXXXVI. Paucæ civitates in Anglia vectigalia pendunt, & civitas Londinensis (quæ veluti centrum commerciorum Regni est) ab oneribus libera facta est Anno 1089. ob pecuniarum auxilium, Regi Ricardo I. cum in expeditionem

terræ Sanctæ proficiſceretur ſubminiſtratum. In Anglia Nobiles loca munita non poſſident, nec ædificia foſſis aut vallo clauſa, nec aliquam juriſdictionem in populum habent. Dignitates Ducum, Marchionum aliæque, nihil aliud quàm puri tituli ſunt, quos Rex eis confert, nec tamen ii, qui titulis gaudent, aliquid in locis unde titulum ſumunt, poſſident, ſed ſe aliqua penſione ex ære Regio ſuſtentant.

LXXXVII. *Regnum* Britanniæ *condidit* Henricus VII. Per conjunctionem *roſæ albæ & roſæ rubræ. Roſa alba* vocabatur domus *Eboracenſis. Roſa rubra* domus *Lancaſtrenſis.* Hæ duæ factiones & familiæ cruentis bellis pro Regno Angliæ certarunt. De quibus *Cominæus* videri poteſt. Tandem anno 1460. Domus *Eboracenſis*, ſive *Roſa alba*, domum *Lancaſtrenſem*, ſive *Roſam rubram* regno dejecit. Primus Rex ex familia Eboracenſi fuit *Eduardus IV.* qui *Henricum VI.* caput familiæ Lancaſtrenſis conjecit in carcerem, & tandem manu fratris ſui *Richardi*, Ducis Gloceſtriæ ferro trajecit. *Eduardo IV.* ſucceſſit frater *Richardus III.* Dux Gloceſtriæ, quo nullus unquam mortalium majorem tyrannidem exercuiſſe perhibetur. Contra hunc emerſit *Henricus* Dux Richmondiæ, qui tum temporis erat caput familiæ *Lancaſtrenſis*; & quia *Richardus III.* omnibus erat exoſus, hinc quamplurimi ad Henricum defecerunt. Controverſia inter familiam Eboracenſem & Lancaſtrenſem commiſſa fuit prælio, quod factum anno 1483. apud Vrbem Leceſtriam, ubi Richardus & Henricus ipſi inter ſe ſuà manu pugnarunt. Favit Deus Henrico, & in prælio

occiſus

occisus fuit *Richardus III*. à cujus etiam capite ablata corona militum acclamatione imposita fuit victori Henrico, qui imposterum vocatus fuit *Henricus VII*. Angliæ Rex. Cùm jam nemo ex masculâ progenie familiæ Eboracensis superesset, *Henricus VII*. duxit Elisabetham unicam Eduardi IV. filiam, atque ita duas factiones sive familias Lancastrensem & Eboracensem conjunxit. A quo tempore duplicata rosa, *alba & rubra*, in Regum Angliæ insignibus conspicitur, quâ denotatur conjunctio domus Eboracensis & Lancastrensis. Quapropter Angli hanc rem designant his verbis: *Henricus rosas*. Exstinctis his factionibus *Henricus VII*. totam Britanniam sub unum Imperium redigere conabatur, quod cum nullis hactenus bellis fieri potuisset, statuit conjugio inter Reges Angliæ & Reges Scotiæ hoc perficere. Igitur filiam suam *Margaretam* matrimonio conjunxit cum *Iacobo IV*. Rege Scotiæ, atque ita fundamentum posuit Monarchiæ Britannicæ: nam ex illo conjugio prognatus fuit *Iacobus V*. ex hoc *Iacobus VI*. qui exstinctâ familiâ Regiâ Angliæ in Elisabetha anno 1603. tanquam proximus hæres Rosæ albæ & rubræ factus fuit Rex Angliæ, & ita primus ab orbe condito totam Britanniam in unam Monarchiam sive corpus redegit, quod Angli designant his verbis: *Regnat Iacobus*.

LXXXVIII. Henricus VII. *se fecit* Papam *Angliæ*. Hoc est exclusâ Potestate Pontificis Rom. se constituit *caput* Ecclesiæ Anglicanæ in terris. Is primò scripserat contra Lutherum, ac propterea à Leone X. Titulum Defensoris

Ecclesiæ accepit, sed paulò post in rixa cum Clemente VII. Papâ dilapsus fuit propter divortium cum uxore sua *Catharina*, & quia Papa nolebat se accommodare ipsius voluntati, hinc omnia Monasteria & Abbatias per totam Angliam funditus destruxit, ac seipsum constituit *caput* Ecclesiæ, & novam quandam religionis formulam promulgavit, quæ ambigui sensus erat. Occidebat & comburebat omnes, quicunque ipsius auctoritati refragarentur, ut unâ die combusti vel occisi fuerint hic Romano Catholici, alibi Lutherani, alibi Anabaptistæ; adeóque incertum esset, quàm potissimùm religionem vel approbaret vel improbaret Rex, quia omnibus æquè videbatur infensus.

LXXXIX. Eduardus VI. *Religionem* Reformatam *introduxit*. Quanquam *Henricus VIII.* auctoritatem Papæ sustulisset; retenta tamen nihilominus fuit fides Ecclesiæ Romanæ; donec *Eduardus VI.* ad Regnum pervenisset. Is enim cùm esset minorěnis tutores nactus fuit religioni reformatæ addictos: Quos inter præcipuos erat *Thomas Cranmerus* Archi-Episcopus *Cantuariensis*: à quibus in Religione Reformata fuit institutus, adeò, ut per totam Angliam abolita fuerit *Missa*. Fuit enim *Eduardus VI.* sui ævi miraculum, tum propter *pietatem* erga Deum, tum propter *iustitiam* erga subditos, ac eruditionem, & omnium artium linguarúmque cognitionem admirabilem, ita quidem, ut incomparabilem Principem daturus fuisset Britanniæ, nisi mors fato propera, vel ut alii suspicantur, dolus anno ætatis 16. ipsum sustulisset.

XC. Maria *Papæ Auctoritatem* restituit. Post præmaturam mortem *Eduardi VI.* magnæ in Anglia fuerunt controversiæ de successione Regni. Quippe duæ filiæ Henrici VIII. *Maria & Elisabetha*, testamento Eduardi VI. à successione excludebantur. Ita Dux *Northumbriæ* Regnum ad suam familiam transferre conabatur, proclamatâ Reginâ *Iohanna Graja*: sed prævaluerunt mox partes Mariæ, adeóque *Iohanna* capite fuit plexa. Mox *Maria* abolitam Papæ Romani auctoritatem in Anglia restituit, *combustis & interfectis* omnibus, qui Religionem Reformatam profitebantur. Tum temporis magna illa Ecclesiæ lumina, *Thomas Cranmerus* Archi-Episcopus Cantuariensis, *Latimerus*, *Ridlaus* & alii, è vivis fuerunt sublati. Mox *Maria* duxit Philippum II. Regem Hispaniæ, qui tum temporis à Carolo V. Patre suo renunciatus fuit Rex Neapolis & Princeps Belgii. Hoc conjugium vehementer displicuit Anglis: quippe conjurationes contra nuptias Philippi cum Maria initæ, quarum consciam fuisse Elisabetham, Mariæ sororem unicam, apud Reginam jactabant Papistæ. Imprimis *Stephanus Gardinerus*, Episcopus Wintoniensis. Præcipuum crimen erat Professio *Reformatæ* Religionis. Vnde metuebant Papales, ne mortuâ *Maria* ad Regnum *Elisabetha* perveniret. Conjecta igitur fuit in carcerem durissimum, & capitis accusata. Innumeras artes excogitabant ejus adversarii, ut aliquem saltem speciosum prætextum reperirent occidendæ Elisabethæ. Inprimis eam soror urgebat: ut saltem culpam confiteretur, neque de gratia dubitaret; sed *Elisabetha* veluti rupes in

mediis

mediis fluctibus restitit, ac innocentiam suam professa; negavit: *se unquam* vel culpam *confessuram*, vel *gratiam* Reginæ in eo facto imploraturam. In hac miseria totum quinquennium transegit, singulis momentis mortem expectans. Sed intercessit ipse *Philippus II.* quanquam acerrimus persecutor Reformatorum, adeóque noluit sanguinem Regium effundi. Secuta fuit amissio urbis *Caleti*, hanc, mors Reginæ *Mariæ* contracta ex animi mœrore Anno 1558.

XCI. Elisabetha *Religionem* Reformatam *restituit*. Ita *Elisabetha* ex carcere ad Regnum; & ab ipsa morte ad vitam fuit revocata, ac inter primas Regni curas habuit, *rescindere* acta & decreta Mariæ contra Reformatos ac illos ab exilio revocare. Hæc est illa *Elisabeth*, quæ totum orbem terrarum magnitudine sui nominis implevit. quæ *Galliam & Belgium* Tyrannidi Hispanorum eripuit, ac quæ amor & deliciæ suorum subditorum fuit appellata, itaquidem; ut in hunc usque diem Angli ad felicia Elisabethæ tempora respicientes, nunquam fuisse feliciorem Angliam, quàm eâ regnante profiteantur. Erat Elisabetha ultima ex sanguine Regum Angliæ, ideóque crebris potentissimorum Regum conjugiis ambiebatur, quos ipsa diu vanâ *spe* lactavit; certa non nubere, & in illo proposito constanter per 45. annos Regni sui perseveravit. Innumeris appetita fuit insidiis Iesuitarum, sed semper Dei providentiâ evasit. Hispanorum crescenti potentiæ acriter sese opposuit, ac illorum consilia disturbavit. Inprimis memorabilis fuit profligatio Classis Hispanicæ, quæ jactantiâ appellabatur *Invincibilis*, quam Anno

1588.

1588. auxiliantibus præcipuè Hollandis & Zeelandis, pessumdedit.

XCII. Iacobus VI. *Rex* Scotiæ *fundavit Regnum* Magnæ Britanniæ. A.C. 1603. *Elisabetha* paulò suum ante obitum successorem & hæredem Angliæ declaravit proximum suum agnatum *Iacobum VI.* Regem Scotiæ, qui primus omnia Regna & insulas Britannicas in unum corpus redegit, ac ut antiqua odiorum nomina aboleret, Regnum *Angliæ & Scotiæ* in posterum antiquo & communi nomine appellari publico decreto Parlamenti jussit *Magnam Britanniam.* Mox atrox contra ipsum & totum Parlamentum inita fuit conjuratio, quæ vocatur *Pulveraria:* Quippe domum, in qua Parlamentum congregatur, pulvere pyrio stipaverant, uno ictu fulmineo *Regem* simul ac *Parlamentum* è medio sublaturi.

XCIII. Suprema *Regni administratio penes* Parlamentum *consistit. Parlamenta* Angliæ constant ex tribus membris (1) ex *Rege* vel *Protectore*, tanquam capite ac animâ. (2) ex domo *Nobilium*, qui vocantur *Loras.* (3) ex *deputatis* populi, qui vocantur *Communs.* Penes hos est suprema potestas condendi & abolendi leges. *Rex* vel *Protector* habet potestatem *probandi* vel *improbandi* decreta Nobilium & Populi: sed nulla *tributa* aut *onera* nova sine *consensu* populi imponere potest. Quamdiu inter *Parlamentum & Regem* est concordia, omnia benè habent: discordantibus atroces *tumultus* vel *bella civilia* consequuntur quemadmodum nostro tempore contigit.

XCIV. Lanificium *præcipua* Angliæ *Columna est.* Floruit inde usque ab *Eduardi III.* tempo-

temporibus, qui anno 12. sui Regni plurimis concessis privilegiis & libertatibus *Belgas* in Angliam invitavit, à quibus Angli artem pannorum laneorum texendorum didicerunt. Crevit sub *Elisabetha*, quæ iisdem artibus, multa millia Belgarum, tyrannidem Ducis *Albani* fugientium, in Angliam recepit. Hinc immensa illa copia pannorum Anglicorum per totum orbem terrarum dispersa, atque inexhaustæ illæ opes mercatorum, quibus reliquas ferè nationes superarunt. Quippe immensa *lanæ* copia ex innumeris ovium gregibus colligitur. Nam passim totâ Angliâ colles & tesqua ovibus conspersa cernuntur, quæ nullo custode toto anno liberè pascuntur. *Anglia* enim caret *lupis*, unde ovium greges absque ullo metu summâ libertate vagantur, & cùm *cælum* ibi sit molle ac temperatum, etiam mediâ *hyeme* sub divo agunt, neque unquam nisi asperrimâ, quanquam id rarum, hyeme in stabula compelluntur. Quæ autem causa sit, cur *Anglia* lupis destituatur, variè apud exteros disseritur. Nam cum in *Scotia* frequentes reperiantur, quæ Angliæ contigua est, mirum videri queat, cur non in Regionem ovium frequentissimam pabuli ergo excurrant: neque *aëris temperies* ipsis adversatur: passim enim in Magnatum vivariis lupi captivi conspiciuntur. *Historici* causam referunt in priscorum Regum industriam, qui totam luporum progeniem hâc arte extinxerint, ut si quis capitis pœnam fuisset promeritus, pro magnitudine delicti tot *lupos* occidere, & illorum *capita* ad judicem deferre teneretur. Ita tandem tot inquirentium sedulitate nulli amplius lupi reperiri potuerunt. Verùm neque

hæc

hæc cauſa ſufficere videtur: Sed unica ratio eſt multitudo *canum*, quorum tanta ferocia eſt, ut etiam cum leonibus atque urſis decertent. Quippe nulla regio totius orbis canes alit *Moloſſis* Anglicis pares. Hinc mirum non eſt, *lupos* ex regione ſibi tam inimica exceſſiſſe; ac in montana *Scotiæ*, ubi nullus à canibus erat metus, ſe recepiſſe.

XCV. *Angli* Religionibus *plurimis dediti ſunt.* Hinc illa *Sectarum* multitudo, quæ inprimis noſtro tempore in immenſum excrevit. Olim *Papæ* Rom. erant addictiſſimi: hodie ei ſunt infenſiſſimi. Præcipua Sectarum nomina & Familiæ *Proteſtantes* vel *Puritani*, Hi vel *Conformiſtæ* vel *Non-Conformiſtæ*, *Non-Conformiſtæ* vel *Brouniſtæ*, ſive *Separatiſtæ* vel *Independentes*. Atque hæ ſectæ durarunt uſque ad annum 1642. Nam tum flagrante bello civili tota religio diviſa fuit in *Epiſcopales Preſbyterianos & Independentes*. Independentes iterum fuerunt ſciſſi in quamplurimas partes; nam ut quiſque erat novarum opinionum ſtudioſus, ita ſe independentibus aggregabat, ſed potiſſimùm *Anabaptiſtæ*. Tandem pleræque Sectæ in commune nomen *Quakerorum* degenerarunt: Hi & alio nomine vocantur *Trepidantes*, ſive ſuâ linguâ *Tremblers*, & à præcipuo dogmate homines *Quintæ Monarchiæ*, propterea quod ſtatuant brevi abolendam eſſe IV. Monarchiam, & inſtituendam V. ſive Regnum *Chriſti* in terra. Idque ex *Daniele & Apocalypſi* ſibi revelatum contendunt.

XCVI. Militia *Anglorum terreſtris & maritima eſt.* Reges *Angliæ* hoc habent privilegium

vel consuetudinem, quod non, ut alii Principes, milite voluntario, & per tympanum conducto opus habeant, sed possunt subditos suos etiam *nolentes* ad bellum cogere, id quod ipsi vocant **pressen.** *Milites* Angli aliis audaciâ & strenuitate conferuntur. Sunt enim *mortis* contemptores, ac vili pretio vitam suam æstimant: sed *labores* & præsertim *inediam*, vix perferre possunt, nisi diu extero cœlo assueti. Hinc copiæ illorum in exteris regionibus antè sive intemperantiâ sive inopiâ intereunt, quam interdum hostem conspexerint. *Peditatu* quàm *Equitatu* meliores. Quamvis enim regio equorũ ferax sit, vix tamen illi bello sunt apti. Quapropter equos *militares* ex transmarinis ferè regionibus petunt, aut etiam domesticos peculiari ratione ad bellum assuefaciunt. De navali *Anglorum* potentia nullum est dubium, quippe in qua hodie post Belgas, Gallos, & Danos, cæteris gentibus sunt superiores. Hoc autem anno 1666. prælio maritimo à Belgis fæderatis profligati Imperium, quod prætendebant maritimum, amiserunt.

XCVII. *Prætendunt* Angli Dominium maris. De hac controversia extant contraria scripta *Iohannis Seldeni*, qui mare *clausum*, & *Hugonis Grotii*, qui mare *liberum* defendunt. Quæstio hodie bello disceptatur. Exitum dies docebit.

XCVIII. *Anglia* bello civili *graviter concussa*. Cujus hæc brevissima delineatio nunc sufficiat. *Controversia* erat de Regis *Prærogativa & privilegiis* populi. *Rex* VI. mẽbra Parlamẽti accusabat, & sibi tradi volebat. *Parlamentum* hoc interpretabatur violationem suorum privilegiorum.

Rex

Rex offensus tumultibus populi *Londinum* deserit. *Hulla* per *Hothamum* excluditur. Hinc mutuæ querelæ & accusationes, denique ad *arma* utrinque conclamatum. *Rex* vexillum sive Standardum erigit *Notinghamiæ*. Parlamentum *Generalem* Exercitus creat Comitem *Essexium*. Primum prælium commissum ad *Egdehillam*. In *Cornubia* deinde *Essexius* jacturam fecit. Rex *Glocestriam* obsedit à Massejo defensam. *Secundum* prælium fuit ad oppidum *Nuberiam*. *Tertium* ad urbem *Eboracum*, ubi Rex gravi prælio fuit superatus. Essexio successit *Fairfaxius*, sub quo exitiosum regiis partibus prælium ad vicum *Nasebiam*. Rex amissis omnibus in castra Scotorum se recepit. Ab his traditur Parlamento Angliæ: ab hoc in custodiam mittitur, accusatur & occiditur. *Angli* Rempublicam instituunt. Mox illam in *Protectoratum* mutant. Tandem & hujus pertæsi, *Regem* revocant: *Episcopos* restituunt; bellum *infelix* & *temerarium* contra *Belgas*, *Gallos*, *Danos*, movent, ingentibus præliis profligantur.

XCIX. Cùm *Romani* sub *Valentiniano III.* Imperatore A. 430. Britanniam deseruissent, Rex Britanniæ *Vortigernus* à Scotis & Pictis afflictus *Anglo-Saxones* ex Germania contra eos evocavit. Illi ducibus *Hengisto & Horso* eò delati, pulsis *Scotis* partem Insulæ obtinuerunt, ejúsque amœnitate capti, evocatis ex Germania majoribus copiis arma in *Britannos* verterunt, illísque totâ ferè Insulâ pulsis, & deletis, *Septem* regna Anglo-Saxonica constituerunt, *Cantium*, *Sussexiam*, *Vestsexiam*, *Merciam*, *Essexiam*, *East-Angliam* &

Northumbriam, quæ tandem A. 800. ab *Egberto* Veſtſaxonum Rege omnia in unum Angliæ corpus redacta ſunt. Paulò pòſt *Dani* excurſionibus ſuis Angliam infeſtarunt, tandémque A. 1017. eorum Rex *Canutus* tota Anglia potitus fuit. Poſt quem *Haraldus* & *Hardicanutus* regnarunt. Donec Angli inſolentiæ Danorum pertæſi, clandeſtina conſpiratione univerſos unâ die trucidarunt. Ita extinctum fuit Danorum in Anglia Imperium, ac legitimo hæredi *Eduardo* Confeſſori reſtitutum. Anno 1065. Eo defuncto abſque prole, *Haraldus* Danus Regnum per vim obtinuit. Sed intra annum à *VVilhelmo* Normandiæ Duce victus, ac in prælio occiſus fuit. Sic Anglia in poteſtatem Normannorum pervenit A. 1066. *VVilhelmus* ob expugnatam Angliam dictus *Conquæſtor*, cum uno prælio ſexaginta Anglorum millia interfeciſſet, novam Imperii rationem, Leges & Linguam Normannorum introduxit: Vnde hodiéque Lingua Anglica plus quàm dimidia ſui parte *Normandica & Gallica* eſt. Wilhelmo ſucceſſit Ann. 1094. filius *VVilhelmus II.* Rufus, qui caſu in venatione telo transfixus fuit. Poſt quem Ann. 1101. *Henricus I.* Roberto fratre capto Normandiam Angl. Regno ſubjecit. Poſt eum civilia per Angl. pro Regno bella inter *Stephanum* Comitem Bleſenſem & *Mathildim* Henrici I. filiam: Quæ tandem compoſita ſunt adoptione *Henrici II.* Mathildis filii. Sub hoc *Henrico II.* primordia belli inter Anglos & Gallos diuturni exarſerunt. Idem *Hiberniam* expugnavit, ejúſque Dominus factus eſt Ann. 1172. Succeſſorem habuit *Richardum I.* cognomine *Cor Leonis*, Hujus

Richardi

Richardi maximæ fuerunt res, quas in Terra Sancta contra Saracenos gessit. Sed in reditu à *Leopoldo* Duce Austriæ, cum quo inimicitias gerebat, captus, vix ingenti pecuniâ libertatem recuperavit, ac tandem in Pictonibus dum Castellum oppugnat, sagitta percussus interiit, Successore relicto fratre *Iohanne*, qui omnium Angl. Regum infelicissimus fuit, à Papa & Baronibus suis miserè exagitatus, tandémque veneno per Monachum interemptus. An. 1217. *Henricus III.* suâ socordiâ civili bello occasionem præbuit, quod simillimum fuit illi, cujus exemplum nostra ætas inter Regem & Parlamentum vidit. Post eum *tres* Ordine *Eduardi*, quorum primus Scotis ingenti prælio profligatis tota ferè Scotia potitus fuit. *Secundus* maximis cladibus à *Roberto* Brussio Scotorum Rege affectus, omnia iterum amisit. Hic *Eduardus II.* propter malam & infelicem Regni administrationem, ab uxore *Isabella & Eduardo* filio captus, & regno spoliatus, tragicum vitæ exitum habuit. Incredibile dictu! quantas ille in carcere miserias pertulerit: Nihil tamen sibi molestius fuisse dicebat, quam fœtorem cadaverum humanorum, quo ipsum hostes enecare conabantur. Tandem noctu à Sicariis quibusdam, adacto per inferiora candente ferro, ne ullum externæ mortis indicium esset, immaniter necatus fuit, & auditi toto passim castello horrendi morientis clamores & boatus. Et tantarum calamitatum alia causa non fuit, nisi quod nimium addictus esset cuidam *Petro Gavestono* ejúsque amicitiam præferret desideriis populi sui; Filium & successorem habuit *Eduardum III.* omnium Angliæ Regum

maximum & invictissimum. Hic est ille, qui *Philippo Valesio* de successione in Regnum Gall. controversiam & bellum movit, eum maximis ad *Slusam* Flandriæ, & *Cresciacum* præliis vicit, ipsumque Regem Gall. *Iohannem* in prælio cepit, de quibus suprà. Sed quam felix bello Eduardus, tam infelix successor *Richardus II.* fuit. Hic nihil perterritus lamentabili morte *Eduardi II.* eadem planè negligentia Rempubl. administravit, & dum adulatoribus quibusdam, ex quibus præcipui erant *Spenseri*, patulas aures indulget, odium populi incurrit, & ab omnibus desertus, Regno spoliatur, ac in carcerem coniicitur, in quo *fame* necatus. Quippe cibus ipsi apponebatur, sed eum tangere aut gustare non licuit. Ita *Tantali* instar miserè tortus & fame excarnificatus fuit. Alii referunt, *securi* percussum fuisse. Filius erat *Eduardi* Nigri Principis Valliæ, illius, qui in prælio Pictaviensi *Iohannem* Regem Franciæ ceperat, & ut patrem habuerat summæ virtutis ac fortitudinis, ita ipso nihil ignavius & infelicius. *Richardo II.* necato, Regnum Angliæ pervenit ad familiam Ducum *Lancastriæ*. Ex quâ primus regnavit *Henricus IV.* Ei successit *Henricus V.* qui totam ferè Gall. expugnavit, & ducta Catharinâ Caroli VI. filia hæres Regni Gall. declaratus fuit, tanto successu, ut *Henricus VI.* filius ejus Lutetiæ in summo templo Francorum Rex coronaretur. Sed hic, ut optimus Princeps, sic bello infelicissimus fuit, omnibúsque bonis spoliatus ab *Eduardo* Duce Eboracensi captus, & in carcere necatus fuit. Igitur. Ann. 1460. familia Ducum *Eboracensium* ad Regnum pervenit, ex qua regnavit *Eduardus IV.*

Hinc

Hinc ingens civile bellum inter duas has familias *Lancastrensem & Eboracensem.* Eduardus IV. ab æmulis suis Regno pulsus in *Hollandiam* fugit, tam pauper, ut non haberet, unde mercedem solveret nautæ: Sed paulò pòst adjutus à *Carolo* Burgundiæ Duce regnum recuperavit. Fratrem suum *Georgium* Clarentiæ Ducem in dolio Malvatici vini suffocavit. Filium reliquerat *Eduardum V.* sub tutela fratris sui *Richardi* Ducis Glocestriæ: Sed is oblitus omnis pietatis & fidei pupillum suum nefariè & crudeliter interficit, seque miris fraudibus Regem constituit, An. 1482. Hic Richardus III. omnium Tyrannorum immanissimus, Regni sui anno tertio ab *Henrico* Duce Richmontiæ apud *Lecestriam* occisus, ejúsque cadaver sanguine & luto deforme vili sepultura conditum fuit. In An. 1484. *Henricus VII.* omnium Angl. Regum Sapientissimus Regnum obtinuit, ac ferales *Eboracensis & Lancastrensis* familiæ inimicitias perpetuâ pace extinxit. Idem *unionis* Angl. ac Scotiæ fundamenta posuit. Sub eo famosi aliquot impostores, qui se pro *Eduardi IV.* sobole gerebant, emersere, regnúmque miris modis perturbarunt: Inter quos famosissimus fuit quidam *Perking VVarbeck.* Anno 1509. Henrico VII. successit filius *Henricus VIII.* Rex magnanimus, sed inconstans ac mulierosus. Hic uxorem suam *Catharinam* repudiavit: Quod factum cum Pontifex Romanus probare nollet, jugum ejus excussit, & omnia per totam Angl. *Monasteria* diruit, suasu imprimis *Thomæ Cromvvelli,* quem ex fabri ferrarii filio Comitem *Essexiæ* creaverat. Idem tres uxores suas capite plecti jussit. Cúmque

ante defectionem à Papa contra Lutherum scripsisset: *Defensoris fidei* accepit titulum. Filium reliquit *Eduard. VI.* incomparabilis pietatis & ingenii puerum, sub quo Anglia Reformat. Religionem accepit. Sed is maximæ spei Rex anno ætatis decimò sexto obiit, veneno, ut putatur, sublatus. Post eum regnavit An. 1553. *Maria*, quæ Papæ autoritatem in Anglia restituit, & ducto *Philippo II.* Hispan. Rege, urbem *Caletum* amisit. Sic Angli omni Imperio transmarino exciderunt. An. 1560. Ejus soror fuit *Elisabetha*, quæ omnes Angl. Reges rerum gestarum magnitudine superavit: Cujus præcipua opera fuere *Reformatæ* religionis, ejecto *Papatu*, instauratio: *Belgarum* contra *Philippum II.* Regem Hispan. defensio: *Classis* Hispan. profligatio An. 1588. Ejusdem jussu *Maria* Scotorum Regina capite plexa fuit, cujus tamen filium *Iacobum VI.* Scotiæ Regem, quod ipsa improlis decederet, hæredem instituit. Sic extincta familiâ Regum Angl. *Anglia*, *Scotia & Hibernia* sub unius Regis Imper. concesserunt, de qua conjunctione, antequam agamus, præmittenda sunt quædam memorabilia ex historia Scotor. & Hibern.

C. *Scoti* primò suas sedes in *Hibernia* habuêre: ex ea trajecere in eam Septentrionalis Britanniæ partem, quæ hodiéque *Scotia* dicitur. Primus ipsorum Rex *Fergusius* appellatur, Alexandro Magno coætaneus, à quo ad Carolum II. infelicem Regem hodiernum *centum sexaginta quatuor* Reges numerantur; sed illa antiqua meritò fabularum suspecta habentur. In Britanniam delati Scoti *Pictos* penitus delevere circa An. 900. Anno verò 800. *Athaus* Rex Scotor. fœdus cum *Carolo*

Magno

Magno perpetuum iniviit, quod inter ipſos & Francorum Reges multis ſeculis continuatum, noſtra memoria abruptum fuit. Anno 1285. *Alexander III.* Rex Scotorum ſine prole obiit, ex quo maximæ contentiones propter ſucceſſionem ortæ ſunt. Duo autem prætendebant jus in Regnum, *Iohannes Balcolus & Robertus Bruſſius.* His inter ſe litigantibus, *Eduardus I.* Rex Angliæ, Scotiam ferè totam expugnavit, deliteſcente interea in ſylvis & ſpeluncis Roberto, qui poſt mortem Eduardi, ſucceſſore ejus Eduardo II. duobus maximis præliis victo, Anglos totâ Scotiâ ejecit, ac ſucceſſorem reliquit filium *Davidem.* Quo abſque prole defuncto familia *Stuardi* ad Regnum pervenit An. 1320. Ex hac ſex Ordine *Iacobi* regnavere, quoque violenta morte extincti, imprimis infelix fuit Iacobus II. *Iacobi V.* filia fuit *Maria* illa ſeculi ſui furia: Quæ cum Scotiam cæde & ſanguine repleviſſet, ac maritum ſuum *Henricum Stuardum* noctu per Sicarios ſtrangulari curaſſet everſa domo pulvere pyrio, ut caſui vel hoſtium inſidiis ea cædes imputaretur: tandem in Anglia & ipſa juſſu Eliſabethæ decollata fuit relicto filio *Iacobo VI.* Scotorum Rege.

CI. Hibernia olim in *quatuor* Regna diviſa fuit. Sic tamen, ut ſemper penes unum aliquem ex his Monarchia eſſet. Vltimus Hiberniæ Monarcha fuit *Rodericus*, qui cum reliquos Regulos duriùs tractaret, ipſi Anglos auxilio evocavere: quorum Rex *Henricus II.* Hiberniam expugnavit An. 1172.

CII. Anno 1603. Cum *Eliſabetha* abſque prole obiiſſet, *Iacobus VI.* Scotiæ Rex; ei tan-

quam proximus agnatus, in *Anglia* quoque successit, omniúmque Insularum Britannicarum primus *Monarcha* factus est, ac se Regem magnæ *Britanniæ*, *Franciæ* & *Hiberniæ* appellari voluit. Initio Monarchiæ suæ conjurationem pulverariam feliciter evasit, ac toto Imperii sui tempore paci deditus, à bellis in totum abstinuit, unde pro ignavo habitus & contemptus fuit: imprimis tamen naso adunco eum suspendit *Gondomarus* Regis Hispaniæ Legatus, qui ipsi, quodcunque vellet, facilè persuasit. Veneno necatus putatur, & suspectus ob ipsius mortem fuit Dux *Buckinghamiæ*. Hujus filius & successor fuit *Carolus I.* Regum omnium *infelicissimus*, qui cum initio Regni negligentior fuisset, ac Parlamenta sua vilipenderet, próque Episcopis extollendis nihil non ageret, populo suo exosus, primò à Scotis, deinde ab Hibernis, denique ab Anglis, bello petitus, victus, captus, venditus, tandémque capite plexus fuit, relicto successore & infortuniorum Regnorúmque hærede *Carolo II.* Ita *Stuardorum* domus longa successione perpetua infelicitatis & tragœdiarum exempla suppeditavit.

CIII. *Scoti* sunt duorum generum *Montani*, qui *Higlanders* dicuntur, & linguâ ac moribus ferè Hibernorum vivunt & *Campestres*, qui Provincias australes incolunt. Linguâ & moribus haud multum Anglis dissimiles. In *bellum* aut ad *venationes* prodeuntes in sacciperio aliquid farinæ avenaceæ secum ferunt, ubi ad rivum devenere, facta exinde massa crudum comedunt, atque ita famem suam per multos dies tolerant. Ingenio subtili, atque omnium artium capaci, sed factioso

factioso atque in seditiones prono. Fides eorum commendatur, atque hinc inter custodes Regum Franciæ primum olim locum tenuere. Nobilitatem supra omnes gentes jactant, adeò, ut etiam mendici plerumque dicant, sese *Regio* sanguine prognatos esse.

CIV. *Anglia* Meridionalis *Britanniæ* pars, complectitur Regnum *Angliæ*, quod terrarum amplitudine *Scotiam* vel æquat, vel etiam *superat*. *Aër* suavis, sed admodum *humidus*, *pluviis & ventis* frequenter obnoxius, *salubris* tamen, ut rari morbi grassentur, nisi quod plerunque intra quadriennium *Pestilentia* magnam stragem faciat. Regio ad miraculum *fertilis*, ovium præcipuè innumerabilis copia, hinc *lana* toto orbe præstantissima, ex quâ panni omnium optimi conficiuntur, neque alia mercatura majores in Angliam opes intulit. Adeò, ut legibus gentis capitale sit, unam *ovem* aut *lanam* ex Insula absportare. *Hispani* cum ante seculum, & quod excurrit, indulto *Henrici VII.* aliquot paria ovium transportassent in *Andalusiam*, ingentes exinde divitias conquisiverunt. Auget gregum copiam, quod nulli totâ Angliâ *lupi* reperiuntur, non certè, quod Regio illos non ferat, (ut vulgò existimatur) sed quia *Molossorum* cura hæc fuit, ut propositis præmiis, undique conquirerentur, ita totum genus defecit. *Cygnorum* innumerabilis copia, neque alia Regio tantam *cornicum* multitudinem profert, quæ ingentia satis & arboribus damna inferunt. *Ranas* non fert.

CV. Anglis gravis ut plurimum animus, se & suæ gentis mores eximiè mirantur, Bello aptis-

sima

ſima gens, & ſi tam benè incommoda perferre poſſent, vix alius miles Anglis præferendus foret, contemptores vitæ & periculorum. Latrocinio multùm dediti, & ad *furta* propenſi. Vulgus animo *irritabili*, atque hinc peregrinis *ferociores* eſſe videntur. Cæterùm *Nobiles* atque *Cives* honeſti aliarum gentium humanitatem æquant, *hoſpitales* atque *benefici*; Quod, ſi quis peregrinorum flagitium admittat, quanquam illud fortè capitale fuerit, non aliam ferè pœnam ipſi irrogant, niſi quod *Inſula* excedere jubent. *Religionibus* nulla gens adeò exagitatur, in quibus nihil *mediocre* poſſunt. Suas pro *Oraculis* opiniones habent, & illas ſummâ *pertinaciâ* defendunt. Hinc una ſæpè *familia* in complures diviſa *ſectas*, multum inter ſe doctrinâ moribúſque diverſas. Quæ *infamia* ab aliquot retro annis in immenſum crevit, adeò, ut Sectarum numerus, vix numerari queat, quæ omnes uno nomine, *Independentes* appellantur.

CVI. *Regna Pictorum & Scotorum incertæ originis ſunt.* Quæ enim vulgò traduntur de adventu Pictorum & Scotorum ex Scythia vel Hiſpania, incerta planè ſunt & fabuloſa. Camdenus demonſtravit Pictos eſſe veros ac genuinos Britannos, quia nim. Brit lingua Cambrica ſignificat hominem picturatum, quos Romani appellarunt Pictos vel Pictones. Scoti haud dubiè originem traxerunt ab Hybernia, quorum mores ac linguam hodiéque referunt Sylveſtres ſeu Montani Scoti. Inter Pictos ergo ac Scotos diuturna fuerunt bella, quorum quidem ultimum ex leviſſima cauſa ortum fuit, quod nim. Picti Scotis

tis canem eripuissent. Hoc bello Picti à Scotis deleti fuerunt, eorúmque & nomen & Regnum in Britannia extinctum circa A. C. 839. à quo tempore universa Britannia Septentrionalis appellata fuit Scotia, illique accessit magna Northumbrici Regni pars una cum metropoli Edimburgo, prolatis Scotiæ finibus usque ad flumina Tuedam & Solvejam.

CVII. *Inter Scotos & Gallos antiquissimum ac perpetuum fœdus est.* Quod cœpit circa A. C. 500. sub *Carolo* M. Francorum & Achajo Scotorum Regibus. Occasio fuere perpetuæ inter Scotos, Anglos, ac Francos inimicitiæ. Et hoc fœdus in hunc diem continuatur, neque unquam ruptum fuit, nisi circa An. C. 1570. sub Regina *Maria*, quæ cum esset ex domo Guisia ac tyrannidem in Scotia affectaret, Gallorum auxilia evocavit, quos Angli paulò pòst iterum ejecerunt.

CVIII. *Extincta priscorum Regum familia magnæ in Scotia de successione contentiones exortæ sunt.* A.C. 1285. mortuo sine prole *Alexand. III.* Scotorum Rege, duo inprimis prætendebant jus, *Ioh. Baleolus*, & *Robertus Brussius*, quorum *Iohannes* Anglorum, *Robertus*, Scotorum favore nitebatur. Cúmque *Ioh. Baleolus* clandestinis pactis se & Regnum Scotiæ summisisset *Eduardo I.* Anglorum Regi, qui electus fuerat inter dissidentes partes arbiter, pronunciavit is pro *Iohanne* eumque ad Regnum suis viribus promovit. Sed cum conditiones quasdam promiserat implere nolentibus Scotis neque posset neque vellet, ab Anglis captus atque abductus fuit & tota Scotia in Anglorum

glorum poteſtatem pervenit, fuitque aliquandiu per delegatos quoſdam, qui regnantes dicti tanquam provincia gubernata. Interea *Robertus* in montibus ac ſpeluncis latitabat, ex quibus tandem progreſſus exigua manu & incredibili felicitate ac fortitudine Anglos tota Scotia ejecit, fuitque coronatus Rex Scotorum An. 1305. Ei ſucceſſit filius *David*, qui totam ferè ætatem vel in exilio Gallico, vel in carcere Anglico tranſegit.

CIX. *Tandem Regnum pervenit ad familiam Stuartorum.* Primus ex illa Rex electus fuit An. 1370. *Robertus Stuart*, cujus poſteritas hodiéque ſupereſt. Obſervandum omnes ejus familiæ Reges violenta morte periiſſe, de quo videatur libellus nuper editus *Rampſaligheden van'thuyß Stuardt*.

CX. *Regnum Scotiæ neque opibus neque potentia cum Regno Angliæ comparandum eſt.* Cauſa duplex: 1. ſterilitas. Nam Scotia ſuos incolas omnes non poteſt alere: unde in varias orbis partes emigrare coguntur, præſertim verò in Poloniam, quæ appellatur mater Scotorum, & in qua 10000. & amplius ejus nationis habitant. 2. Barbaries. Maxima enim Scotiæ pars inculta & barbara eſt maximè verſus Occidentem & Septentrionem: cujus incolæ appellantur homines altæ terræ ſeu Sylveſtres Scoti. Duriſſima gens & pugnaciſſima: ſed ad ſeculi noſtri cultum atque humanitatem multo minus ad opes parandas adduci non poſſunt, contenti cibis quos natura producit, aqua & avena.

CXI. *Britannia Meridionalis complectebatur Regna Anglo-Saxonum & Cambrorum ſeu VVallorum.*

VVallorum. Causa hujus divisionis fuit evocatio Saxonum: impulsiva quotidianæ Scotorum & Pictorum invasiones: adjuvantes, Britannorum vitia & Saxonum pugnacitas. Nam eo tempore, quo barbari Romanum Imperium occupabant, evocatæ ex Britannia fuerunt legiones Romanorum, quibus abductis Scoti & Picti omnem Britanniam ferro & igne divastare cœperunt: Cúmque nihil virium esset ipsis amplius resistendi, Vortigernus Rex eorum missis in Germaniam legatis Saxones, quorum illo ævo summa potentia erat, in Britanniam contra Scotos & Pictos evocavit, qui repulsis hostibus cum cognovissent & insulæ fertilitatem & Britannorum vidissent infirmitatem, consilium ceperunt occupandæ Britanniæ. Igitur evocatis suorum pluribus ex amicis hostes facti intra paucos annos universam Britanniam exceptis tantùm locis montosis & inaccessis expugnarunt.

CXI. *Anglo-Saxones septem Regna constituerunt.* Primum fuit Regnum Cantii, fundatum An. 449. ab Hengisto: secundum Suthsexiæ fundatum anno 488. ab Ella. Tertium West-Saxonum fundatum anno 519. à Cerdicio: Quartum East-Saxonum fundatum An. 547. ab Ida, quod subdivisum in Regnum Deitæ, & Berviciæ, quorum illud denominatum fuit ab urbe Deira, quam hodie appellant Durham, alterum ab urbe Bervvica: ex quo patet vitiosè illud Regnum à plerisque Historicorum appellari Berniciam, cum omnino dicendum sit Bervvicia: quemadmodum perpetuo appellat *Ioh.* Major in historia Scotorum. Quintum Nordanhumbriæ. Sextum fuit Regnum

Regnum East-Anglorum fundatum An. 575. ab Vffa. Septimum Regnum Merciorum fundatum An. 656. à Penda.

CXII. *In hac Heptarchia semper penes unum aliquem Monarchia fuit.* Nam venerabilis Beda testatur hos 7. Saxonum Reges semper aliquem habuisse, cujus Majestatem velut supremi Domini comiter agnoscerent. Fuitque illa Monarchia ambulatoria, & modo penes hanc, modo penes aliam gentem, non successione, sed armis ac potentia quærenda.

CXIII. *Hæc septem Regna Saxonum tandem in unum coaluerunt.* A. C. 800. sub Rege West-Saxonum *Egberto*, qui primus factus fuit perpetuus Monarcha septem Regnorum, ac abrogato Saxonum nomine universam gentem appellari voluit Anglos & Regnum Angliam.

CXIV. *Gubernatio semper fuit per Parlamenta.* Omissis illis quæ ex *Ioh. Cæsare* adferri possunt pro Comitiis, Conciliis seu Parlamentis Britannorum, certissimum est Anglo-Saxones Antiquos non imperasse nisi cum consilio & consensu populi sui, quod probatur 1. in genere, quia fuerunt origine Germani, de quorum antiquo & naturali imperio Tacitus præclarè in Germania cap. 11. Verba sunt: De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque quorum penes populum arbitrium est, apud Principes tractentur. Illud ex libertate vitium, quod non una nec jussi conveniant, sed & alter & tertius dies cunctatione coëuntium absumitur. Vt turbæ placuit, considunt armati. Mox Rex vel Princeps prout ætas cuique,

cuique, prout Nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur auctoritate suadendi magis quàm jubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt. Licet apud concilium accusare quoque & discrimen capitis intendere. Hæc Tacitus de antiquorum Germanorum Regnis: inter cujus ætatem & initia Regni Anglo-Saxonum vix 300. anni intercedunt, ac cum Saxones usque ad A. C. 800. obtinuerint illum morem, quem Tacitus suo tempore apud eos fuisse scribit, quis dubitet, quin in Britannia quoque eundem retinuerint? Huc accedit alter locus illustris apud eundem authorem, 13. Annal. 54. Verritus & Malorix nationem Frisiorum regebant, in quantum Germani regnantur. A Frisiis autem originem quoque suam trahere Anglos Vbbo Emmius fusè ostendit. In specie. 1. quia Saxones non nisi communi consensu in Britanniam evocati teste Gilda Sapiente & Nennio, qui eo tempore vixerunt. Verba sunt: Initum est consilium, quid agendum, placuítque omnibus cum suo Rege Vortigerno, ut Saxonum gentem in auxilium vocaret. 2. quia tempore Alfredi Regis Saxonum leges conditæ fuerunt à communi Concilio Episcoporum & Senatorum: & Beda testatur multis in locis in Concilio publico servasse Reges, Sacerdotes privatos (per quos intelligitur totus populus) & Optimates suum quemque ordinem. Sic Ethelbertus, Rex Cantii Cantuariæ cum Optimatibus convocato ibidem communi concilio tam Cleri quàm populi deliberavit de negociis Regni. Sic de Ina Rege West-Saxonum legitur, quod per

com-

commune concilium, & consensum & Principum & Comitum, & Sapientum Seniorum & populorum totius Regni gubernarit. Ita *Egbertus* primus Monarcha omnium Anglorum coram Pontificibus & Proceribus Majoribus totius Angliæ Londini consilium cepit contra Danicos Piratas. Et in hanc rem occurrunt innumera loca apud antiquos historicos rerum Anglicarum. Sed nullum clarius argumentum, quàm in Rege Alfredo, ut jam dictum, & cujus tempore conquesti fuerunt Angli de raris Parlamentis, quæ tamen debebant singulis annis bis celebrari Londini. Et hæc priorum Regum acta omnia confirmata fuerunt ab Edoardo Confessore in suis legibus, quæ in hunc vsque diem pro fundamentalibus apud Anglos habitæ fuere. Agnoverunt ergo prisci Anglo-Saxonum Reges supra se aliquem majorem nim. Regnum suum, & tam strictè *obligati* fuerunt subditis suis per juramentum, ut in legibus Sancti *Edoardi* cap. 17. quod est de Officio Regis, dicatur expresse, quod nisi fecerit, nec nomen Regis in eo constabit. Ita Rex primo præstabat juramentum Regno, & deinde Archi-Episcopus conversus ad populum quærebat, AN consentire vellent. Et si consentirent, tunc & ipsi præstabant Regi homagium. Hinc antiqui Saxonum ICti illum Canonem, Rex non habet parem, ita limitant, nimirum, in justitia exhibenda, sed in justitia suscipienda eum dicunt esse minimum de Regno suo. Et ita speculum Saxonicum, quod conscriptum fuit ante adventum Normannorum, dicit, De factis Regum non debent nec possunt Iustitiarii nec privatæ

personæ disputare. Veruntamen Rex in populo regendo superiores habet, qui debent ei frenum ponere.

CXV. *Regna Saxonum fuerunt plerumque electiva.* Probatur 1. Ex illa formula; An populus consentire vellet. 2. Quia multi Reges magna instantia petierunt à Parlamento, ut eorum liberi succederent in Regno. At verò hæredes secundùm jus commune non opus habent confirmatione vel approbatione. 3. Quia nunquam apud antiquos Saxones, neque etiam primis Normannorum temporibus juramentum fidelitatis extensum fuit ad Regis hæredes vel successores, sed ad solum Regem in tempore. 4. Quia frequenter vel primogeniti filii, vel propiores cognati præteriti fuerunt & Regnum ad illos translatum, qui non poterant prætendere hæreditatem: Ita ut illa formula Regi & Hæredibus non reperiatur recepta fuisse ante dissidium Eboracensium & Lancastrensium i. e. circa A. C. 1400.

CXVI. *Post Anglo-Saxones Dani Regno potiti sunt.* Circa A. C. 800. Dani & Normanni omnem Occidentem piratica sua infestarunt, præcipuè Belgium, Britanniam & Galliam, donec tandem A. 1013. Sueno Rex Danorum Anglia potiretur. Sed primo anno iterum pulsus fuit ab Ethelredo. Sed A. 1016. Canutus Magnus recuperavit dimidiam partem Regni Angliæ. Altera penes Edmundum cognomine ferreum latus remanente, qui defunctus A. 1017. totam Angliam Canuto reliquit. Atque hic est Canutus ille potentissimus Danorum Rex alio nomine dictus

Lamprecht, qui tria regna Daniã, Angliam & Norvvegiam simul possedit. Permansit Anglia in potestate Danorum Annos 26. nim. usque ad Annum 1042. quo tempore omnes Dani conspiratione Anglorum simul trucidati fuerunt, & Regnum restitutum *Edoardo* Confessori legitimo Regi.

CXVII. *Inde Anglia ad Normannos pervenit.* An. 1066. Occasio fuit Exilium *Edoardi* Confessoris in Gallia, in quo Gulielmo Normanniæ Duci tanquam cognato suo permisit successionem in Regnum Angliæ, quæ transactio confirmata fuerat ab *Haraldo* filio illegitimo *Edoardi*. Sed cum *Haraldus* post obitum *Edoardi* Regnum occupasset, *VVilhelmus* cum exercitu trajecit, jus suum armis vindicaturus. Prælium commissum in Sussexia, in quo superiores Normanni & Anglorum 60000. occisi unà cum ipso *Haraldo*. Ita *VVilhelmus* Regno potitus titulo Conquestoris, ita tamen, ut non in eo, sed electione populi jus suum fundaret. Omnes enim leges & Historici ejus temporis testantur ipsum post obtentam victoriam consensu populi Regem creatum & electum. Videantur leges Sancti *Edoardi & Regis VVilhelmi.*

CXVIII. *Sub his regibus Regnum diu fuit electivum.* Idque probatur ex vetusto libro Cadomensi, in quo describitur obitus *VVilhelmi*: Conquestoris verba hæc sunt Wilhelmi Neminem Regni Angliæ constituo hæredem. Non enim tantum decus hæreditario jure possedi. In eo testatur *VVilhelmus* se nullum relinquere Regni hæredem, propterea quod non jure successionis sed armorum ac electione venisset ad Regnum: neque primogenitum, cui tamen successio

ſeu hæreditas debebatur, ſed ſecundogenitum *VVilhelmum Ruſſum* Proceribus commendavit, qui etiam electus à populo ſucceſſit. Et ita *Henricus I. Stephanus*, *Henricus II. Richardus I. Johannes* electione pervenerunt ad Regnum: idque clariſſimum eſt ex hiſtoria coronationis *Johannis*, in qua Archi-Epiſcopus in pleno Parlamento hæc verba protulit: Audite univerſi. Noverit diſcretio veſtra neminem habere jus ſucceſſionis ad hanc coronam niſi unanimi conſenſu Regni poſt invocationem Spiritus S. electus, & ſecundum morum eminentiam præelectus. Sed ſi quis ex prioris Regis ſtirpe dignior fuerit & melior aliis propius & promptius in electionem ejus eſt conſentiendum, quemadmodum jam contingit in Comite *Ioh.* hic præſente. Videatur *Matthias* Paris Weſt-Monaſterienſis & alii ejus temporis, ex quo patet, qualis fuerit ſucceſſio antiquorum Regum Angliæ; nimirum ſi Rex aliquis haberet liberos, ſuperiores aliis virtute, ſapientia aliiſque dotibus vel ſaltem cæteris pares, eos fuiſſe primarios Regni candidatos & reliquis aliis Prælatos. Et talis ſucceſſio hodiéque obtinet in Regno Daniæ, Poloniæ, & in ipſo Imperio Romano.

CXIX. *Hæc Normannica invaſio Regnum vehementer immutavit.* Imprimis linguam. Nam *VVilhelmus* omni modo conatus fuit abolere linguam Anglo-Saxonicam & Normannicam introducere, & in eum finem leges Normannica lingua ſcriptas introduxit, & publicas cauſas ea agi voluit. Decrevit quoque ne ullus Anglus munia publica gereret. Soli Cantii ſuam libertatem &

antiquas leges armis defenderunt, unde proverbium, Cantij & omnes *Christiani* nunquam fuerunt domiti.

CXX. *Regnum Manniæ eodem tempore exortum fuit.* Insula Mona medio mari inter Angliã & Hiberniam sita, eo tempore quo Normanni Britanniam infestarunt, titulo Regni ornata fuit, qui tamen in potestate Anglorum fuerunt. Complectebatur autem illud Regnum varias insulas maximè *Hebrides:* unde Rex Manniæ appellatus fuit Rex Insularum. Memorabiles sunt leges quæ in parvis illis insulis obtinebant, inprimis compendiosæ ad finiendas lites. Inter eas hæc est, Furtum gallinæ majus est furto equi & tauri; cujus legis ratio reddi potest ex illis quæ Iustinus lib. 2. de Scythis tradit: Et quia gallina facilius occultari potest quàm bos vel equus. Omnes controversiæ brevi tempore finiuntur absque scripto vel advocatis. Sed in gravissimis casibus 12. eliguntur, quos vocant Claves Insulæ, quorum arbitrio atque sententia partes stare coguntur. Apud eos hodiéque obtinet vera stipulatio, nimirum per traditionem stipulæ, quod majus fidei signum, quàm si magni precii res traderent. Multa ergo præclara hi Insulani retinuerunt instituta, ac longius remoti fuerunt à vitiis cæterorum Britannorum. Duravit hoc Regnum usque ad tempora *Alexandri* III. Regis Scotorum, qui insula potitus fuit An. 1266. Sed mox ipsa Mannia emptione pervenit ad Anglos. *Hebrides* autem manserunt in potestate Scotorum.

CXXI. *Angli Hibernia potiti.* A. C. 1172. sub Rege *Henrico* II. Antiquissimis autem temporibus

poribus Hibernia divisa fuit in quamplurima Regna, quorum tamen quatuor præcipua Regnum Vltoniæ, Lageniæ, Momoniæ & Conachtiæ. Inter hos Reges plerúmque potentior sese nominavit Monarcham Hiberniæ, quemadmodum etiam in Heptarchia Saxonum factum diximus. Cùm ergo Monarchia Hiberniæ pervenisset ad *Rodericum* Regem *Conachtiæ*, *Dermitius* Rex *Lageniæ*, vir sceleratus, uxorem *Ororicii* Regis Methiæ per vim abripuit. Hujus feminæ raptus finem imposuit omnibus Regnis Hiberniæ. Nam *Ororicius* apud *Rodericum* Hiberniæ Monarcham accusavit *Dermitium* tanquam raptorem, ejusque auxilia solicitavit. Hinc bellum: in quo inferior *Dermitius* ad Regem Angliæ *Henr.* II. confugit, à quo etiam susceptus & bonam spem habere jussus est. Videbat enim Rex Angliæ Hiberniam non nisi propriis dissidiis expugnari posse. Cum ergo R. Angliæ publico edicto omnibus suis subditis liberam dedisset potestatem arma capiendi pro *Dermitio*, *Richardus Strankbous* Comes *Pembrokiæ*. Vir magni roboris & animi, in Hiberniam cum exiguis copiis trajecit. *VVexfordia* prima urbium Hibernicarum ab Anglis capta atque ibi arx belli contra Hibernos constituta. *Dublinum* ipse *Dermitius* Anglis tradidit. Ita cum quotidie plures ex Britannia traiicerent, littoralia Hiberniæ paulatim occupata & præsidiis firmata, præsertim cum Waterfordia etiam expugnata fuisset, donec tandem An. 1172. omnes Hibernorum Reguli sese submitterent *Henr.* II. qui se vocavit Dominum Hiberniæ.

CXXII. *Factiones Lancastrensium & Ebo-*

racensium gravissimè adflixerunt Angliam. Hæ factiones alio nomine appellantur ab Historicis Rosa Rubra & Rosa alba, quarum origo hæc fuit. Post obitum *Henrici* III. *Edoardus* I. Rex Angliæ factus est & Prælatus fratri majori *Edmundo* Duci *Lancastriæ*, ex quo fundamento postea ferales illæ factiones Rosæ albæ & Rosæ rubræ exortæ sunt. Nam *Eboracenses* sese vocabant *Rosam albam*, Lancastrenses *Rosam rubram*, quarum factionum studia inprimis recruduerũt circa A.C. 1455. sub *Henrico* VI. ex Lancastrensibus, quem *Edoardus* IV. Rosæ albæ Princeps seu Dux *Eboracensis* An. 1460. Regno depulit. Sed intra decennium *Henr.* VI. iterum ex carcere liberatus *Edoardum* IV. in Flandriam fugavit, quem *Carolus Audax*, cujus sororem duxerat, paulò pòst restituit An. 1471. Atque tunc *Henr.* VI. in carcere necatus fuit, Princeps tanta vitæ sanctimonia, ut etiam à Pontifice in Sanctorum catalogum relatus sit. Post mortem *Edoardi* IV. *Richardus* frater ejus flagitiosissimæ vitæ cum tutorem ageret *Edoardi* V. Regis minorennis; eo cum fratre nefariè occiso, atroci tyrannide Regnum occupavit: & occasionem dedit rosæ rubræ seu Lancastrensibus repetendi jura Regni. Erat autem caput *Lancastrensium Henricus* Comes Richmondiæ, qui victo ad Lecestriam & occiso *Richardo* III. Rex Angliæ factus fuit An. 1485. dictus *Henricus* VII. Cumque unica tantùm superesset filia ex factione *Eboracensium*, nimirum *Elisabetha*, illa in uxorem ducta *Henr.* rosam albam & rosam rubram conjunxit ac semina factionum illarum in perpetuum extinxit, unde hodiéque inter insignia Regum

Angliæ

Angliæ duplex rosa, alba & rubra conspicitur. Quanquam verò Margaretha *Edoardi* IV. vidua, *Caroli* Audacis Burgundiæ Ducis uxor flagrantissimo contra Lancastrios odio nihil non tentaret adversus *Henricum* VII. subornatis pro *Edoardo VVarvvicensi Clarentiæ Comitis* filio obscurissimis nebulonibus, quodam *Lamberto & Ioh. Lincolnensi & Petro VVarbeekio*, qui ultimus omnium astutissimè personam suam egit ac se Regem Angliæ in Hibernia ac Scotia fecit, tamen prævaluit fortuna *Henrici* VII. cujus etiam tanta fuit sapientia ut seculi sui *Salomon* appellatus fuerit, de quibus rebus lectu dignissimaq; est historia *Henrici* VII. scripta à *Francisco Bacone Verulamio*. Extinxit ergo *Henr.* VII. has factiones tribus potissimum mediis, primo conjungendo familiam suam *Lancastrensium* cum Eboracensi per conjugium *Elisabethæ Edoardi* IV. filiæ: 2. *Edoardum VVarvvicensem Clarentiæ* Ducis filium adhuc puerum Londini in foro publicè securi percutiendo, & 3. *Richardo Polo* consobrino suo cum *Margaretha Clarentiæ* filia nupto, per quod conjugium sui generis reliquias fecunda prole auxit: Et ab eo tempore Regnum pacatum mansit.

CXXIII. *Cambria titulo principatus VValliæ ad Regnum Angliæ pervenit.* A. C. 1254. sub *Henrico III.* Nam cùm Britanni à Saxonibus pulsi omnem amisissent regionem campestrem & planam, profugerunt versus Occidentem in altissimos montes atque ibi natura locorum tuti & inexpugnabiles substiterunt condito peculiari Regno quod Cambriam appellarunt. Vltimus eorum Rex fuit *Cadvvallader*, cum quo omnem

 spem

ſpem recuperandi Britanniam amiſerunt. Poſt eum Cambria diviſa fuit in *Meridionalem & Septentrionalem*, quarum utraque peculiares ſuos Reges habuit, quibus circa A. C. 1140. extincto Regum nomine Principes ſucceſſerunt, quorum ultimus *David* Londini propter rebellionem ſecuri percuſſus fuit. Ac tum temporis Cambria plenè in poteſtatem Regum Angliæ pervenit, quam *Henr. III. Edoardo* filio ſuo titulo principatus Walliæ donavit, atque ab eo tempore primogeniti filii Regum dicti fuerunt Principes Walliæ. Nam antiqui Saxones propter linguæ diverſitatem appellarunt Cambros voce Germanica Wallos, qua hodiéque utimur in denotandis hominibus barbaræ & nobis non intellectæ linguæ. Stante antiquo Regno Cambriæ Offa Rex Mericorum foſſam & vallum inter *Sabrinam* & Deam flumina ſtruxit, & Cambriam à reliqua Britannia ſeparavit, lege lata, qua capitale erat ſi quis Cambrorum trans illam foſſam cum telo comprehenderetur. De Cambris notandum, quod diligentiſſimè conſervent genealogias ſuas, ut nullus ferè ruſticorum ſit, qui non genus ſuum ab ipſo Noa deducere poſſit.

CXXIV. *Omnia Regna Britannica conjuncta ſunt.* Anno C. 1603. poſt obitum *Eliſabethæ* per *Iacobum VI.* Regem Scotiæ. Cauſa remota hujus unionis fuit matrimonium *Margarethæ* filiæ *Henrici VI.* cum *Iacobo IV.* Rege Scotorum. Nam cum per 12. ſecula perpetua inter Anglos & Scotos bella fuiſſent, neque armis alterutra gens domari poſſet, tandem cogitatum fuit de matrimonio, quo univerſa Britannia aliquando

quando conjungeretur, idque inprimis operam dedit *Henr. VII.* ex cujus filia descendens *Iacobus VI.* jure sanguinis *Elisabethæ* successit. Et quanquam *Henr. VIII.* inter alias pacis cum *Iacobo V.* Rege Scotorum conditiones etiam hanc tulisset, ut ejus filio *Edoardo VI. Maria* unica Regni Scotiæ hæres nuberet, res tamen à Gallis impedita fuit, quorum artibus factum, ut *Maria* spreto *Edoardo Franciscum II.* Regem Galliæ duceret: atque hæc novi belli inter Scotos ac Anglos causa fuit. Causa proxima *Elisabetha*, ultima ex stirpe *VVilhelmi* Conquestoris, quæ propterea innupta mansit, ut universa Britannia in vnius potestatem concederet: atque hinc *Iacobum VI.* successorem & hæredem testamento scripsit. Et hac ratione 360. Insulæ Britannicæ in unam Monarchiam coaluerunt titulo Regni Magnæ Britanniæ. Nam inter alias conditiones, quibus Anglia & Scotia conjunctæ sunt, etiam hæc fuit, ut titulus utriusque Regni esset imposterum *Magna Britannia*, idque ad evitandam adversarum nationum æmulationem, cùm nec Angli Scotis nec Scoti Anglis postponi vellent. Et tum impletum fuit vaticinium antiquissimum *Merlini* famosissimi apud Britannos Magi, qui prædixit fore ut abolito Anglorum nomine Britanni iterum in Insula regnarent.

CXXV. *Regna Britannica iterum an.* 1649. *separata sunt*. Causa fuit bellum civile inter Regem & ejus subditos primo Scotos, secundo Anglos. Et quo bello tria consecuta sunt, 1. Rebellio & Defectio Hiberni. 2. Regis captivitas & mors, & 3. Separatio Angliæ & Scotiæ, quarum

illa

illa titulum liberæ Reipublicæ assumpsit, hæc adhuc incerta fluctuat.

De Causis motuum ac mutationum in Britannia.

CXXVI. Quemadmodum in obscura nocte rectam viam invenire peregrino difficillimum, ita causas maximorum motuum & mutationum in Britannia nemo nisi arcanorum gentis peritus facilè pandet: Et tam varii fuerunt effectus, ut una omnibus causa adscribi nequeat. Sed quantũ humana concipere potest prudentia, fons & origo omnium motuum dependet à duabus factionibus quæ cœperunt temporibus *Elisabethæ*, quarum una appellabatur *Puritana*, altera *Episcopalis* seu *Protestans*. Harum factionũ origo admodum fuit exilis. Nam cùm prima Religionis reformatio sub *Edoardo VI.* cœpta mox iterum abrupta ejus morte fuisset, Papismus à Maria restitutus intra quinquennium iterum ab *Elisabetha* sublatus fuit. Quemadmodum autem ab uno extremo ad alterum difficilis ac periculosus est progressus, ita quoq; *Elisabetha* plerasque Pontificias reliquit ceremonias contenta purgasse doctrinam & crassas superstitiones. Hinc retenti Episcopi cum omnibus dependentiis. Missa quoque potius translata in linguam Anglicam quàm sublata. Id multis displicuit, sed sine graviori offensa, cum & *Elisabethæ* imperium esset moderatissimum, & Episcopi ejus temporis viri pii, hostes impietatis & superstitionis, alieni ab ambitu & dominatione, multò minùs ullam adfectantes in dissentientes tyrannidem. Et erant ea tempora, in quibus difficillimum erat aliquid in Ecclesia mutare propter perpetua bella contra Hispanos, Pontificem R. & Gallos. Sub extrema tamen *Elisabethæ* tẽpora emer-

emerſerunt factioſa nomina, & res à verbis & ſcriptis ad odia & animorum diviſionem deducta fuit. Hæc ſemina: ſed quæ facilé corrigi potuiſſent ne tam peſtilentem fructum producerent. Sed quamprimum Iacobus in Regnum ſucceſſit, jam apertè Regnum in duas partes dividi cœpit. Quippe Scotia ex qua ad Regnum vocatus *Iacobus* Epiſcopis carebat, & improbabat Hierarchiam Anglorum, ac niſi occultam ſpem feciſſet *Iacobus* ſibi quoque non omnino improbari Epiſcopatum, non tanto applauſu in Regnum Angliæ receptus fuiſſet. Rex factus convocavit utramque partem, ac publica diſputatione inquiri voluit retinenduſne eſſet Epiſcopatus an verò abolendus? Diſputatum, ſed magno cum præjudicio pro Epiſcopis, quorum partes Rex apertè amplectebatur. Igitur gratia & favore Principis ſuperiores Epiſcopi tollere criſtas, ſecus ſentientes non tantùm improbare velut errantes, verùm odio proſequi tanquam malitioſos & Regis ac Monarchiæ hoſtes. Ita Epiſcopi occupato Rege non deſtiterunt dominationem tum in ſpiritualibus tum in temporalibus affectare. Sed validior erat Anglia quam ut tam facilè admitteret mutationem. Igitur primum aggredi viſum Scotos, & habita Synodo Perthenſi A. 1616. reſtituti Epiſcopi, qui jam ferè per 50. annos exularant. Prætendebat Rex uniformitatem. Et niſi Eccleſia Scotica in omnibus conformaretur Anglicæ, nunquam unionem Regnorum fore perpetuam ac ſtabilem dicebatur. Vlterius progreſſus non fuit.

CXXVII. Hæc omnia non ſuffeciſſent

ad

ad tantas tempestates concitandas nisi accessisset quoque gravis Reipublicæ corruptio: cujus initium cœpit cum ipsa morte *Elisabethæ*. Principia *Elisabethæ* fuerunt duo, 1. Perpetuo defendere partem Protestantium contra Pontificios. 2. potentiam Hispanorum quibuscunque posset modis debilitare & frangere. Hinc *Francis*, Belgis, Lusitanis perpetua contra Hispanos auxilia tulit. Hæc duo principia statim funditus evertit *Iacob.* pace facta cum Hispano, & Protestantibus calamo quidem, quod etiam privati possunt, sed non gladio defensis. Hinc paulatim corruptio in Aula, & ipsa Anglorum gens per se bellicosa desuetudine armorum res novas cupere & affectare.

CXXVIII. Sub *Iacobo* ergo fumare Anglia, sub *Carolo* autem erumpere flamma cœpit, cujus maximum irritamentum fuit conjugium ejus Hispanicum tentatum & affectum: Gallicum autem perfectum. Nam cum duxisset uxorem & religione & moribus diversam, non potuit non inde magna corruptio derivari in aulam atque etiam animum ejus. Id certum est Anglos hoc conjugium pro signo magnæ alicujus calamitatis habuisse, qui cum à tot retro seculis inimicissimi sint Gallorum, tum maximè his ultimis annis eos abalienavit Religio. Et *Carolus* quidem, de quo, vivo parente, Angli neque boni quid neque mali judicabant, quippe qui sectabatur vitam quietam, remotam à vitiis juvenilibus & ab omni fastu vel ambitione, statim initio Regni sui multum fefellit opinionem populi sui, *Buckinghamio* in ampliorem quam apud Patrem fuerat, gratiam recepto, & Episcopis non jam per gradus sed uno impetu

petu ad summum in rebus humanis fastigium promotis. Nam vivo Iacobo nemo Episcoporum ausus fuisset suum officium à gratia Dei deducere, sed fatebantur se solius Regis arbitrio stare, quod sub *Carolo* immutatum.

CXXIX. Bellum Rupellense infelix, res Germanicæ lentis consiliis & occulta proditione fractæ, Parlamenta infectis rebus temerè abrupta abalienationem hactenus sanabilem in animo populi produxerunt ad summam desperationem, neque hoc ignorabat Rex, atque ideo decreverat nullum amplius convocare Parlamentum. Interea temporis vacuo ærario, cum quod per temeritatem effusum per scelera implendum esset, Ministri ejus varias excogitare artes, populo tributa novo exemplo imponere, provocantes majestatis crimine & carceribus macerare, omnium impunitatem ex sola Regis prærogativa sperare. Ipse Straffordius, qui postea pro Rege decapitatus fuit, acerrimè ab initio se his corruptionibus opposuit, atque etiam carcerem pertulit.

CXXX. Hæc quasi fundamenta magnorum motuum fuerunt. Et nihil jam deerat Scotis atque Anglis nisi occasio, qua sese ab iniquissima Episcoporum & malorum consiliariorum tyrannide in libertatem vindicarent, quæ etiam data fuit An. 1637. Quo anno Episcopi novam Liturgiam, novos canones, & in universum novam Religionem introduxerunt, sed tam malo successu, ut primus tumultus in urbe *Edimburgensi* exortus, momento totam Scotiam corripuerit. Vna omnium vox ut tollerentur Episcopi, ac leges & Parlamenta restituerentur. Hi Regem falsis rumoribus occupa-

re,

re, denique ad arma impellere. Neque segniores Scoti, gnari totam Britanniam oppressionum & tyrannidis fessam, ac longè maximam populi partem contra Episcopos & malos consiliarios conspirare. Rex quanquam exercitum sumptibus Episcoporum & aliis illegitimis executionibus conscripsisset, tamen plus sibi ab eo quàm à Scotis metuebat. Quippe rudis miles apertè impetum fecit in Episcopos, in Papistas, & satis ostendit sese idem sentire cum Scotis. Pax ergo facta cum Scotis iis conditionibus quas ipsi ferebant. Abrogati in æternum Episcopi, restituta Parlamenta, Scoti pro fidelibus subditis, & eorum hostes pro hostibus Regni declarati An. 1639.

CXXXI. Quemadmodum flamma extincta, nisi ipse fomes tollatur, facilè novum oriri potest incendium, ita Scotis pacatis effectus quidem ad tempus sublatus, sed causa remanserat, & scintillæ primi belli ex Scotia in Angliam delatæ. Quæsitum tamen remedium in tempore haud dubiè profuturum, nisi malignitas quædam intervenisset. Id erat novi Parlamenti convocatio, eo fine, ut non tantùm symptomata morbi, verum ipsa causa & prima radix tolleretur. Causa quâ Rex impulsus fuit, summa & inevitabilis necessitas. Nam cum Scotis in proxima pacis transactione, in sumptuum compensationem promissa fuissent ducenta Sterlingarum librarum millia, exhausto Regis ærario non restabat aliud remedium, quàm ut Parlamenti liberalitate ipsis satisfieret. Et hac occasione Parlamentum convocatum fuit Londini 3. Nov. An. 1640. Ipse Rex paulo ante mortem professus fuit, malè se egisse, quod Londinum

num ſedem Parlamento elegerit, urbem magnam & facilem tumultibus. Sed vix credibile eſt tantam tempeſtatem, quæ per univerſam gentem diffundebatur, potuiſſe unius loci mutatione evitari. Initia magni hujus conventus incredibilem ſpem faciebant boni ſucceſſus. Nam & ipſe Rex profitebatur ſe in ſolidum committere Regni negocia magno ſuo conſilio, & quidquid hactenus peccatum, tam promptè emendaturum, quam ſe invito vel ignorante illa acciderint. Parlamentum eodem adfectu ipſi reſpondebat. Hinc lætitia in populo & omnes vitam ſuam eouſque productam, quo libero fruerentur Parlamento, ſibi impenſe gratulabantur. Primum negocium fuit ſatisfacere Scotis. Parlamentum profitebatur ſibi tantum fidei non eſſe apud populum pro illa pecuniæ ſumma. Metuere omnes, ne, quod tam frequenter factum, impetrata pecunia Parlamentum diſſolveretur. Quod ſi Rex promitteret non ſe ante dimiſſurum hoc Parlamentum, quàm omnes Regni difficultates expeditæ fuerint, tum ſe ultro omnia hæc debita perſoluturos. Rex, quod nemo unquam ſperaviſſet, acceptis his conditionibus ſeipſum exuit poteſtate dimittendi Parlamentum, & ipſis liberum facit continuare ſeſſiones ſuas, quamdiu placeret. Haud dubiè, nulla res damnoſior Regi fuit, quàm hæc. Sed ea temporum erat anguſtia, ut aliter ſe ex tot difficultatibus quam hac ratione expedire non poſſet. Quemadmodum nautam videmus in naufragii periculo ne precioſiſſimis quidem gemmis parcere, dummodo ſalvus ad littus enatare poſſit.

CXXXII. Mox ergo ſuſpiciones, diffidentia,

tia, abalienatio inter Regem & Parlamentum oriri. Nam Episcopi & mali consiliarii videntes actum esse de sua dominatione, & rationem ipsis reddendam administratæ Reipublicæ, vel capitis periculo primo omnium conabantur Regem pari periculo involvere, & si aliter fieri non posset, saltem præclarè cum ipso occumbere. Hinc Regem variis suspicionibus & metu impleverunt, facili ipsius natura ad credenda accipiendáque quævis, si periculosa, & à Puritanis profecta forent. Prima indicia abalienati Regis erumpebant profectione Regis in Scotiam decima Augusti 1641. Intermedio temporis circa finem Octobris erumpit inaudita rebellio Hibernorum; in qua spacio 6. mensium ducenta hominum millia perierunt. Atque hoc fuit classicum tantorum bellorum quæ in hunc diem durant.

CXXXIII. Nam hac occasione Rex *suspectus* factus fuit, quasi ex aula plena Iesuitis & aliis desperatis hominibus fluxisset atrox illud facinus, & suspicio aucta, quod Hiberni admodum sero & lentè, insupérque satis frigidè rebellionis damnarentur impressis non nisi 40. exemplaribus, cùm tamē Scoti ad primos motus per omnia templa in Anglia proclamati fuerint Dei & Regis hostes: ex quo populus, jure an injuria non disputo, colligebat longè in majori gratia esse apud Regem Hibernos, Papistas rebelles, horribiles homicidas, quam sint Scoti, Religionis Protestantes, & in quorum toto bello vix 100. perierunt etiam aperto prælio homines.

CXXXIV. Ita totam Britanniam novi belli flamma corripuit: Rex ex Scotia Londinum

reversus

reversus 2. Decembris A. 1641. reperit multum imminutam affectionem populi, & exhibita ipsi declaratio fuit à Parlamento, quæ omnes causas malorum Britannicorum complectebatur, simúlque remedia ostendebat: Atque hinc jam incipit apertum atque irreconciliabile odium inter Regem & Parlamentum, quæ accendit uxor ipsius moribus Gallicis & ab Anglorum libertate natura sua aliena. Vtcumque se res habeat, prætextu popularium tumultuum, sive proprio motu, sive etiam aliorum impulsu Parlamentum suum deseruit, & missa in Hollandiam uxore, arma ibi ad bellum faciendum coëmi curavit. Ipse neglectis obtestationibus subditorum suorum *Eboracum* concessit. Ita caput à corpore divisum non potuit non totius Regni interitum procurare.

CXXXV. Rex Eboraci specie custodum corporis copias colligere & exercitum conscribere, Parlamentum proponere conditiones pacis, quæ, nisi Deo aliter fuisset visum, omnino acceptabiles esse debuissent. Præcipuum caput controversiæ erat militia. Parlamentum urgebat in tanta rerum Britannicarum confusione, & tanta exterorum conspiratione opus esse omnino totam gentem armare, & omnes qui arma ferre possent contra hostilem invasionem instruere. Idem Rex volebat, sed controversia erat de Ducibus. Rex eos pro suo arbitrio legere, Parlamentum verò alios admittere, quàm qui ipsis probabantur, nolebant. Et ad hanc quoque exiguam omnino, si adfectus ponas & præjudicium, discrepantiam varia proposita fuerunt remedia, quæ & Regi satisfacere potuissent & Parlamento, si mens non læva fuisset.

CXXXVI. Cùm REX perseveraret in suo proposito, Parlamentum provocare cœpit ad suam authoritatem, & sibi REGE vel seducto vel nolente commissam esse REGNI curam ostendit, neque se salutem populi deserturos propter solam REGIS voluntatem. Ab eo tempore acerrimè disputari cœptum est, quantum juris REX, quantum etiam Parlamentum habeat. Extant utriusque partis scripta plena prudentiæ Politicæ & saluberrimorum præceptorum. A verbis ad verbera, à scriptis ad arma mox deventum fuit, hac occasione.

CXXXVII. Erat Hulla Eboracensis Ducatus oppidum natura loci & ingenio munitissimum, & in quo asservabatur armamentarium totius Angliæ. Ad id intercipiendum REX cum inermi comitatu quasi obiter invisurus accessit. Sed Præfectus ejus *Hothamus*, præclusis portis REGI, prospiciens de vallo respondit non se posse intromittere REGEM nisi intellecta Parlamenti voluntate. REX voti sui irritus non antè recessit, quàm *Hothamus* proclamatus fuisset traditor & rebellis. Vrbem quoque collectis hinc inde copiis obsidere, & vim intentare cœpit. Hoc rumore Londinum delato, statim ad arma conclamatum, approbatum Hothami factum, & judicatum fuit REGEM pravo consilio seductum moliri bellum contra Parlamentum suum: quod si facere pergeret, negligentem muneris sui Regii, & quicunque partes ejus sequerentur, hostes REGNI fore. Ita utrinque exercitus conscripti, & Parlamenti Dux creatus ROBERTUS Comes Essexiæ.

CXXXVIII. Ita bellum utrinque cœpit mense

mense Iulio Anni 1642. Regiæ partes haud dubiè initio infirmiores fuerunt, atque etiam contemptibiles Parlamento. Sed paulatim defectione Nobilium, urbium ac provinciarum ita auctæ, ut non tantùm æquales, verùm etiam superiores fierent. Primus ergo belli annus inter mutuas colluctationes exactus, ac nihil magis memorabile quàm immensum argenti & auri pondus collatum ex tota Anglia in usum belli. Qui spectarunt, Solomonis thesauros non potuisse esse majores referunt. Adeò certatim omnes quidquid opum possidebant, ultrò contulere. Hæc omnia alimentum potius bello præbuerunt, quàm optatum successum. Nam exteri spe prædæ ac stipendiorum magnitudine invitati gregatim in insulam advolarunt nulla publici boni cura ac ne odio quidem, tantùm ut bellum traheretur, & ipsi ditiores in patriam suam remearent. Hoc bellum tres inprimis magnas periodos habuit. Prima fuit ab initio usque ad annum 1643. & mensem Augustum. Quo tempore intra unius anni spacium ita mutata fuit fortuna belli, ut Rex ex contemptibili metuendus, ex victo victor repentè evaserit, tam admirabili successu, ut circa finem Iulii 1643. nihil restaret Parlamento, quàm aliquot urbes & propugnacula, nullus exercitus, nullæ copiæ, mera desperatio superesset. Eo momento debellari potuisset Anglia, si Rex tam victoria scivisset uti quàm vincere. In solo Londino restabat belli momentum. Ea capta urbe haud dubiè transactum fuisset, & ipsa urbs aperta & contra omnem vim indefensa erat. Quod ergo olim Spartani, idem tunc Londinenses fecerunt.

cúmque in horas metuerent irruptionem regiorum, repente veluti divino ſpiritu afflati communire urbem ſuam, ac quaſi vaſtum illud corpus defendi poſſet, exſtruere propugnacula cœperunt. Ibi vidiſſes viros fœmináſque omnis ætatis, ſexus ac conditionis ad tympani ſonum cum vexillis atque ligonibus velut ad bellum progredi. Interea Deus omnia conſilia Regis conturbavit. Nam cum finire bellum intra unicum menſem potuiſſet, ipſe omiſſo capite rerum Gloceſtriam obſedit, oppidum Sommerſetiæ exiguum, quod defendebatur à fortiſſimo Viro Edoardo Maſſio. In hac obſidione fortuna totius belli circumacta fuit, & Rex enervatus, fractuſque, Parlamenti conditio deſperata, iterum ad meliorem ſtatum evecta fuit. Nam cùm Regem detineri ante Gloceſtriam innotuiſſet, Londinenſes quidquid reſtabat opum & virorum conferre, exercitum reparare, eo ſucceſſu, ut obſeſſis jam ad extremum deductis Rex obſidionem ſolvere coactus fuerit: & cum ſe reciperet prope Nuberiam, alterum commiſſum fuit prælium 19. Septembris, in quo victor fuit Eſſexius.

CXXXIX. *Secunda periodus* ab obſidione Gloceſtriæ uſque ad primam obſidionem urbis Oxonii deducitur, quo tempore Scoti atque Hiberni in partes traducti. Nam circa finem Augusti, cum Regis partes ubique ſuperiores eſſent, Parlamentum miſſis in Scotiam legatis, illam gentem auxilio evocavit. Initum ergo fuit fedus, & Scoti cum firmo exercitu media hieme Angliam ingreſſi ſunt. Hiberni cõtra Regiis partibus ſeſe adjunxerunt. Ab eo tempore Parlamenti fortuna

tuna indies augeri, Regis decreſcere, quanquam mira rerum viciſſitudo eſſet. Sed haud dubiè prævaluerunt Parlamentarii in maximo illo prælio ad *Eboracum*, quod factum 17. Iulij 1644. in quo totius Nobilitatis, quæ regias partes ſequebatur, flos cecidit, ac illorum ad 8000. interfecta fuerunt. Secuta urbis Eboracenſis, quæ pòſt Londinum ſecunda totius Angliæ eſt, deditio, ſimúlque omnes Septentrionales Provinciæ præter paucas artes in poteſtatem venere. Interea Scotiam adfligebat Montroſius exigua manu admirabili ſucceſſu pugnans; ita ut Regiæ partes iterum prævalerent non tam ſua virtute, quàm diſcordiis hoſtium. Nam eo potiſſimum tempore Parlamentum in duas factiones diſtractum fuit, *Preſbyterianos & Independentes*: quæ ortæ ſunt ex controverſiis de regimine Eccleſiaſtico. Nam cum Epiſcopis ſublatis Synodus convocata fuit ex Scotia & Anglia ad deliberandum de reformanda Eccleſia, Theologorum magna pars adprobabat regimen Eccleſiarum Scoticarum, Helveticarum, Gallicarum, Belgicarum & Germanicarum: ut enim per Preſbyteros, claſſes & Synodos ſacra adminiſtrarentur. His ſeſe oppoſuerunt ſex ſeptémve alii magis odio Scotorum, quam quod res tanti momenti eſſet: ac profectò in ſumma rei conveniebant omnes; de formulis tamen ac circumſtantiis litigabatur. Cæterum hujus diſſidii occaſione mutatio longè graviſſima & in Eccleſia & in Rep. conſecuta fuit. Tum audita primum vox Independentium fuit, quo nomine appellabantur omnes, qui ſeſe Scotorum opinionibus opponebant, & pro libertate conſcientiarum diſſerebant. Hæ

factiones magis Politicæ quàm Ecclesiasticæ fuerunt, & Rex certissimam exinde concipiebat spem victoriæ & successus rerum suarum; idque sine dubio contigisset, si occasione, quæ tam pulchra offerebatur, in tempore uti, quam eam longa mora corrumpere maluisset. Hic status rerum fuit circa finem Anni 1644. & tum in Parlamento suscepta fuit res desperati consilii, eáque felicissimo successu ad exitum perducta. Nā cum huc usq; plurimos habuissent Duces, & divisos exercitus, decreverunt omnibus imperium abrogare, & novum exercitum constare sub uno Duce. Hæc consultatio per 4. menses protracta fuit, antequàm convenire possent. Tandem creatus fuit Imperator *Thomas Fairfaxius:* decretus fuit militum numerus ad 20000. mense Aprili 1645. copiæ exauctoratæ, & miles partim dimissus, partim in nova sacramenta adactus fuit. Sed cuncta tam lentè succedebant, & tanta omnium cum aversatione, ut omnino actum videretur. Vix 12000. mense Majo in campum produci potuerunt, ac in tanto numero non nisi unus veteranus miles & unus nobilis fuit, cæteri omnes Tyrones, pueri, & quorum vix centesimus unquam hostem aspexerat. Regii putabant eos vix laturos conspectum suum, victoriam certè animo præconceperant. Hic exercitus primò in Occidentem traductus fuit, & ibi prospero successu *Tauntonam* oppidum à regiis obsessum liberavit. Inde *Oxonium,* urbs regiarum partium princeps 10. Maii obsidere cœpta pessimo consilio, cum interea Rex valido cum exercitu universam Angliam perterreret. Metus inprimis auctus fuit expugnata primo impetu *Lecestria*, atque hinc trepida-

trepidatio omnes pervadere ac desperatio. Iussus statim solvere Oxonii obsidionem Fairfaxius & contra Regem pugnare. Prælium commissum fuit 14. Iunii An. 1645. in comitatu *Northamptoniæ* prope pagum *Nasebiæ*. Ibi miraculosè & contra omnium hominum spem victus fuit Rex. Omnis ipsius peditatus ab 8000. hominum captus, secretæ ipsius literæ in potestatem redactæ, denique fortunæ ipsius ultimus finis impositus fuit.

CXL. Sequitur *Tertia Periodus* à 14. Iunii 1645. usque ad 16. Augusti 1646. quo temporis spacio Regiæ partes non jam per gradus, sed uno impetu collapsæ sunt. Perpetuæ Parlamenti victoriæ, expugnationes urbium, ac ne quidem ullus adversus casus prosperum armorum cursum perturbavit. Quicquid restabat Regi militum, compulsum fuit in extremum *Cornubiæ* angulum: atque ibi quinque equitum millia in deditionem accepta, vigesimo Iunii *Oxonium* deditum, cum paulo ante obsidionem Rex mutato habitu & in servi personam mutatus in castra Scotorum evasisset, & ab illis *Novocastrum* abductus fuisset. Vltimum Regis præsidium castellum Cornubiæ firmissimum Pendennis 16. Aug. deditum fuit, ac tum toti bello finis impositus, & ad majorem tragœdiam ac totius Regni conversionem perventum fuit. Rex à Scotis non hostili animo, neque ut captivus, sed ut Rex acceptus fuit. Statim motis castris cum toto exercitu Novocastrum properavit, & jam evasisse omnes difficultates ac denuo triumphare sibi videbatur. Magnis ea res motibus jactata fuit, & factionum studia acrius accendebantur. Quippe Presbyteriani, quorum par-

res Scoti ſequebātur Rege in poteſtatem redacto nihil amplius de opprimenda altera factione dubitabant, ac tantis infortuniis mitigatus Rex nihil illis denegaturus videbatur. Hæc ſpes mox imminuta paulo pòſt in totum evanuit, cum Rex quanquam captivus nihil de priſtina ſeu conſtantia ſeu pervicacia remitteret. Hæc ipſius lentitudo Scotos ſtudio ejus ſub initia flagrantes multum abalienavit, & cum Angli Regem tanquam in ſuo ſolo, & à ſuis ſtipendiariis captum repoſcerent, Scoti primo reluctari, paulatim manus dare, & tandem accepta ingenti pecunia Regem Anglis tradere, qui ſub initia in liberiori cuſtodia, paulo pòſt arctiori conſtrictus fuit. Duo valida conſilia pro ejus liberatione ſuſcepta ſunt. Primum à Presbyterianis, quorum capita erant *VVilhelmus VValler & Edoardus Maſſus*, qui tracta in partes ſuas majore parte Parlamenti ac civitate quoque Londinenſi clam exercitum conſcripſerunt oppreſſuri *Fairfaxium*, & haud dubiè res in effectum producta fuiſſet, niſi pridie ejus diei detecta fuiſſet Tum verò exercitus Londinū traductus, ac in urbē intromiſſus omnia conſilia turbavit partim fugatis partim captis qui conſcii erant. Alterū longè validius à Scotis & variis Angliæ provinciis maximo apparatu ſuſceptum. Nam Wallia, Cantium, Eſſexia, & Septentrionales Provinciæ ſimul conſpirabant pro liberando Rege, ac dum in illis opprimendis exercitus occupatur, interea Scoti cum exercitu 30000. Duce *Hamiltonio* in Angliam irrumpunt. Hic iterum ex ſummis difficultatibus plus quam humana felicitate emerſerunt, qui contrarias partes ſequebantur. Nam Scotorum exercitus

citus momento victus, 5000. occisa, 9000. capta una cum ipsis præcipuis Ducibus, quorum plerique omnes in potestatem venere, *Dux Hamiltonius*, Comes Holandiæ, Arthurus Capell, Goringius, Laughorn, Bovvel & Bojer, quorum plerique etiam ultimo supplicio paulò pòst affecti. Interea cum Rege de conditionibus pacis actum, ac in omnibus ita ferè convenerat, ut meritò deplorandum sit propter res nihili Regem iterum occasionem componendi bellum civile amisisse. Igitur ab eo tempore non jam ut cum Rege, verum ut cum captivo actum fuit. Ex carcere in carcerem detrusus, malè habitus, ac tandem mense Ianuario 1649. Londinum tractus, capitis accusatus, condemnatus & d. 30. securi percussus fuit. Hodie Carolus II. iterum revocatus Magnæ Britanniæ tria sceptra iterum moderatur. Det gloriosissimus Deus ne bis fiat Regni naufragium.

CXLI. Angli dicuntur Sybaritæ, postquam pace beati voluptatibus atque luxuriæ se manciparunt: Fœminæ ibi (Politico sensu) viriles caligas induunt: Die Weiber spielen daselbst den Meister.

CXLII. Elisabetha Regina, virilis animi fœmina, prudenter & heroicè Regnum gubernavit, quamvis juxta nonnullorum opinionem multos, qui negotia Status moderati sunt, inclementer atque properanter neci dederit, quæ tamen culpa in Consiliarios magis quàm in ipsam Reginam conferri debet. Post Elisabethæ Reginæ mortem Angli longæ pacis mala sentientes loco armorum saltationes, musicam, & alias voluptates

tes exercuerunt. Atque inde est, quod Angli Sybaritis comparentur, Regnúmque eorum Geiʒgers Reich vocatum, quod aliquando ejusmodi Violista in florentissimâ Regis gratia fuerit, ac ferè omnia in aulâ potuerit.

CXLIII. Quod Religionem attinet Angli post susceptam reformationem multas Pontificias ceremonias adhuc retinuerunt, cum ut vulgares homines eò faciliùs ad Reformatam Religionem traducerent; tum ut alios Pontificios ad Sacra sua converterent. Edvvin Santes Eques Anglus in eâ opinione est, plures in Evangelicorum castra transituros fuisse, si methodus eadem alibi fuisset instituta & observata. (Vid. ejus cap. 38.)

CXLIV. Angli loco vini habent præstantissimam cerevisiam; loco serici lanâ fruuntur: loco malorum aurantiorum & ficuum possident poma & pira: loco auri nobile stannum.

CXLV. Fœminæ apud Anglos maximâ utuntur libertate, dum cum aliis viris tabernas frequentant, atque ibi mille gaudia exercent. Imò quando uxor rursus ab amico in domum mariti reducitur, hic gratias magnas agit pro honore uxori suæ exhibito, atque non rarò pro cornubus sibi impositis. An ergo rectè Anglia dicitur Paradisus fœminarum?

CXLVI. Angli stolido consilio sua sponte negligunt agriculturam, ut ovium multitudini pascua suppetant. Anglia mutationibus obnoxia: Hinc proverbium:

Quand

Quand l'Italie sera sans poison,
Et la France sans trahison,
l'Angleterre sans guerre:
Lors le monde sera sans terre.

CXLVII. Cùm in Elisabetha 1602. extincta Tyderia familia, quæ post Plantagenetas Andegavenses sceptrum Anglicum tenuerat, defecisset; successit Iacobus ex Stuartis, pridem tantùm Rex Scotiæ, unde Magnæ Britanniæ nomen assumitur. (*Speuer.* in Indic. par. 1. Theat. Nobilit.) *Elisabetha* interesse Regni contra Hispanos bene attendit; portentosam Hispaniæ classem, Angliam consumpturam, disjecit, & ita terror Europæ evanuit. Ite nunc Reges & consiliorum mole Numen æquate. Regina hæc sceptro nata, par tam bello ferendo quàm paci. *Iacobus VI.* interesse Regni nimio pacis & literarum studio neglexit: Palatinum generum verbotenus juvit, bonis spoliato solatium duntaxat præbuit: Calamo erat, quàm ferro promptior; animus alienus à bello, & paci etiam per ignominiam propior.

CXLVIII. Rex Angliæ vires habet considerabiles, dicitúrque Rex maris ob insignem navium numerum, & ob artis maritimæ peritiam, quâ Angli omnes ferè Orbis partes superant. Vix tamen quicquam magni momenti poterit suscipere, quia alit homines ingenii inquieti, novarum rerum semper cupidos, & præsentium impatientes; & constat gentibus, inter quas parum convenit, quia Scoti dolent se obligatos esse parere Anglis. Novissimæ mutationes Regni Angliæ egregiè describuntur in Diar. Europæ, part 4. pag. 553. & seqq.

& seqq. In spectaculo in honorem Regis Angliæ Caroli II. ann. 1660. d. 7. Iun. Amstelodami exhibito, Anglia ita repræsentatur: Engelland war wie ein Seeschlupe gemacht / welche am hintertheil mit Wasser-Göttern umbgeben / an vorder theil aber von See-Pferden / gleich als durch Wellen gezogen ward. Engelland abgebildet durch eine Jungfrau / saß in dieser Schlupe / oder See-Muschel / mit seinem Wapen-Fahn. Vornen uff den Wagen saß (in gestalt einer Jungfrawen) die Statt Londen / und hatt in ihren armen einen guldenen Pfeiler / da Cron und zepter auffstund: Und hinten stund der errichtete Meer-Gott Neptunus / wie auch Ceres und Pomona / die Göttinnen des Getreyds und Obsts / Engellands Fruchtbarkeit bedeutend. (Diar. Eur. part. 5. pag. 147. In spectaculo in honorem Regis Angliæ Caroli II. an. 1660. d. 7. Iun. Amstelodami exhibito Scotia ita repræsentatur: War hinten / mit Kohlgruben / fornen mit Fischer Netzen / und an den seiten mit bunten fellen (in welchen Stucken Schottland seine meiste Handthierung treibt) bemahlet. Hier saß (in gestalt einer Jungfraven) Schottland mit seinem Wapenfahn / und Edenburg die HaubtStatt hatte oben mußig / wie Londen / einen guldenen Pfeiler

mit Kron und Scepter. Auff dem hintern theil saß Thetis/des Neptunus Gemahlin/ mit einer Gabel/woran Fische hingen. Vornen aber ein Fischer und Kohlgräber. Irlandia verò ita depingitur. War (zum zeichen/ weil es mitten in der See ligt) mit vier winden/auch Schaafen und Bien-Körben (dessen Nahrung anzuzeigen) geziert. Auff diesem wagen saß Irrland in gestalt einer Jungfrawen/wie auch die Haubt-Statt Dublin/und hinten ein wildermann (weiln derer noch gefunden werden) rauch von Haaren und Baum-Moos/und hatte eine grüne Keule auff seiner Schulter. Der ertichtete HirtenGott Pan/saß fornen mit einer Pfeiffen/ und ein Mann der die Bienen futterte in ihren Körben. (Diar. Eur. part.5.pag.148.149.)

CXLIX. Angliæ Reges non sine Lege vivunt. Iuravit Carolus II. an. 1660. salva fore Regni privilegia & Leges Regni fundamentales. Hic Carolus II. Stuardus infelicissimè armis succubuit, ad focum serviit, peregrinas terras exul oberravit, à consanguineis desertus fuit, à Parlamento, subditis, militibus sæpius abjuratus, tandem Deo mirabiliter juvante, & Monckii (qui hodie factus Dux de *Albermaille*) operâ piâ, fideli, suum Regnum denuo maximo cum populi applausu intravit. Cromvvellius verò Regio Martyri Carolo I. Patri iniquissimum bellum intulit, regalémque virgulam cum capite percussit.

CL. An. 1661. Angliæ Regi Carolo II. duo sceptra fuere tradita, unum illæsum integrúmque; alterum verò subfractum. Illud designavit Magnam Britanniam; hoc Galliam, cujus possessionem naturalem Angli amisere, civilem tamen cum insigniis Liligeris adhuc retinent.

CLI. Angli populi Germaniæ (Vid. Tacit. de M. G.) consederunt primum (ut ex Tacito & Ptolomæo apparet) in Mecklemburgica Provincia, unde pulsi in Iutiam & Slesvicensem Ducatum se contulerunt (ubi adhuc Regio Angeln superest) dein Saxonibus juncti, ac per Frisiam progressi, à Britannis evocati, iis pulsis Britanniam in Angliam mutarunt.

CLII. Quamvis Iacobus VI. Rex tribus Regnis Angl. Scot. & Hibern. Magnæ Britanniæ nomen indiderit; tamen nec Angli nec Scoti voluerunt in id consentire, sed utrique peculiaria Regna & distinctæ Resp. censeri voluerunt, & in hunc usque diem diversissimæ manent Resp. quamvis sub uno sint capite. Ictus Albericus Gentilis Italus, ob Religionem patriam relinquens, pro Iacobi Regis consilio scriptum edidit de unione duorum istorum Regnorum; sed labor iste fructu & felici eventu caruit.

CLIII. Auget non parum divitias Anglorum ex commerciis provenientes, quod aurum & argentum è Regno isto exportare sit prohibitum. Sic igitur non mirum est, cur, etiamsi aurum & argentum in Angliâ tantâ copiâ non effodiatur, magnam tamen ejus ibi copiam deprehendere liceat.

CLIV. Vires maritimæ Anglorum ex profligatâ

fligatâ feliciter portentosâ Classe Philippi II. R. Hispan. plus quam 100. naves militares (Orlog-Schiffe) possunt in mare educere, habéntque arbores ad exstruendas naves in magna copia, ac quod Angliæ hac in re deest suppeditat Irlandia. Anglicanas tamen vires non parum deminuit Incendium Londinense (quod celebris Astrologus Nostradamus jam superiori seculo prævidit) quo plus quam 12000. ædes igne absumptæ; ut nihil dicam de admirandis sumptibus, qui in bella contra Rationem status cum Hollandis suscepta, fuerunt absumpti, & hodierno flagrante bello adhuc absumendi. Verissimum est, quod semper duæ istæ nationes, si armis invicem collidantur, etiam frangantur.

CLV. In experiundis rebus naturalibus Angli plerósque Europæos superant. Inter eos autem excellunt Duumviri Franc. *Baco*, Baro de Verulamio summus Angliæ sub Iacobo Rege Cancellarius, cujus opera uno volumine extant, & Robertus *Boyle*, Nobilis Anglus, præcipuus in Societate Regiâ, cujus extant Tractatus, de Cosmicis rerum qualitatibus, de Cosmicis suspicionibus, de Regionibus subterran. & submarinarum temperio, De fundo maris; Tractatus item de absolutâ quietè in corporibus; alii denique tractatus (1) Mira aëris, etiam citra calorem rarefacti, (2) detectio nova circa durationem virtutis elasticæ aëris expansi observata (3) nova de condensatione aëris, solo frigore facta, ejusque compressione sine machinis experimenta (4) mirè discrepans ejusdem quantitatis aëris rarefacti & compressi extensio. Societas illa Regia, è qua Nobilis ille Boyle, est

Collegium,

Collegium Doctorum Virorum à Bacone dudum delineatum, cui & ipse titulum Societatis Domus Salomoneæ dederat. Fundamenta autem institutionis illius Collegii ultimis Cromvvellii temporibus jecerunt privati quidam homines. Restituto verò in Regnum Rege moderno Carolo, quum is curam ejus rei susceperit, seque fundatorem ultro professus fuerit, Societas Regia appellari cæpit, hodiéque ultra 140. membra illius numerantur. Singulis hebdomadibus semel conveniunt, & præmeditata proponunt, & quilibet assertionem suam experimentis probare jubetur. Finis hujus societatis est, ut naturalis Philosophia, quam Aristoteles vulgariter tantùm conscripsit, accuratissimè excolatur. Dividitur illa Societas in unum Collegium generale & XI. Sub-Collegia, Collegium generale est XI. Virorum, penes quos potestas de Societate disponendi. Habet insuper suos Thesaurarios, duos item Conservatores & Secretarios X. quorum unus pro Galliâ, alter pro Germania, tertius pro Italia, quartus pro Belgio, quintus pro Suedia, Dania, Norvvegia, Moscovia, Russia, Sextus pro Poloniâ, Vngariâ, Transylvaniâ & regionibus Turcæ ac Persæ subjectis, septimus pro Hispaniâ & Portugalliâ, Octavus pro Indiâ Orientali & Occidentali, nonus & decimus pro Angliâ. E Sub-Collegiis, quæ generali Collegio cum Thesaurariis, Conservatoribus & Secretariis subsunt, unum est Medicinæ dicatum; alterum pro Mathesi & Architectura militari; Tertium pro institutione liberorum, Quartum pro mercatura; Quintum pro hortorum culturâ & artibus rusticanis; Sextum pro artibus quæ circa cibum & potum

potum versantur; Septimum pro equitationibus, navigationibus, machinis equaticis &c. Octavum pro textoribus & pannificibus; Nonum & Decimum pro artibus ædificatoriis, architectis, doliariis, tornatoribus &c. Vndecimum pro Musicis, pictoribus, cælatoribus, typographis &c. Vid. pluribus Historia Societatis Regiæ.

CLVI. Præter Reformatam Religionem in Angliâ cœtus Sacri penè omnium Religionum tolerantur, adeóque Anglicanæ Ecclesiæ status est valde turbatus. *Puritani* ibi vocantur, qui constitutiones Ecclesiasticas non satis puras in Anglia esse, & religionis cultum in multis Papistico fermento infectum existere conqueruntur, totámque Hierarchiam Episcopalem nimio fastu & potentiâ intolerabilem, sublatam cupiunt. Factiones Ecclesiasticæ hodie ibidem sunt præpotētes duæ, nempe *Presbyteriani & Indepēdentes*, qui fidei suæ rationem nemini reddere volunt, Regiménque Ecclesiasticum tyrannidem sapere clamitant.

CLVII. Presbyteriani & Independentes in eo conveniunt (1) Confessione fidei & articulis Religionis Reformatæ omnibus, nullâque inter eos & Reformatos transmarinos alicuius momenti est discrepantia. (2) Vtrique Ecclesias particulares per Presbyteros, cùm docentes, tum regentes gubernant. (3) Ius vocandi Ministros apud utrósque est penes Ecclesiam. Discrepant autem in sequentibus (1) In Ecclesiarum particularium institutione. Presbyteriani siquidem quosvis, qui non aperto scandalo & impietate vivunt, tanquam membra Ecclesiæ suscipiunt, & numero

Eee potius,

potius, quàm delectu gaudent. Independentes strictiores & rigidiores sunt in Membris Ecclesiæ admittendis, visibilem sanctitatem requirentes. (2) In Ecclesiarum particularium gubernatione. Presbyteriani enim suas Ecclesias habent in templis publicis; Independentes partim in templis, partim in privatis ædibus aliísque locis. Presbyteriani ad S. Synaxin admittunt quosvis notos sibi, si scandalo aperto careant; Independentes eos tantùm, quos non sceleris tantùm puros, verùm etiam vitæ integros, in divinis Scripturis rebúsque Theolog. probè versatos norunt. Vid.pl.ap.Dn.*Funccium* p.534.

CLVIII. Sub Independentibus latent in Anglia (1) *Anabaptistæ*, moratiores tamen quàm alibi, inque fidei capitibus plerisque excepto Pædobaptismo, consentientes. (2.) *Antinomiani* qui V.Testam. tanquam jam completum, & abolitum reiiciunt, solúmque N. amplectuntur Testamentum (3.) *Antiscripturiani*, qui totam reiiciunt Scripturam, solo Spiritu, quem cum Prophetis & Apostolis se communem habere aiunt, contenti, conciones & exercitia Ecclesiastica reiiciunt. Hos sequuntur *Quackeri*, qui frequenter in tantas Ecstases incidunt, ut toto corpore contremiscant, unde Gallicè *Trembleurs* vocantur, quia, ut perhibent, magnitudinem splendoris divini, quo obruantur, perferre nequeant, vel intra se continere, & tam horrendum clamant, ut homines pariter atque bruta inde terrore resiliant. Postquam ad se redeunt, de immensâ gloriæ illius majestate multa & magnifica jactant, ignaro populo summâ cum admiratione auscultante, similémque

milémque beatitudinis sensum exoptante. (4) Varii adhuc alii *Fanatici*, qui potius defectu mentis, morbóque hypochondriaco, quàm hæresi aliqua laborant. (5) Politicam magis, quàm religiosam sectam constituunt *Levellerii*, qui Status Democratici vel potius anarchici sunt studiosissimi. Leges naturales maximè urgent, quibus cuivis homini potestas æqualis in Rempubl. eiúsque administrationem data sit; nec alterum alteri superiorem aut inferiorem honore & opibus esse debere, sed omnia æqualia ac qu. communia habenda tradunt.

CLIX. Sub Carolo I. exarserunt acerrimæ de Regis & Parlamentorum potestate disputationes. Rex sibi arrogabat auctoritatem à solo Deo dependentem, libertatem convocandi Parlamenta, in iísque votum negativum habendi, jus pœnarum, earúmqte remissiones, jus belli, fœderum, cudendæ monetæ, jus circa sacra *&c.* Parlamentum contra sibi concurrentem jurisdictionem competere asserebat, eámque Rege contra juramentum agente, converti in absolutum Dominatum tradebat, ita ut integrum esset Parlamento, illum non quidem ut Regem, sed ut proditorem submittere judicio. Quum contentio hæc spectaret ad bellum, *Standardum* Rex antiquo more erexit, ut ad eum subditi armati confluerent. Sed tantus concursus non fuit, ut Rex arbitratus fuerat, plebeiis à parte Parlamenti, Nobilibus à parte Regis stantibus. Copias Parlamentarias, quibus Comes Essexius præerat, funditus delere potuissent Regij, nisi prædæ cupiditate rapti, ipsam victoriam in medio reliquissent. Facilè

etiam tum ipsum Angliæ cor, Londinum occupari potuisset; Sed obstitit fatalis error. Fairfaxius dein Parlamentariorum Generalis Regem in tantas redegit angustias, ut ad Scotos fugere cogeretur, qui tamen acceptis 100000. libris Sterlingarum Regem Anglis vendiderunt hac lege, ut pristinæ restitueretur dignitati, id quod Fairfaxius sumptâ Cœnâ Dominicâ confirmavit. Rex dein in carcerem coniicitur, judicio sistitur, & frustrà se opponentibus Scotis, capitis damnatur, & à Parricidis Parlamentariis d. 30. Ian. 1649. capite plectitur. O Angliæ infelix caput! quod ita amputatum.

CLX. Editi habentur pro parte Regis Tractatus optimi, sub tit. Variorum Tractatuum pro innocentiâ Caroli Regis Sylloge. Scripsit etiam in eadem causa ad Carolum II. Regem modernum. Cl. *Salmasius* sub tit. *Defensio Regia pro Carolo I.* Dn. Conringii expectationi propterea non satisfacit iste Tractatus (1) quod opusculum istud tumultuariâ operâ conscriptum sit. (2) Quod non distinxerit inter varias Regnorum species. Salmasium mordacissimo scripto excepit Anglus Ioh. *Miltonus*, cui tit. *Defensio pro populo Anglicano* contra Salmasium; qui etiam secundam defensionem contra infamem (ut vocat) Libellum anonymum, cui tit. *Regii sanguinis clamor ad cœlum adversus parricidas Anglicanos* Londini an. 1654. edidit. Sed iste petulans scriptor æquo judicio caruit, & prudentiæ Politicæ fuit imperitus, eóque in suis libris collimat; quasi summa potestas soli debeatur populo, quódque penes illum jure naturæ sit summa potestas, & ita existimavit

Statum Democraticum in Republica esse optimum.

CLXI. Post Regicidium in Anglia abrogatâ Parlamenti Domo superiori exorta est Democratia. Vnde & tum temporis Rex Sueciæ titulum hunc Anglis dedisse legitur: Bonis nostris amicis & Fœderatis Reipublicæ Anglicæ, Scotiæ & Hiberniæ Illustriss. & Excellentiss. Proceribus &c. Sed mox Oliverius Cromvvellius exoso nomine Regio abstinens, sub nomine Protectoris vim plus quàm regiam complexus, Rempubl. in Protectoratum mutavit. Hic callidus Angliæ Tiberius (vid. scriptum cui tit. Cromvvellius cum Tiberio comparatus) Politicus sine exemplo (vid. lib. Noribergæ Germ. excusus cui tit. Politicus sine exemplo) è nobiliss. Walliamsoniorum familia, qui tempore Henrici VIII. Cromvvellii appellari cæperant, trahit. Quum tirocinium studiorum & artium liberalium in Acad. Cantabrig. absolvisset, in totum ad rempub. gerendam actiones suas composuit; alius semper videri, quam esse maluit, sui semper quàm dissimillimus. Audiit Protector Libertatis Anglicanæ, quum tamen ejus fuerit supplantator & eversor severissimus. Voluit videri pacis studiosissimus, cum tamen in Regno exorientibus favillis semper oleum camino addiderit. Videri voluit religiosissimus tantum ut effrenem & ex legem dominatum suum stabiliret. Nomen regium speciетenus contempsit, quum tamen sub titulo Protectoris fuerit plus quam Rex. Sentiens ille, in stabiliendo suo dominatu prius restringendam Parlamenti esse potentiam, exauctorandam esse

 militiam

militiam, Regni item curam in deliberatione consistere mox executioni mandandâ, ex improviso securos aggrediebatur, increpitáq; cunctatione præterlapsum jam terminum conventus nunciabat (strictâ enim computatione quinquies 28. dierum tempus transierat) quum Parlamentarii interim mensium naturalium computatione ad minimum sibi decendium restare, quo omnia consulta subscriptioni & executioni mandanda erant, persuasi forent. Sic ergo continuo præsente exercitu dissolutum Parlamentum, perque plateas distributo milite tantus omnibus injectus terror, ut ne mutire quisquam ausus fuerit. Nihil autem eâ deliberatione omninò peractum, sed obsignatis actis omnes patuere consultationes, è quibus inposterum consilia sua metiretur Cromvvellius. Atque sic quidem illo actu triennium (tanto enim temporis spatio Parlamentum convocare vigore *Instrumenti Protectorii* Londini 1653. d. 16. confecit) prudenter lucratus, Dominatum interim non mediocriter Cromvvellius sibi stabilivit. In prædicto autem Instrumento Protectorio concessa Cromvvellio jura belli & pacis, fæderum, ferendarum legum, conferendi dignitates, eligendi pro lubitu Consiliarios status, indicendarum collectarum ordinariarum &c. Et ut is reus læsæ Majestatis esset, qui contrà mussitare auderet. Ex quo patet Democratiam Anglicanam conversam fuisse in herile imperium, ut adeò Angli cupientes vitare Scyllam inciderint in Charybdim. Verè scribit Autor Notarum Histor. Polit. in vitam Oliverii Cromvvellii &c. quæ an. 1658. prodierunt §. 5. *Nullam gentem licentiosius domi-*

nium

nium in alium transtulisse Regem, quàm Anglos in suum Cromvvellium. Cromvvellius supremæ potentiæ affectatæ suspicionem ut procul amoliretur, sensimque prensando solidiorem redderet, simul ac Democraticis palpum obtruderet, communicato cum Præfectis consilio decrevit: Summam rei selectis undique sanctis & piis hominibus, numero centum quadraginta quatuor per sex menses esse committendam; quos penes foret omnia temperare, atque eâ prudentiâ regere, ut, vitiis planè deletis omnibus, concordia & pax alma genti affulgeret. Igitur, adstipulante Cromvvellio, Præfecti exercitus, è sanctissimis quos norant, & investigare poterant, uniuscujusque Comitatus & Municipii, totidem sanctos evocavere, quos jam clavo admovent, de arduis trium Regnorum negotiis consultaturos, homines maximam partem illiteratos, ex imâ fece, proletarios, at eosdem Zelotas, Catabaptistas, Christocraticos, Democraticos, Fanaticos, & ex omni sectâ turbones nequissimos. Hisce tamen intermiscebantur (quos ille fidos fecerat beneficiis & maximè obnoxios) Cromvvellii callidiores asseclæ, qui cæteros ex occasione moderarentur, insanáque molientibus frenos iniicerent. Vid. pl. Georg. *Bateus* in Elench. motuum nuper. in Anglia pag. 189.

CLXII. Pertæsus tandem populus Cromvvelliani regiminis & impotentis dominatus, tandem ad pristinum statum rursus anhelare cæpit. Vnde extincto Cromvvellio *Mònckius* id unicè pugnavit & enisus est, ut Carolus II. è Bataviâ in Regnum revocaretur, id quod tandem feliciter contigit an. 1660. d. 8. May ingressusque Londinum.

Londinum d. 8. Iun. Et paulo ante Regis adventum Domus Superior, quam sustulerat Cromvvellius, fuit restituta.

CLXIII. Regis Angliæ ratio status in eo est, ut concordiam in Regno suo alat, factionúmque reliquias penitus extinguat. Anglia quum plus discordiis civilibus quàm alia Regna, sit obnoxia, & quasi animal tam vastum sit, ut non nisi propriis manibus mori possit; hinc meritò Regum suprema lex est, ut omnes partialitates in populo suo tollant. Deinde etiam ratio status in eo consistit, ut Religio Romano-Catholica incrementa non sumat, ne hujus prætextu Hispani rebellionem in regno concitent. De Classe, & favore erga Protestantes Reformatos alibi dicam.

TEXTVS CONRINGII

De

REPVBLICA ROMANA PONTIFICIS.

TITVLVS XXII.

I. IN Principatu Pontificis majus ſtudium & opera collocāda eſt: Nam non habet parē, & cum eo conflictatur univerſa Europa: Accedit quod pars bona illius Monarchiæ creditur eſſe ſacroſancta, & ita à Deo conſtituta, ut faciat ad ſalutem æternam conſequendam. Certè nullum argumentum occurrit adeò temerarium & nullum etiam eſt, quod ita negotium poſſit faceſſere. *Quare Principatus Pontificis magno ſtudio cognoſcendus.*

II. Pontifex tenet, vel arte ſibi arrogat duplicem Monarchiam, quarum alteram poſſis dicere temporalem, ſeu civilem, alteram ſacram. Differt autem una ab altera toto cœlo, & quidem civilem habet communem cum multis aliis Regibus & Principibus; at ſpiritualem ipſi propriam eſſe vult. Principatum illum ſacrum poſſis dicere *Vice-Deatum*. *Pontifex duplicem ſibi arrogat Monarchiā temporalem & ſacram.*

III. Extant de Principatu temporali varia cri-

Scripta de Monarchia Pontificis. ſcripta: Nam qui Reſp. tradiderunt, ſolent agere de Principatu Pontificis. In Belgio tamen nihil hac de re eſt editum. De jure ſacræ Monarchiæ diſputationes multas reperire licet. Plurimi defendunt partes Pontificis, quod talis ei debeatur Monarchia, & quidem de jure. Sunt etiam inter ipſos Pontificios, qui contradicunt. Cæterùm inter eos, qui Rom. Eccleſiæ ſunt addicti propugnarunt hoc dogma *Ieſuitæ*, qui inter vota alia in propugnationes Monarchiæ Pontificiæ jurant: ſi fortè animo aliter ſentiant, non audent hoc profiteri: *Proteſtantes autem non dubitant unanimi conſenſu eum vocare Anti-Chriſtum.* Talia ſcripta contra Pontificem invenies quàm multa. Vtuntur autem non iiſdem argumentis, aut ſcribendi modo; alii oppugnant eum, demonſtrando modo, quod in Eccleſiâ antiquâ tale quid nunquam fuerit auditũ; & illi ſolent quàm maximè provocare ad antiquum Eccleſiæ uſum; qua in tractandi ratione prævalet *M. Ant. de Dominis* in lib. de Rep. Eccleſiaſticâ. Hic fuit Italus educatus in ſcholis Ieſuitarum, inde, cum ingenio præditus eſſet acerrimo, in numerum Clericorũ adſcitus, & factus eſt Archiepiſcopus Dalmatiæ & Croatiæ. (vid. Gramond. p. 169. hiſt. Gall.) Refutavit librũ illũ Gallicè Nicolaus Coëffeteau Theologus Pariſienſ. ſed ineptè. Poſt hoc opus commendaverim opus *Davidis Blondelli* de primatu Papæ, qui iiſdem utitur argumentis, quæ tamen ab omnibus non facilè poſſunt intelligi, ideò quia nolunt tempus impédere in evolvendis patribus, vel etiã non norunt evolvere. Cæterũ ego magni facio talia ſcripta, ſed naturâ nota argumenta ſimul debent adhibere.

Ieſuitæ propugnatores Põtificis.

M. Antonius de Dominis.

Blondellus.

beri. Ego in libello fundam. Fidei Pontificiæ Concuss. revocavi omnia ad principia nobiscum nata. Inveni quidem Iesuitas duos [add. *Erbermannum & Mulmannum*] Capuccinum unum, [add. *Valerianum Magnum*] alterum Canonicum, qui mihi contradixerunt. Nunc quidem intelligo duos fratres Nobiles Walenburgicos rursus novam moliri concussionem, videbo quid possint. Cæterùm de ipso regimine illo, & qua ratione hæc sua jura Pontifex in actum deduxerit, non video à quoquam traditum esse. Quibus artibus utantur ad stabiliendam Monarchiam & conservandam, nemo pro dignitate tradidit. *Conringii fundamentorũ fidei Pont. Concussio*

IV. Nunc de principatu civili. Romani Episcopi, ut & alii omnes per universum orbem, libertate Christianorum & piorum hominum jam ab aliquot seculis patrimonium sibi compararunt sic satis opulentum; quod erat partim in Galliâ, in Italiâ, partim in Siciliâ. Habebat Ecclesia Romana olim, ut nunc, bona sua Ecclesiastica sparsim sita huc illuc, & jam seculis IV. V. VI. VII. non defuit Papæ opulentum patrimonium. Cæterùm caruerunt jurisdictione, nec habuerunt arces, castella, Vrbes, Regiones integras, sed ex agrorum proventibus & vectigalibus constabat eorum patrimonium. *Examen Civilis Principatus Papæ. Origo sacri patrimonii Episcoporum. Patrimonium Ecclesiæ Romanæ*

V. Romani Pontifices comiter admodum induxerant imperia, ut sc. regna sua committerent D. Petro (vide Henelii otium Vratislav. c. 54. de primatu D. Petri:) dein etiam oraverunt, ut permitterent exigere collectas in sustentationem pauperum, qui Romæ essent, templorum & lychnorum. Tandem has collectas non dubitarunt *Hierarchiæ Ecclesiasticæ origo.*

runt exigere, ut vectigalia, ita Ioannem [add. *alij cùm vocant Angliæ Inam*] Angliæ Regem Innocentius III. Papa coëgit, ut tria Regna sua Angliam, Scotiam & Hyberniam vectigalia faceret.

Patrimonii Divi Petri origo. VI. Cæterùm seculo VIII. cœpit novum patrimonii genus: Italiam totam tenebant Longobardi partim, partim Imperatores adhuc, qui sedem suam fixerant Constantinopoli relictâ Romanâ: hi partem illam Italiæ per suos curabant Magistratus, quorum caput erat, qui Ravennæ præsidebat, dictus Exarchus Ravennatensis. Cæterùm inter Impdratores illos nonnulli fuerunt, qui cum ferre non possent improbum illum cultum imaginum, curarunt confringi imagines, tanquam materiam idololatriæ, quæ res immanes in Oriente & Occidente dedit turbas. In Italia omnes erant cultui imaginum dediti; Imperatorum autem vires in Italia erant tenues, atque exiguæ. Hinc populus Italiæ ad libertatem adspiravit. Cùm igitur Leo Isaurus imprudentissimo consilio mandasset, ut populus confringeret imagines, populus ita incanduit, & quidem instinctu Cleri, ut nomen Imperatorum deleverit, & se imperio illorum subtraxerit: Cæterum cum infirma esset eorum potestas, & auxilium orientale exiguum, cœperant Longobardi occupare illas terras, & ipsi imminere Romæ: Põtifex verò Leo nudatus omni auxilio atque præsidio, cum se defendere non posset, clanculum in Franciam profugit, & pepigit cum Pipino, ut defensionem susciperet Romanæ Ecclesiæ. Prætendit ille, & persuasit Pipino, omnes Italiæ terras pertinere ad Romanum Pontificem. Constantinum enim

Occasione Iconoclastiæ in Italia Papa incremẽta sumit.

Leonis Isauri imprudẽs consilium.

Pipinus plantas κλιθα ποταμίων.

Magnum

Magnum donasse Divo Petro, & Pontifices hactenus impeditos exercere jus suum: Cæteroquin ad eos pertinere ex prædictâ donatione: Petit itaque ut redderet S. Petro, quod debebatur ipsi.

Donatio Constantini M. prætextus Paparum.

VII. Vt erat tum temporis magna superstitio, Pipinus, qui favore Pontificis indigebat, ut nomen & titulum Regis Franciæ acciperet, suscepit defensionem, & jussit omnes Provincias Exarchatus Papæ dari: Ille, qui Pipino successit, Carolus M. iterum invocatus à Papâ, invasit Longobardos, & omnes illas terras quas Pater dederat Pontifici confirmavit, & totum Regnum Longobardicum exscidit. Ita Pontifex nactus insignes regiones dono Pipini & Caroli M. Donaverunt, quia sc. putarunt, deberi illis ipsas terras. Editæ sunt per Iesuitam Gretserum Epistolæ variæ Caroli M. ad Pontificem Leonem, & vicissim Pontificis ad Carolum M. stylus est scaber, sed, quia aspirat ad cognitioné illius temporis, omnino debet legi. Ibi licet observare, quibus artibus Rom. Pontifices induxerint Reges Francorum, ut donarent illas terras. A me etiam editæ sunt literæ ex membrana.

Donatione inconsulta Regum Fräcorũ crevit Dominium Papæ.

Per technas & imposturas crevit Regnum Papale.

VIII. Observandum verò, initio voluisse Papam plenum jus sibi arrogare in omnem illam terram, sed populus refragabatur, qui malebat libertatem, & novum erat, Papam Ecclesiasticum velle dominari Hinc Roma insurrexit adversus Papam Leonem, qui coactus iterum fuit invocare Carolum M., eúmque creare Imperatorem in totum exarchatum Ravennatensem & Imperii Occidentalis reliquias. Vis ergo & Iurisdictio mansit penes Carolum, proventus verò accepit Pon-

Quatenus Provinciæ à Cæsaribus Papis datæ.

Pontifex fuit sub Imperio constitutus usque ad Henricū IV. Imp.

Pontifex. Ita cœpit paulatim potentia Romani Pontificis in Italiâ; reverà itaque Rom. Pont. factus quasi magnus aliquis Princeps, sed sub Imperio constitutus, & ad hunc modum penè res se habuit usque ad tempora Henrici IV. Imp. ita ut bona Italiæ pars numerata fuerit sub Imperio Pontificis, ita tamen ut Imperatori subjecerit.

Mathildis Hetruriam Papæ in testamēto reliquit.

IX. Tempore Henrici IV. fœmina Mathildis Comitissa Thusciæ, per omnem Hetruriā hæres, quæ Rom. Pontifici hæredem scripsit, & ita accessit Hetruria patrimonio Pontificio. Hæc autē res magnas dedit turbas, & Imperatores nostri ferrē hæc non potuerunt æquo animo. Illa etenim Mathildis feudi nomine possidebat bona, quæ non poterat invito Domino alienare. *Hinc* ortum bellum; & prævaluit pars Imperatoris, donec seculo XIII. concidente Imperatorum potestate per Italiam, accesserit Pontifici & illa pars, & Imperatores ex totâ pellerentur Italiâ, ut nil præter nomen haberent. Hæc est Mathildis cui Vrbanus VIII. curavit ingens monumentum extrui & elegnas carmē cōscripsit, quod inter ipsius odas reperitur. *Ex illis itaq; terris, quas donavit Pipinus & Carolus M. ut & Mathildis constituitur illud, quod dicitur Patrimonium Petri* Kirchen-Staad. Vtrum autem omnia jura in illis perdiderint Imperatores nostri vid. lib. de fin. Imperii.

Patrimonium D. Petri ex quibus terris constet.

Comitatus Avenionensis ad Papā spectat.

X. Præter has terras tenet Regni Burgundici partem in Galliâ, Comitatum sc. Avenionensem prope Arausium. Quemadmodum illum sibi comparaverit, & quemadmodum Papæ Carolus IV. omne jus resignaverit, potest legi in lib. de fin. Imp. Notum autem per annos 70. Papas se-

dem

dem suam tenuisse Avenione sec. XIV. relictâ Româ.

XI. Idem habet jus etiam aliquod feudale in Regnum Neapolitanum. Reges prisci ex familiâ Normannicâ obtulerunt Rom. Pontifici Regnum illud, ut & Siciliam, & receperunt feudi jure à Pontifice, ut eo major autoritas esset ipsis, cum essent Principes novi, nec magnæ autoritatis. Hinc feudum hodie est Ecclesiæ Romanæ Regnum Neapolitanum, & Rex Hispaniæ solet quotannis Pontifici equum candidum, & aliquot mille ducatos mittere in recognitionis signum. *Pontificis ius in Regnum Neapolitanum.*

XII. Quod verò ad Siciliam attinet, Rex Hispaniç non amplius agnoscit Pontificē Dominum, licet jus adhuc Papa prætendat, sed frustrà. Cardinalis Baronius Tom. XI. ann. prolixè propugnavit jus Pontificis in Siciliam, sed non dubitavit Rex Hisp. Philippus II. illam partem annalium lege prohibere, & prohibuit quoque ne venalis reperiatur usquam tomus ille XI. per universum dominium Hispaniæ. Cum recuderentur in Belgio illi annales, tota illa disputatio est deleta. Solet etiam jus prætendere in omnia denique Europæ Regna. Vide Eugubinum de Monarchia Papali, cum stupore legit quis illum. Franciscus Pozzius. Eugubinus de temporali Ecclesiæ Monarchiâ & jurisdictione, Coloniæ in 8. *An in Siciliam Papæ ius competat.*

XIII. Observandum est Gregorium VII. Papam eâ fuisse fronte perfrictâ, ut non dubitaverit scribere ad omnes Europæ Reges, quod Regna teneant, non nisi ex commissione Papæ. Extant illius Epistolæ. Illa verò jura solet ex donatione Constantini M. sibi arrogare, vel quod Re- *In Greg. VII. Pap. Imperiū stabilitū.*

ges, quum primitus ad Christianam Religionem pervenerint, sua Regna donarint & obtulerint D. Petro. Ita Clodovæum Regem Francorum, simul ac Christ. religionem assumpserit, donasse D. Petro Franciam. Et hæc scripsit ad Regem Hisp. Galliæ, Poloniæ &c. Solet tertiò accedere, quod sit vice-Deus in terris. Acerrimè verò sese opposuere Imperatores nostri talibus dogmatibus, & nullum populum Pontifex magis afflixit, quàm nostros Germanos. Nam facilè vidit se non posse scopum assequi, nisi everso Imperio Germanico, quod etiam per Italiam evertit.

Pontifex Germanici Imperii Saulus.

XIV. Seorsim jus aliquod in Angliam vendicat. Ioannes III. Rex, cum in summas redactus esset angustias, & maximè metueret à Francorum Rege, obtulit Angliam Romano Papæ, & accepit ab eo in feudum. Fecerunt idem pauci successores, reliqui noluerunt. Simulac enim Proceres hoc agnoscerent, parum abfuit, quin Rex regno eiiceretur.

Pontificis prætensio in Angliam.

XV. In nostros Germanos inprimis invectus est prætextu Romani Imperii, quod usurpare cœpit tanquam jus aliquod, quod à sese conferretur in Imperium Germanicum, & imperium esse beneficium Papæ. Otto Frisingensis narrat historiam, quod cum Adrianus illa voce beneficii abuteretur, parum abfuit, quin Principes Imperii Legatos Pontificis interfecerint. Hodie verò non agnoscitur feudum, præterquam solum Regnum Neapolitanum.

Pontificis prætensio in Germaniam.

XVI. Interim tenet illas terras, quas vocat patrimonium Petri, & sunt exarchatus Ravennatensis Hetruria, Longobardia. Debetur verò illud patri-

Pontifex quas possideat terras.

patrimonium superstitiosæ Pipini & Caroli M. religioni. Fabula illa donationis Constantini M. fundamenta jecit Principatui põtificiali. Ad hunc modum mansit ille Status Pontificius per Italiam tempore Ottonis III. & Henrici II. Conradi I. Henrici III. Imperatorum. At tempore Henrici IV. tanta est facta mutatio, ut Pontifices, qui erant subditi, cœperint Imperatores fieri, adeóque totus status inverso ordine mutatus est. Id est extra controversiam, tametsi hodie nomine tenus agnoscant Imperium, non tamen nisi in speciem fiat, atque adeò, ut sibi magis devinciant Imperiũ, quam ut quicquã juris illi addant. Iure verò optimo Imp. jus competere in Pontifices vid. de fin. imp. Contigit Pontifici idem quod aliis contingere solet principatibus Episcopalibus temporalibus, quales in Germania sunt Archiep. Episcopatus. Hinc in notis ad Marchiav. c. 11. reprehendi, quod dixisset principatum Pontificium esse sine exemplo: Ego contra ostendo, illum verè & omni ex parte convenire cum nostris Archiepiscopatibus & Episcopatibus, tametsi abjecto jugo Cæsarum nostrorum debuissent jam meritò Rom. Pontifices parere, revera tamen res se aliter habuit. *Principatus Pontificiũ quando cœperit.*

XVII. Opposuit se huic Dominatui Roma Vrbs, nec per aliquot secula potuit imperare Pontifex aliquis Romæ. Circa annum 1400. cœperunt Papæ illi imperare. Contigit huic idem quod Archiep. & Episcopis, qui paucissimi in nostro imperio habent imperium in primarias Vrbes Cathedrales. Sic Colonia non paret suo Archiepiscopo, nec Treviris. Moguntia (non ita diu est) cœpit parere Archiepiscopo; ita Argentoratum, *Roma Vrbs sese opposuit Dominatui Papæ.*

tum, Spira, Wormatia, Ratisbona sunt liberæ Vrbes Imperii, quæ jugum Archiepiscoporum abjecerunt. Notandum non Romam tantùm se opposuisse, sed voluisse etiam jugum simul abiicere, inque libertatem se vendicare; ita quoque Vrbs Bononia fecit, diu retinens integram libertatem.

Jactura Patrimonii D. Petri tempore Ludovici IV. Imp.

XVIII. Ingentem jacturam fecerunt Pontifices rerum suarum, postquã Clemens V. Papa transtulit Româ sedem Avenionem in Galliam sec. XIV. Caruit Italia Pontifice, & sic terræ Pontificiæ sunt dilapsæ. Ludovici IV. tempore hoc contigit, qui maximè adversantem habuit Pontificem. Populum autem ditionis Pontificiæ habuit faventem. Hinc invitis Pontificibus ivit Romam & se passus est ibi coronari: non dubitavit ditionem Pontificiam aliis donare, modo huic, modo illi, ut haberet faventes Italos adversus Papam: ita venerunt in aliorum manus omnia Papæ, nec potuit recuperare, nisi seorsim, & coactus fuit in feudum concedere iis, quibus Imperator donaverat. Hinc nati tot principatus in ditione populi. vid. Conr. ad Machiav. p. 121. 122. 123. Cæterùm cœperant paulatim Pontifices omnia ad se trahere, & ita etiam tenent; si pauca excipias feuda, quæ data sunt Parmensi arctissimo imperio. Testatur Machiav. c. 11. quàm vilis fuerit in Italia Papæ autoritas temporalis, quia sc. omnia erant in manibus Ducum & Marchionum, & Principes non dubitarunt Papam armis aggredi, & sede quoque pellere.

Principatuum origo in ditione Pōtificia.

Alexan. VI. & Cæsaris Borgiæ conatus & molimina.

XIX. Alexandro VI. filius fuit nothus, Cæsar Borgia, aut aliàs dictus Dux Valentinus, quem

quem Machiav. non dubitavit proponere in exemplum prudentis Principis. Ipse Papa erat homo nullius fidei, nec conscientiæ, nec credidit esse Deum, nec infernum, aut animam immortalem. Nemo repertus est, qui in tantâ felicitate & impietate vixit. Perturbavit totum orbem terrarum. Cùm hic haberet filium Borgiam hominem callidum, & ambitiosum cogitavit pater de filio suo locupletando, nec filius defuit consiliis; hinc hoc egit, ut in ditione Italicâ omnes Principatus tolleret, ut filio cederent. Voluit novam Monarchiam condere, terras aliis Principibus eripere, & donare filio suo, nec infeliciter cessit, multos interfecit, multos expulit, & sic brevi factus dominus Principatuum plurium. Voluit etiam Romam subiicere, & parum abfuit, & nisi pater maturè morte abreptus fuisset, subjecisset sibi omnia, quæ erant ditionis pontificiæ. Verùm præter expectationem occurrit vindicta divina; dum enim vellet potentiores Cardinales clanculum veneno tollere, atque in hanc rem vocasset eos ad cœnam, imprudentiâ pocillatoris factum, ut magnam partem veneni ante cœnam potaverit Papa pater & filius. Papa senex non potuit diu vivere. Filius etiamsi non statim mortuus, ita tamen res suæ corruptæ sunt, ut etiam status ejus corruptus planè fuerit.

Iulius II. bellator restituit ditiones Ecclesiæ Rom.

XX. Successit Iulius II. quo nemo & Alexandro & Borgiæ fuit infensior: fuit magnus bellator, & totam Italiam armis turbavit, hic omnes terras, quas Cæsar Romanæ sedi eripuerat, in usum suum reddidit, sed & dedit operam, ut & reliqui Principes tollerentur è medio, atque ita

factus est hæres sceleris Borgiæ. vid Machia.c.11. penè nihil mansit in manibus Principum, nisi quod deinde Ferrariæ Principes sua recuperaverint, sed ægrè admodum: itidem Duces Vrbini, reliqui omnes suis bonis spoliati sunt, nec unquam restituti. Cæterùm Ferrariensis Ducatus fuit restitutus, atque deficiente sobole legitimè natâ, totus Ferrariæ Ducatus, tanquam feudum Rom. Ecclesiæ junctus à Clemente VIII. ut nihil superfit, nisi Ducatus Parmensis, quem Iulius III. Pontifex instituit, donatis Parmâ & Placentiâ Vrbibus filio naturali P. Aloysio Farnesio.

Ferrariensis Ducatus ad Papam devenit.

Parmensis Ducatus origo.

Paparũ Lex fundamentalis nulli vacuũ feudum cedere.

Quare illud non olim fecerint sed hodie faciant.

XXI. Cautum porrò à Rom. Pontificibus, nulli feudum vacuum in posterum concedere: absque hoc si fuisset, ditasset Cardinales Barberinos Vrbanus VIII. sed non potuit. Omnes enim Papæ coguntur hoc jurare. *Quæritur cur non olim fecerint hoc Rom. Pontifices, & hodie faciant?* Resp. quia olim tanta vis pecuniæ ex Europâ veniebat in ærarium Pontificis, ut proventus ex illis ditionibus ne flocci facerent. At magna mutatio facta est statim à Concilii Constantiensis temporibus, atque Lutheri. Nam ut bellum religiosum exortum, integra Regna desciverunt à Rom. Pontifice, cui omnes homines, omniáque Regna curaverant fieri vectigalia. Dein cum jam Regna illa constent dimidia parte ex Protestantibus, ut in Germaniâ, Hungariâ, Poloniâ, & in Galliâ quoque bona pars; hinc facilè quis videt, Pontificis reditus esse præcisos. Hinc Papæ non sunt ita liberales, ut olim. Cum Ergo Papæ observent eò redactos sese esse, ut nonisi ex ditione suâ thesaurũ possint sibi corradere, defecturam pecuniam,

Papæ arcana intentio in Italia.

ideó-

ideóque dant operam, ut omnem Italiæ ditionem redigant in potestatem suam, atque nullum non moveant lapidem, ut, si fieri possit, iterum sui juris faciant Regnum Neapolitanum.

XXII. Dominatum potentem exercent in subditos suos, perinde ut fit à reliquis Italiæ Principibus. Ditio ergo Rom. Pontificis debet haberi tanquam regio, cui Papa imperat. Primaria Vrbs est *Roma*, atque magnitudine, ac divitiis par Romæ *Bononia*. *Dominatus Papæ qualis.* *Roma.* *Bononia.*

XXIII. Habet à latere uno Hispanum tanquam Regem Neap. vasallum quidem, sed potentem, & qui, si utilitas exposcit, possit cogere ipsum Papam: ab altero latere habet Magnum Ducem Hetruriæ, seu Florentinum; Vrbem Lucam, & Remp. Venetam, Ducem Mantuæ, Mutinæ, Rhegiiq; & denique etiam Parmensem, sed vasallum suum, & Ducatum Mediolanensem. Quamvis verò habeat vicinos ita potentes, non est tamen quod sibi metuat ab omnibus. Non enim conspirabunt facilè in unum. Nam habent se invicem suspectos Italiæ Principes, nec ideo patientur, temerè addi aliquid virium ulli. Veneti non patiuntur aliquid virium addi Regi Hispaniæ & sic per consequens. Veneti non sunt pares Pontifici, & si velint bellum gerere, semper habent auxilia Hispanica, aut Gallica. *Vicini Papæ.* *Quatenus sibi ab iis metuat.*

XXIV. Constat ditio pontificia (1) Vrbe Roma, & quod solet κατ' ἐξοχὴν dici patrimonium Petri, [add. *O quam nunc illuditur nomini Petri!*] & ager Romanus, qui olim dictus & Latium, illa terra, quæ est ad utrumque latus Tyberis. Habet deinde totum Ducatum Spoletanum, *Ditiones Pōtificis.*

Marchiam Anconitanam, Ducatum Vrbinatensem, Romaniolam, cujus caput quasi est Ravenna. Romaniola pertingit & extendit se ad utrumque mare. Demum quoque Ducatum Ferrariensem & si feudum aliquando fuerit vacuum, Ducatum Parmæ & Placentiæ.

Commoda & incommoda ditionũ Pontificiarum. XXV. Quoniam autem ditio Pontificia adjuncta utrique mari, & commodis & incommodis patet, quæ à mari venire solent, à piratica scil. & si Turca prævaleret contra Venetos, ditio pontificia esset in magno discrimine, quæ ad mare Adriaticum sita est. [add. *Hodie capta à Turcis Candia, discrimen est eò maius.*] Hoc est, de quo sibi metuunt Anconitani, ut & in Romaniola *Loretto.* famosum illud fanum Lauretanum, *Loretto*, Donariis omnium eorum, quæ reperiuntur in toto terrarum orbe, ditissimum. A mari Thyrreno, non est quod sibi multùm metuat, quia ei saltem levi ex parte adjacet, & circa Tyberis Ostia satis *Civita Vecchia.* munita est, ubi est *Civita-Vecchia* seu civitas vetus, stationarium triremium Pontificis. Romaniola non habet quod sibi metuat à pyraticis incursionibus, quia non est dives. [add. *Ita cantat vacuus coram latrone viator; terræq; steriles raptores & piratas non metuunt.*]

Commoda ditionum Pōtificiarũ. XXVI. Commoda habet Pontifex, quod commercia maritima instituere possit, cum navibus possit appelli ad illam regionem; tota autẽ ditio constat agro fertili, & quidem omnis generis frugibus quàm maximè est fœcunda; hinc abun- *Metallis caret Italia.* dat ovibus, armentis, & aliis animalibus, metallis non item, etiamsi mediam Italiam secet Apenninus mons non tamen est metallifera. Memini

me

me legere ex Germaniâ esse accios metalli fossores, ut inquirerent, num mons Apenninus sit metallif.rus, respondisse eos, metalla esse admodum intractabilia, & argenti tam egena, ut sumptus non possint æquare reditus, qui forent impendendi. Circa Romam Cœlum admodum calidum, & ipsa Roma æstivo tempore minus salubris est, tum etiam ideò, quia Roma est ædificata super rudera antiquæ Romæ: Illa autem multas cavernas comprehendunt: ubi ab antiquis Romanis ingentibus sumptibus extructæ cloacæ, & si Tyberis se effundat, solet aqua se effundere in cavernas, ut propter vapores non possit esse salutaris aër & serpentes etiam in illis cavernis reperiuntur, & quidem in magno numero: deinde non tota Roma est silice strata, sed pulverulenta, ut diebus canicularibus non liceat in publicum ire propter pulverem, & muscas, quæ proculdubio ex cavernis proficiscuntur. Romaniola & Ducatus Ferrariensis est calidus. Est autem terra optima, ut vincat bonitate Soli Patrimonium Petri, & Marchiam Anconitanam. Ager Bononiensis laudatur præ reliquis omnibus Italiæ agris. Ditio Pontificia abundat copiâ hominum, & tamen licet Roma longè sit minor quàm olim: (vix enim æquat quartam Veteris Romæ partem:) attamen est urbs ampla, ac spatiosa, & simul hominum multitudine satis instructa, non tamen pro amplitudine loci: constat agris, vineis & ruderibus ut quarta pars sit vacua ab hominibus. Interim tamen habitant hodie ibi plusquam 60000. hominum, aliquot myriades olim fuerunt numeratæ.

Roma æstivo tempore minus salubris.

Causæ illius rei:

Roma longè minor veteri.

Numerus incolarum Vrbis Romæ.

Hominũ ingenia quomodo in terris Põtificiis cõparata. XXVII. Hominum ingenia varia sunt. Qui descripserunt illas terras, prædicant illos esse ab ingenio & animi robore satis instructos, verum penè in servitute detinentur; adeóque generosus animus in illis hominibus periit, ut solet fieri, si ingenia non excolantur. *Sunt in vindictã libidinẽ & otium proni.* Laborant homines isti vitiis Italicæ genti communibus, quod sc. in vindictam, libidinem, otium sint perquam proni.

Roma quãdo & quomodo ad culturam pervenerit. XXVIII. Est alias hodie Româ egregiè meliori sua parte culta, & sic Roma cœpit excoli intra 80. præter propter annos; ante hac non multum habuit splendoris. Verùm æmulatione Pontificum multum accessit culturæ. *Sixtus V. Papa excultor Vrbis Romæ.* Primus aliquid contulit Sixtus V. Papa (qui fuit filius Bubulci ex agro Florentino: ipse etiam jactabundus dicere solitus est, se splendida domo esse natum.) [add. Er were auß einem Durchleuchtigen Hause entsprossen] nam paternas ædes undique fuisse Soli pervias. *Obscuris natalibus ortus ad summa pervenit.* Ipse unà cum patre Bubulcum aliquandiu egit, abductus à Franciscanis Monachis tantûm profecit, ut in ordinem eorum reciperetur, & demùm ad Pontificatum eveheretur; Hic brevi tempore præfuit, sed maximam Vrbis Romæ curam habuit, maximum nomen sibi comparavit obeliscis aliquot, quos olim Augustus & Vespasianus Cæsar ex Ægypto ingentibus sumptibus apportari curarunt. *Aqua felix quænam Verũ nomen Sixti V.* Romam etiam ab aquis instruxit, quâ parte laborabat, quæ solet hodie appellari aqua fœlix, quia illi nomen erat Felix Peretius de Montaldo. *Munivit Castellũ S. Angeli* Idem castellum S. Angeli munivit, multis novis operibus additis, & con- *Thesaur⁹ Sixti V.* gessit quinque milliones auri, quos deposuit in-

tra

tra Castellum S. Archangeli Michaelis, additâ lege, illam pecuniam non esse consumendam, nisi summa urgente necessitate pro defendenda Ecclesiâ Romana, & recuperandis Regnis ab ea divulsis. Hæc verba vehementer ussere Reges Hispaniæ, qui hoc facilè potuerunt olfacere iis verbis se peti, sc. Regnum Neapolitanum debere rursus occupari. Verùm subitaneâ morte fuit sublatus, ut non dubitent quidam apertè profiteri, eum ab Hispanis clanculum veneno fuisse interemptum. Exemplum hujus Sixti V. æmulati successores, sed imparibus successibus. Ita Innocentius X. erexit Obeliscum, & qui nunc vivit [add. *Fuit tum temporis Alexander VII.*] erexit aliquod opus, in memoriam.

Sixtus creditur ab Hispanis veneno interemptus.

Qui post Sixtum Romam excoluerint.

XXIX. Est meritò quod laudes Romæ Bibliothecam MSS. longè instructissimam, Vaticanam dictam. Primus qui eam instituit fuit Sixtus IV. & Nicolaus, Pontifices. Multum adjecit Sixtus V. tandem mirum in modum aucta tempore Gregorii XV. qui curavit Romam transferri vastissimam Bibliothecam Heidelbergensem, quæ fuit Manuscriptis refertissima. Qui nunc præsidet sedi [add. *erat Alex. VII.*] præclaram præstitit operam, dum Bibliothecam Ducatus Vrbinatensis amplam pecuniâ transtulit Romam, & sic Bibliotheca illa Manuscriptis adeò referta est, ut nulla in toto orbe.

Bibliotheca Vaticana.

Qui eam primum instituerint & auxerint

XXX. Est porrò, quod homines meritò Romam advocet, magna copia antiquorum monumentorum. Fuit autem Roma olim omni genere monumentorum instructissima, verùm injuriâ hominum, & negligentia Pontificum plurima inter-

Monumenta antiqua Vrbis Romæ.

interciderunt. Supersunt hodie non quidem integra, sed admirandi operis sunt in æs incisa ab Antonio Warfrerio, & descripta ab Antonio Norbiana. Cùm primis, me judice, hodie excellit Amphitheatrum Titi, quamvis miserè sit vastatum; est tamen opus admirandum. Vid. Lips. de Amphit. Aliàs ingens copia per universam Italiam reperitur statuarum & operum antiquorum, quæ cum stupore orbis visuntur, nec in ulla orbis parte tot antiquitates reperire licet, quàm in Italia, maximè Romæ.

Amphitheatrũ Titi.

XXXI. Proxima est Bononia, omnium Vrbiũ Galliæ Transalpinæ maxima; non autem exactè adeò est munita ad nostrum morem, nec Roma. Hinc facilè superiori seculo ab exercitu Caroli V. occupari potuit, nec potest muniri, nec milite, nec armis instructa est. Castellum Angeli est quidem satis munitum, dicitur propriè Moles Adriani. Hic in monumentum, & ut haberet proprium sepulchrum condidit hanc molem saxeam, quæ ita aptata, ut hodie sit loco arcis, & ab Ottonis M. tempore ea vis & momentum in Castello situm est, ut qui teneret illud, teneret etiam ipsam Romam. Hodie verò ideò dicitur S. Angeli, quia fabulantur ibi comparuisse Michaëlem Archangelum. Hodie admodum munitum est, & tormentis quoque instructum. Primus Bonifacius IX. Papa hoc occupavit, antehac Cives Rom. illam arcem tenebant, & studiosè cavebant, ne in manus Pontificis caderet. Sciebant enim illud fore instrumentum servitutis: Cæterum tandem redactum est in manus Pontificum, Romáque mundi Domina, serva est facta. Bononiæ

Romanõ adeò munita.

Castellũ S. Angeli

Castellũ hoc quis primus occuparit è Pontificib.

Est frenũ Vrbis Romæ.

niæ nihil tale eſt, quanquam ſitus loci ita ſe habeat, ut poſſit muniri.

XXXII. Fanum Lauretanum eſt munitum, quia eſt opulentiſſimum, monſtrant ibi ædiculam antiquam, quam ferunt eſſe domum, in quâ ſalutationem Angelicam accepit Maria Virgo, & creditur illam de noctu tranſlatam ex Dalmatia ab Angelis. [add. *quanta vis ſuperſtitionis.*] Nil verò hac fabula eſt inſulſius, nil verò magis creditur à Pontificiis. Credunt hanc domunculam ex Iudæâ in Dalmatiam, ex Dalmatiâ in Italiam tranſlatam ab Angelis. Iactant ingentia miracula, quæ ibi fiant; cæterùm inanes ſunt narratiunculæ vid. Bernegg. de Idolo Lauretano. Eſt elegans & doctum ſcriptum, cui anſam dedit liber aliquis, quem de eodem argumento Petrus Paulus Vergerius conſcripſit Italus, qui fuit Núcius Papalis, & aliquoties in Germaniâ fuit. Cæterùm veritate perſpectâ clanculum fugit in Germaniam, & oppugnavit edito illo libro fabulam Lauretanam vehemẽter, aliquamdiu reperiri nõ potuit, ſed Berneggerus hoc fecit. Ante annos non adeò multos curarunt Põtifices hunc locum muniri, cùm antehac fuerit villa quædam, idque factum per pyraticam vim, quæ inhiare ſolet divitiis. Bona autem pars cedit Papæ. [add. *En lepidum Papæ ſtratagema. Riſum teneatis ô mei Proteſtantes!*] Nam cum locus omnia non poſſit capere donaria, dicit Papa neceſſe eſſe, ut pars eorum transferatur in locum grãdiorem, Romam ſcilicet. De hodierno Pontificis ſtatu legatur Levini Nicolai Moltke Epiſtola quam præfixit Alex. VII. hiſtoriæ electionis, Sleſvici edita, ex quâ diſci poteſt quinam ſint

Fanum Lauretanum.

Fabula Lauretana.

Berneggerus de Idolo Lauretano.

Verus eius ſcripti autor.

Moltke.

ſint familiarum ſtatus; antiquas ſc. eſſe ad incitas redactas, & accreſcere novas quotidie ex cognatis Pontificum, add. Sprengeri Roma, novo-antiqua.

Comitatus Avenon. pertinet ad Papā. XXXIII. In veteri Regno Burgundiæ Pontifex poſſidet Comitatum Avenionenſem cujus Vrbs eximia eſt. Cæterùm Pontifex non eſt earum virium, ut ſe tueri contra hoſtes poſſit. Poſſidet ergo potius favore vicinorum quam ut, ſi hoſtis ingrueret, eam urbem poſſit defendere. Multi in ea civitate degunt cives, qui Reformatæ addicti ſunt Religioni, ut & in proximo Comitatu Arauſionenſi: Cùm enim plurimi ibi eſſent Reformatæ Religioni addicti, non potuit prohibere, quominus etiam in Vrbem Avenionem venirent. Revera autem non prodeſt multùm locus ille fiſco Pontificio, ideò verò tuentur etiamnum, quod cùm minus bene haberentur Pontifices in Italiâ, Avenionem ſe contulerint. Solet ſemper Vrbem illam gubernare per Præſidem, qui modo etiam gubernat Bononiam, & alia loca ſuæ ditionis.

Prætēſio Pōtificis in Europæ Regna. XXXIV. Multa alia quoque ſibi arrogat, & prætendit jus in omnia Europæ Regna, quia olim fuerint partes Conſtantini Magni, qui donaverat Papæ Occidentale Imperium. Cæterùm cùm ridiculum hoc ſit, nil de eo dicam.

Regimen Papalis Imperii. XXXV. Regimen Papæ videtur bonam partem eſſe Monarchicum, & quidem merè, quia bona pars, quæ ad regimen pertinet, ad nutum Pontificis adminiſtratur. Dico bona pars ex parte Pontificis, is quia cogitur in quam multis ſequi ſententiam Cardinalium, qui participant ali-

Autoritas Cardinaliū.

quo

quo modo de regimine Pontificio; Perinde ut in Germaniâ fit in Episcopatibus, ubi Canonici Cathedrales etiam bonam regiminis partem sibi vindicant de regimine politico. Scio hoc alibi aliter observari. Non tamen potest Episcopus sine consensu Canonicorum plenè administrare Episcopatum: Iidem sunt Romæ Cardinales, si res magnæ agendæ sunt, cogitur eos Pontifex convocare, & sententia eorum stare. Si quis legat Platinam aut Onuphrium Panvinium, inveniet nonnullos fuisse Pontifices, qui non curarunt Cardinales. Interim multum etiam potest Pontifex sine Cardinalibus. Patet hinc regimen esse Monarchicum cum Oligarchia mixtum. Monarchicum quidem, quia Papa multùm potest absque consensu Cardinalium: Oligarchicum, quod in rebus arduis cogatur convocare Cardinales, & eorum consilia adhibere. Facilè enim quis videre potest mixtionem talem, quæ consistit 1. in hoc, quod multæ leges possint condi, & etiam condantur à Pontifice absque consensu Cardinalium scilicet minoris momenti. Nam majores latæ sunt authoritate Pontificis & Cardinalium. Potest peti exemplum ex Gregorii XV. Bullâ, apparebit ex subscriptione consensus Cardinalium, atque illos in Bullam jurasse, aliàs non obtinuisset vim sanctionis pragmaticæ. Ergo ex parte Legum latio est penes Papam, & quidem solùm. Ex parte non est penes Pontificem solum. 2. Creatio Magistratuum itidem non semper est in potestate unius Pontificis, nisi ex parte tantùm. Plerosque quidem Magistratus constituit, sed non omnes arbitrio suo. Hoc observare est in creatione

Pontifex multa potest sine Cardinalibus.

Põtificis regimen est ex Monarchia & Oligarchia mixtum.

Potestas legum ferendarũ an sit solius Papæ.

Potestas creandi magistratus non est solius Põtificis

tione Cardinalium, quos non poteſt creare, niſi conſenſu reliquorum Cardinalium, impetrato ſcilicet à Senatu totius Cardinalitii. 3. Iudicia, quæ peragenda ſunt in ditione Pontificia, tota ſunt Pontificis: Eccleſiaſtica autem aliter ſe habent. 4. Belli ac pacis ratio non temerè conceditur à Cardinalibus Pontifici: Habet ſe res ita ut in aliis Rebuſpubl. mixtis. Eſt perpetua hîc fluctuatio; modo hic prævalet, modo ille, prout major, vel minor eſt autoritas.

Mixtæ Reſp. perpetuò fluctuãt.

XXXVI. *Finis* hujus Reipl. quam maximè ad utilitatem dominantium eſt directus, populi per accidens. Populus auare habetur, & emũgitur variis tributis & exactionibus. Sed dicet fortè quis, qui fieri poſſit, quod Itali non ſe ſubducant imperio Pontificis? Reſp. (1) Populus eſt imbecillis. Iam ante aliquot ſecula populus Romanus tale ſubire imperium recuſavit, hinc admittere nunquam voluit, ut Gregorius IX. occuparet dominatum in urbe Româ. Populus autem qui effœminatus, ad dominatum, & ſervitutem ſubeundam eſt aptiſſimus. Illam mollitiem alunt Pontifices, & Primoribus ſuis materiam ſuppeditant luxui, idque agunt ut luxus omnia fiant plena. Luxus autem emollit mores, nec ſinit eſſe feros. Hinc familiæ illæ Nobiles Colonnenſium & Vrſinorum, quæ quamvis maximè olim obfuerint; hodie luxuria nimia omnibus ſunt exutæ viribus; Major enim hæc hoſte ullo. Reliquus autem populus tributis exhauritur; hinc vires obdormiunt. Cum itáque bellum eſt gerendum, milite utuntur non lecto, ſed conductitio, quod ad oppreſſionem ac dominatum maximè facit.

Scopus Reipub. Papalis.

Quare Itali non ſe ſubducant Imperio Põtificis.

Arcana Dominatus Põtificij.

(2) Li-

(2) Licet populus vellet, cum Ducem non habeat, nihil quicquam moliri poteſt. Duces autem deſunt, quia primaria Nobilitatis pars in obſequio tenetur Pontificio, dulcíque lactatur præmiorum ſpe, vel etiam luxu deperditur. Formidabiles ante hac erant duæ illæ familiæ, ita ut Machiav. c. 10. non fore Papæ quietam ſedem, niſi deletis iis, dixerit. (3) Quia populus vicinos æquè durè haberi videt, nihilque adeò ſperat præſidii ſcil. ex Hetruria, & Regno Neapolitano. (4) Quia ex parte pro liberis ſuis, ſi numero laborent, facilè ſit in ſtatu Pontificio aliquid melioris expectare fortunæ. Neque enim Rempub. inveniri credo, in qua Princeps facilius ſuos ad honores poſſit evehere, quàm in Pontificia ditione. Qui infimæ ſunt Conditionis, dant operam, ut utriuſque ſexus liberos in monaſteria ablegent, quo ſic gravi eorum nutritionis onere exonerentur, & hæreditates ad unum ſeu alterum deveniant. Plurima autem ſunt monaſteria, ubi locum inveniant in Pontificis Clero. Multi námque ſunt Archiepiſcopatus, ac Canonicatus ad quos evehi poſſunt ac promoveri, Pontificum modò habeant & Curialium favorem. Imò cum ſummum obtineat jus Pontifex per univerſum orbem, multos optimis poteſt afficere beneficiis. Evenire facilè poteſt ut quis ad Curię Rom. perveniat ordinem, Cardinalatum, imò Pontificatum, uti Sixti V. extat exemplum.

Regimen Eccleſiaſticum Pōtificis.

XXXVII. Rom. Pontifex præter civilem poteſtatem aliam atque alterius planè generis ſibi vendicat, qualis per totum Terrarum Orbem non reperitur Obſ. 1. Non omnes idem ſentire Pontificios de Papæ jure. Sunt enim, qui ſtatuũt Pontificẽ

Circa poteſtatem Pōtificis variant Pontificij ſcriptores

Rom.

Rom. non absolutè caput esse Ecclesiæ, sed Primatem tantùm seu Præsidem Aristocratici Regiminis. Et qui ita statuunt profitentur penes Concilium Ecclesiæ Romanæ summam esse potestatem Reipubl. Ecclesiasticæ. Atque adeò si quid in Ecclesia constituendum, Concilij authoritate illud esse faciendum, atque adeò 2. Concilium supra Papam esse asserere non dubitant; si non qualem decet, Papa se gerat, in autoritate Concilium esse ipsum deponere, aliumque eligere. Sententia hæc ante 200. annos per totam ferè viguit Europam, imò proposita ac defensa à Concilio Constantiensi, quod Papam deponere, aliúmque eligere non dubitavit, de Concil. Basil. vide Lamb. van der Burg. histor. Sabaud. p. 170. Bona Germaniæ pars Principum dixerunt Pontifice nõ esse opus, ac sine eo Ecclesiam posse regi. Episcoporum autem maxima pars Neutralis fuit, nemo autem alterutri parti expresse se opponere ausus erat. Invisa maximè hæc fuit Secta Rom. Curiæ, & quantumvis frequens tum temporis illa fuerit secta, non multùm tamen post ab ea rursum est recessum, sic ut in Lateranensi & Tridentino Conciliis vix unus eam propugnare fuerit ausus, neque hodie audeat, excepta facultate Sorbonica, quæ etiamnum eam asserere non veretur, & quamvis exosa sit satis summo Pontif. eam tamen hactenus improbare non est ausus.

Decretũ Concilii Constantiensis.

Sorbonicæ Facultatis sententia de autoritate Papæ.

Quare Conciliũ Constantiense indictum,

XXVIII. Occasionem Concilio Constan, dedit ingens schisma, quod per 5. annos in Ecclesia duravit, cùm nunc ille, nunc alius Rom. sedem affectabat, vide de schism. illo Theodor. à Niem. Westphalum, cujus historiam Henr. Meibom.

edi curavit. Illo autem Concilii tempore, unanimi Episcoporum consensu concludebatur, Papam esse infra Concilium, utque eò meliùs Europæa ac Romana regeretur Ecclesia constitutum, ut singulis 5. annis concilium convocaretur, id autem nunquam effectui datum; semper enim Pontifices impediverunt ac obstiterunt; ut aliàs contingit, ubi Monarchiæ cum Aristocratia est conflictus: impedit enim semper comitia Monarchia, & ita Papa Concilia, vide hist. Concilii Tridentini, quod incautè initum, ut salva manserit Pontif. autoritas: non autem credo, ullum unquam Concilium universale Europæum celebratum iri. Notum autem est Episcopos tum temporis tam magnam sibi præsumpsisse autoritatem, & si quis in Autoritatis illius instrumentum inquisiverit, perquam ineptum est, & lubricum, ac cariosis nititur fundamentis. Voluere nimirum Episcopi, divinitus se esse constitutos, ut Ecclesiam hunc in modum gubernarent, eorúmque Concilium infallibile planè esse, quod Papa neutiquam admisit, concedit quidem infallibilitatem Conciliis ipse si sit præsens, alioquin omnem denegat. Episcopi interim ad defendendam hanc suam authoritatem, duo inprimis protulere, S. Scripturæ loca, quorum primus habetur Matt. 18. Dic Ecclesiæ, Christus ibi ait; per quam Episcoporum intelligi Concilium volebant. De vero loci illius sensu vide Conring. fundam. Fidei Pontificiæ concuss. 3. scil. non dicit ibi Christ⁹ de universali seu generali Ecclesia, sed de speciali qualibet, & de litibus agit privatis, Concilia autem non de privatis litibus sed com-

Papali Monarchiæ exosa sunt Concilia.

Concili universale in Europ. vix expectandū.

Episcoporum regimen an sit divinitus institutū

Episcoporum fundamenta examinantur.

munibus agunt controversiis. Alter extat locus, 1. ad Timoth. ubi Ecclesia columna appellatur & stabilimentum veritatis. Verùm commune hoc est omnibus Ecclesiis.

Curiæ Romanæ sententia de autoritate Papæ.

XXXIX. Sed longè alia est Rom. Curiæ sententia, quæ asserere non dubitat, Papam esse à Deo constitutum, ut vicem eius in terris gerat, idque in rebus (1.) sacris (2.) omnibus profanis, imò (ut Curia illa profiteri non erubescit) quod in Vniverso Terrarum Orbe, sit vice Deus, vel ut mitius alii, in toto Orbe Christiano. Defendi hoc hodie solet tantùm à Curialibus Rom. sed inprimis Iesuitis, qui inter 4. sua vota, uno ad perpetuam & cœcam Papæ obedientiam, se obstrinxerunt. 4. enim illi jurant vota; cum cæteri 3. tantùm profiteantur Monachi, adeóque nunquam tam multos habuit Pontificia dignitas, támque accuratos defensores, quàm hodierno die. Reperitur hoc in jure Canonico dogma, nec non bullis Papalibus, imò ipsa abundè testatur Experientia, neque hoc faciunt tanquam Adulatores, sed tanquam veri defensores. Sensim autem hanc sibi Papæ Monarchiam arrogarunt, primus qui disertè hoc & pleno hiatu pronunciavit, Gregorius fuit VII. Tempore eo Resp. erat turbatissima & exulceratissima, quod Imperatoris nostri Monarchiam admittere noluerint, multúmque ab utraq; parte sanguinis effundebatur, ut ipsi fluvii sanguine manarint pleni, unde appareat Papam summum se velle haberi Monarcham.

Vice-Deatus Pontificis.

Iesuitæ Propugnatores autoritatis Papalis.

Gregorius VII. Papa primus Monarchiæ Papalis assertor.

Leges Ecclesiasticæ quotuplices.

XL. Observ. 1. quod legislatoriam attinet potestatem, in Ecclesia duplices habemus leges, secundùm quas nobis Christianis vivendum, aliæ

sunt

ſunt Divinæ, quæ eandem habent vim quàm jura naturæ, aliæ humanæ & poſitivæ. Eò autem Pontificum devenit ambitio, ut docere non erubeſcāt, leges divinas nullam habere vim, niſi cum ſua ſint conjunctæ authoritate. Docent enim Sacras litteras nonplus valere, quàm fabulas Æſopi, niſi Papæ accedat Canonizatio, & hoc profeſſus eſt Gregor. VII. cujus Anteceſſor Nicolaus I. hominum ſuperbiſſimus, diſertè eſt elocutus. N.T. mereri legi à Chriſtianis, non aliam ob cauſam, quam quod à Papa ejus uſus ſit conceſſus. Poſt leges divinas humanæ ſunt; quales Decreta Conciliorum, de his diſertè Pontifices affirmant, quod ulterius non valeant, quàm ipſi velint; ſimul ac Concilium Tridentinum promulgatum fuit, ſtatim circa ejus Canones, pontifices diſpenſare cœperunt, ipſeque Cardinal. Bellarminus dicere eſt auſus, poſſe Pontif. Rom. de omnibus juramentis, Legibúſque divinis diſpenſare. Ita Innocentius X. Regis Poloniæ Caſimiri nuptias ducentis uxorem fratris ſui, per diſpenſationem, præter omnia divina & humana jura, ratas eſſe juſſit, idem præſtitit Alexander VII. Ludovico XIV. Galliarum Regi.

Paparũ affectata autoritas circa leges ſacras.

XLI. (2.) Conſtitutionem Magiſtratus quod attinet, idem vult haberi, quaſi omnes Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, ab ipſo dependeant, & quod Epiſcopos ipſe conſtituere, ac pro libitu eoſdem deiicere & exauctorare poſſit, profeſſus hoc Gregorius VII. qui & aſſeruit, Legatum ſuum etiam infimum, Concilio debere præſidere omnibúſque aliis anteferri, quod ſibi liceat leges Eccleſiæ condere. Iidem, hac etiam freti poteſtatis

Pontificis autoritas in conſtituendis ſacris Magiſtratibus.

uſurpatione voluerunt anno 1629. Epiſcopos in Germaniâ pro libitu conſtituere. Sic Innocentius X. Archiepiſcopum creavit Magdeburg. Bremenſem, Halberſtadenſem. Et quamvis in Germaniæ Capitulis eligantur Epiſcopi, dixit tamen ſua id fieri ex conceſſione ac privilegio.

Pontificis autoritas circa iudicia Eccleſiaſtica.

XLII. Quoad poteſtatem Iudiciorum, hæc eſt Curiæ Rom. ſententia, quod omnia Iudicia Eccleſiaſtica, ſint arbitrii Summi Pontif. Quamvis omnibus ipſe non præſit, illius tamen authoritate omnia inſtituantur: hinc ſibi licere præſumit Cauſas multas (quas utiles ſibi putat) eximere à judiciis, atque ad ſe ſolùm trahere: præterea, licere in Cauſa Eccleſiaſtica ad ſummum Pontif. appellare, hinc tanta vis appellationum, ut dici non poſſit: Imò eò ejus procedit poteſtas ut nonnullas Cauſas planè ad judicium deferri vetet, quas vocat exemptas, ut Regum, Principum, & quæ magis ſunt lucroſæ. Ipſe judicat omnes, à nemine judicantur, ipſe omnium poteſt infringere ſententias, ipſius à nemine poteſt mutari, ipſe ſi myriades animarum in Infernum detruderet, nemo dicere auderet, Quid agis? quæ omnia plenam ſapiunt Monarchiam.

Pontificis ius in Clerum.

XLIII. Arrogat hoc ſibi jus. 1. in omnem Clerum, qui à ſeculari eſt exemptus poteſtate; hinc omnes Epiſcopi coguntur juramento ſe obſtringere, ad obedientiam Rom. ſedi; hinc & quando ſcribunt Epiſcopi, ex inſtitutione Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ ſe Epiſcopos ſcribunt: in Germania quidem hoc non obſervatur, quamvis olim ſolitum erat.

Pontificis ius in bona Clericorum.

XLIIII. 2. In bona Clericorum, quæ

ad

ad Pontif. solùm pertinent, quàm latè ergo patet ejus jurisdictio? cum Clerici tertiam Europæ partem possideant. [add. *Quod quanto cum detrimeto omnium Christianarum Rerumpublicarum coniunctum sit, omnes dexterrimi Politici norunt. Vid. plurib. Tr. Petri Molinæi de Pontifice Romano passim.*]

LXV. 3. In omnes Christianos sibi arrogat dominium absolutum, & in hæreticos, ut nos aliósque appellant. Hinc omnes Reges & Principes suo vult subjectos imperio, & si aliquis Regnũ non, ut decet, administraret, jus in eum sibi sumit. Memorabile est quod hac de re ex Wilhelmo Barclaio suprà adduxi. Hic Pontificiæ superstitioni addictus, propter Religionem, è patria profugus, non dubitavit se opponere illi dogmati, quod nimirum Pontifex Reges possit & Principes è solio deiicere. Voluit Hildebrandus, qui primus hoc protulit dogma, ut Reges solùm osculentur pedes Papæ, quod hodie Legati magni faciunt ac Principes, quam Ceremoniam civilem saltem esse quidam credunt. Sed non mera est hæc Ceremonia politica, quia Papa osculandos sibi vult pedes, tanquam vicarii Dei, adeò ut Religiosa sit Ceremonia, quia, facientes hoc, ipsum Vice-Deum agnoscunt. Arrogavit sibi quoque jus eximendi subditos juramento, quod nunquam antea viderat Terrarum orbis. Innocentius II. dixit, Petro deberi ejusque successori Ius in omnes gentes, quod jussus sit à salvatore in mari ambulare, per aquam enim multitudinem gentium intelligi. Inter Epistolas Pii II. habemus Epistolam ad Mahumetem, qua persuadere vult ei, ut agnoscat Papam

Pontifex sibi arrogat ius in omnes Christianos Reges, Magistratus & subditos.

Osculum Papaliũ pedum.

vice Deum, & concessurum se ipsi legitimam Regni Constantinopolitani possessionem, ut & Germani. Borussis & Livonis non alia de causa arma intulere, quàm Papæ jussu & authoritate: Alexāder VI. non dubitavit dividere hemisphærium Mundi, & alterum dedit Castellæ Regi. Non sic se sistit hæc Monarchia, sed Canonistæ ipsum Deum planè appellant. Extendit se potentia ejus usque ad purgatorium, ex quo inventus nuper liberationis modus, nempe per *medailles* seu numismata sacra Romæ consecrata: super hac se fundat Monarchia materia Indulgentiarum, prout eam à Deo sibi collatam esse dicit. Igitur sanctè colendus.

Fundamentum Vice-Deatus Papæ refutatur. Superstitionis quātavis in adoratione Numinis Papalis conspicitur! An Papa per universā Ecclesiā Pontificiā possit exercere Monarchiam?

Quid si mentiatur hoc? Vnde sequitur argumentum? nihil potuere afferre, nisi quod dictum: super hanc petram &c. sed pascere oves, non est vice Deum esse, quod tamen non soli S. Petro à Salvatore fuit dictū. Deinde nulla est consequentia, Petro hoc commissum. E. & Papæ. Dicit quidem Petri se esse Successorem, sed ipsum hoc rursum in quæstione est, nam ineptis superstructus est totus Pontificatus fundamentis, & tanta tamen superstitionis est vis, ut per aliquot secula crediderint asseclæ. Ad destruendum hoc dogma facit, quod ipsa natura nobis insit principium, quod sc. nemini Legato credatur, nisi missionis suæ aliquod afferat documentum, quod facere nunquam poterit. Vid. Conring. Fundam. fid. Pontif. concus. & scripta adversus Valerianum Magnum Capucin. Erbermannum & Mulmannum Iesuitas.

XLVI. Quæritur an Papa per universam Ecclesiā Pontificiam possit exercere Monarchiam?

Quod

Quod velit, de eo nullũ est dubiũ; nũ verò possit de eo disquirendum. Sub initium hujus seculi Paulus V. non dubitavit interdicto subiicere Venetos, quod in bona Clericorum aliquid juris sibi arrogassent, sed tanta hodie non est authoritas; olim major longè fuit superstitionis vis. Iesuitæ interim omnia hæc defendunt, cum Bellarminus de Clericis professus esset, illos esse exemptos à jurisdictione seculari jure humano; mutavit postea sententiam cum Paulus V. contra Venetos ageret, atque jure divino exemptos esse asseruit. Rex Hispaniarum etsi Pontificem devotè colat, tamen in Clerum ejúsque bona ut & Monachos sceleratos, jus sibi esse non tantùm profitetur, sed si quis contrà doceat, plectere eum solet. In Regno Neapolitano solent cucullo suspendi patibulis Monachi, similiter in Gallia, nemo hoc sibi persuaderi patitur. Regi enim in Clerum absoluta est potestas, inque eius bona, nec credit Roman. Pontif. ferre posse Ecclesiasticas leges eásque rescindere, imò nec Concilium Tridentinum ibi admittitur, nec Romam appellare temerè solent, imò in eos potiùs qui faciunt graviter animadvertunt: necque enim Rex ille credit, Papam juramento aliquem solvere posse, imò libros, qui apertè hoc docent, publicè, & carnificis manu comburi curat.

XLVII. Observ. 1. Inter omnes Orbis Episcopos primaria fruebantur authoritate Romani, ob urbis illius amplitudinem & excellentiam: ut enim cum hac nulla comparari urbs, sic & Episcopus, cum populum haberet numerosissimum, omnibus præeminere cœpit. Paulatim seculo III.

Monarchiæ Papalis origo & progressus.

persuaderi cœpit in majorem authoritatis prætextum, quod Petrus primus fuerit Apostolorum, quod docuerit Romæ, ibique instituerit Successorem, saltem ad docendam & regendam Ecclesiam. Seculo IV. magna huic Episcopo est tributa Authoritas à Græcis ob urbis magnitudinem, insignémque dignitatem. Vbi autem nova est condita Roma, Constantinopolitanus Episcopus 2. loco censeri cœpit, tandem ei æquiparatus, quod in Concilio Oecumenico Chalcedonensi constitutum erat, ubi hoc inter Canones reperitur. Cùm singulis Vrbibus sui sint Episcopi, paulatim cœpere Episcopi alii aliis imperare & in eos jus aliquod sibi arrogare; rei hujus indicium quoque est in Canone Concilii Nicæni. Tum Metropolitani sunt facti Episcopi, ut inspectionem haberent in Episcopos urbium, quarum hæc vel illa erat Metropolis. Apparet quoque ex Canone 6. Concilii, quod Episcopi Rom. inspectionem habuerint vicinarum Ecclesiarum. Papa idem est quod Pater: sic S. Cyprianus dictus Papa, qui Carthaginensis fuit Episcopus, ut ex eius apparet Epistolis. Tum omnes Episcopi dicti erant Papæ. In Latina Ecclesia nullus erat constitutus Patriarcha, ut ex Canone I I. & IV. œcumen. patet. Cæterùm Romani Pontifices jam tum cœperunt caput præter morem extollere tanquam S. Petri Successores. Ita Legatus Leonis, in Concil. Chalcedonensi intonuit, Petrum nondum esse mortuum, sed adhuc superesse, quæ voces auditæ tantùm fuerunt, non approbatæ; reperiuntur hæc in actis ejus Concilii, non in Canonibus, imò constitutum in decretis illius Concilii, ut Papa

Æmulatio inter Romanū & Spoletanum Episcopū.

Vox Papæ quid significet. Olim omnes Episcopi dicti Papæ.

Papa quando æqualis redditus Patriarchæ Constantinopolitano.

Papa planè sit æqualis Patriarchæ Constantinopolitano. Contradixit quidem ille, sed quicquid sit, extat tamen ille Canon. suas interim fimbrias, quantum potuerunt, extenderũt. Hoc in negotio non possum non commendare Canones Ecclesiæ, Africanæ, seu Concilii Carthaginensis: hi Canones recepti, & singulari Dei beneficio relati sunt in corpus Canonum per *Dionysium Exiguum*, ac in latinam linguam versi, ubi lepida refertur historia & lectu digna. Non dubitarũt Papæ falsare Canonẽ Concil. Nicæni, ut persuadeant Episcopis Africanis Papam supra omnia esse Concilia, ac Episcopos, sed falsimoniæ convictus Papa. Nondum tamen tunc voluit intendere Monarchiam, sed saltem aliquid sibi juris vindicare in Episcopos Africanos, quod hodie divinitus esse concessum dicunt. Et hoc se modo habuere res pontificum ad tempora usq; Caroli Magni, scil. tũ primarii fuere Episcoporum propter amplitudinem urbis Romæ. Crevit tamen nonnihil authoritas, quod omnium sit vetustissimus, & petrum Apostolum authorem habuerit. In Hispania enim, Gallia, Anglia & Europa reliqua, nulli instituerunt Apostoli vel Episcopos aut Ecclesias.

Canones Concilii Carthaginensis commendantur.

XLVIII. Tempore Caroli M. multa acceperũt Territoria in Italia. Interim tamen nihil non nostri Imperatores operæ dabant, ut papa iis esset subjectus. Hinc non dubitarunt papas constituere, aut à populo Rom. electos, confirmare, ut seculo XI. non legitimus fuerit papa, nisi electus & confirmatus ab Imperatore. Henricus enim III. Imperator Papas constituit, non expectata pop. Rom. electione. primus omnium, qui non tantum vetera

Quomodo tempore Caroli M. Creverit Pontificum Rom. autoritas.

vetera illa ſolebat jactitare decreta, ſed etiam planè omnem Monarchiæ ambitum in lucem protrudere, fuit Gregorius VII. Initio quidem talia non potuere perſuaderi. Sed Dei Optimi Maximi juſtiſſima indignatione in populum Europæũ, factũ ut dogmata illa inaudita fidẽ invenire cœperint. Plurimum Papis profuit Saxonicorum populorum adversùs Henric. IV. rebellio, & præterea quod Epiſcopi ibidem & Clerici nimis ſupercilium erexerint: omnis dabatur à Papis opera, ut Imperatorum deprimerent ac extinguerent authoritatem: non enim Monarchiam ſe erigere poſſe, niſi conculcatâ illâ, facilè videbant. Hinc cum nemine Papæ tantæ fuere lites, quàm Imperatoribus noſtris. Divino tamen factum conſilio, ut ſecul. XIII. Cæſarum & Imperii æſtimatio non planè perierit à temporibus Gregorij VII. & Henrici IV. uſque ad interregnum. Poſt tempora Frider. II. ſeculo XIII. perpetua Imperatorum cum Pontificibus fuit lucta: Cæterùm confiteri cogimur, in immenſum creviſſe Papæ Monarchiam, & duraſſe uſque ad Concil. Conſtantienſe A.C. 1400. annos adeóque 150. Tum enim in ſummo fuit gradu; poſtea verò paulatim decrevit.

Gregorius VII.

Saxonũ rebellio contra Henr. IV. promovet Papę Imperiũ.

Papę autoritatem Cæſarũ depreſſerũt

Papæ Monarchia in immensũ duravit vſque ad Conciliũ Conſtantienſe.

XLIX. Obſervandum, quod Rom. Pontifices primùm cœperint obnoxium ſibi reddere Epiſcoporum ordinem; dein Imperatoribus tollere poteſtatem creandi Epiſcopos, quæ apud omnes ante hac fuit Europæ Reges. Primum verò impetum cæperunt facere in Imperium, & idem Gregor. VII. hominibus perſuadere auſus impium eſſe, quod falsò ſibi arrogent conſtituere Epiſcopos. Acer-

Decrementum Monarchiæ Papalis.

Acerrimè inter Impp. &Papas fuit concertatum. Viderunt enim illi, quod si eriperetur eis hoc jus, ipsorum quoque potestatem magna ex parte imminutam fore. Henricus V. coactus est pacisci cum Papa, ne Impp. constituerent Episcopos, sed fieret Electio à Canonicis, non tamen excluso populo, quod etiam paulatim fieri cœpit & Canonici Cathedrales soli Episcopos fecerunt. Hinc factum, ut Episcopi paulatim cœperint Imperatores contemnere. Seculo XIII. Papa eos juramento sibi obstringere cœpit. Clero interim admodum placuit, quod potestati seculari subtraheretur. Sic autem Pontifex suum firmavit statum, ut eò benignè Clerum tractarit, paulatim verò sub jugum traxit, & juramento adstringere cœpit, si verò Clerus à suis premeretur Regibus, convocavit eos Romam, illisque in causis etiam nequissimis, opitulatus, imò eorum imprimis bona ad se traxit. Tam durum ejus fuit imperium sub initium seculi XIII. & XIV. ut tolerari ferè non potuerit.

Constituendi Episcopos ius Cæsaribus à Papa ereptum.

Electio Episcoporū ad Canonicos in Germania pervenit.

Quomodo Pontifices Clerum sub jugū redegerint.

LIV. Commodè autem accidit, ut schisma oriretur in Romana Ecclesia. Quâ arrepta occasione se paulatim iterum erexit, donec ortum Concil. Constant. cui subjectus Papa fuit. Successit Basileense, quod itidem in frangenda & extinguenda hac nimia Pontificum authoritate occupatum fuit. Nec de ulla re alia solliciti fuerunt Clerici, quàm ut jugum illud abiicerent, non autem solliciti fuerunt de reliquis, quod etiam Deus erat ultus, dum Papa statim pristinam recuperavit potestatem. Vide Platinam in vita Nicolai V. & Pii II. Quum molesta fuerit Romanę Curiæ authoritas

Quomodo Pontificium potestas in Clerū cōciderit.

Concilia Constantiense & Basileēse.

ritas nostris, Papa Nicolaus coactus est cum nostris pacisci, quæ pacta dicta sunt Concordata nationis Germanicæ. Non cessarunt tamen Papæ circumcidere concordata illa, quantùm potuerunt, & adhuc possunt, & ne planè rursus rumpant illa, hinc semper in Capitulationem Imperatorum inseritur, ne Papa pergat facere contra Concordata.

Concordata nationis Germaniæ.

Post Conciliū Constantiēse Papa nō potuit recuperare potestatē in Clerum.

LI. Post Concil. Constant. nunquam potuit suam in Clerum recuperare potestatem. In Gallia per sanctionem Pragmaticam Regni, Papis omnis in Clerum erat erepta vis. Leo concessit Francisco Franciæ Regi potestatem in Clerum, stulto sanè consilio; &c. Adrianus VI. dedit Regi Hispan. potestatem eligendi Clerum suum cum maximo damno. Reges enim quicquid semel habent, illud firmissimè tenent, nec facilè restituere solent. Non dubito Clericos divina quadam projectos esse vindicta ad ferendum talem Dominum, pessimè enim tum temporis se habebant. In Concilio Constantiensi nil magis in votis fuit, quàm Liberatio à tali jugo, de vitæ emendatione nil planè agebatur, hinc Deus eorum ultus scelera, ut paulò pòst tempore, in eandem inciderint potestatem, & dominatum Pontificum: Clerus enim in pristinam servitutem recidit per leges Pontificias, quæ conditę sec. XII. nihilque aliud spectarunt quàm herile imperium, quod ex Decretalibus constat: Ipse enim processus juris Canonici nunc compositus est ad lites serendas protrahendasque, ut nunquam finirentur. Hinc fit, ut animi distrahantur & nemo sibi fidat, quæ ingentis dominatus sunt Instrumenta. [add. *Cum grano salis hæc sunt accipienda*

Sanctio Pragmatica in Gallia.

Processus Iuris Canonici improbatus à Conringio.

pienda: Nam processus Iuris Canonici, quamvis multa superflua habeat, quæ in noviss. Reces. Ratisbon. de an. 1654. *ex parte resecta sunt, tamen simpliciter non est reiiciendus. Deus, uti est Deus ordinis, ita etiam vult, ut certus & decens ordo in judiciis observetur,* und können auch alle Sachen auß dem Stegreiff nicht resolviret werden.]

LII. Eadem fuit Monachorum ratio; *Benedictini* ad magnas pervenerunt divitias piorum hominum donatione, verùm ad insolentiam morúmque corruptionem quoque pervenerunt, hinc & animadversum in eos à Regibus ac Principibus, ut Monasteria turbarentur. Maluerunt itaque blandã Pontificis vocem audire, scil. omnes esse immunes à jurisdictione seculari. Hinc pontificis legibus spontè se subjecerunt, cùm autem & ab illo durè satis haberentur, liberationem denuò quæsiverunt. [add. *Pestis pestilentissima Rerumpublicarum est, si Clerici sunt exempti à jurisdictione seculari. Omnis anima debet esse subjecta summæ potestati. Rom.* 13. *Si omnis, etiam Clericorum; Nam qui τὸ omne dicit, nihil excludit.*] Verum Episcopis frænum injecit Papa, creato Ordine Monachorum mendicantium sec. XIII. qui cœpit egregiis duobus viris altero *Dominico* Hispano, altero *Francisco* Italo; Hi sunt penè eorum patres, Conditores & authores. Erant Clerici contemptui satis Episcopis propter improbitatem, & Monachi præsertim Benedictini. Fecit pontifex ordines, & quidem mendicantium, qui acceperunt exemptionem ab omnibus Epis-

Potestas Papæ in Monachos.
Benedictini Monachi divites.
Monachi mendicantes. Dominicani. Franciscani.

Episcopis atque incredibilem illi authoritatem consequuti, quod nimirum tum Philosophiam cœperint excolere, quod tunc rarum ubi omnes jacebant bonæ disciplinæ, quod mendicando victum quærerent, & omnia bona abdicarent. Incredibile, quid per eos potuerit Papa, cùm in maxima essent apud quosvis æstimatione pietatis, & toti erant devincti Romano Pontifici. Generales eorum degebant Romæ. Commune autem illud Monachorum agmen fuit diffusum per totam Europam, per quos Episcopos potuit coercere, postquam in contemptum apud Vulgum essent redacti. [add. *En arcanum Papæ contra Episcopos! Per eiusmodi servos Papalinos, & præsertim Iesuitas, adhuc fulcitur Papalis thronus. Sed tolletur tandem, per Dei gratiam, illud Scortum in Babylone.*]

Post Dominicanos & Franciscanos oriuntur Iesuitæ.

Ordo Iesuitarum ad interitum pronus.

LIII. Ex Aristotele polit. 5. discimus nihil magis obesse Regibus, quàm contemptum, in quem relapsi erant Episcopi; hinc populus, in quo aliquid pietatis erat, voluit mendicantes propter simulatam, quam præ se ferebant, pietatem. verùm, ut omnia in mundo mutationibus sunt obnoxia, ita & horum alacritas. Zelus nimirum studiorum Philosophię & pietatis deferbuit. Hinc singulari factum Pontificis beneficio, ut superiori seculo nata fuerit Societas Iesuitica, quæ omnes reliquos oppressit monachos. Antea de Rom. Pontifice desperabant Episcopi, aliique monachi, sed monarchiam ejus mirum in modum fulcivit sancta hæc secta, quæ hodie in hominum regnat animis, & quorum major est vis, quàm armorum. Videtur brevi autem futurum, ut Iesuitæ omnem

amittant authoritatem. 1. quia luxui se tradunt, 2. quia varias inducunt novas opiniones in Theologia & Philosophia morali, unde magna pars Anglici & Belgici Cleri eorum opiniones damnare audet. Vnde Romæ admodum esse sollicitos audio, quid nam sit agendum, cum fulcri hujus vigor labescat, & authoritas.

Potestas Papæ in Laicos & quidem (1) in Reges & Principes.

LIV. Dicendum jam, quomodo se habeat Pontificiæ potestatis vigor circa laicos seu plebem. Inter quos primo loco numerandi Reges & Principes, quibus laborarunt persuadere Pontifices, atque impetum fecerunt in Imperatores, qui & submissè eos venerari coacti, cum antea Pontifices Imperatorem adorarent. Puto & hoc Deum fecisse vindictæ gratiâ, postquam Imperatores Religionis curam abjecerunt, & totum hoc negotium Clero demandarunt. Hoc quum Deo fuerit invisum, illud ultus est, eósque Pontificibus subjecit, quod ipsi sint ignorantes Religionis, & passi sunt sibi persuaderi, paulatímque eripi, quod ipsis jure divino competebat. Hinc subditi cœperunt paulatim invitari à Pontificibus ad deiiciendos imperio Principes suos, quibus anathema dixerunt. Postquam enim Papæ anathematis fulmine ferire cœperunt Cæsares, nemo cum illis communicare voluit, & sic ad magnas redacti fuêre angustias. Cum autem nimis frequenter illis uterentur Pontifices, eviluit valor, qui hactenus apud populum obtinuerat, cum populus animadverteret, uti eo tantùm Pontifices tanquam commodo stabiliendæ Tyrannidis suæ instrumento. Contra verò illa fulmina cesserunt Papis in magna sanè commoda, dum Principes spoliabant bonis suis,

Excommunicatio Regũ & Principum.

Fulmina Pontificis bruta reddita; quare.

quos

quos anathemate perçusserant. Sunt principes, qui libenter aliena invadunt & sua dilatant, dicit autem Papa deesse ipsis hoc jus. Qui autem à Papa sibi impetrarunt jus, invaserunt quicquid voluerunt, quod ad Dominatum stabiliendum facit Papæ. Superius seculum insignia nobis suppeditat Exempla. Ferdinandus Catholicus Rex Hispan. accepit jus in Regnum Navarræ, à Iulio II. Papa; quo accepto, non dubitavit involare in Regnum, quod etiamnum possident Hispaniæ Reges: imò dimidiam partem occupandi Terram incognitam, atque Indias Occidentales jus obtinuit Hispanus ab Alex. VI. Philippus II. Rex Hispaniar. à Pontifice in Angliam jus accepit, quam si occupare ille potuisset, optimo jure acquisivisse existimasset. Verùm hodie prout utilia sunt vel inutilia, ita admittunt Principes Pōtificis mandata, ac pro lubitu reiiciunt. Antehac magna quoque erat Pontificum vis circa dispensationes matrimoniorum, ideò ut hac sibi occasione Reges aut Principes devincirent. Notum est superiori seculo Henricum VIII. Angliæ Regem, cùm caperet tædium uxoris suæ, petiisse à Pontif. divortium, quod cùm ipsi recusaret, metu Caroli V. Cæsaris, cujus maxima tunc erat authoritas, ille amoris impatiens, Papæ remisit nuncium, quem ãtehac amicè coluerat, eâ spe, forè, ut Romanus Pontifex eum à matrimonio hoc absolveret. Cœterùm hodie hoc non admodum curant Reges; cùm norint, quid sit jus, dicis gratia solent illum consulere. Hinc malè habuit Alexandrum VII. quod Ludovicus XIV. Gall. Rex matrimonium prius contraxerit, quàm Romam

Papæ stulta iis liberalitas circa aliena sc. in donationibus Regnorū. Hispani ius in Regnum Navarræ & Indiam Occidentalem, item Regnum Angliæ. Pōtificis dispensationes circa matrimonium.

mam miserit, ut dispensaret Pontifex in illo matrimonio, quod canonibus Ecclesiasticis non poterat admitti.

LVI. Non admittunt quoque Reges & Principes Papæ leges: putat quidem Curia Romana, quod si Lex Romæ sit condita, valere eam per totam Europam, quod tamen non curant Reges Hispaniæ & Galliæ, nec Imperatores & Principes Imperii. Si lex sancitur, volunt Reges & Principes ut ad se prius mittatur, &, si utilis ipsis illa videtur, promulgatur, sin minus, non observatur. Hinc nulla Lex papalis in Hispania divulgari potest, nisi Regis adsit consensus & subscriptum, *placere: Pareatur.* Proreges etiam bullis inserere solent; Leges pontificias non ex se, sed Regis permissione valere. Scripsit quidam Hispanus Franciscus de Salgado libellum de non admittendis Papæ legibus sine Regum consensu: liber est preclarus, & à magno conscriptus ICto, quamvis damnatus in Indice prohib. Cæterùm intellexerunt Indices Pontificis non multùm valere nisi ab iis, qui maximè adhuc sunt superstitiosi.

Legum Papaliū autoritas qualis hodie sit.

Franciscus de Salgado.

LVII. Quotannis in festo Sanctæ Cœnæ, Pontifex bullam emittere solet, in qua anathemate ferit nos Protestātes, ut, si commodè velis interpretari, multi quoque Regū & Principū in ea feriantur. Verùm in Germania nihili æstimatur, & apud multos ex Pontificiis in proverbio; Bullam *non transire & excedere Alpes.* Iuxta Decretales jus est Pontifici, evocare causas Romam, sed hoc in paucissimis admittitur locis. De hoc egregio argumento extant duo opuscula Francof. edita, cum bulla Innocentii X. quorum alterum

Excommunicatio Protestantiū.

Bullarū Pontificiarum authoritas.

Ius Belgarum circa bullarum Pontificiarum receptionem; alterum verò: *Defensio Belgarum contra evocationes & peregrina iudicia.* Author suppositius est. Vbi populus est superstitiosus apud illum regnat Papa: Vbi autem superstitio magna ex parte evanuit, nec ibi quoq; multùm colitur; nec usque adeò honoratur in Italia, ut antehac. Interim multum adhuc potest apud illos, qui superstitiosi sunt, magno illo beneficio liberandi animas ex purgatorio, per Indulgentias quoque & absolutionem ab omnibus peccatis. Multos autem modos liberandi ex igne purgatorio sibi reservavit. Populus itaque superstitiosus non potest non submissè ipsum colere. [add. *Maximam adhuc hodie Papalis superstitio vim ac robur habet in Helvetia Romanensi religioni addicta; vt & in Burgundiæ Comitatu, ubi aliquando unus ex laicis, quod diebus prohibitis ovum comederat, est suspensus.*]

Papæ potestas circa purgatoriũ, indulgẽtias & absolutionem peccatorum.

LVIII. Cæterum ante Lutherum major longè fuit Indulgentiarum authoritas, quæ postea eviluit apud vulgus Catholicum, nec amplius tam sunt lucrosę. Interim tamen adhuc decipit animos hominum. Nullum robur, nulla arma sunt fortiora quàm superstitio, omnia autem nituntur opinione Vice-Deatus Rom. pontif. Statim ab initio non alia fuit constituendi Episcopos illos ratio, quàm fuit aliorum, & Deus ne verbulum quidem in Verbo suo tradidit de papa, nam hoc si voluisset, sine dubio alicui potestatem papam creandi contulisset, sed nec olim dedit, nec hodie. E. nihil de papa in S. S. reperitur. Si Deus non dedit alicui potestatem eligendi pontificem, nec ipse constituit; sequitur perperam papam talem creari. At verum est prius E. posterius.

Indulgẽtiarum autoritas eviluit.

Papalis Regni fundamentum est scabiosum.

Quomodo constituti olim Romani Episcopi.

LIX. Non aliam invenio rationem ab omnibus seculis constituendorum Episcoporum Romanorum, quàm reliquorum. Initio electi fuerunt Pontifices non à solo Clero Romano: sed omni populo, quo jure fruebantur sub Imperatoribus paganis, adeóque electi per Concilia totius populi & gregis Christiani illius loci, cui Episcopus erat præficiendus: pòst per Imperatores Christianos positi fuerunt. Mansit quidem Electionis modus, sed ab Imperatoribus confirmari debebant, eíque juramento se obstringere, & ita mansit ad tempora usque Caroli M. & filiorum. Cùm autem in Ecclesia Romana schisma oriretur de eligendo pontifice & mota esset discordia, Henricus III. solus ad se traxit ejus eligendi papam, quod Episcopi, excluso populo, sibi arrogarant. Ita mansit ad usque tempora Greg. VII. qui dein effecit, ut Imper. jus hoc remitterent & potestatem eligendi amitterent, nec etiam confirmationem retinerent, rediit ergo tum ad Clerum & populum. Verùm Innoc. II. (ut testatur Platina & Onuphrius) vitandæ discordiæ causa effecit, ut Electio ad solos pertineret Cardinales; scil. ad paucos restringendam esse, cum populus omnis non possit convenire: ad hunc modum Electio omnium pontificum cœpit fieri; nam seculo XIII. primores populi exclusi ab electione, & ad solos Canonicos Cathedrales pervenit Episcopi creatio, qui repræsentant Cardinales.

Quare Imp. traxerint ad se ius constituendi Papam.

Electio Paparũ pervenit ad Cardinales.

LX. Observandum porrò Electiones Rom. pontif. mulis dissidiis multóque ambitu semper laborasse, simul ac increverũt divitiæ Eccl. Rom. (vide procem. ad hist. Elect. Alex. VII. Rom. pontif.

Electiones Pontificum discordes, & vitiis laborant.

tif.) Ius eligendi hoc ad solos pervenit Cardinales, & latæ sunt variæ leges à Rom. pontif. circa electionem illam. Quarum nonnullas addi curavi ad historiam Electionis Vrbani VIII. & Innoc. X. Vltima bulla hoc de argumento edita fuit ante 40. annos. Vel unum illud, quod adeò multis vicibus opus refrenare vitia circa electionem papæ, coarguit vitia quæ circa electionem perpetrari solent. Legum enim multitudo, quod malis vivatur moribus, certũ est indicium, ubi scil. sæpius leges inculcandæ sunt. Etiamsi verò Gregorius XV. salutaribus admodum Legibus omnia optimè constituere voluerit, nihil tamen reverà egit. Hodie enim æquè magnis ac olim laborat vitiis, quæ vix poterunt emendari, quia quilibet ad honorem illum tendit, magnóque cum impetu ambit, inde motus ac corruptela. Quomodo autem hodie omnia hæc se habeant, petere licet ex variis conciliorum Papalium historiis, de Electione Vrbani VIII. & Innoc. X. nec non Alex. VII. vid. Cõring. Et Moltke ultimi hujus electionẽ (Alex. VII.) edidit quoq; Slesvici; eas si quis legat, facilimè inveniet qua ratione omnia gerantur.

Locus Electionis Pontificiæ.

Factiones in Conclavi occurrentes.

LXI. Locus ubi Electio fit, Conclave vocatur, unde & ipsa electionis historia Conclave appellata, omnia verò factionibus plena esse manifestum est. Observ. inter Cardinales magna semper esse partium studia. In Conclavi enim semper est factio favens defuncto Pontifici. Alia factio magis devincta magnis Principibus & Regibus, quorum interest Papam habere à rebus suis non alieniorem. Hinc Rex Galliæ & Hispaniæ multos habent Cardinales sibi faventes. Habent Imperatores non multùm sibi devinctos, qui tamen

factionis sunt Hispanicæ. Habent suos Veneti; habet & Magnus Dux Etruriæ, qui magnus cum sit Princeps, facilè iis potest succurrere, ut faventem habeant Pontificem. Notandum, etiam ipsos defuncti Pontificis cognatos, suas non parùm curare res; moliuntur proinde, ne creetur Pontifex, qui invisus sit ipsis, & repetat fortè corrasas divitias. Quoniam itaque Cardinalium Collegium ita in partes est scissum, opportet, ut quælibet suum habeat caput, quod regat reliquos Cardinales. Ita res revera recedit ad paucos. Bona autem Cardinalium pars cùm non tam sit opulenta, ideò à Regibus & Principibus suis annuum accipiunt salarium. Facit hoc Hispaniarum Rex, qui multis annua persolvit stipendia, & plurimum pollicetur; qui Hispanicam postea constituunt factionem, & sic fit ab aliis. In nuperrimo Conclavi nova fuit factio, dicta Volans, quod nimirũ modò huc, modò illuc se contulerit. Illa Principibus pecuniâ se obstringere noluit, sed liberè voluit eligere. Impetrarunt autẽ magni Reges hoc à Conclavi, ut non temerè crederent licere quemvis eligi, quem illi nominatim excluserint. Ita solet Hispaniarum Rex modò hunc modò illum excludere: sic quoque Rex Christianissimus aliique, sicq; videntur habere votum exclusivum, de quo tamen jure alii Cardinales vehementer solent concertare, quod sit iniquum planè. Editus nuper hac de materia Liber lectu dignissimus Gabrielis à *Darzo* Hispani cujusdam de voto & jure exclusivo in Conclavi.

Cardin. ob divitias non adeò magnas à Regibus & Principibus salaria accipiũt.

Gabriel à Darzo.

LXII. Quid autem spectare soleant inprimis Cardinales in eligendo Pontifice, patet ex

Lottinus. lib. ante 100. annos edito à Franc. Lottino, Episcopo, in quo docet, quibus artibus quis possit pervenire ad Pontificatum: adde Conring. in hist. Elect. Vrbani VIII. Non peritia Theologiæ, nec pietas in Pontifice attenditur sed liberalitas, affabilitas & humanitas, præ primis ætas, aut qui sint multis obnoxii morbis; nec enim juvenis solet eligi in Papam, quo sæpius possint repeti Electiones, ac iterari, atque alii ad eum perveniant honorem: si enim diutius vivat Pontifex, summè dolent Cardinales reliqui. Cicero de comitiis Romanis non dubitavit loqui egregiè. *Quod fretum, quis Euripus* &c. quæ ibi differit de ambitu Comitiorum, eadem hęc revera in comitiis, ob eligendum Papam institutis, obtinent, & hæc est causa quod per integrum semestre dilata fuerit Electio Alex. VII. Fateor, vix abesse posse talia hæc vitia, quando ponendus est summus universi orbis Princeps. Vid. Conring. refut. Erberman. de fund. fid. Pont. Conc. p. 5. 67.

Quid spectetur à Cardinalibus in Electione Papæ. Juvenis non eligitur Papa.

LXIII. Cum primis etiam ad devinciendos hominum sibi animos hoc usi sunt Papæ instrumento, quod sc. se se & sacra sua ad ingenium accommodarint Cardinalium. vid. Bericht von der wahren Religion/ Edvvin Santis. Scilicet pars bona dedita est voluptatibus, alia lucro & & honoribus adipiscendis, alia probitati. Ita autem se habent Sacra Pontificia, ut omnibus ex voto possit satisfieri. Qui ad divitias & honores aspirant non aliam inveniunt viam commodiorem quam (1) ut faventem habeant Pontificem, sibique demereantur Curiam Romanam; hodie enim habet

Papæ sacra sua ad ingenium Cardinalium accommodant.

Papalia sacra ad divitias & honores acquirẽdos faciunt.

habet Episcoporum Confirmationem Papa (2) quod multorum Episcopatuum, inprimis per Italiam habeat collationem, (3.) quod Canonicatus omnes in Italia absolutè in nonnullis locis conferre possit. In Germania suos habet menses, in quibus, si quis moritur, potestatem habet alium ponendi, quia multi solent aspirare ad tales honores, contra Legum & Canonum instituta per postulationem, aliósque modos. Hinc Papæ opus est gratia, ut contra leges dispenset: Curiæ adhibendus favor, citra quem dispensari non solet. Dein à multis Episcopatibus & Abbatiis solet exigere annatas; hoc verò pergrave multis est Episcopis, quas proinde, ne exigat, opus est Curiæ gratia. Igitur qui ad magnos aspirant honores obsequentes sunt Papæ, Reges & Principes, si sua velint dilatare dominia, licet sine jure, Papæ dispensationem impetrent necesse est. Quoniam autem de officiis & bonis Archiepiscoporum & Episcoporum frequentes oriri solent lites, quæ ad hanc solent pertrahi Curiam Romanam, illius obtineant favorem necesse est, quem proinde in tempore sibi comparare curant. Ita in suo tenet obsequio omnes Clericos, quorum tamen immanis est numerus. Si pecuniam possidere velis, nusquam tam lucrosa sunt officia, quàm in Curia Romana, eaque quàm plurima. Habet enim Pontifex suos ubique Ministros, & præfectos, quibus opus est gratia Curiæ Romanæ, & honores non meri sunt honores sed & lucrosi, sicque multos Sanctus ille Pater sibi devincire potest. Verùm hoc stabiliendi Pontificatus Instrumentum. Et si tum ad honores ipse pervenire non

Favor Papæ & Curiæ Romanæ quos habeat effectus.

Annatæ.

poſſis, aliquis ſemper tuorum, qui te iterum poteſt juvare, perveniet. Huc quoque facit, quòd Rom. Pontifex poſſit diſpenſare in foro pænitentiali, ubi multùm pecuniæ expendendum, quod aliàs gratis obtineri poteſt per beneficentiam Papalem, quam jugi obſequio impetras.

Papalia ſacra voluptatibus indulgent, & ad peccata viam patefaciunt

LXIV. Voluptates quod attinet, nulla repe-riuntur Sacra, quæ non has ſimul ſecum habeant. Voluptates quidem in Curia Romana peccatum audiunt, ſed quia illa facillimè remitti poſſunt, peccata peccatis cumulantur. Nam ita ſe habent Sacra Romana, ut, ſi clanculum confeſſus ſis, & abſolutionem impetraveris, quod facilè potes, te rurſus peccato immergere liceat. In primitiva Eccleſia non facilè erat impetrare abſolutionem, verùm aſpera illa ab hodierna Eccleſia mutata ſunt in levem mulctam. Hinc facilè indulgentias, leviqúe pecunia acquirunt, ubi autem leves indulgentiæ in gravi delicto, ibi gravia quoque delicta frequenter committuntur. Delictorum impunitas, homines graviùs peccare facit. Multum autem hæc juvant ad ſtabiliendam Pontificii Throni Majeſtatem: qui enim illum non habent faventem, graviter plectuntur, nec facilè illis datur venia. Qui vult virtuti operam dare, & ibi invenit locum nam ſolet Monachalis vita in immenſum laudari, & ſi qui durius vivant, eò majori gaudent honore, nonnulli quoque eorum in Sanctorum adciſcuntur numerum, & poſt mortem adorantur, ſuntqúe in perpetua hominum veneratione: hæc ergo inprimis faciunt ad Monarchiam Papalem ſtabiliendam magíſque fulciendam.

LXV.

LXV. Quomodo Papæ solent administrare res suas? Primarii Pontif. Ministri sunt. I. *Cardinales* quorum quidam sunt Episcopi, quidam Diaconi, qui tamen dignitate parum differunt. Ex constitutione Sixti, numerus eorum est 70. secundum totidem Christi discipulos: hi proximi sunt à Pontifice, & dubitant nonnulli, annon etiam participent de Republ. Spirituali. Sunt enim, qui dicunt non licere Papæ, quemquam anathemate ferire, vel sententiam Theologicam approbare, vel reiicere, nisi eorum cum consensu. Quod autem rogari soleant ac consuli talibus in rebus certè constat. Vtrum verò id ex divino fiat mandato equidē nullo modo asserere possum. Tacent enim Sacræ litteræ, imò ne *gry* quidem aiunt. Quando Cardinales inceperint, difficile dictu. Extat Onuphrii Panvinii de eorum origine libellus. Certum quod magna eorum fuerit authoritas à tempore pænè Caroli M. Quando autem inceperint, nihil certi. Seculo jam 5. à nativ. Domini nostri Romanis adstitere Sacris; non quidem ad eum modum vestiti ut nunc sunt, fuerunt tamen tum temporis Cardinales. Præcipua illorum dignitas consistit in eligendo Papa, quæ dari ipsis cæpit Secul. XII. postquam illa Henrico IV. adempta fuit. Hinc insignis illorum est authoritas, hocque modo aliis hominibus præeminent. Pontifex nihil non egit, ad majorem ipsis conciliandum honorem. Tempore Vrbani VIII. disputatum de commodo illorum titulo, dicti erant antea Illustrissimi, qui titulus in Italia satis communis, ac hominibus vulgaribus tribuitur, tandem inventus Eminentiæ titulus & dicti Eminentissimi, quod

Modus administrationis Monarchiæ Papalis.

Cardinales præcipui Ministri Papæ.

Eorum potestas.

Quando cæperint Cardinales.

Præcipua eorū dignitas in eligēdo Papa.

Eorum titulus.

quod ab Vrbano VIII. bulla confirmatum. Archiepiscopi Electores eodem se insigniunt titulo, nec minoris, quàm illi, volunt esse conditionis. Sixtus V. singulari bulla voluit Regibus eos æquiparare, nec temere cedere debere; nuspiam verò hæc recepta fuit: Innocentius. X. efficere voluit, ut non amplius servirent Regibus; sed frustra hæc omnia tentata, imò ipsi reluctati Cardinales, ut majores conquirerent divitias: multa inprimis apud Galliæ Regem stipẽdia meruerunt Richelieu & Mazarin. Solet Cardinalibus Romanis Pontifex assignare proventus, qui tamen superbo illorum statui non sufficiunt, hinc de aliis proventibus etiam illis prospicit, & quo faventiorem habent Papam, eò majora accipiunt beneficia. Papæ autem maximè operam dant, ut Cognatos suos ad Regias evehant dignitates, & multorum Cardinalium sibi ac Cognatis suis devinciant favorem, ne scil. novo Papa creato, illi quicquam accipiant detrimenti. Fit autem hoc modo; si Pontifex aliquem creat in Italia Episcopum, hac solet facere conditione, ut non omnes accipiat reditus, sed partem tantùm, scilic. si Episcopatus aliquis proferat 30000. Thalerorũ, saltem 10000. ei concedit, reliquam postea summam suis tribuit Cognatis & Cardinalibus egentioribus, quos hoc modo sibi devincit, ut sint in clientela Papæ, ejúsque faveant Cognatis. Electio Cardin. fit à Rom. Pontifice idque in pleno cœterorum consessu.

Quare Papa Cardinalium favorem aucupetur.

Ius creãdi Cardinales competit Papæ.

Modi perveniẽdi ad dignitatem Cardinalium.

LXVI. Observandi autem inprimis modi perveniendi ad dignitatem Cardinalitiam, 1. ut sit ex Cognatione Romani Pontificis summi, 2. ut benè sit meritus de Curia Romana, ita qui diutius

Nuncii

Nuncii fuere, frequenter promoventur, adque hanc dignitatem evehuntur, 3. ut quis sit commendatus à magnis Principibus quorum in Curia Romana insignis est authoritas. Ex hac autem consuetudine jus fecerunt Reges, ut si aliquem recommendarint, cui postea denegatur hic honos, statim infesto sint animo contra Pontificem. Sícque ad dignitatem hanc nonnulli provehuntur, contra voluntatem ipsius Papæ. Ita facti sunt Cardinales Richelieu & Mazarin, ita creatus Landt-Graaf de Hessen, ab Imperatore nostro. Ita Cardinalis de Harrach. 4. ut grandi quis eam possit emere pecunia, vel aperta Simonia, vel per officia Curialia, quæ grandi pretio emi solent. Cum autem Pontifex vult quæstum facere ad dignitatem hanc evehit eos, qui cameræ præsunt, nam tunc vacant munia, & potest Papa, creatis 4. aut 5. Cardinal. ex Assessoribus Cameræ lucrari summam 200000. Ducatorũ. Extat liber cui titulus *statera Cardinalium*, in quo describitur vita omnium Cardinal. qui ante 10. annos vixerunt. Quomodo regantur omnia in Curia & Aula Papę, peti potest, ex libro in Batavia edito cui tit. Het Hoff von den Pauß.

LXVII. Quia Papæ Imperium vastum satis est, indiget accuratis quoque consultationibus, ut tantæ Monarchiæ negotia prudenter administrentur, & hac in re Romanenses non temere aliquid constituere solent, sed omnia ad maturum revocare consilium, & pro diversitate negotiorum, diversa hic constituta sunt Collegia. Primarium est, quod ex Papa constat tanquam capite, & Car- *Consilia Papæ.* *Primariũ Consilium & quid in eo tractetur.*

Cardinalibus omnibus, qui Romæ ſunt præſentes: adſunt Secretarii quidam, ſed qui non habent jura ſuffragii. Agitur ibi de potiſſimis negotiis, & quando Papa eſt Romæ tempore hyberno, ſolet convocari hoc Collegium ſemel hebdomade, æſtivo verò tẽpore, ſemel intra 14. dies; hinc hyeme plurima Romæ pertractantur negotia, hoc autẽ fit ordinariè; ſed extraordinariè convocatur, quoties Papæ placet: magni enim momenti res non ſolet diſcernere Papa ſine Cardinalium conſenſu, ipſaque decreta à Cardinalibus ſignari ſolent.

Signatura di gratia. LXVIII. Secundum Collegium Italis dicitur *Signatura di gratia.* Inſtitui hoc ſolet ſemel ſingulis ſeptimanis, ſive præſente, ſive abſente Papa. In hoc deliberatur de iis, quæ dependent à gratia Pontificis & magni momenti negotiis, quæ Papæ ipſius ſigillo confirmanda, ut, ſi Epiſcopi ſint condendi, privilegia concedenda &c.

Tertium Collegiũ. LXIX. Tertium Collegium vocatur *ſopra Veſcovi & Regolari.* S. de Epiſcopis & Regularibus Monachis. Huic Collegio non ſemper intereſſe ſolet Papa, ſed delegati ejus Cardinales, aliique aſſeſſores Cauſæ hæ Epiſcoporum & Monachorum non hic agitantur ad modum judicii, ſed ad modum deliberationis. Politicum eſt Collegium, in quo deliberatur quid utile, quid noxium. Forenſes cauſæ agitantur in judicio *Rotæ* & Aſſeſſores Rotæ dicuntur Auditores. *Rota Romana.*

Quartũ Collegiũ. LXX. 4. Coll. *de Concilio:* illud conſtituitur ex Card. delegatis & ſolent convenire intra dies 14. In hoc conventu omnia agitantur quæ pertinent ad decreta Concilii Tridentini.

Collegiũ examinis Epiſcoporum. LXXI. 5. *Coll. de Eſſamine di Veſcovi*, ſeu

Col-

Colleg. Examinis Episcoporum. Hodie penes Pontificem raræ sunt Electiones, sed Confirmationes. Nam in Germania electiones sunt penes Canonicos Cathedrales; in Gallia penes Regem; hos autem confirmat Rom. Pontifex, solétque Examen instituere, an sint Romanæ Curiæ suspecti, vel an conducere possint? suspecti qui sunt, reiici solent, sic *Petrus de Maria* Archiepiscopus Tholosanus electus, qui à Rege Galliæ, non tamen à Papa obtinere potuit confirmationem, idque propter librum quem edidit, de rebus Curiæ Rom.

LXXII. 6. Coll. *de Reti*, seu de Ceremoniis & ritibus, hoc frequentissimè solet celebrari, quia Rom. Religio consistit in ritibus, vel derogandis, vel instituendis vel confirmandis. *Colleg. de Ceremoniis.*

LXXIII. 7. dell' sancto Officio, seu Colleg. Inquisitionis. Hoc instituit Pius IV. qui in eam à Iesuitis inductus fuit sententiam, non posse subsistere sedem Pontificiam sine inquisitione. Accuratè itaque in omnes inquirunt libros qui Romam deferuntur, &, quicunque accusantur hæreseos, in hoc Collegio examinantur: intersunt illi Cardinales, multíque Assessores, qui in eo dominantur, & interdũ rigidiores esse solét, interdũ non. Tempore Vrbani VIII. Innoc. X. & Alex. VII. non tam severè inquisitum fuit in hæreticos, quàm antea, sc. tempore Pauli V. & Gregorii XV. hodie verò in ea sunt sententia Cardinales, rigorem illum obesse potius, quàm prodesse, & ex quo mitius habentur plures inveniuntur Protestantes, plurimi etiam ad illorum Religionem transiverunt, &, quod rigore non poterant, lenitate effecerunt. *Collegiũ Inquisitionis.*

LXXIV.

Collegiũ de Indicibus expurgatoriis. LXXIV. 8. Coll. dell Indice, ſeu de Indicibus expurgatoriis. Papæ inde à tēporibus Lutheri cæperũt indagare libros, qui illis ſunt nocivi, ideóque ſolent illorum aliquando prohibere lectionē, aliquando ex parte, donec expurgati fuerint, ſolet deleri ex illis quicquid Rom. Religione ac Curiæ adverſatur. Strictè hoc obſervatum fuit, inde à Lutheri temporibus. Libri, qui planè ſunt interdicti, referuntur in Indicem prohibitoriũ, qui a. ex parte tantùm, ad Indicem expurgatorium, qui clanculũ habetur: noſtri a. quando tales invenerũt Indices, interceperunt, & publici juris fecerunt; hac enim cũ differētia hos duos indices Romę habēt, ut prohibitorius palàm, expurgatorius a. clanculum detineatur, quales tamen noſtri & Reformati interceperunt. Sic habemus Indicem Belgicum, Romanum, Hiſpanicum expurgatorium, prohibitorios poſſumus habere plures, Coloniæ editos. Expurgatorii non in Germania, multò minus in Gallia curantur, qui libri damnantur, publicè ſolent ſchedulæ affigi, ſic multi libri habentur venales Romæ; nam multi ſunt prohibiti.

Collegiũ de Rebus Germanicis. LXXV. 9. Della Coſa di Germania, ſeu de rebus Germanicis, quia partim hæreticos partim & continet pios. Agitur de rebus ſacris German. item de rebus Gallicanis. Hodie hoc Collegium eſt inſtitutum, in quo deliberatur de iis, quæ Romanæ Curiæ expedire poſſunt in locis illis, ubi res maximè videntur fluctuare.

Collegiũ de Propagatione fidei. LXXVI. 10. Della propagatione di fede. Inſtituit hoc primus Georg. XIII. Pontif. agitur ibi de propaganda fide Rom. per univerſum mundum. Incredibile dictu quantum hoc Collegium

tolcat

ſoleat conducere, etiam intereſſe ſolet Papa.

LXXVII. 11. Della Coſe Conſiſtoriale. Vbi omnia pertractantur negotia, quæ ad Conſiſtorium deferri ſolent. Eſt itaque præconſultatorium; Solent enim Romæ cauſas omnes non ſtatim crudè ad Conſiſtorium deferre, ſed prius de iis conſultare. Ipſe huic interdum intereſt Papa. *Colleg. Cauſarũ Conſiſtorialium.*

LXXVIII. 12. Delle Coſe di Iuriſdictione, ubi conſultatur ſingulariter de juriſdictione Papali: conſtituitur maximam partem ex Cardinalibus. *Colleg. Iuriſdict. Papalis.*

LXXIX. 13. Dell' buono Regimine. Huc referuntur omnia negotia politica, ſi quæ cauſæ moventur de malo Regimine Magiſtratus, vel de Præfectis. Reverà hoc ſaltem fit in ſpeciem, nec ſubditorum querelæ attenduntur: vellem tamen ut ubique locorum tale haberetur Collegium, quia longè utiliſſimum. *Colleg. Regiminis.*

LXXX. 14. Dell' ſtudio, agitur in hoc de propagandis Studiis, Academiis & Scholis, ſemel ſaltem in Anno habetur. *Colleg. de ſtudiis.*

LXXXI. 15. Della ſtrade, de viis publicis in ditione pontificia, ut illæ rectè ſe habeant, conſtituitur ex Cardinalibus. *Colleg. de Viis publ.*

LXXXII. 16. Delle Conſulte. In hoc agitur de iis negotiis, quæ in aliis Collegiis ſunt quaſi minoris momenti conſtituta, & deferuntur ita ad hoc Collegium, & quaſi de novo in conſultationem ſumuntur ut poſſint deferri ad Papam.

LXXXIII. 17. Collegium dell' abondanza, de rebus importandis & exportandis, ſeu iis,

quæ ad victum & sustentationem pertinent.

LXXXIV. 18. Dell' flumine, ut Rivi & flumina se rectè habeant, pertinent huc quæ circa Tyberim, quæ cum inundatione nocere possit consultari solent. Raro autem crevit.

LXXXV. 19. Delli Baroni hoc nomine veniunt Principes, Comites, & primarii Nobiles Pontif. ditionis, quorum res hic examinantur.

LXXXVI. 20. Della Riforma, de reformatione; quia Episcopi & Monachi non solent Leges præscriptas observare: si mores itaque detrimentum capiant, de illorum emendatione hic deliberatur.

LXXXVII. 21. Della penitentiale, magnum hoc est Collegium, quod singulis septimanis institui solet, si causæ ad Rom. Curiam deferuntur, quales pœnæ debeant statui: tales verò causæ quàm plurimæ quotidie deferri solent.

LXXXVIII. 22. Della Libraria Vaticana, quæ maximè incrementum cœpit, tempore Sixti V. qui Collegium hoc instituit, cui interfuerunt nonnulli Cardinales & alii qui deliberant de augenda hac ingenti Bibliotheca, caput huius Collegii solet dici κατ' ἐξοχὴν Bibliothecarius & semper est Cardinalis.

LXXXIX. 23. Coll. delle Capelle, ubi tractantur negotia ad Capellam Domini Pontificis & confectionem Agni Dei spectantia.

Collegiū Protectorum. XC. 24. Colleg. Protectorum. Omnia Regna Europæa, quę colunt Rom. Pontificem suum habent Patronum in Curia Romana, qui causas eorum ibidem agit. Est verò semper Cardinalis, & dicitur Protector. Ego miror quod tanti

Reges

Reges & Principes potentiores, qui observant Rom. ſedem, hoc patiantur. Ita & noſter Imperator, Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, Luſitaniæ Reges, Reſpublica item Veneta, & Genuenſis, multi item Italiæ Principes, ſuos habent Protectores non quidem à Papa, ſed à ſe ipſis electos. Hinc ſi non videntur ſatisfacere ſuo officio, poſſunt removeri, ſi itaque aliquid in Conſiſtorio proponitur, agunt cauſas ſuorum principalium, illi autem ſubinde, aditum ſibi intercludunt ad Pontificatum, quia enim Electio ſemper cum factione procedit, factio autem Gallica & Hiſpana inter ſe diſtent; hinc, qui norunt, ſe ad Pontificatum pervenire non poſſe, aſſumunt officium Protectoris. Qui ex Hiſpanis ſunt orti, non facilè ad Pontific. dignitatem pervenire poſſunt; nam cum Gallis ſint inviſi, & Rex Galliæ votum habeat excluſivũ non facilè illos admittit: Ita Antonius Barbarinus, Galliæ Regni fuit protector, & ea propter, inviſus Hiſpaniæ, ut non potuerit ad dignitatem Pontificiam pervenire, ſolent autem Protectores illi quotannis ſtipendium accipere à Regibus ſuis. 3. 4. 5. 6. aut 10000. ducatorum.

XCI. In Curia dein Romana nobile eſt officium munus Legatorum, qui duplicis ſunt generis, Ordinarii & extraordinarii, ſeu *à latere*, quod ut intelligatur tenendum quod Præfecti magnarum ditionum ſolent eſſe Cardinales, hi dicuntur Legati Ordinarii, propriè autem nõ ſunt, ſed Præfecti provinciarum, habent verò ejuſmodi Legatos varios, Ferrariæ, Marcæ Anconitanæ, la Compagnia di Roma, Romaniolę, Legati etiam magnę urbis Bononiæ ut, plurimum ſunt Cardinales, in- *Legati Pontificis quotuplices.*

terdum etiam Prælati.

Legati extraordinarii XCII. Legati Extraordinarii propriè ſunt, qui in exteras mittuntur Regiones, & Legatorum munere funguntur. Qui autem ita mittuntur rurſum Ordinarii ſunt & Extraordinarii. Ordinarii nunquam ſolent eſſe Cardinales, ſed Epiſcopi, aut Abbates, qui in provincias mittuntur ad expedienda varia negotia. Habet autem Papa ſuos Nuncios in Gallia, Polonia, Hiſpania, in aula Cæſarea, Coloniæ Agrippinæ, qui Nuncius in partibus Rheni dicitur, Bruxellis etiam, qui Pontificia negotia in bellis expedit. Hi reverà Legati ſunt, ſed non ſic appellantur: ſunt ejus penè generis, ut Principum & Regum Reſidentes, Ambaſſadores, & qui ordinariè reſident. Si autem extraordinariè vult agere, & cum dignitate, ſolet mittere Cardinalem, & dicuntur *Legati à latere*. Cum ingenti verò faſtu & pompa ubique ſe gerere ſolent, & magnæ ſunt authoritatis.

Legati à latere.

De aliis officiis Curialibus. XCIII. Præter hæc ſunt alia adhuc quædam officia quæ in Curia adminiſtrantur partim ab aliis: primo loco collocaverim iſta quæ ſunt circa Cameram ſeu rem nummariam, toti rei præeſt Cardinalis, qui vocatur Camerarius, ad hoc officium non ſolet promoveri, niſi qui artem pecunias corradendi noverit, & quem Papa vult diteſcere. Camera autem in duas dividitur partes, ideò quia quidam ſunt reditus Pontificis proprii quorum nullam cuique tenetur reddere rationem, pars ergo Cameræ circa hos reditus eſt occupata, pars autem occupata circa eos qui non ſunt proprii Romani Pontificis, ſed pertinent aliquo modo ad Curam Collegii Cardinalitij, poſterioris Redituum

Camera Apoſtolica.

tuum ratio reddi solet delegatis Cardinalitii Collegii, Sicuti quōdam tempore Rom. Cæsarum distinctio erat inter ærarium & fiscum, quorum hic Cæsarum proprius, illud Commune fuit Reipublicæ; ita & Camera se habet Pontificia. Posterioris generis sunt Annatæ & alia, maximam harum partem capit fiscus, reliquam ærarium. Et fisco, & ærario pręest aliquis sūmus Thesaurarius. Ærario Assessores solent dari omnes, qui eliguntur à Pontifice, nemo verò temere ad Assessoratum Cameræ admittitur, nisi ingenti pecuniæ summa Pontifici oblata, quia collatio talium munerum est admodum lucrosa. Vocantur Assessores illi Clerici Cameræ, & solet comparari officium hóc 20. vel 30000. Ducatis. Habent autem Assessores illi facilem accessum ad dignitatem Cardinalitiā, ut sic aliis etiam vendibilis sit illa Collatio, ex quibus ingens iterum lucrum capit Rom. Pontifex. Hæc est ratio, quod carè munus illud ematur, quia certa illis est spes, fore, ut Clericus Cameræ ad Cardinalitiam perveniat dignitatem, & tandem ad Pontificatum. Tanta verò illorum dignitas, ut sede vacante, nummos cudant suo adjecto Titulo, ac insignibus.

XCIV. Præter hæc, munus est Cancellariæ, cui itidem præest Cardinalis, quem Papa ad magnas vult evehere divitias: Vice-Cancellarii vocantur illi, penes quos est sigillum Pontificis: Hinc omnes Papæ bullæ, privilegia, decreta, tabulæ à Vice-Cancellario subsignantur. Hoc officium non potest non esse lucrosum. Idem præsidet omnibus, qui ministrant Cancellariæ, quorum numerus est magnus, quia plurima sunt ne-

Cancellaria Papæ.

gotia. Inter ministeria verò Cancellariæ, eminent officium Datariatus, ubi subscribuntur & expediuntur litteræ, solet enim ibi subscribi *Datum Romæ*; unde nomen etiam accepit: habet verò suas sportulas proprias opulentissimas.

Datariatus.

XCV. Datarii idem sunt ac Secretarij, non verò sunt Cardinales: eodem verò pertinent *Là penitentiaria*. Pontifex enim non promisit Episcopis potestatem veniam concedendi peccatis omnibus; multa enim sibi reservat; hinc necesse est, ut multi Romam confugiant, ut absolvantur à peccatis, nec nisi à Pontifice. Constat verò illud Collegium plurimis Secretariis. Notandum nullas litteras solere temerè expediri à Secretariis, nisi expositâ pecuniâ, ut in nostris quoque Cancellariis, nil solet fieri, nisi nummis exhibitis, & sicuti negotia aut magni, aut minoris sunt momenti, ita vel plus vel minus solet expendi pecuniæ: ut autem in aulis publicari solent Taxæ Cancellariæ, ita etiam fit Romæ, edidit Taxam *Lauren. Bank*, Prof. Franecker. in Tr. de Tyran. Papæ.

La) penitentiaria

XCVI. Observandum verò eos esse Romani Pontificis proventus, ut possit certare cum Regibus opulentissimis. Non quidem eadem est ratio, quæ olim ante Reformationem, nec ante Concilium Constantiense: tunc enim nec modus, nec ratio erat divitiarum, sed post Concilium Constant. & tempora Lutheri, multùm imminuti fuere hi proventus. Reditus hodie ita discerni possunt, quod scilicet quidam ei competant, in quantum est Dominus Italiæ, & dein in quantum est Monarcha spiritualis. Priores sunt

Reditus Romani Pontificis

Reditus Papales quomodo discernuntur.

longè

longè maiores, quàm antehac, quia tam durè habet ſubditos, ut omni exuat ære, & in ſummam redigat paupertatem : cùm enim præreptum ſit per mutationem Religionis ingens commodum corradendi pecuniam, ex eo tempore quia majorem acceperunt poteſtatem in Italia, à Iulii II. tempore, ditio Pontificia gravibus cœpit onerari tributis, & vectigalibus, ut oneri tanto ferendo non ſit par. De iis proventibus poteſt legi appendix libri de Repub. Romana in Batavis edita, & in Archologia Coſmica, ubi agitur accuratè. Reditus ſpirituales etſi valde decreverint, ſatis tamen adhuc ſunt magni : nullus Epiſcopatus, Prælatura, ſolet confirmari, niſi accepta certa pecuniæ ſumma, uti nec diſpenſationes. Exemplum ex iis poteſt deſumi, quæ congeſſit Sixtus V. qui præfuit per annos 7. & corraſit quinque milliones auri, quæ in Caſtello Sancti Angeli depoſuit.

XCVII. Hodie autem nunquam multum ſupereſſe ſolet, quia non reperitur aula in Vniverſo Orbe, quæ adeò ſplendida, ac ſumptuoſa, ut Pontificia, & quæ tam multos habeat Miniſtros. 2. Quia Papæ dant operam à multis ſeculis, ut ſuos Cognatos promoveant ad ſummas divitias, ad Regias opes pervenerunt Agnati Papæ beneficio. Hinc fit, ut ipſi Papæ non multum habeant. Verum eſt proverbium; magnum vectigal parſimonia : hinc cùm multum impēdant in Cognatos ſuos, fit ut illis parum ſuperſit. Hodie pars bona Romanorum vectigalium eſt oppignorata illis, qui dicuntur *Montes Pietatis*: Sunt autem nil aliud, quàm menſæ nummulariæ. Illi montes ſunt ditiſſimi & collatitia

De Agnatis Papæ.

Montes Pietatis.

pecunia abundat. Quod autem montes pietatis constituti, factũ hoc inde, quia Pontifices, cum nõ satis possint profundere, instituerunt illos mõtes, ut pecuniam exinde accipere possent. Habemus præclaram dissertationem de hisce montibus Tholosani in sua Rep. Extat etiam libellus, Germ. de Romanı. montibus pietatis, lectu dignissimus. Bona pars ærarii obstricta est aliis, nec temerè fit, ut quis Pontificum æs illud persolvat, cogitant se brevi morituros, ac proinde non multùm curant publicum. Vnus id egit Sixtus V. post & ante eum nemo. Dum autem lucrum capit Papa, & singuli Cardinales ex montibus pietatis, laborat ærarium publicum, & ære alieno obruitur.

EXCERPTA

EXCERPTA MISCELLANEA De ECCLESIASTICA & POLITICA hodiernâ REPVBL. ROMANÆ, & Reliquorum ITALIÆ PRINCIPVM, ac CIVITATVM administratione.

I. NOSTRI seculi *Romani* multa ab antiquis mutuata retinent, ut morum gravitatem, quæ cum ipsis nata esse videtur; magnificentiam & certam quandam magnitudinem animi. Verum cum ibi ingens confluxus sit ex omnibus Europæ Nationibus, mores illorum pro advenarum ingenio variant. Valdè artificiosè hîc vivitur. In magno honore illos, etiam pauperrimos, habent, qui ad aliquam adspirare possunt dignitatem; nec varia magis alibi fortunæ sors est, quàm hic; nihil enim tam miserum abjectúmque est, cui ad felicitatem via non pateat, modo capax sit. At verò, ut alii Itali, ita etiam Romani fucum amant, nec facilè acceptarum oblivíscuntur injuriarum. Domi parce & adstrictè vivunt; sed in illis, quæ speciem pompæ habent, prodigi sunt. Nobiles illorum affabiles & humani sunt, armis valdè addicti. Plebs verò agrestis, rudis, & aspera est; animosa tamen, & robusta, sicut antiquitus, *Picentes* confidentes & audaces sunt, & ideò

Mores Romanorum huius temporis.

ideò bellis apti. In conversatione rudes sunt, agriculturam exercent, nec valdè mercaturam curant. *Ferrariensibus* Itali hoc vitii adscribunt, quod callidi sint. *Perusinos* promptos & audentes vocant; *Spoletanos* subdolos. *Bononienses* feroces. *Faventinos* animosos. *Ostienses* urgentes, *Romanos* crudeles & strenuos. *Romani* ad bellum perseverantiam, *Ferrarienses* machinas ignivomas, *Viterbienses* calcaria adferunt. *Ferrarienses* opinionibus indulgent, vindictæque cupidi sunt: sicut & *Romani*, quibus vix alii crudeliores sunt. In excipiendis advenis, *Ferrarienses* rudes sunt, *Spoletani* agrestes & in omnibus rebus occulti. Ex fœminis *Perusinæ* accommodæ, *Beneventanæ* rusticitate laborant. *Bononienses* nonnihil gloriosæ, *Cesenates* rapaces, *Romanæ* graves, *Ferrarienses* avidæ, *Ravennates* civiles. Verbo: omnes Itali sunt Zelotypi. Fœminas in ædibus tanquam in carcere captivas tenent, nec ulli illas videre fas est, ne quidem proximioribus amicis, nisi singularem aliquam ipsis exhibere voluerint gratiam. Ingentes sunt dissimulatores, & irarum tenacissimi, quas non prius deponent quàm ultionem contra inimicum exercuerint, nec citius offensas quàm vitam ponunt; etiam amicitiam simulant, ut commodius sibi fidentes perdant. Fæminæ Italorum hoc Authoribus virtutum vitiorúmque confinio notantur. *Senenses*, pulchræ sunt; *Florentinæ*, delicatæ; *Perusinæ* elegantes; *Caietanæ*, formosæ; *Consentinæ* obstinatæ; *Beneventanæ*, rusticæ; *Bononienses*, arrogantes; *Mutinenses*, benignæ; *Cesenates*, rapaces; *Genuenses*, salaces; *Cremenses*, fallaces, *Placentinæ*, difficiles; *Lucenses*, castæ;

castæ; *Pistorienses*, faciles; *Romanæ*, graves; *Capuanæ*, superbæ; *Neapolitanæ*, solicitæ; *Brundisinæ*, inertes; *Ferrarienses*, avidæ; *Ravennates*, humanæ; *Vrbinates*, affabiles; *Vincentinæ*, constantes; *Parmenses*, avaræ; *Papienses*, lucri cupidæ; *Mediolanenses*, urbanæ; *Pedemontanæ*, procaces; *Venetæ*, petulantes; *Veronenses*, gratiosæ; *Brixianæ*, diligentes; *Formianæ*, speciosæ; *Laudenses*, superstitiosæ; *Cremonenses*, sumptuosæ; *Tarvisianæ*, zelotypæ; *Bergomates*, astutæ; *Aretinæ*, tenaces; *Puteolanæ*, bellæ. Virorum Italorum, hæc laus & vitia sunt; *Mediolanenses* non Zelotypi; *Mantuani*, soliciti; *Neapolitani*, perditissimi; *Lucenses*, constantes; *Veneti*, libidinosissimi; *Senenses*, indefessi; *Perusini*, ardentes; *Vrbinates*, cauti; *Brixienses*, firmi; *Calabri*, pertinaces; *Vincentini*, diligentes; *Genuenses*, odiosi; *Mutinenses*, gnavi; *Bononienses*, fideles, *Placentini:* acres; *Cremonenses* avidi; *Veronenses* molles; *Romani* insani; *Ravennates* cupidi; *Pisani*, vehementes; *Tarentini* profusi; *Monopolitani* strenui; *Cortonenses*, furiosi; *Pistorienses*, sedati; *Savonenses*, placidi. Hæc de illis eatenus dicuntur quatenus fœminarum sunt amatores,

II. Pontifex Ecclesię Cathol. Rom. (ut vocant) Præsul supremus sedem suam habet Romę. Nostris temporibus Pontifex Romanus vocatur. Qui totam Italiam sub Romano-Catholica fide tenet. Præter Catholicos autem, ibi etiam tolerantur *Græcæ Religioni* addicti, & *Reformati*, qui in ditione Neapolitana, apud Venetos, Perusinos, Valeios, Ducem Sabaudiæ, Lucenses agunt. *Iudæi* quoque in nonnullis locis commorandi habēt potestatem. Authoritas Pontif. spiritualis, licet ma-

Status Ecclesiasticus Italiæ, & seorsim Vrbis Romæ.

magna sit, variat tamen pro temporum ratione. Ditiones suas per *Cardinales* regit. Illi autem plures esse non possunt, quàm LXX. per Constitut. *Sixti V.* secundùm numerum discipulorum Christi. Sed Pontifices per dispensationem quandoque hunc numerum excedunt; interdum etiam pauciores admittunt. Inter Cardinales quidam reperiuntur Principes, ex summis nati Europæ familiis. Quibusdam etiam ad hanc dignitatem prudentia & doctrina viam parant. Dividit verò Pontifex inter Cardinales quatuor summa officia. Horum Primum est *Magni Pœnitentiarii*, qui, una cum consultoribus suis, expensa confitentis culpâ, modum ipsi pœnitendi præscribit. Huic parent alii *Pœnitentiarii minores*, qui vel absolvunt confitentes, vel, celato nomine, illos pro gravitate peccatorum ad supremum remittunt Pœnitentiarii maximi tribunal. Secundum officium habent *Vicarii Papæ*, qui curam gerunt cultus divini, & Regiminis Spiritualis. Tertium est *Vice-Cancellarii*: (nam Cancellarii dignitatem ipse sibi reservat Pontifex; vel *S. Laurentius*.) Hic Ministros sibi subjectos habet. Quippe omnes judices ipsi parent, etiam *Auditores Rotæ*, numero XII. viri summę dignitatis, de caussis totius Christiani Orbis cognoscentes. Quartum officium est *Camerarii*, quod, ut & alia, cum ad Statum vel Regimen Politicum spectent, in suo loco exponemus fusiùs. Cæterùm Pontifex à Romanis, ut & Romano-Catholicę Religioni addictis aliis, pro capite universæ Christianæ Reipub. Divi Petri successore, & Christi in terris Vicario agnoscitur;

tur; talísque habetur, qui in rebus Sacris errare non possit. Inde hoc persuasis firma stat sententia, quod ab ejus judicio & sententia ne latum quidem unguem liceat discedere. Is Legibus à se latis omnes constringere valet, & in illis etiam, quæ in Conciliis tractata sunt, plenam statuendi & determinandi sibi vindicat potestatem. Est etiam supra Concilia, quorum decreta, ipsius est declarare, infringere, corrigere, in nonnullis etiam dispensare. In hoc tamen Sorbona Parisiensis, secuta Concilii Basileensis authoritatem, nunquam planè voluit consentire. Sed rerum sacrarum cura omnis soli concessa est Pontifici, cui non solùm Sacerdotes, Ordinésque varii monasteriorum, sed etiam seculares subjecti sunt; nec tantùm respectu rerum purè spiritualium (ut vocant,) verum etiam temporalium; nimirum judiciorum, tam civilium, quàm criminalium, & matrimonialium. Nec defuerunt, qui scriberent, Principes omnes & Status seculares Pontificum imperio esse subjectos. Quorum officium esset, de Regum, & Principum controversiis Iudicium ferre, & quid unius alteriúsque sit, determinare. Maxima verò Pontificis auctoritas in duabus rebus consistit, in præmiis, & pœnis. In pœnis quidem, quas Pontifex infligit, non de fortunis solùm, & vita; sed de animæ quoque salute agitur. Sed illa trita latissimáque est via conferendi beneficia Ecclesiastica in alienis Regionibus sive imperiis. Hodie verò illa potestas non parum est accisa, restrictáque, præcipuè in Germania, ubi Collegia Canonicorum, quæ *Capitula* vocant, Episcopos & Prælatos eligendi jus habent: exceptis iis, qui subsunt Austria-

cæ

cæ familiæ imperio, qui ab Archiducibus nominantur. In Gallia quoque ſolus Rex poteſtatem habet Epiſcopos nominandi, quæ etiam Regi Hiſpaniæ competit. In Hiſpaniæ Regnis, India occidentali, Belgii parte, Sardinia, in Regno Neapolitano, nominationis jus habet in 24. Eccleſiis, ſecundùm conventionem cum *Clemente VII.* factam. Eodem jure nominandi Epiſcopos Imperator, quatenus Hungariæ & Bohemiæ Rex eſt, utitur, in dictis nimirum Regnis. Quod etiam in aliis Regnis, ut Polonia & Luſitania obtinet. Licet verò Pontificis poteſtas in eo ſit reſtricta; tanta tamen adhuc beneficiorum diſpenſandorum copia ad Pontificem pertinet; ut nemini Chriſtianorum Principum major pateat. Sed qui ab ipſo collationem non accipiunt, confirmationis tamen diploma impetrare tenentur. Quomodo verò creetur Pontifex, paucis his ſubjungemus. Initio, Clerus ROMANUS, conjunctis populi ſuffragiis, jus renunciandi Pontificis habuit. Huic Imperatores ab Ann. CCCLI. ſuam interpoſuerunt auctoritatem, à quibus illi confirmationem ſoliti erant petere, primò ſumma pecuniæ data, dein ſine pretio. Poſtea totum jus creandi Pontificem ad ſolos Imperatores Pontifices detulerunt; quo populi Romani inſolentiam infringerent. Hoc jus Imperatores diu tenaciter retinuerunt; adeò, ut, cum id Pontifices repeterent, graviſſimum Schiſma, Chriſtianam Rempublicam diu concutiens, inde exſurgeret. Dum hæc agerentur, quidam Pontifices ſibi deſtinabant & eligebant ſucceſſores; quos dein Clerus confirmavit. Vltimum, cum prævaleret Pontificum authoritas, excluſis

cum

cum populo Imperatoribus, electio penes Cardinales & Primates aliquot ex Clero permansit, donec tandem in Concilio Lateranensi ab Alexandro III. ann. MCCLIX. præsentib. CCLXXX. Episcopis constitutum est decretúmque, ut is, qui à duabus tertiis præsentium Cardinalium partibus electus fuisset, legitimus Papa agnosceretur. Hic mos ad nostra usque tempora duravit, nisi quod anno 1417. *Martinus V.* ad tollendam istius temporis controversiam, in Concilio Constantiensi electus fuit. Verum Gregorius X. in Concilio Lugdunensi primus ordinavit *Conclave*, quod paullatim melius dispositum, & ad illam, quæ nunc in usu est, formam redactum est. Modus verò Pontificem eligendi à Cardinalibus triplex fuit observatus; per *compromissum*, per *adorationem*, & per *scrutinium*. Olim non plures erant Cardinales, quàm quinquaginta tres; Pius verò IV. sexaginta sex vidit. In hoc Purpuratorum Patrum collegio magnæ erant factiones sub *Carolo V.* Imperat. & *Francisc. I.* Hinc factum, ut Europæ Reges illorum gratiam sibi conciliare studerent. Ita Catholicus certis donis sibi nonnullos obligavit. Imperator sex & septem sibi tenet obnoxios. Galli se illorum quærere gratiam dissimulant.

III. Pontifex sex ditionum in Italia Dominus est, quæ magna terrarum occupant spatia. Siquidem in medio Italiæ Vrbem *Romam* & totum regit *Latium*, magnam partem *Etruriæ*, *Vmbriæ*, *Ducatus Spoletani*, *Perusiæ*, & *Bononiæ*, *Ferrariæ*, *Flaminiæ*, *agrum Picenum*, & partem *Samnii.* His non ita pridem accessit *Vrbini Ducatus.*

De Regimine seculari, quod in Pontificē Romanū cadit.

Gaudet

Gaudet supremo jure, in *Regno Neapolit.* & *Siciliæ*, *Placentia* & *Parma*; in ditione quoque *Radicosanensi*, cum territorio, quod usque ad pontem Centinum porrigitur, & *perpetui Vicariatus* titulo à *Florentinis* possidetur. Papa ditiones suas per *Legatos* regit: Hi ut plurimum Cardinales sunt magni nominis. In reliquis locis *Gubernatores* constituti sunt vel *Potestates*. Illi cum nihil magni concludere queant, referunt ad *Consilium*, quod Romæ bis singulis habetur hebdomadibus, consistens ex præcipuis viris, magnâ prudentiâ & brevitate causas controversas componentibus.

De Collegio Cardinaliũ. IV. Summus Pontifex R. habet LXX. *Cardinales*, qui in tres ordines distincti sunt, & dicuntur *Cardinali Vescovi*, quorum sex sunt, *Cardinali Preti*, quorum 50. & 14. *Cardinali Diaconi*. Hi junctim nomine *sacri Collegij Cardinalium* veniunt, dicti *Il sacro Collegio de' Cardinali*. Inter hos verò unus semper officio custodis Cameræ fungitur, dictus *Camerlengo de sacro Collegio*, distinctus à *Camerlengo di sua Santità*, sive Pontificis cubiculario. Nam illud officium ad vitam conceditur; hoc solùm ad annum unum, succedentibus invicem Cardinalibus in Curia præsentibus. Huic autem commissa est cura redituum ad Collegium Cardinalium spectantium. Quod officium, ubi deponit, unicuique Cardinali partem redituum illi debitam addicit: absentium non habetur ratio, nisi post sex menses, quam Roma excesserunt. Ad hæc *Secretarius Collegii* unus, tum *Clericus Nationalis*, & Rationes expediens, (quem illi *Computistam* vocant) à Cardinalib. crea-

creatur. *Secretarius* ſemper eſt Italus. *Clericus*, per unum annum tantùm officio præeſt. Officium *Secretarii* eſt, in conclave intrare, literas ſcribere nomine Sacri Collegii, quæ ſubſcribuntur à tribus Cardinalibus qui *Capita ordinis* ſunt, dicti *Il Cardinale primo Veſcovo, Il Cardinale primo Prete, & il Cardinale primo Diacono*. Hæ literæ tribus illorum ſignantur ſigillis. Intereſt congregationibus generalibus, quæ quotidie manè habentur, & congregationi Capitum Ordinum, adnotátque omnia mandata & decreta quæ in congregationibus illis ſanciuntur. Etiam reſolutionum omnium in ſecreto conſiſtorio factarum à Card. Camerlengo ſibi datarum regiſtrum Secretarius tenet. *Clericus Nationalis* ſubſtitutus eſt Secretario, in cujus abſentia officium Secretarii ille exſequitur, eodem veſtitu, quo Secretarius, rubro nimirum, indutus, in Conſiſtorio comparet. Qui rationibus præeſt, (*Computiſta*) expeditas habere debet rationes redituum S. Collegii. Has Cardinali Camerlengo exhibet.

V. Magiſtri ceremoniarum Pontificis 4. ſunt; quorum duo priores *Participanti* dicuntur, quibus omnium Cardinalium hæredes ſolvunt 50. aureos Cameræ, & quilibet recens creatus Cardinalis 112. aureos adeò, ut quilibet horum 700. ſcutatos ex officio ſuo quotannis percipiat. Cæteri dicuntur *Sopranumerarij*, qui à quolibet novo Cardinale 12. aureos Cameræ viritim accipiunt. Pollent autem æquali authoritate, ordinandi functiones Pontificias, & ſignificandi Cardinalibus, quid facere debeant, *&c.* Omnes etiam interſunt Congregationibus Rituum; & unus

eorum

eorum Congregationi Ceremoniali. Omnes ingrediuntur Conclave, & cum Papa ablegat aliquem Legatum à Latere, horum unum ei adjungit. &c.

VI. Magister S. Palatii continuè in Palatio Vaticano habitat, cum 2. adjunctis sociis. Hoc officium semper ad Patres Ordinis S. Dominici pertinet. Hujus officium est, omnia revidere opera, quæ Romæ sunt imprimenda; quæ ab eo adprobata, & à Vices-gerente subscripta, ipse etiam aut aliquis ex sociis ejus, ejusdem Ordinis Magistris, subscribit. Interest etiam Congregationi Indicis. &c.

VII. Sacrista Pontificis in dicto habitat Palatio: hoc verò officium ad Patres Ordinis S. Augustini spectat. Hujus negotium est Pontificis Sacristiam (ita dictam) curare, ubi tunicæ ingentis pretii servantur, & cum Pontifex Sacra siue Pontificaliter sive privatim facit, hic illi ministrat degustátque vinum, aquam & hostiam.

VIII. Papa numerosam & nobilem alit aulam, & in diversas classes distinctam. Hic præcipuus est Secretarius, is semper Cardinalis Nepos est. Huic multi subsunt *Secretarii*. Atque hic Cardinalis scribit & subscribit literas Pontificis ad omnes Principes, Nuntios, &c. signátque diplomata vel patenta (ut vocant) multorum Gubernatorum, Potestatum, aliorúmque Officialium Status Ecclesiastici. Omnes etiam Legati Principum, cum à Pontifice discedunt, Card. Nepotem adeunt, reddituri rationem eorum, de quibus cum Pontifice egerunt: quod & reliqui omnes

Ministri

Ministri Romæ faciunt. Atque hic Nepos solet habere titulum *Superintendentis Generalis Status Ecclesiastici* quem à Pontifice, sicut & titulum Secretarii, per Br. accipit.

IX. Est præterea Pontifici *Magister domus* qui semper Prælatus est: neque enim Papa cuiquam titulum dat *Maior domo*. Sunt etiam *Magister Cameræ* (*Pincerna*) *Architriclinus*, *Metator magnus* (*Structor*) *Submagister Cameræ* (*Subpincerna*) *Subtriclinus & Submagister domus* cum *Camerariis secretis*, ex quibus Papa declarat *Camerarios participantes* sex, vel octo, pro lubitu. Ex his verò secretis Camerariis unus est *Thesaurarius secretus*, qui dona & eleemosynas nomine Papæ erogat. Alius ex iisdem est *Vestiarius* habétque suum *Subvestiarium* aliósque adjutores. Sub ejus custodia non sunt neque paratus, neque lecti; sed solummodo gemmæ, reliquiaria, aurum, argentum aliáque preciosa. *&c.* Sunt verò etiam ibi alii dicti, *I. Camerieri d'honore*, natalibus aut litteris illustres: *I. Camerieri della Bussola: I. Camerieri extra muros, & I. Camerieri Scudieri.* Horum cuilibet suum est officium: sed primi non comparent in aula, nisi cum libet: perque eos solet Papa novis Cardinalibus galerum mittere. Reliqui officiis præfecti vocantur, *Lo Scalco*, (architriclinus) & *il Trinciante* (Structor) *del Sacro collegio: lo Scalco & il Trinciante della Forestaria*, (cœtus peregrinorum architriclinus & structor:) & *un Scalco de Poveri*, (architriclinus pauperũ.) Hinc inservit omni mane illis pauperibus, qui in Palatio sumptibus Pontificis cibus capiũt, quod institutũ introduxit Papa Clem. VIII. *Il*

 Maestro

Maestro di Stalla (Præfectus stabuli,) etiam inter alios est Ministros; quo officio ortu vel etiam virtutibus Nobilis gaudet. (Nam insolitum est, ut Pontifices alicui titulum dent di *Cavallarizzo*) Multis gaudet immunitatibus & reditibus. Submetatores, (*i Sottoforieri*,) cum aliis officialibas & adjutoribus, vestes Sacras cæterámque supellectilem Papæ in custodia habent, & mansiones parant, cum Consistorium, Signatura gratiæ, vel Congregatio, habenda est. *I Scopatori segreti & i publici* habitu violaceo incedunt, & ferè Pontificis, cum Cardinalis esset, rhedarii fuere. *I Palafrenieri*, sive Satellites, amplius XL. à novo Pontifice asciscuntur è Decanis Satellitum Cardinalium & Legatorum, qui Romæ sunt. Duodecim *accensi* (*Mazzieri*) & totidem *Verghe Rubeæ* (*Virgæ Rubræ*) venalia officia sunt, adsistúntque Papæ, quando descendit cum in pluvia & mitra: & cùm Consistorium habetur, ad portas excubant. Officiales majores sunt *Secretarii Status*. (*I Segretarii di Stato*,) qui omnino dependent à Cardinale Nepote. Hi Secretarii diviserunt inter se Nuntiaturas & Provincias. Vnus etiam ex illis est *Secretarius della Cifra*. Omnes habitant in Palatio Pontificio & quilibet eorum annuatim 1500. scutatorum stipendio fruitur, præter emolumenta quæ ex Secretaria accipit. *&c.*

X. Generalis custodię Pontif. Præfect° à Pontif. declaratur per *Breve* & pro stipendio 200. scutatos per mensem accipit. Habet sub se *Locumtenentem* (*un Luogotenente*) cujus stipendium menstruum sunt 800. scutati: quique per Breve declaratur. In illa Custodia communiter numerantur

tur duæ equitum turmæ (*due compagnie di Cavalleggieri:*) Vna turma quinquaginta equites complectitur, earúmque Capitanei & Signiferi per Breve creantur à Pontifice. Vna enim cohors 300. Helvetiorum, cum Capitaneo & Officiali ejuſdem nationis; ac XII. lancearii. Hi omnes milites illorúmque Præfecti more militiæ ſtipendia accipiunt, multáque ſemper munera colliguntur ſtipendia. In Palatio Apoſtolico; ubi excubant continua cuſtodia 5. milites Helvetij, & diviſi in duas cuſtodias, XII. equites, & IV. lancearii.

XI. Papa quoque *Generalem Eccleſiæ*, per Breve declarat: huic privatim dat in conclavi baculum, & præſtandum juramentum offert; fruitur pacis tempore 1000. belli verò, 3000. ſcutatis per menſem: illius maxima eſt authoritas, & juriſdictio; ſub eo enim ſunt 500. officiales.

XII. *Præfectura Romæ* eſt dignitas nobiliſſima & antiqua, ab Imperatoribus Romanis cum magna authoritate inſtituta, & à ſummis Pontificibus ſemper conſervata, & præcipuis aliquot familiis concredita. Porrò etiam à Papa per Breve declaratur *Caſtellanus S. Angeli*, (*Il Caſtellano di S. Angelo*,) cui quingenti Scutati per menſem numerantur: illi paret Sub-Caſtellanus, cuius ſtipendium ſunt 50. ſcutati menſtrui, & 50. alii ex aliis reditibus. Ibi etiam eſt *Proviſor*, (*il Proveditore*) Caſtellano ſubjectus, 400. ſcutatos annuatim habens: & alius cui armamentarii cura commiſſa eſt: ac 200. milites, cum Capitaneo, cæteriſque officialibus, qui à Caſtellano conſtituuntur, & ſtipendia more militari accipiunt.

XIII. Generalis triremium Papæ per Breve constituitur, &, quemadmodum omnes alii officiis majoribus admoti, Pontifici præstat solitum juramentum coram Thesaurario generali. Stipendium ejus est ccc. scutati per mensem, & pro 12. hastatis ipsi etiam pecunia numeratur, ab ipso constituitur *Vice-Generalis*, *(un Luogotenente)* cui c. scutati numerantur menstrui & stipendium pro 4. hastatis. Itémque omnes *Capitanei Triremium, Capitaneus militiæ pedestris*, & *Signifer* cum solitis stipendiis, *&c.*

XIV. Vicariatus Papæ officium antiquissimum est, ac diu extra collegium Cardinalium fuit, nunc ab ipsis administratur. Regebatur autem olim ab Episcopis, donec Papa Pius IV. hanc dignitatem ad Cardinales transtulit, postquam Cardinalem Iacobum Savellum ipsi præfecisset. Hic jurisdictionem suam in illos qui Romæ sunt Presbyteros exercet, ut & in Regulares: quæ etiam extenditur in societates Laicorum, loca sancta, Xenodochia, in Iudæos, meretrices, *&c.* Hic Cardinalis Vicarius C. aureos per mensem ex Camera accipit. Hoc officium quatuor habet *Notarios*, quorum quilibet peculiari munere fungitur, ac 8. vel 10. juvenum operâ utitur; duósque *Vice-Notarios* habet. Vnus est pro civilibus caussis & *Referendarius* dicitur, alter verò criminalia tractat; & unum Vice-Regentem habet qui ab aliquot annis Episcopus titularis creatus est, ut possit Romæ omnibus Episcopalibus defungi functionibus: Huic commissa specialis cura est Monasteriorum Monialium, & côncursuum, interest verò cum aliis officialib. in congregationi-

bus

bus, quæ coram Cardinale Vicario instituuntur in causis Tribunalis; habétque Baricellum cum manu apparitorum.

XV. Origo hujus officii inde venit. Tempore S. Cypriani & Cornelii Episcopi Rom. post Christum natum 200. annis, multi reperti erant Christiani, qui Idolis sacrificabant; inde magna contentio orta, possent-ne tales reconciliari, & ad Ecclesiam admitti. Vnde schisma Novatianorum. Vicit tandem sententia, quæ admittendos censebant. Cúmque alter minus, alter magis peccavisse diceretur, deputati sunt Presbyteri, qui, *pro modo culpæ, admissam pœnitentiam indulgerent*. Inde usus *pœnitentiariorum* increbuit; quod, Ecclesia pacata, ad alios delinquentes extensum, constitutúmque est, ut Romæ in qualibet Ecclesia Patriarchali duo Presbyteri essent, qui pœnitentiam secundum canones iis imponerent. His videtur præfuisse aliquis qui graviores casus ad Papam referret; ísque *Pœnitentiarius* fuit. Hoc officium hodie administrat Cardinalis aliquis, quod ipsi à Papa defertur, & ad 8. millia scutatorum per annum præstat. Pœnitentiario autem subest *Prælatus* cum titulo *Regentis pœnitentiariæ, (Reggente di Penitentiaria.)* Iudicat de casibus Papæ reservatis, & gratis absolutiones concedit. Residet in aliqua trium Basilicarum in sede alta, instar Tribunalis, virgam manu tenens. Instituit etiam congregationes, adhibito Regente suo, & 2. aut 3. Theologis, Iesuitis, & Canonista quodam. Habet sub se aliquot officia venalia.

XVI. Hoc officium tempore Bonifacii VIII. ad Collegium Cardinal. rediit. Vice-Cancellarii *De Vice-Cancellario.*

igitur dignitas exercetur ab aliquo Cardinale, qui ad 14. & 16. millia ſcutatorum per annum percipit. Officium hujus in literis Apoſtolicis expediendis conſiſtit de omnibus materiis, quarum ſupplicationes ſignantur à Papa, exceptis illis, quæ per Breve ſub *annulo Piſcatoris* expediuntur. In palatio ejus ter ſingulis hebdomadis conveniunt officiales Cancellariæ, ſcil, *Regens & Abbreviatores Parci majoris* XII. *&c.*

XVII. Cubicularij quoque dignitas in Cardinales tranſlata eſt, adjunctis *Theſaurario & Præſidente.* Hoc officium fruitur ſtipendio annuo 12. aut 14. millium ſcutatorum. Negotium autem illi dignitati præfecti hoc habent, ut de rebus omnibus cognoſcant, quæ ad Cameram Apoſtolicam ejúſque Clericos pertinent. Cognoſcit etiam cum magiſtris viarum (*Maeſtri de ſtrade*) cauſas ædificiorum, pontium, viarum. Vacante ſede, habitat in Palatio, incedit ſtipatus cuſtodia Helvetiorum, monetam cum inſignibus cudit, Conclave curat confici, & unam è clavibus theſauri caſtelli S. Angeli.

De Præfecto Signaturæ Iuſtitiæ.

XVIII. Etiam hanc Spartam aliquis è Cardinalibus exornat, cui in ſtipendium menſtruum C. aurei à Camera numerantur. Officium hujus eſt, facere Reſcripta, ad omnes Supplicationes & commiſſiones cauſarum quæ per Iuſtitiam delegantur, adhibitis 12. *Prælatis votantibus*, è Referendariis antiquioribus, à partibus informatis. Officiales habet *Præfectum minutarum Brevium, & Magiſtrum Brevium, &c.*

De Præfecto Signaturæ Iuſtitiæ.

XIX. Hoc etiam ſemper Cardinali alicui datur officium, cui à Camera ſingulis menſibus

bus C. numerantur aurei. Ejus est, præcipuè interesse Signaturæ gratiæ coram Pontifice, & omnes signare supplicationes & gratias, ad quod adhibentur etiam 12. Prælati sua vota ferentes, iidem qui in Signatura Iustitiæ. Intersunt etiam Card. Præfectus Signaturæ Iustitiæ, Card. Vicarius, Card. Præfectus Brevium, Datarius, & Cardinales alij, prout Papæ videtur, plures paucioréſve, sed minimum XII. itémque Auditor Cameræ, ejúsque Locumtenens, Thesaurarius generalis, unus Auditor Rotæ, Locumtenens Card. Vicarii, unus Protonótarius participans, unus clericus Cameræ. 1. Abbreviator Parci majoris, & Regens Cancellariæ; híque omnes, ut jurisdictionem officii sui tueantur. Hæc Signatura semel in hebdomade coram Pontifice fieri solet, die Martis aut Sabbathi.

XX. Hæc quoque Sparta Cardinali commissa est, cui à Camera C. aurei in mensem destinati sunt; ad quem pertinet revidere & signare omnes minutas Brevium, quæ taxari solent. *De Præfecto Schedularum.*

XXI. *Bibliothecarii* munus ad Cardinalem quendam spectat, cui per mensem c. aurei à Camera numerantur. Ejus officium est suprema inspectio impressionis librorum, & Bibliothecæ Vaticanæ, ut & illorum qui in illa laborant; ubi etiam imprimuntur libri in linguis orientalibus. *De Præfecto Bibliothecæ.*

XXII. Sunt variæ Cardinalium Congregationes; ut est *la Congregatione del S. Officio*, quæ bis in hebdomade haberi solet: die Mercurii in conventu Patrum Dominicanorum *alla Minerva*; & die Iovis, coram Papa; in caussis, & materiis *De Congregationibus Cardinalium.* *De Congregatione S. Officij.*

Inquisitionum & Hæresium. Intersunt ei minimum XII. Cardinales cum magno numero Prælatorum, aliorúmque Theologorum diversorum Ordinum, omnes cum titulo *Consultorum S. Officii*. Habet palatium cum carcere, multósque Officiales ac Ministros: in his *Commissarium*, è Patribus Dominicanis; *Assessorem*, qui causas in Congregationibus refert; Prælatum, sive Camerarium honorarium Papæ.

De Congregatione supra negotiis ad Episcopos & Regulares pertinentibus

XXIII. Habetur etiam certa *Congregatio super Episcoporum & Regularium negotiis*. Hujus congregationis est, examinare controversias, quæ intra Episcopos exsurgere solent & eorum subditos; ut & illas quæ intra Regulares. Ejus caput est Cardinalium unus. Habetur singulis hebdomadis, die Veneris, in domo Cardinalis, ejus capitis.

De Congregatione Cōcilij.

XXIV. Est etiam *Congregatio Concilii*, cujus est interpretari textum Concilii Tridentini. Semel per hebdomadem fieri hic conventus solet, nimirum die Sabbathi aut Iovis, in ædibus senioris Cardinalis, secundùm libitum Cardinalis alterius, qui caput ejus est, ac sigillum habet.

De Congregatione Immunitatis Ecclesiasticæ.

Quoniam delinquentes in multis & diversis casibus non gaudebant immunitate Ecclesiastica, ac mistione delictorum sæpè judicium hac parte dubium reddebatur, idcirco *Vrbanus VIII.* Pontif. instituit *Sacram congregationem immunitatis Ecclesiasticæ*, quæ die Martis in ædibus Cardinalis senioris haberi solet. Intersunt ei multi Cardinales, & 1. Auditor Rotæ, 1. Clericus Cameræ, 1. Votans signaturæ, Secretarius, qui solet esse Referendarius utriusque Signaturæ, & Cardinalis Præfe-

Præfectus illius, qui mille scutatos annuos è Camera percipit.

XXV. *Congregatio status* interdum coram Pontifice, interdum coram Cardinale Nepote Papæ viventis haberi solet. Eo convenire solent omnes Cardinales, qui Nuntii Apostolici fuerunt, cum Secretario Status Pontificis. Hi alio amictu comparent vestiti, cum coram Papa, alio, cum coram Card. Nepote conveniunt: quem brevitatis caussa remittimus. *De Congregatione status.*

XXVI. Hujus Congregationis origo. *Gregorio XV.* adscribitur; in qua agitur de omni modo & ratione fidei Catholicæ propagandæ, per omnésque Mundi partes habendæ, & rebus eo spectantibus. Idque coram Pontifice, una vice in mense, secunda hebdomadis die; sæpè & in palatio Collegii de Propaganda Fide. Huic congregationi interesse solent multi Cardinales, 1. Protonotarius Apostolicus, Secretarius Status, Iudex, (qui solet esse Referendarius utriusque Signaturæ) Assessor S. officii, & Secretarius hujus Congregationis. *De Congregatione de propaganda fide.*

XXVII. In hac Congregatione examinantur controversiæ, quæ nascuntur circa ritus & ceremonias, præcedenti, canonisationes Sanctorum, & hujus caput est senior Cardinalium deputatorum, in cujus ædibus ille conventus instituitur, semel in mense & quandóque plus, prout rei negotia id exigunt, & à Cardinale illo significatur. *De Rituum Congregatione.*

XXVIII. In hoc conventu agitur de fluminibus, pontibus, & similibus rebus. Præest huic negotio Cardinalis, in cujus domo fit congregatio, *De Congregatione aquas spectãte.*

tio, nullo tamen certo die determinato: ſed quoties opus eſt. Habetur adhuc *Congregatio* dicta *ſupra fontes & vias*, cujus caput eſt Cardinalis Camerarius; ſed conventus habetur in domo Cardinalis Antiquioris; nec certa aliqua dies illi conſtituta eſt. Ibi agitur de aquæ ductibus, per quos aqua in Vrbem deducitur, & de modo eos diſtribuendi per Vrbem, ut & de viis, earúmque commoditate & ampliatione.

De Congregatione fontes & vias ſpectãte.

De Congregatione indicis

XXIX. Hic conventus inſtituitur propter libros, qui imprimi & expurgari debent. Caput conventus Cardinalis eſt, in cujus ædibus congregatio inſtituitur.

De Conſultatione ſtatus Eccleſiaſtici.

XXX. Agitur hîc de regimine totius Status Eccleſiaſtici. Præeſt autem huic conventui Cardinalis Nepos pro tempore; bis verò in hebdomade hæc conſultatio inſtituitur apud eundem in Palatio, ubi habitat, diebus Veneris & Martis. Interſunt ei 4. vel 6. Cardinales, & octo Prælati, & unus Secretarius. In hac conſultatione agitur de univerſo Status Eccleſiaſtici regimine, & referuntur ad illam omnes graviores caſus, Regimen ſpectantes. Sed ei ſubjecti non ſunt Legatio Avenionenſis, Regimen Beneventi, Cindæ, Firmii, & Spoleti.

De Congregatione ſublevationũ & de bono Regimine.

XXXI. Hujus conventus etiam caput eſt Cardinalis Nepos pro tempore. Inſtituitur die Sabbathi alternatim: ita ut una hebdomade fiat *Congregatio de bono regimine:* altera, illa *de relevationibus:* idque eodem, quo *Conſulta*, loco, præſentibus 4. vel 6. Cardinalibus, 8. Prælatis, & Secretario. Omnes autem literæ, & mandata, quæ hic ſcribuntur, à Cardinale Nepote ſubſcribuntur.

XXXII.

XXXII. In hoc conventu agitur de omnibus monetis, quæ cudendæ ſunt, ac præterea de monetis alienarum Iuriſdictionum, ut in Statu Eccleſiaſtico expendi queāt. Interſunt ei 4. Cardinales, & aliquot Camerales. Caput ejus Cardinalis eſt; in cujus ædibus habetur, quoties opus eſt. *De Congregatione ſuper officinis monetariis.*

XXXIII. Hoc examen coram Pontifice inſtituitur, ad quod octo vel 10. Cardinales, nonnulli Prælati, & alii Patres quorundam Ordinum conveniunt. Hi candidatos Epiſcopatuum Italiæ examinant. Examinandus in genua coram Papa procumbit, & cuivis illum examinare, cui conventum ingredi, permiſſum eſt. Examinati & adprobati, inſcribuntur libro, qui eſt penes Secretarium Congregationis. Ac ſemel examinatus, cum ad aliam Eccleſiam tranſit, non examinatur denuo. Sed ſi nondum examinatus fuerit, examini ſe ſubjicere tenetur. Soli Cardinales exempti ſunt ab hoc examine. Auctor hujus congregationis Pontifex *Clemens VIII.* eſt, qui & ipſe quoſdam examinavit, ſpeciatim Legiſtas: Profeſſores Theologiæ examinabat Cardinalis *Bellarminus.* *De Congregatione, in qua examinātur ad Epiſcopatus promovendi.*

XXXIV. Hujus caput eſt Cardinalis Collegii pro tempore Decanus. Ibi verò nullæ certæ tractantur & ſpeciales materiæ, ſed quæcunque eo die à Pontifice illi committuntur: quæ ſolent eſſe renunciationes Epiſcopatuum, taxationes Eccleſiarum &c. Rarò autem habetur, & in ædibus Card. Decani. In unaquaque autem dictarum Congregationum multi Cardinales conveniunt; præſertim in illa Epiſcoporum & Regularium, ubi XXIV. ſunt, habétque quælibet *Secretarium* *De Congregatione negotiorum Conſiſtorialium.*

pecu-

peculiarem, qui litteras Decretis in plena Congregatione sancitis conformes conficit; quibus Cardinalis, qui caput illius est, subscribit, ejúsque sigillum Secretarius imprimit, apud quem & registra earum remanent. Cum *Consistorium* habetur, nulla habetur Congregatio, sed Cardinales illuc eunt: quod fit singulis hebdomadis, die Lunæ, Mercurii, aut Veneris: Tum Congregatio habetur post prandium. Nam Consistoriis primæ matutinæ horæ destinantur.

De tribus Archipresbyteratibus, qui sunt penes Cardinales.

XXXV. Sunt præterea penes quosdam Cardinalium tres *Archipresbyteratus* trium Romæ Basilicarum, scil. *S. Giovanni Laterano, San. Pietro in Vaticano, & S. Mariæ Maggiore.* Atque hæc officia omnia in magna habentur dignitate, & quilibet illorum Cardinalium Vicarium ad Ecclesiam suam deputat, eíque adsignant emolumenta, quæ ipsis debentur, h.e. reditus unius Canonicatus illius Ecclesiæ. Hi tres *Cardinales Archipresbyteri* potestatem habent omnia conferendi Beneficia, Clericatus & in Ecclesia vacantia. Præterea *Archipresbyter S. Ioannis Laterani* administrat justitiam, in criminalibus ac civilibus, omnibus circa Basilicam illam habitantibus: & in anno Sancto Archipresbyteri habitu Pontificali procedunt ad Ecclesias suas, ut aperiant Portam sanctam, itémque ad claudendam: nisi quod illam ad S. Pauli Card. Decanus, & illam S. Petri Papa ipse aperit. In Basilica S. Petri sunt *Pœnitentiarii* Patres Iesuitæ: In Basilica S. Iohannis Laterani Patres Franciscani Ordinis de observantia: In Basilica S. Mariæ majoris Ordinis S. Dominici Patres: intérque eos plures sunt, qui Confessiones in

variis

variis linguis, etiam Orientalibus, audiunt, & eorum unus in unoquoque loco dicitur *Rector Pœnitentiariæ.*

XXXVI. Post officia, quibus Cardinales funguntur, *Rota* sequitur. Hæc XII. habet Prælatos, quorum unus Germanus, 1. Gallus, 2. Hispani, 8. Itali ac quilibet *Auditor* habet 4. *Notarios:* Conveniúntque in Palatio Apostolico bis in hebdomade, exceptis vacationibus, i. e. diebus Lunæ & Veneris. Iurisdictio illorum extenditur ad omnes causas Beneficiales omnium Provinciarum Catholicarum, ut & ad profana negotia tam Romæ, quàm Status Ecclesiastici, plerumque in terminis Appellationis. Ex hoc officio circiter 1000. scutati ad unumquemque Auditorium redeunt: ac propter magnos labores, & quoniam sportulas non accipiunt, Papæ eos amplis reditibus Ecclesiasticis donant, & aliquando Cardinales creant. Aperitur Rota die 1. Octobris, & Auditores Pontificaliter illuc equis vehuntur. In ultima Rota Pontifex Auditores in Palatio Apostolico convivio excipit, & cuique 100. aureos è Camera, Decano 200. largitur, ex instituto *Clementis VIII.* *De Rota.*

XXXVII. Duabus vicibus singulis hebdomadibus hæc aperiri solet in Palatio Papæ, secunda & sexta diebus. Ibi cum *Cardinale, Camerario & Gubernatore Romæ* multi alii, de quibus mox dicetur, conveniunt; & omnia illa negotia tractant, ubi agitur de commodis Cameræ Apostolicæ, instrumentis locationum, reditibus sedis Apostolicæ, ærariis provinciarum, causis communitatum, feudis Ecclesiasticis, causis spoliorum *De Camera Apostolica.*

liorum, rationum Officialium, & Miniſtrorum Status; itémque de re monetaria, cauſis appellationum à Magiſtris viarum, ædificiis, & jure congrui, tum de materiis gabellarum, dationum, impoſitionum, *&c.* Hæc Camera 9. habet *Notarios*, quorum quilibet *Subſtituto* ſuo utitur. Cauſæ dictæ diſtribuuntur per delegationem inter *Clericos Cameræ*, quorum ſinguli Clericatus valent 42000. ſcutatos, & quotannis 3000. percipiunt.

De Gubernatore Romæ. XXXVI. Hic in civilibus, in quibus ordinariè duos *Locumtenentes* habet, officium ejus eſt, cognoſcere de ſtipendiis, & mercedibus ſummariter, & manu regia, ac de donis & facultatibus pauperum: in criminalibus, in quibus unum *Locumtenentem* habet, gaudet generali Romæ juriſdictione & præventione cum omnibus tribunalibus: multos habens *Iudices*, *Notarium ſupremum*, qui multos *Scribas* ſub ſe habet. Gubernator 300. apparitores cum Capitaneo (Bargello) habet: & per urbem incedentem comitatur frequens cuſtodia Bipenniferorum, quibus ſuus eſt *Capitaneus di Guardia*.

De Theſaurario Generali XXXVII. Ad hunc pertinet cognitio de cauſis ſpoliorum, à defunctis Eccleſiaſticis relictorum, illicita negotiationis & fructuum malè perceptorum. Peculiarem curam habet exigendorum redituum & proventuum Cameræ & Sedis Apoſtolicæ, & curandi mandata iis ad quos pertinent. Revidet rationes Miniſtrorum, Officialium & eorum quibus locata ſunt vectigalia. Valet verò Præfecti Theſauro officium 7000. ſcutatos, de quo pretio Papa non poteſt diſponere: adfert autem Theſaurario ſingulis annis 10. vel

12.

12.millia ſcutatorum.

XXXVIII. Ejus in omnibus ampliſſima eſt juriſdictio, cum ordinarius Iudex ſit aulæ Romanæ, omniúmque aulicorum, mercatorum & peregrinorum, qui Romæ ſunt, Baronum, Principum, Legatorum, Dignitatum, Epiſcoporum, Patriarcharum, Cardinalium; ut & omnium appellationum Status Eccleſiaſtici. Eſt etiam executor *privativè quoad omnes* obligationum Cameralium, & *cumulativè* omnium literarum Apoſtolicarum, inſtrumentorum juratorum & non juratorum, ac ſententiarum *de partibus fulminatæ Cenſuræ:* habétque ampliſſimam authoritatem criminalem, & præventionem. Duos habet *Locumtenentes Civiles*, (qui ſemper ſunt Prælati) & unum *Criminalem*, cum multis *Iudicibus*: ac 10. Officia *Notariorum:* quorum quilibet duos habet *Subſtitutos* & 18. aut 20. juvenes, pleroſque Notarios. Præſtat hoc officium circiter 12. millia ſcutatorum per annum: & emitur ordinariè amplius 70. millibus, *&c.* Habet manum apparitorum haud exiguam cum Capitaneo. Ad Præſidis Cameræ Spartam pertinet intereſſe reviſioni omnium ærarij Cameræ & Sedis Apoſtolicæ rationum. Emitur hoc officium 30000. ſcutatorum: & qui id exercet, è centenis 7. aut 8. percipit. Advocatus pauperum pro omnibus pauperibus & miſeralibus perſonis gratis ſcribit. Advocati fiſci eſt, *in Iure* partes Fiſci tueri, coram omnibus Tribunalibus, in omnibus occurrentibus cauſis. *Procurator Fiſcalis* Romæ partes Fiſci defendit in omnibus Tribunalibus & in omnibus cauſis. Ad Commiſſarij Cameræ ſpectat officium

De Auditore Cameræ.

cium

cium defendere commoda Cameræ dictæ, in caussis civilibus; eóque, cum Thesaurario generali convenire solet, ad revidendum rationes proventuum & commodorum Cameralium è gabellis & datiis; & ad provisionem annonæ & monetas cudendas.

De Mareschallo Romæ. XXXIX. Hæc antiqua dignitas nunc nobilissimæ familiæ *Savellorum* commissa est, cujus caput eam exercet. Habet custodiam carcerum Curiæ Savellæ, & cognitionem de causis criminalibus levioribus sine sanguine. Habet pro tempore custodiam conclavis, cum certo numero militum ac eorum Capitaneo, qui semper nobilis est, & à familia *Savellorum* dependet.

XL. Vltra dicta modo Officia ac Magistratus etiam *Senator Romæ* est, qui in Capitolio residet, ac per Breve à Papa constituitur. Huic duo parent *Iudices* in Civilibus, quorum unus *Primus*, alter *Secundus Collateralis* vocatur, & unus Criminalis maleficiorum. Hic Senator cum suis judicibus jurisdictionem & cognitionem habet de causis civilibus & criminalibus inter Cives & incolas Romanos. Nunquam Romanus, sed peregrinus, ac plerumque Doctor Legum est. Singulis hebdomadis adit Papam & Cardinales Nepotes, relaturus de causis sui tribunalis. Hoc munus circiter 2. millia scutatorum per annum præstat.

XLI. In Capitolio quoque sunt *Conservatores*, qui Magistratus ex tribus constat Nobilibus Romanis, & Priore Præfectorum regionibus Vrbis (*il Priore de' Caporioni*) pro tempore qui Præfecti sunt XIV. &, sicut & Conservatores ac

reliqui

reliqui officiales populi Romani, singulis trimestribus renovantur, & eliguntur coram Pontifice, Cardinale Camerlengo, & Card. Nepotibus Papæ; ac jusjurandum Papæ præstant. Officium eorum est custodire antiquitates Romanas, ac operam dare ut observentur Statuta. Puniunt omnes qui in vendenda annona in pondere deficiunt, aut precium augent: & judicium ea in re administrant. Sunt etiam judices ordinarij omniū appellationum à Consularibus Artium & Agriculturæ interpositarum; concedunt jus Civitatis, (*la Cittadinanza*;) curam gerunt murorum & aquæductuum; Officiales deputant in terris populi Romani, *&c.*

XLII. In Capitolio etiam sunt Magistri Viarum: qui sunt duo Nobiles Romani cum Assessore, qui Doctor LL. est, & illorum Notarius. Officium illorum est revidere & conservare vias, pontes, & controversias de iis ortas decidere. Cognoscunt causas controversiarum inter vicinos de ædificiis, *&c.* Officium cujusque Magistri viarum compensatur c. scutatis menstruis: & confertur à Papa per Breve pro lubitu suo, nec mutantur, si bene se gerant. In eodem loco sunt *Ministri Iustitiarii*, cum eorum *Assessore & Notario*. Horum officium est, decidere controversias circa fructus, sepes & fossas vinearum, servitutes privatorum, *&c.* ortas.

XLIII. Hic honor conferri solet in Nobilem Romanum, qui jurisdictionem suam inter nautas exercet. Ab eo devolvitur Appellatio ad Cameram Apostolicam, eúmque illius clericum, qui *Præses Ripæ & Ripettæ* est. Is in Ripetta *Indi-* *De Camerario Ripæ.*

cem habet, qui nautis justitiam administrat & portitoribus illius loci. Cardinalis Camerarius in eodem loco constituit *Commissarium super ligna*, ne fraus in præjudicium emptorum committatur.

De Referendariis utriusque Signaturæ. XLIV. Horum *Referendariorum* numerus non est determinatus. Vt autem quis in illud collegium admittatur, probare debet secundùm bullam *Sixti Quinti Pontif.* quod habeat *Doctoris utriusque Iuris* titulum; quod duos annos Romæ vixerit, se supra 25. annos habere; bonis fortunæ non indigere, & quod cum decore sustinere Prælati dignitatem possit. Officium verò Referendariorum est, proponere commissiones & supplicationes contentiosas & gratiosas in Signatura Iustitiæ & Gratiæ, & cognoscere caussas, quæ ipsis de die in diem committuntur, quæ non excedunt valorem 500. scutatorum aureorum: nam quæ hanc summam superant, Rotæ committuntur.

De Rectore Burgi. XLV. Hic à Papa per Breve huic officio præponitur cum stipendio annuo 2000. scutatorum. Habet verò *Iudicem* cum *Fiscali*, qui in Burgo subsistunt; habéntque unum *Præfectum Notariorum* (un *Capo Notaro*,) qui haut paucos habet scribas sub se: itémque Capitaneum cum 15. apparitoribus; Administrat justitiam Burgis omnibus à Iungara usque ad Portam Septimianam.

X L V. Datariæ officium etsi mobile sit, tamen ab omnibus magni æstimatur, solétque à Papa Prælatis præcipuis, & hucusque Cardinalibus, concedi. Ab eo tractantur vacantiæ Beneficiorum omnium, quæ non excedunt valorem

24.

24. aureorum annuorum. Signari facit Supplicationes, etiam non consulto Papa. In majoribus Beneficiis, Dignitatibus, Canonicatibus, Supplicationes ad Papam defert, & competitorum merita exponit. Nomen inde accepit, quod supplicationibus à Papa signandis subscribit: *Datum Romæ* &c. Etsi Cardinales hoc munere fungentes, eum laborem alteri committunt. Sub eo est *il Sotto Datario* i.e. *Subdatarius*, cujus est omnes expeditiones per Datariam factas considerare, (exceptis vacantiis Beneficiorum per mortem quæ tractantur à Datario aut ejus Substituto ad hoc deputato, qui vocatur *L'Officio del per obitum*) & de iis referre. *Datarius* à Papa 2. millia scutatorum, *subdatarius* 1000. accipit. Hic reliqua minora officia, qualia sunt 2. *Revisores* Subdatarii, *Officiales* vocati *delle Date piccole, delle componende, delle Misse, Revisor Dispensationum matrimonialiũ*, qui omnes à Datario eliguntur (excepto Subdatario, qui à Papa) itémque 20. *Registratores Supplicationum*, 4. *Magistri Registri Supplicationum*, *Officium del Piombo* (Piombi) *Registrum Bullarum*, ejúsque *Magistri*, sicco pede transilire cogimur. Annumerari autem prioribus debet *Præfectus annonæ*, cujus jurisdictio per totum patrimonium Petri, totam Etruriam Ecclesiæ subditam, totam Sabinam, Latium, Campaniam & Maritimam usque ad confinia Regni Neapolitani extenditur. Habet sub se *Commissarium Generalem, & substitutum*, Computistam, Custodem granorum, & duos custodes granariorum, 2. Inspectores mensurarum, Exactorem, &c. Hujus officium est, in diversis locis commissarios habere, ad frumen-

tum certo pretio coëmendum, ut & propter alia negotia Habet suum Tribunal cum Notario, Capitaneo & apparitoribus, & in omnibus causis annonam spectantibus est Iudex *privativè quoad alios.*

De reditu & potentia urbis Romæ.

XLVII. Status Ecclesiasticus tanta frumenti abundat copia, omniúmque bonarum rerum proventu, ut non solùm suis sufficiat, verùm etiam aliis præbeat alimentum. Quamvis autem tanta terræ sit ubertas, illius tamen commodis liberè frui non licet, propter proscriptorum (vulgò *bannitorum*) abundantiam, qui omnia deprædationibus & latrociniis implent. Quo fit ut magna pars terræ, eorum metu, inculta relinquatur. *Æmilia* (s. Romania) saltem fert, quod aliò exportatur. *Picenum (s. Marchia Anconitana)* aliquoties Venetis ad 100. millia sextariorum frumenti, magnámque copiam olei præbuit. *Patrimonium* ac *Latium* sæpè Genuam, aliquando & Regnum Neapolitanum, frumento juverunt. Quod *Romam* spectat, reperiuntur in illa nonnulli *Principes & Barones*, qui ad 150. millia coronatorum ex reditibus annuis percipiunt. Advenarum quoque frequentia, magnam pecuniæ summam Romam secum vehit, imprimis autem illi, qui pro certis ibi negotiis peragendis degunt, vel Bullas Beneficiorum pretio emunt. Accedunt his omnibus quæ ob investituram certorum fundorum, vel ambitionis aut lucri causa ibi expenduntur. Habent autem Pontifices singularem facilè pecunias colligendi modum, qui his in rebus consistit, 1. In creatione Cardinalium. 2. in variis immunitatibus permittendis. Ex elocatione ve-

ctigalium

ctigalium Romæ, detractis quæ conductores accipiunt, restant fisco inferendi coronati 17000. *Salis conditum Romæ* quotannis ad rationes refert 8690. coronatos, quod locari solet per septennium, majus pretium offerenti. *Tributum frumentarium*, à Papa *Iulio III.* introductum, fecit summam 21333. coronator: soluto 7½. pro 100. postea ad 7. reductum, superat 16000. coronatorum. Ex *venditione carnium* intra Vrbem quotannis conficiuntur 20000. coronatorum: extra Vrbem circiter 5000. coron. *Vectigal vini* facit 3000 coron. *Postarum magisterium*, quod Romæ & in aliis Italiæ locis solet locari, facit, detractis expensis, 2000. coron. *Impositio candelarum*, 3000. coron. *Census S. Petri*, supra 31000. coron. *Subsidium triennale agri Piceni*, detractis expensis, 49358. coron. *Romæ*, 29758. coron. *Vmbriæ & Perusii*, 13076. coron. *Latii, & locorum maritimorum*, 13632. coron. *Taxa equorum* per *Picenum*, 77221. coron. per *Patrimonium*, 978. coron. per *Romaniam*, 800. coron. &c. Potentia Pontificis consistit in multitudine hominum, quæ tanta est, ut communis ferat opinio, trecenta millia hominum, maximam partem advenarum, in sola Roma reperiri. Quod milites concernit, communis est opinio, in Ecclesiastico Statu quam optimos delegi posse, quam in tota reliqua Italia, imò Europa, creditúrque ex *agro Piceno & Flaminia* 25. millia hominum bello idoneorum, totidémque è *Patrimonio & Latio* educi posse. Stipendiarius aliàs miles Pontifici non est, præter 200. Helvetios, & 100. equites levis armaturæ, quibus utitur stipatoribus. Cæterum Pontifici Romano nunquam deest, modo

velit, pecunia. *Vrbanus octavus* brevi annorum decursu collegisse dicitur quinquagies centena aureorum millia. Proverbium apud Italos est, quod *Pontifex nunquam inopia pecuniæ laborabit, quam diu ipsi manus & calamus aderunt.* Pecunia verò Pontifici ingens profluit, tum ex quotidianis incolarum urbem incolentium sumptibus, qui satis ampli sunt, tum ex Bullis solennibus, & officiis aularum. Proventus pariter ingentes proveniunt ei ex vino, oleo, farina, sale, carne, ac cæterarum rerum venalium vectigalibus, gabellis, mulctis: subsidio triennali, quod à *Paulo III.* semel imperatum, jam ordinarium fieri cœpit: subsidio triennali, quod Fratrum non Mendicantium collegia persolvere solent; collectis ex Hispania, Lusitania, Italia: censu S. Petri, quem Reges Neapolitani, Duces Ferrariæ, Vrbini, Parmæ, & Placentiæ aliique exsolvunt. His accedunt ordinarii reditus ex Romaniola, Marchia Anconitana, Patrimonio S. Petri, Latio, Vmbria, agris Camerino, Perusino, Bononiensi, Beneventano; & aliis Regionibus ac oppidis. Annumerandi his quoque sunt proventus, qui ex Præfecturis à Pontifice retentis, & sibi reservatis, percipiuntur; tum annatæ beneficiorum, & pensiones pro Bullarum redemptionibus: quorum tamen illi in Cardinales minus dites; hæ in varios Officiales erogantur. Quamvis verò horum redituum non pauci à superioribus Pontificibus alienati fuerint, tamen Pontificis *Sixti V.* vigilantia & parsimonia ita sunt revocati, ut sesqui millionem auri ferè reddiderint. *Alienationes* hæ sub duobus sunt factæ nominibus & titulis, *Officiorum & Montium.*

Officia

Officia dicuntur ferè omnia ministeria aulica, hisque consimilia, quorum hæc est conditio, ut post mortem ejus, qui tenuit, vacent, aut etiam tum, quando is ad Cardinalis evectus est dignitatem. In his elargiendis ita Camera versatur, ut pro denis annuis reditibus semel centum accipiat; unde quinquaginta coronatorum millia confici creduntur. *Montes* duorum sunt generum. Aut enim morte extinguuntur, in quibus pro centenis, duodenûm aureorum annuatim fit stipulati, aut ad hæredes transeunt, & pro centenis septem penduntur. Sed, in tanto rei nummariæ proventu, multis modis reditus Pontificis obligati & onerati sunt, imprimis ipsius Vrbis, & aliarum Provinciarum Præfecturæ: nec parum in Vrbanos populi Romani Magistratus erogatur. Huc accedunt sumptus domestici in Pontificis familiam, in Helvetiorum & levis armaturæ equitum satellitia, in Castelli *S. Angeli*, *Ostiæ*, *Civitatis Veteris*, *Terracinæ*, *Orvieti*, &c. præsidia, in cantores, cornicines, nuncios, cursores, & simile familitium, in eleemosynas, dona, & largitiones, aliáque in magnatum aulis usitata. In Palatiorum quoque magnificam structuram ingens pecuniæ vis effusa fuit, cui remedia hodie quæsita sunt. Verum enim verò, inter tot thesauros coacervandi modos, duo maximè insignes sunt. Vnus est *Cardinalium creatio*, à quibus etiamsi nullam paciscatur pecuniam, non parvum tamen è Beneficiis, antea ab illis possessis, percipit emolumentum. Alter modus est *regressuum*, & aliarum gratiarum concessio. Magnum ultimúmque emolumentum provenit ex permissione capitulorum & dispensationibus

matrimonialibus in 2.gradu, quibus modis *Sixtus V.* usus, reditúsque annuos ducentorum millium coronatorum auxit. Quod invasiones hostiles spectat, hic status ab illis omninò liber est. Siquidem intra mare Hadriaticum & Tyrrhenum situs, quasi in medio Italiæ positus est, & ita contra omnes Barbarorum irruptiones liber, ita ut ab ipso non nisi pacem Italia sperare possit. Neque verò ulli magni reperiuntur portus, qui ingentem alicujus magnitudinis exercitum capere possent: adhæc Romanũ, quemadmodum & Piceni ac Romaniæ, littus valdè tempestatibus obnoxium est, ita ut per maritimas vires appeti nequeat; imprimis magnam potentiam non admittit, sed summa contra pericula invasionem tentaturis minatur. Huic accedit, quod pars, quæ respicit mare Tuscum, insalubri aëri obnoxia sit; adeò ut vel hoc unico malo hostes arcere non nequeat. Neque verò ullam habet vicinam Regionem, à cujus viribus sibi metuere & cavere opus haberet, quod potentia superet Etruriam, neque hâc Neapoli cedat. Vtut enim illæ Regiones ditiores sint, majoresque, adeóque incolis frequentiores, atque Status Ecclesiasticus sint, ipsis tamen in rebus quam plurimis minimè cedit. Ac primum hac ratione ipsi videntur esse inferiores, quod difficillimè vires distractas unire queant. Neque verò Princeps Neapolitanus ita suis subditis uti potest, ipsisque tuto fidere, sicut propriis subditis. Plurimi verò etiam constant præsidia militaria, pro quibus sustentandis Rex Hispaniarum tantùm propemodum insumit, quantùm ex hoc Regno percipit.

Internam verò illam Italicarum Romani Pontificis Virium potestatem exterior etiam, quæ est *Fortalitiorum*, commendat. Sunt autem illa, *Orvieti, Vrbis Castellanæ, Castri, Palliani, arcis Spoletanæ, Perusiæ, Anconæ, Fori Livii, Bertinoriæ, & Ferrariæ.* Dici sanè potest, quod *Vmbria*, propter difficiles aditus & asperitatem cultus non aliud sit quam unum fortalitium. Præter hæc omnia, Majestatem & dignitatem Status Ecclesiastici, vel maxime auget Pontificis authoritas, quæ hoc præstat, ut nullus Principum majorem puniendi, & præmiis afficiendi habeat facultatem, aut minori cum dispendio majora posset donare; dignitatésque Principum magnitudini pares conferre sine imminutione sui principatus. Nec ullus Principum esse creditur, cui major à subditis & vicinis habeatur reverentia. Inter tantam verò potentiam nihil est, quod magis incolas vastet, quàm luxus & nimia pompa, utpote hæ duæ res sunt, quæ Italorum ingenia perdunt.

XLVIII. In Cancellariæ Vrbis Romæ Registris (ut vocant) Regna subsequentia continentur, quæ homagio Ecclesiæ obstricta sunt; nimirum, Regnum *Neapolitanum, Siciliæ, Arragoniæ, Sardiniæ, Ierusalem, Angliæ, Hiberniæ, & Hungariæ.* Rex Hispaniarum, respectu *utriusque Siciliæ* servitia Feudalia Papæ in hunc usque præstat diem, ideóque hic illius prætensio quiescit. Illius autem in *Arragoniam* prætensiones, his fundantur rationibus. *Petrus* 2. Arragon. Rex, cùm in duas illas insulas, Majoricam & Minoricam, quæ à Saracenis erant subactæ, expeditionem pararet, decreverat Ianuenses & Pisanos, qui *Prætensiones Papæ.*

mutuis

mutuis inter ſe decertabant bellis, iterum concordiâ unire, & in ſocietatem armorum aſſumere; hac de cauſa, & quoniam *Innocentium III.* amicum Arragonenſium cognoſceret, Romam anno 1208. iter fecit, ibique 21. Novemb. à Petro Portuenſi Epiſcopo unctus, ab ipſo Pontifice coronatus, illam accepit licentiam, ut impoſterum coronam in proprio Regno coram Archiepiſcopo Tarraconenſi, veluti Pontificio Legato acciperet. Quo beneficio Rex Papæ obſtrictus, ipſi quotannis cenſum aliquorum auri pondo promiſit. Verùm cenſus ille non diu à Petro præſtitus. Quamprimum enim, ubi ille Veſperis Siculis occaſionem dederat, tot interfectorum Gallorum author erat, *Martinus II.* Papa, quia natione Gallus & Gallorum Patronus erat, Petro igni & aquâ interdixit, & Regni inveſtituram *Carolo Comiti Valeſiæ*, Philippi Regis filio, contulit. Hinc inter Petrum & Carolum diu ambigua ſtetit victoria, donec tandem pax eſſet firmata anno 1287. his conditionibus, ut Carolus Valeſius factam de Regno Arragoniæ infeudationem abrogaret, cenſus verò Eccleſiæ, per tot annos intermiſſus, illi rurſus ſolveretur. Cui ab *Arragonenſibus* reſpondetur, 1. quod talis cenſus nullam inducat ſuperioritatem: cenſus quidem jure Civili dominium præſupponit; verum aliud eſt, eſſe dominium; aliud, habere juriſdictionem. Huic accedit, quod collecta non ſemper jure ſuperioritatis debeatur, verum aliquando vi ſimplicis juriſdictionis, conceſſionis ſingularis, præſcriptionis, & pacti, exigatur. Non aliter atque ex multis diſſimilibus cauſis: uti proprietatis, pro-

protectionis, libertatis acceptæ; ſæpè cenſus ſolvitur, *&c.* 2. Quamvis per præſtationem cenſus ſuperioritas arguatur, illéque à Rege Arragoniæ Pace firmata promiſſus ſit, dubium tamen eſt, an Regnum Arragoniæ, quod ſemper libertimæ fuit conditionis, in hoc conſenſerit, circa quod Regi ex libero Feudatarium efficere non licet. Prætenſio altera eſt in *Regnum Sardiniæ*; quod conſilio Pontificis Ianuenſes, & Piſani, Saracenis Inſulam illam extorſerint, illóſque de illa à Papa inveſtituram accepiſſe conſtet. Poſtea conventione inter Piſanos & Ianuenſes facta, exuvias Ianuenſibus, & Inſulam per inveſtituram *Calixti II.* Piſanis obtigiſſe, *Leander* narrat. Hanc tamen non diu obtinuerunt. Vbi enim Piſani ſe Friderico ſecundo aſſociabant contra Pontificem, à *Gregorio IX.* anno 1227. inſulâ privabantur, de eâque *Iacobo Regi Arragoniæ*, *à Bonifacio VIII.* Romam accerſito, inveſtituram factam fuiſſe, conſtat. Hinc diu inter inſulæ poſſeſſores, & Regem Arragoniæ dubiis armis certabatur, donec tandem à Iacobo victi & ex inſula ejecti eſſent. Atque hæc ſunt jura Papæ, quæ dubium illud movent, quod inveſtitura Papalis non ſemper ex certo profluat fundamento. Prætenſio tertia eſt in *Regnum Hieroſolymitanum.* 1. Quod Regnum Siciliæ per *Fridericum I.* Siciliæ Regem, per matrimonium *Violantæ*, Ioannis Regis Hieroſolymarum, cum Regno Hieroſolymitano, conjunctum & unitum fuerit. Cùm itaque Regnum Siciliæ indubitanter Papam ut Dominum agnoſcat; acceſſorium etiam, nempe Regnum Hieroſolymitanum, ſequatur naturam ſui principalis

palis. 2. Quod, posteaquam *Manfredus*, Friderici Regis Neapolitani nothus, legitimum hæredem *Conradinum* sub prætextu tutelæ, Regno exuerit, & ipse una cum Conradino, accedente consensu Pontificis, à *Carolo Andegavensi* omnibus ditionibus privatus fuerit. 3. Quod *Nicolaus IV.* Carolum II. Caroli I. filium, corona Regnorum Siciliæ & Hierosolymarum cinxerit anno 1289. 4. Quod, cum anno 1380. *Ioanna*, prima Neapolis Regina, *Vrbano VI.* maximè invisa, Othoni Duci Brunsvicensi nupsisset, Pontifex utriusque Regni coronam *Carolo* Dyrrhachiensi, soli ex Caroli primi familia superstiti, concesserit. 5. Quod *Maria* Friderici tertio filio Regnum Siciliæ per sententiam *Gregorij II.* obtinuerit. Lubrica verò illa auctoribus fundamenta videntur. Nam unio illa Regni Siculi & Hierosolymitani probari nequit. Posito etiam, quod Fridericus 1. Rex Siciliæ, Regnum acquisiverit Hierosolymitanum, unio tamen utriusque Regni exinde non concluditur. 2. Positâ unione, regula illa, *Accessorium sequitur suum Principale*, locum non invenit. 3. Coronatio non inducit superioritatem, quæ nihil aliud est quàm accidentale quid & solenne. 4. De sententia pronunciata non dubitatur; sed, an legitimè facta sit, disquiritur. Quarta Prætensio est in *Angliam*, quod Angliæ & Hiberniæ Reges anno 1212. se vasallos summi Pontificis constituerunt atque etiam Tributarios. 2. Anno 1340. Rex Angliæ Regnum Pontifici in uno sterlino pro quolibet foculario supposuit, quæ *pecunia divi Petri* vocata est. 3. Rex *Iohannes*, ut homicidij, in Artum mi-

minorem, Nepotem, Bertangæ Ducem, commissi, remissionem impetraret, novos census annuos mille Marcarum sterlinorum die S. Michaelis, ultra pecuniam Petri, præstare promisit, consensu Ducum, Comitum, & Baronum Regni Homagium Ecclesiæ juravit, seque *Innocentij III.* subditum fecit coram Archiepiscopo Cantuariensi, cujus authentica bulla in Vaticano habetur, idq; præstitum fuit, usquedum *Henricus VIII.* ideò quòd Papa matrimonium Bolenæ, ex inferiore conditione natæ, legitimare noluerit, anno 1534. se debito subtraxerit. Hodie *Angliæ Regnum*, quod Reformatæ Religioni addictum est, non solummodo ratione Religionis, verùm etiam ratione Status, Prætensiones Pontificis eludit. 1. Quod testimonium de homagio *Ioannis* Regis Angliæ domesticum sit. Illi siquidem authores, qui hoc memoria prodiderunt, Pontificis partes sectantur. Neque verò, quod ex Archivo Papæ producitur, satis ad firmandam probationem idoneum esse Angli putant. Sicut enim scriptura privata pro illius authore nihil facit; ita nec scripta quamlibet ex Archivo Pontificis deprompta pro Papa quicquam facient; ideò quod inter diversos Principes unius vel alterius Archivũ nihil probat, nisi productum satis communi juris naturâ munitum sit. 2. Posito, illud veritati consentaneum esse, tamen Successores Ioannis Regis eo non teneri produnt: nec obstat, quod Regnum, utpote quod nunquam moritur, in hoc consenserit: Est enim illud instar pupilli, qui de eo, quod in illius damnum vergit, nunquam tenetur. 3. Reformata Religio, quam Anglia pro-

fitetur,

fitetur, nullum visibile caput Ecclesiæ, multò minus quempiam temporalem Regum Dominum agnoscit. Quinta Prætensio est in *Regnum Hungariæ*, quod in registro Vaticani dicuntur visa acta de anno 1229. ubi *Lancellotus*, Rex Hungariæ, obedientiam Papæ promiserit: cui addunt, quod *Stephanus* primum *Regis Hungariæ* nomen à Papa impetraverit, teste *Cartasio in eius vita*; & quod *Ludovicus* 2. Hungariæ Rex, propter inobedientiam in Legatum Papæ excommunicatus, ad absolutionem obtinendam 100. marcas argenti singulis annis promiserit anno 1280. Illius autem relationis author *Marta* est, in *lib. de Iurisd.* cui an fides sit habenda, multi dubitant. Impetratio verò Regii nominis non inducit subjectionem; neque verò Regium nomen cum Regno semper est conjunctum. Prætendit etiam Papa in *superioritatem Lusitaniæ*, quod hæc ab *Alphonso I.* Portugalliæ Rege creato, filio Henrici Ducis Lusitaniæ, tributaria facta fuerit *Eugenio II.* & quot annis Rex Lusitaniæ quasdam uncias auri puri in recognitionem sedi Romanæ miserit. Postremò Papa in omnes *temporales potestates* jus superioritatis sibi tribuit, hac ex ratione, quod Vicarius Petri sit, & duos gladios, puta spiritualem (vulgò) & temporalem, portet. Hinc in *Imperium Romanum*, teste *Platina in Vitis Pontif. Rom.* in Regnum *Hispaniæ*, teste *Ioach. Cluten. in syllog.* in *Franciam*, teste *Marta de Iurisd.* in *Russiam*, teste *Steucho*, in *Scotiam*, teste *Polyd. Virg. l.* 17. in *Poloniam*, *Daniam*, *Croatiam*, *Dalmatiam*, *Africam*, & omnes Mundi angulos, jus superioritatis sibi vindicat & prætendit. *Alexander VI.* novum

mun-

mundum Regibus Castellæ & Lusitaniæ sub fide clientelari concessit, omnibúsque aliis in illas partes navigationem, aut commerciorum exercitium prohibuit: id quod verò Batavos minimè deterruit, quod minus libertate jure Gentium sibi concessâ uterentur. In *Gallia*, jus Ecclesiastica bona conferendi prætendit, quod illi rigorosè, cum defensione libertatis Gallicanæ, à Rege denegatur. Olim quidem illum hoc habuisse concedit; sed postea mos ille exolevit. *Paulus V*. Reipub. *Venetorum* ideò bellum movit, quod illa Ecclesiasticos Regimine excluderet; quod nullam pensionem curiæ Romanæ penderet; quod duo statuta renovaverit, primum, ne Ecclesiasticis vel minimum bonorum immobilium alienare liceret; secundum, quod nulli Religiosam domum sine speciali Senatus permissu ædificare permitteretur. Quæ omnia Papa sui juris esse statuebat, nec Venetis de Ecclesiasticis, utpote alienæ jurisdictionis hominibus statuta ferre licere, asserebat. Res verò hæc tandem cum magno commodo Status Venetorum composita fuit.

XLIX. Illa in eo vel maximè consistit, uti omnibus mediis Hispanicæ potentiæ imminuendæ operam det. Ecclesiæ siquidem ditiones Hispanorum Regi adeò sunt commodè sitæ, ut, si semel prætextum speciosum defensionis sanctæ Sedis seponat, facili negotio insigne Dominium sibi subjugaverit. Cæterum Venetorum & Magni Ducis potentia sedem Romanam valdè labefactat, quæ cum ab utroque latere mari mediterraneo claudatur, aliàs nullo impediente dominaretur. Quapropter hoc agendum, uti boni hi Principes ad *Ratio status Sedis Romanæ.*

minimum

minimum in eo perstent statu, in quo nunc aguiit. Atque super has universales regulas, tres sequentes speciales curatiùs observandæ sunt. 1. Vt authoritatem suam ubique sartam & integram conservet, auxilio & ope Ecclesiasticorum, quos, tanquam potentiæ suæ certissimum robur & murum, contra secularium pravas destinationes summa cum cura tueri debet. 2. Fulmine excommunicationis Principes, Statúsque terreat, dummodo frequentior fulminandi consuetudo contemptum non inducat fulminis, ut dein brutum fulmen dicatur. 3. Papæ ipsi coërceantur, quantum potest, ne detrimento Ecclesiæ nimium familias suas evehant aut cæteroquin affectibus indulgentes nimium, quicquam in Status Ecclesiastici præjudicium tentent. Verum contra ultimam hanc regulam, hodie liberiùs, justóque licentiùs peccatur, dum Cardinales, statim ac Pontifex vita decessit, familiarum factionibus implicantur, ac nihil non pro illa tenent Helena; cujus rei nuper admodum falso credita Pontificis mors insigne præbuit documentum.

Iudicium Politicũ de urbe Roma, & potentia Pōtificis Romani, ex Honorii Relationibus.

L. Dum Pontificis Dominium negligenter habitum author vult describere, ad hunc sensum in relatione Vrbis Romæ p. 32. inquit: Verum Pontifices omnes, qui antea fuerunt, non solùm parum vel nihil de amplificanda & augenda Ecclesiastica ditione, sed vix, pænè dicam de conservanda, parum cogitarunt. Quare mirum videri non debet, si in toto Christiano Orbe nullus reperiatur status, minus armatus minúsque in tanta rerum affluentia commeatu & aliis necessariis præsidiis munitus, ita ut præda cuilibet invasuro

veluti

veluti expositus esse videatur. Præterea, digna consideratione est natura & indoles Pontificum, qui ordinariè facilè mutationibus sunt obnoxii, illarum rationes sine negotio adferentes, dum Ecclesiæ commodum & dignitatem allegant, & obtentui sumunt. Adhæc iidem ut plurimum provectæ sunt ætatis, & morti proximi, quibus defunctis, rerum universa mutari solet facies, consiliáque evanescunt, vel diversum à proposito sortiuntur eventum, ita ut in Pontificum amicitia & confœderatione non multùm spei ponendum sit. At verò nemo vice versa dicere jure poterit, quod eorum inimicitiæ & odia non valdè sint metuenda. Quicunque enim cum Pontifice bellum gesserit, frustra quam plurimis sumptibus factis, tandem in maximo ponet lucro, se sua tantum potuisse tueri; cum plerique omnes, aut quadam Religionis veneratione, aut certè simulatione: aut ne nova in se concitent odia, aut abstineant ab iis occupandis quæ ad sedem Romanam spectent; aut verò occupata restituant; id quod multarum historiarum declarant documenta, & inter alia superioris temporis, exemplum Caroli V. Imperatoris, Regis Catholici, & Venetorum, qui Cerviam & Ravennam Pontifici reddiderunt. Porrò in discursu de Pontificis auctoritate mihi p. 319. idem author ita inquit: (utrum singula ex verò, judicent politici:) Ex hac clara demonstratione Pontificiæ authoritatis super Reges, sequitur illud, ut Pontifex omnibus se immiscere queat caussis ad imperium spectantibus, tanquam suis, & sedi Apostolicæ immediatè subjectis. Id autem probatur, quia Gregorius V. numerum Electorum

 instituit,

instituit, quibus eligendorum Cæsarum facultatem concessit. (probationes authoris vide in sequentibus) Infrà ita porro dicit: Ex quibus clarè patet, Electorum authoritatem, & eorum institutionem, à S. Romana Ecclesia dependere. Quæ ut magis vera probentur sciendum est, pro diversis temporum occasionibus Electores à diversis Pontificibus eligendi privilegio spoliatos esse, quemadmodum olim Ioannes XXII. id effecit. Sic & Leo X. Ducem Saxoniæ illa potestate privavit, &c. Quale autem esse debeat officium Pontificis, ex *Instructione* in *gratiam Cardinalis Montalti*, consignata huc referre placet. Ita verò ad sensum *p.*361. ejusdem author scribit: Recitabo præcipuas quasdam actiones ex vitis summorum Pontificum haustas, quæ rerum futurarum speculum possunt exhibere. Hæ autem sunt: Annuntiare verbum Dei inter Gentiles nationes, fidem propagare, hæreses expugnare, abusus removere, decreta Legésque & constitutiones sancire, super ipsis dispensare, celebrare & confirmare concilia generalia, & particularia, stabilire doctrinam & disciplinam Christianam, sacras ordinationes habere, ordinare & instituere Prælatos & Pastores & particulares Ecclesiarum Rectores, & ordines Regulares, totúmque ministerium Ecclesiasticum; item eos deponere si mereantur, & privare, & supprimere; ędificare, erigere & dotare Ecclesias, monasteria, cœmiteria, & hospitalia; supellectile, picturis, marmoribus loca Sacra exornare, antiqua instaurare, decimas imponere, solvere, & ligare, ac Ecclesiæ thesauros dispensare, Christianum populum ab armis infidelium defendere, oppressos liberare,

liberare, amiſſas Provincias recuperare, ante omnia Christi ſepulchrum & terram ſanctam redimere, titulos Imperatoribus & Regibus cæteriſque minoribus donare, ab altera in alteram nationem Imperia transferre. Imperatorum Electionem confirmare, & controverſias inter Christianos, qui alios ſuperiores non recognoſcunt Principes, judicare, diſcordias componere, arma ut deponant jubere, gubernationis formam impertire, univerſitates erigere, ſtudia ſacra, bonáſque artes fovere, pauperes ſuſtentare, ſtatum temporalem gubernare, arces & præſidia diſponendo; occupata, aliena, devoluta bona vindicare; juſtitiam ſceleſtorum pœnis & innocentium ſecuritate, exercere. Nunc etiam videndum quibus Principibus Pontifex maximè faveat. Hac ſuper re idem author *Relationis de Romæ Vrbe*, ita ſentit p. 37. Erga *Imperatorem* Pontifex ſemper optimè animatus fuit, quod illum Catholicæ Religioni valde addictum eſſe compertum habeat; tum etiam *Archiduces Auſtriæ*, qui ipſum vix ulla in re offenderunt. Erga *Galliam* Pontifex magna afficitur commiſeratione, jamq; de ejus ſalute putat conclamatum, quod ab Hugonotis Galliæ Regnum ſit inſeſſum undique & cinctum. De *Catholico Rege* Pontifex optimè ſentit, quem unum, ex Christianis Principibus maximè tam hæreticis, quàm infidelibus formidabilem novit. *Poloniæ Rex* operam dat, ut Papa cognoſcat, ſe omnem diligentiam & ſtudium conſervationi Religionis Catholicæ, in tanta Regni ſui & Nobilium corruptione, impendere. Ex *Italiæ Principibus* quidam Papæ ſunt adverſi;

& quidem *Sabaudus* propter Saluciarum occupatam Regionem. Cum *Duce Ferrarienſi* nulla eſt Pontifici ſimultas, etſi quandoque finium regundorum controverſias inter ſe habeant. Cum *Magno Hetruriæ Duce* Papæ non ſemper bene convenit. A *Venetis* turbæ & ſeditiones Gallicæ, quibus ſe immiſcebant, Pontificem alienarunt, qui tamen rediiſſe cum illo in gratiam dicuntur.

Iudicium P. de Repub. Romana, ad mentē Traiani Boccalini in libro cui titulus, Pietra Politico.

LI. Res Majeſtate Pontificis longè videtur eſſe inferior, quòd in Roma quædam ſint familiæ potentes, quibus loco patrimonii opulenti eſt, ut ſe Principibus extraneis, parum Sedi Apoſtolicæ faventes, comprobent, & quod in omni occaſione, vi factionum ſuarum, magnum Pontifici faceſſant negotium.

Status Ducis Vrbini.

LII. Incolæ Ducis Vrbini amatores ſunt fœminarum, moribus cultarum; quia Zelotypia laborant, illas obſerant, & curiosè obſervant, & minis quandoque ſuſpectas terrent. Fœminæ, quamvis videantur rudes & agreſtes, tamen præ reliquis omnibus peregrinos humaniter excipiunt. *Peſaurenſes* ſimile faciunt, *Eugubini* efflictim amant.

Divitiæ, Reditus & potētia Ducis Vrbini.

LIII. Magnam partem hujus Ducatus mare Hadriaticum alluit, valdéque eſt commoda, ad præſtandum ingentem proventum. *Piſaurum* Venetis *vini* copiam ſuppeditat, ex qua incolæ magnam faciunt pecuniam; illi etiam *Ficus* exſiccatos Venetis & Bononienſibus, aliíſque vendunt. Res autem, quæ Duci ordinarios faciunt reditus, hæ ſunt: mercium liberi itus & reditus, frumentum, diverſoria, malæ aquatiles, cenſus mer-

mercium, carnium, vini, menſurarum, ignium, ædium collocatarum, pecorum ducendorum, ordinarii reditus de Montfeltro, Cancellariæ ordinaria penſio. Iudæorum taxatio, & paſcuorum in montibus, donorum vini gratuitorum. Accedunt, præter hæc & alia, ſingulis annis 12. millia coronatorum à Rege Hiſpaniæ. Dux autem hic magni debet æſtimari, imprimis quod adeò frequentem incolis poſſideat Ducatum. Quamvis etiam magnis non gaudeat reditibus, ſuorum tamen ſubditorum, corda & voluntatem in poteſtate habet. Illius milites propter debitum aliquod nequeunt in carcerem mitti, decem ante luſtrationem exercitus diebus, & poſt luſtrationem decem. Præcipua Fortalitia ejus ſunt, *S. Leo, Peſaro, Sinigaglie.*

LIV. Princeps hic titulos poſſidet *Ducis Vrbini, Comitis de Montefeltro, Domini de Peſaro, & Præfecti de Sinigaglie.* Feudum maſculi ſexus ab Eccleſia poſſidet, in cujus recognitionem quotannis Papæ ſolvit 8000. coronatorum, quod aliquod duravit tempus. Verum ſecundum theſaurum polit. nunc ultra 2240. Coronatos non ſolvit pro recognitione Ducatus Vrbini. Quamvis verò ſuperiorem ſedem Romanam in hoc agnoſcat, abſolutus tamen in hoc ſtatu eſt Dominus, monetámque non ſecus ac alii Principes, qui Imperii vel ſedis Romanæ Feudatarii ſunt, cudit. Præter ea etiam Hiſpani tutelam (aliàs protectionem) agnoſcit, cui obſtrictus eſt mittere 3000. hominum, exigente rerum neceſſitate. Nihil autem huic Principi majus adfert detrimentum, quam quod Feudum illud, quod poſſidet, maſculos *Regimen Politicum.*

solùm admittat successores, filium autem unicum ante aliquot amiserit annos, & ita ejus morte omnis Patri successoris boni decollarit spes, cum statim post obitum Ducis iterum ad Papam successio in Ducatu devolvi debeat, excepto Peggio de Berni, & particulari Principis Dominio. Obstrictus verò etiam est Papa successoribus Principis post ejus obitum dare centum millia coronatorum, propter reparationes, mobilia, argentum, &c. hæredum Ducis propria sunt. In Regimine suo Dux habet 12. aut 15. *Nobiles pueros*, 6. *Nobiles rhedæ*, *magistrum cameræ*, 2. *Status consiliarios*, *architriclinum*, (*Scalco maggior*) *magistrum curiæ*, 3. vel 4. *culinæ præpositos*, qui ad mensam ministrant, Magnum Magistrum dictum *Maggior domo*, *Supraintendentem domus Ducis*, *Thesauri Præfectum*, qui cum omni disponit ære, *Magistrum redituum*, & qui *à Secretis* est, cujus officium est litteras ad diversos Principes expedire. Est prætereà Duci Vrbini *Vice-Dux in Pesaro*, qui urbem regit, & alios etiam *Vice-Duces* in *Sinigaglie & S. Leo*, *Castellanos* etiam arcis habet, ex qua nunquam discedunt tempore sui officii. Est etiam *Advocatus Fiscalis generalis*, pro toto Statu, qui omnibus assistit audientiis; *Secretarius* Iustitiæ, qui coram Duce omnium delictorum enarrat culpas, & quomodo rei sint puniendi; *Superintendens generalis* totius Status, cujus officium est examinare, utrum Auditores rectè judicent, utrum negotia prout fieri debebat, peracta sint, num malefici pœnas dederint, & utrum bona politia servetur. *Quatuor Cancellarii audientiæ*, qui decreta Auditorum scribunt, & instrumenta Ca-

meræ

meræ quæ ſtatum concernunt: 2. *Scribæ* vel Secretarii, qui literas commiſſionum exarant, tum verò ſententias, mandata, vel bannum, quæ publicari debent. *Quatuor Auditores*, qui abſolutè judicant, & magnum cuſtodiunt ſigillum Ducis. Auditores & Cancellarii quotidie cum Duce eunt, qui antea 8. *Aſſiſtentes* cum *Auditoribus* habuit, & etiam *Reformatorem Decretorum*. Verùm hi poſtea dimiſſi ſunt. *Duo Iudices* ordinarii Vrbium & locorum præcipuorum, qui duos annos in officiis vivunt, & in quibuſdam locis nomen *commiſſariorum* obtinent, quod alia loca habeant ſubjecta. Vbi verò proceſſus civilis, qualiſcunque is etiam fuerit, formatur, tunc judicis civilis eſt, ſententiam intra 90. dierũ ſpatiũ dicere, ſi actor illam exigat. In Peſaro unus eſt *Podeſta* cum ſuo *Notario* dictus *Maleficiarius*, ideo quod ad cognitionem criminum datus ſit; præterea unus qui vicem ejus ſuſtinet, qui revidet cauſas appellationum, ad poteſtatem ſpectantes. *Fiſcalis*, exigens omnem pecuniam mulctarum, & confiſcationum & Fiſci Principis cauſam agens. Communitates judicibus ſtipendia ſolvunt, qui etiam partem mulctarum habent. At verò Dux Auditoribus & Cancellariis ſtipendium ſolvit. Nemo hominum, niſi Vrbini, gradus honorum conſequi poteſt: ibi nulla ſunt Legum ſtudia, ſed tantùm *collegium Doctorum* eſt, quibus teſtimonium opus eſt adferre, quod quis 5. annos in nonnullis Academiis literis operam dederit. Nemini verò Advocatorum permiſſum eſt citare in cauſarum actione quendam noſtri temporis Doctorum, qui in jus civile ſcripſerunt; verùm ſolummodo textum & gloſſas, &

antiquos Doctores, e.g. *Bartholum, & Baldum, Iasonem, Azonem, Alexandrum, Imolam, Paulum de Castro* & similes; in criminalibus, *Angelum de Maleficiis*; authores verò juris Canonici promiscuè citari possunt. *Prætor Campi*, cum 16. Sbirris vel apparitoribus, qui undique currunt & stipendia à Principe merent, nisi quod communitates ipsis stabula & stramina debeant. Præterea in multis urbibus aliis *Pratores* sunt cum nonnullis qui *Sbirri* vocantur, quorum officium est, capere & in carcerem reos ducere, ut hic reliquos taceamus. Quod *Feudatarios* Principis spectat, nemo est Dominorum alicujus magnæ conditionis, qui ipsum superiorem agnosceret; & quamlibet Marchio *de Monte* quædam habeat sub ipso loca, tamen Dominus est absolutus, gaudens XV. millibus redituum.

Mores Mãtuanorum & Mõtferratensium.

L V. Mantuanorum indoles ad literas & artes magis apta, quàm ad arma. Montferratenses subtili pollent ingenio, & armorum cupiditate vicinos Pedemontanos inimicos vincunt.

L VI. Princeps Mantuanus in suo armamentario magnum numerum tormentorum bellicorum habet, & pro x. millibus armandis parata arma. In ipsa sola *Citadella di Casal* C. sunt majora tormenta, cùm alio ingenti bellico apparatu, qui 15. millibus peditum & C. equitum sufficit. Pro defensione sua 50. Italos pedites habet. Bellicosi militis, stipendiáque merentis in Mantua nullus est certus calculus: verùm tempore necessitatis numerus 800. ejus Regionis equitum, præsto esse solet. Dux etiam facilè 200. Equites suo imperio obsequentes habet. Paratos quoque

habet

habet levis armaturæ velites, qui in Hispaniam, Turciam, Barbariam excurrere solent. Equitatus Mantuanus sub Præfectis militiæ ad 12. millia accedit. Tenetur autem Dux omnibus illis, qui se sacramento militari obstrinxerunt, necessaria ad victum præbere. In *Montisferatensi* territorio, non parvus equitum numerus conscribi potest. Talis autem in militia servatur ordo, ut, quam primum signum Casali tormento bellico datum fuerit, omnes, qui militiæ operam navant, & XV. millium faciunt numerum, in procinctu esse debeant. Ex his 500. equites colligi possunt. In hac autem virium sufficiente copia hoc mali inest, quod Regiones Principis ab invicem sejunctæ sint, ita ut, pro conjungendis viribus, omnia in antecessum obstacula removeri debeant, quæ susceptas destinationes morari possent. Adeò ut non ineptè Politici judicent, si is status unitus esset, nulli in Italia Principum potentiâ & viribus cessurum; neque opus habiturum, ut peregrinis viribus nitatur. Est in Vrbe Mantuana propugnaculum sane nobile, *Viadana* dictum: in Montisferato *Casale* habetur, inter præcipua in Italia loca æstimanda sedes: reliqua loca non adeò sunt munita.

LVII. Hic Princeps titulos habet *Ducis Mantuæ & Montisferrati*, est *Princeps & Vicarius perpetuus Sacri Romani Imperii, Marchio de Gonzaga, Viadana, Cazolo, Dosolo, Ponsona, Iucise, &c. Dominus de Luzzara Castelgio fredo, Comes de Rodigo,* &c Feuda habet Imperii, & ab Imperatore investituram accipit. Aulam semper alere solet amplissimam, quam magnæ conditionis, & præ- Regimen Politicũ Mantuæ.

cipuæ

cipuæ Nobilitatis apparitores decorare solent. Habet in precipuis Mantuæ ditionibus suos *Gubernatores*, & pro justitia administranda *Doctorem*, qui Mantuæ agit: reliquæ minores caussæ suos quoque habent *Iudices*. Est quoque Mantuæ *Senatus*, qui ex VII. Doctoribus constat, ex quorum numero *Præses* est, qui absolutè de rebus judicat, in quibus *Potestates* appellationes instituere solent. Magistratus alius ex 7. compositus est, quorum unus *Præses* est, 2. *Doctores*, & 4. *gladiis accincti*, qui de camera Dubali cognoscunt. Sex *Superintendentes* extra urbem, qui victualium curam gerunt. *Provisor* Nobilis est, curam gerens victus Civitatem spectantis, cui 4. mercatores & unus Doctor auxilium præstant, & hic Provisor cum 4. illis & uno Doctore omnia negotia determinant, quæ hac ex caussa provenire solent. *Capitaneus justitiæ* de causis etiam criminalibus cognoscit, cum *Assessore* vel *Procuratore Ducis*, & *Advocato Fiscali*. Dux tamen sententiam limitandi potestatem sibi reservavit. *Montisferatum* quod spectat, Dux eo *Gubernatorem* mittit, qui in *Casal* agit, & omnem in populum habet auctoritatem, cum *suprema Terræ curia*, pari modo sicut in Mantua stabilita: Sententiæ tamen ibi non nisi suprema authoritate consentiente executioni solent dari. Multi præterea alii sunt Domini, qui justitiæ exercendę habent potestatem: non tamen nisi in civilibus condemnare possunt, ad triremes minimè. Dux caput *Ordinis* est, qui *sanguinis Christi* vocatur, institutus ann. 1608. per Ducem *Vicentium*, de quo plura dicere hujus argumenti non est.

LVIII. *Mantua*, cum fuisset sub Imperio Comitis fœminæ *Matildis*, filiæ Comitis *Bonifacii*, Domini Lucæ, Parmæ, Rhegii, Mantuæ, Ferrariæ, locorúmque aliorum; postea sub arbitrio multarum familiarum, pervenit tandem in potestatem familiæ de *Gonzaga*, anno 1328. quæ liberavit illam Regionem à Tyrannide *Bonacolsi*, ope *Canis de la Scala*, Domini Veronæ. *Ludovicus de Gonzaga*, filius Guidonis, bellum intulit *Manfredo*, Regi Neap. primus hujus familiæ fuit, qui urbi Mantuę prǫesset cum imperio, postea plura loca in Gonzagarum concesserunt potestatem. *Vincentius* principio Eques Melitensis, post obitum fratris sui Ferdinandi septimus Dux factus est Mantuæ, & V. Montisferati. Vita excessit an. 1627. *Carolus de Gonzaga*, Dux Niverniæ & Rhethelorum &c. post obitum Vincentii pro legitimo successore Mantuæ & Montisferati agnitus est, talísque à præcedente Duce declaratus: receptus igitur tanquam filius Ludovici Gonzagæ ab omni populo est. Hic Ludovicus, cum in Galliam venisset, duxit uxorem *Henricam Cliviensem*, Ducem Nivernìensem & Rethelorum, filiam natu maximam Francisci Ducis Cliviæ, & Margarithæ Borbonię, filiæ Caroli Borbonii Ducis de Vendosme ex hac suscepit *Carolum de Gonzaga & de Cleves*, nunc Ducem Mantuæ, *Catharinam* uxorem Henrici Aurelianensis, &c. & *Henricam* uxorem Henrici Lotharingi, &c. *Carolus* duxit *Catharinam* Lotharingam; filiam Caroli Ducis de Mayenne. Decessit habens ex ipsa *Franciscum*, Ducem Rethelorum, qui obiit, *Carolum*, Ducem Rethelorum,

rum, qui duxit anno 1627. Principem *Mariam*, filiam Ducis Francisci, destinatus in Italia patris successor, & *Ferdinandum*, hodie Ducem de Mayenne, & Principem *Mariam*, de Gonzaga & de Cleves. Atque ex hac Illustrissima Gonzagarum familia; Maria Ludovica, nata, Virtutibus suis meruit, ut olim Divæ Memoriæ Vladislai IV. & Ioannis Casimiri, duorum Regum Poloniæ conjux diceretur.

Ratio Status Domus de Gonzaga.

LIX. Status Ducis Mantuæ multò esset potentior, nisi fuisset divisus, inprimis per *Ludovicum*, secundum Mantuæ Marchionem, ita ut hodie Ducatus *Guastallæ & Sabionettæ*, Principatus de *Bozzolo*, Comitatus de *Novellara*, Marchionatus *Castilionensis*, & Dominium de *Solfarino*, quod ab hoc separati sint Ducatu, non leviter ipsum extenuarint.

LX. Origo Marchionum Montisferratensium tribuitur *VValramo*, qui communiter dicitur *Aleram*, qui ab *Othone I.* Imperatore Dominium Montisferrati accepit, cum adjuncto titulo Marchionatus: obiit dein anno 986. *Ioannes*, Wilhelmi filius, cognomento *Iustus*, sine liberis obiit anno 1305. hæredémque instituit *Theodorum* filium Andronici Palæologi. *Theodorus Palæologus* hac ratione Marchionatu potitus est, & ejus investituram accepit an. 1313. ab Imperat. *Henrico*, obiitque anno 1338. relicto *Ioanne* successore.

Ducatus Parmensis. Incolarum Mores.

LXI. Populi Parmensis tam mares quàm fœminæ pulchritudine pollent eximia. Parmenses quoque pro solito animosi, & literis dediti sunt, non aliter ac armis, & negotiorum tractationi. Ergo peregrinos humanitatis exercent studia: fœminarum

minarum natura avara, civilis tamen eſt. Placentini quoque non abſimili gaudent ingenio, ſed incultis erga peregrinos moribus, bellorum avidi; ad crudelitatem uſque; in conſiliis pravi, vindictæ avidi, omnium difficultatum pro obtinendo propoſito contemptores; fœminas proprias facilè ſanè trucidant, ſi ſuſpicione aliqua laborant, nec tam in ipſis pulchritudinem, quàm morum civilitatem, ſpectant.

LXII. Hic Princeps Vaſallus eſt Eccleſiæ, cui ſingulis annis pro recognitione feudi ſolvit X. millia coronatorum, ab illo tempore quo Pontifex *Paulus III. Petrum Ludovicum Farneſium* Ducatus Parmenſis & Placentiæ inveſtitura donavit. Hoc tamen non obſtante Hiſpani prætendunt, *Placentiam* eſſe membrum Status Mediolanenſis & ſi linea Farneſiorum deficiat, tum Papa & Rex Hiſpaniæ, tanquam Dux Mediolani, illam de jure tenerent. Sed cum hic Princeps agnoſcat ſuperiorem Papam, in ſuo ſtatu abſolutus eſt. Ille ſuum *Statum conſilii & belli* habet, ut & ſuos *Iudices curiæ*, qui de cauſſis civilibus & criminalibus cognoſcunt, excepto quod Dux ſibi gratiam in diſpenſandâ delictorum pœnâ reſervet. In omnibus locis Magiſtratum habet, cui *Poteſtatis* nomen eſt, qui eodem ipſo eligitur modo, quo *Caſtellani* & alii officiorum Præfecti, ex quolibet loco. Similis ergo in Parma eſt Magiſtratus ac alii Gubernatores, qui à Duce accepta imperia exequi ſolent. In judiciis cauſſæ ſecundùm Ius Civile decidi ſolent, habito tamen in omnibus ad jus municipale reſpectu. Succeſſiones Statuum ad majores natu ſpectant, reliquæ dignitates æqualiter

Regimen Politicũ.

liter dividi solent. Quamvis variæ Feudorum confiscationes per Duces factæ sint, restant tamen multi Domini, qui Vasallorum habent titulos, neque tamen in recognitionem quicquam solvere opus habent, dummodò parati sint ad servitia quædam urgente necessitate Duci præstanda. Sunt ibi *Comes S. Secundi*, familiæ de Rossi; *Dominus S. Secundi*, de *Berzetto*, de *Fornuovo, Roccalanzone*, & aliarum Parmæ ditionum. *Marchio de Rangone* possidet sub ditione Parmensi bona, quæ ipsum 30. millium coronatorum, nomine redituum, possessorem faciunt, & imprimis loca *Roccabianca, Ragazzuola, Ponleze, Zibello & Caorso*; ut aliorum Comitum reditus, cum hujus loci non sint, nunc taceamus.

Divitiæ & Reditus. LXIII. Reditus annuos Princeps Parmensis ex collectis, quæ subditorum bonis imponi solent, percipit, secundùm Papæ permissionem. Exigi autem etiam solet tributum ex pane, vino, mercatura, pecore, Cancellaria, condemnationibus, confiscationibus, concessa venia, sale, (cujus reditus, quos præstat annuos, 50. millia coronatorum faciunt:) ex mineralibus, tributo lanæ, lignorum, fundorum, aliarum possessionum; ex juribus & immunitatibus, quæ locari pro pretio moris est. Ex Ducatu *Castro, Ronciglione*, aliísque Dominii locis, singulis annis 60. millia coronatorum, quæ à Rege Hispaniæ in Regno Neapolitano ipsi assignantur, numeranda ex militia, quæ in illo Regno sustentatur. Percipit & reditus ex illo, quod Ordine Velleris gaudeat, nimirum 22. millia coronatorum. Ex pensione, quam *Philippus II.* Rex Hispaniæ dedit respectu Status Mediolanensis

Duci

Duci Margaritę, tam in illius, quàm successorum ejus gratiam, 16. millia coronatorum. Ex territoriis in provincia Abruzzo, ubi civitas *Penna* pręcipua est, percipit 18. millia coronator. Vltimum, confiscationes illius reditus admodum auxerunt, pręsertim post conspirationem, propter quam dejecit ann. 1612. Comitem fœminam *della Sala* cum marito ejus Comite *Horatio*, Marchionem *Hieronymum della Sala*, Comitem *Petrum Forellum*. Comitem *Alfonsum S. Vitalis*, Comitem *Joannem Baptistam* & Comitem *Theodoricum*, *Scotum*, Placentinum. Academia *Parmensis & Placentina*, quę multis immunitatibus & privilegiis gaudent, & ideò ingentem studiosorum copiam alunt, non parvo commodo cives suos beant. Ferię quoque Placentinę constitutę, linum, frumentum, legumina varii generis, lactis pressi copia, vulgò casei, qui propter exquisitum saporem multis nationibus in deliciis est, & pręsertim Venetis, qui ipsum Constantinopolim mittere solent, Bassis aliisque Magnatibus, non parvi doni nomine, offerendum: adhęc taurorum, vitulorum, vervecum, suum, volatilium, aliarúmque rerum proventus, quanta non pręstat lucra! Serici quoque hic confecti abundantia ad Venetos, Genuates, Mutinenses, aliásque ad nationes evehi solet. Pręter hęc dicta omnia, ingentem pecunię vim ex confecto vino aromatico, *Muscatello* dicto, percipiunt. Hoc vinum Romanorum, Genuatum, Venetorúmque delicato palato ministrant.

LXIV. Princeps Parmę alit pro custodia sui *Vires & potentia.*

ſui corporis 25.ſagittarios Italos; 30.haſtatos pariter Italos,cum Pręfecto; 50. equites levis armaturę:ejuſdem nationis.Conducere valet ad X. millia peditum , & 500. & ultra equitum. Huic militię *Præfectus Generalis* (ut vocant) eſt,& huic adjunctus *Locumtenens*. Quod propugnacula ſpectat, eſt ad confinia Mutinæ illud *de Roſana* , membrum Imperii, quod invincibile æſtimatur : illud etiam *de Pin*,ſimilis eſt conditionis 18.milliarib. à Rozana,ſitum eſt de *Ciragulo*. Vrbs Placentina ut & Parma non leve Duci ſuo præſtant propugnalum. Eſt à latere Reipub. Genuenſis munitus locus *Berzetto* , cum optimo *Val di Taro*. A latere Lucę,munitus reperitur locus *Pietra* dictus, ut & alii ex confiniis Mediolani,Cremonę, Placentiæ, Colorno. Hoc quoque ingens munimen Duci Parmenſi pręſtat , quod ejus Status montibus Apenninis clauſus ſit. Reliqua loca bonis propugnaculis munita ſunt , quę cum exigua manu & parvis ſumptibus ſecura pręſtari poſſunt, adeò ut nec validus & numeroſus ipſis nocere queat exercitus,quod illum conditio loci non capiat; neque parva manus obeſſe poſſit, quod minorum, quam pro neceſſitate virium ſit. Neque verò ullus ſtatus potentiâ invalidus ſe auderet huic Duci opponere, quamvis alienas vires conjungat ; ideo, quod hujus Ducis potentia cum Regis Hiſpanię viribus invicem ſit conjuncta , qui neutiquam pateretur, ut hic ſtatus ad alienam ſibíque aliquando nocituram poteſtatem perveniret.

Mores Mutinē-ſium. LXV. *Mutinenſes* bellicoſi,animoſi, & fide in Principem celebres ſunt : illos nobilis commendat audacia & ſubtile ingenium , cujus beneficio

beneficio illorum consilia felices sortiuntur eventus. Post redintegratam amicitiam, facilè offensarum obliviscuntur. Fœminas, nisi fucatas, pulchras non agnoscunt. Expeditâ erga peregrinos pollent humanitate, quibus beneficæ voluntatis multa probant documenta. Mulieres illorum facili sunt indole. Illi de *Reggio* memoriam offensarum non servant, minus tamen consiliis dandis & auxilio ferendo apti sunt. Illi de *Modena* magis larvatos lusus, quam ulla Italiæ gens, exercere assueti sunt. Quantum ad illos de *Garfagnana*, illi multos pecore divites habent, qui eandem ferè agunt vitam, atque illi quos Poëtæ pastores Arcadiæ descripserunt. Hæc tamen vivendi ratio potius iis convenit, qui habitant in *Metello*, *Roco*, *Villa*, *Bricco*, *&* *Campogrande*, quæ omnes ditiones sub nomine *de Loraggio* continentur, unde etiam *Loraggini* vocantur, & in more habent singulis annis ursum Mutinam mittere, illúmque his, qui à Ducali sunt curia, agitandum relinquere. Inde proverbium natum, *Non opus est ursum Mutinam ducere.*

LXVI. Dux hujus Ducatus Imperatorem agnoscit superiorem, & cui singulis annis pro recognitione 4. millia coronatorum solvit. Feudi loco ab ipso habet *Modenam*, *Reggio*, *Carpi*, *Friguano*, *&* *Garfagnane*, vivítque sub protectione Regis Hispaniæ, cujus etiam est Tributarius, aureum portans vellus & turmam habens militum quæ in Regno Neapolitano sustentatur. Tenet etiam Feudi nomine *Besello*, à Duce Mantuæ, cui in recognitionem solùm par calcarium solvit. Quantùm ad bona, quæ tenet in Ferraria, quæ *Regimen Politicum.*

Papæ permisit anno 1598. non sunt aliter quam particulare Dominium consideranda, quorum tantum proprietatem habet, & Papa Dominium. Certos dein pacti sunt tractatus, ut omnia Feuda, quæ non à Ducatu Ferrariensi dependent, integra manere debeant Duci *Cæsari*: Quod omnia palatia, horti, & alia loca, tam urbis Ferrariensis, quàm suburbii, quæ sub *Alfonso* erant, stare debeant in proprietate Ducis *Cæsaris*; & quod omnes possessiones, quæ in Ferraria sunt, per ipsum teneri debeant ab Ecclesia pariter nomine Feudi; & quæ hujusmodi aliæ conditiones sunt, quæ prolixius apud *Pierre d'Avity* hic legi possunt. Habet præterea Dux aulam satis magnificam, alitque circiter 40. Nobiles, quorum plurimi Domini sunt Titulati; ut & alios ferè 600. apparitores, qui ex curia vivunt. Quantum ad successionem hujus Ducatus, sciendum, quod primogenitus jus successionis habeat, quamvis reliquæ res Nobilium æqualiter dividi soleant. Habet Dux in *Sestola* Gubernatorem non secus ac in aliis præcipuis locis. In controversia finium regundorum à Cæsare contra *Lucenses* victoriam obtinuit, & pro *Sassolo* contra Dominos *Pios*; ut etiam Dominos *de Carpi*. In judicando jus civile sequuntur, vel Leges Imperiales, quæ tamen statuta privata habere solent adjuncta. Dux plerumque in sua curia tres habet judices, qui in officio per triennium subsistunt, ad quos omnes statuum appellationes devolvuntur; ultima ad Ducem ipsum instituitur. Civitates & pagi suas *Potestates* vel *Iudices* habent, quemadmodum propugnacula suos *Gubernatores* & alios ordinarios Ministros: omnes verò

sententiæ,

sententiæ, ubi de sanguine controversia est, per Ducem ejusque curiam deciduntur. Domini nonnulli, qui titulo Vasallorum territoria quædam à Duce habent, pro investitura nihil solvere opus habent.

LXVII. Percipit singulis annis hic Dux ex Statibus suis reditus ex tributis rerum variarũ ut vino, farina, leguminibus, fructibus, coriis, pecore, monetâ, sale, Iudæis, titulis Principatuum, Marchionatuum, Comitatuum, Dominiorum, quæ pro pretio vendi ambitiosis solent. Ex bonis quoque, quæ in ditione Ferrariensi possidet, certos percipit reditus. Super hæc omnia singulis annis à Rege Hispaniæ 12. millia coronatorũ habet. Incolæ boum, vaccarum, porcorum, imprimis in Vrbis Venetæ usum, magnam copiam emittunt. Præterea vini, avenæ, hordei, leguminum, rerúmque aliarum & plurimarum non levem abundantiam, cum aliis aromatibus, cum Venetis permutare solent. Invenerunt quoque *Mutinenses* modum, quo Turcis vini usum, à quo alias propter Leges suas abstinent, ostenderunt. Illud etiam multis aliis nationibus, quæ boni illius liquoris notitiam habent nullam, præstant. Neque hic omitti debent *Nundinæ Mutinenses*, quarum celebris fama est; & non exigua præstant commoda: incipere solent 14. Septemb. & 8. dies durant. *Divitiæ & Reditus.*

LXVIII. Excubiæ hujus Principis constant ex 50. hastatis Helvetiis, & 50. equitibus levis armaturæ: Atque hi semper Ducem foras prodeuntem comitari solent. Militia ejus triginta millia complectitur peditum, ex quibus eligi possunt *Vires.*

20. millia militis exquisiti. Facili negotio 600. equitum habere potest. Quantùm ad propugnacula, quæ contra hostium ingruentem vim facta sunt, illa numero & robore præstant. Ducibus Mantuano & Parmensi opponi potest *Bersella*, *Rubiera*, quæ munitissima, tum destinationibus Ducis Mirandulani & de Correggio, ut & ipsius Pontificis. *Vertuca* in loco admodum firmo sita est, & difficulter obsideri potest. Hac ratione se magno Duci, & Lucensibus opponere nil veretur. His etiam opponi potest *Castel-Novo*, *Mont' Alfonso*, *Sassollo*, ubi Ducis semper bonus est miles præsidiarius. Nullum autem habet militiæ supremum Præfectum, vulgò *Generalem*, quod illum parum judicent necessarium, quod in media pace securi vivant. Loco autem ejus quidam est minoris conditionis Præfectus militiæ, cum aliis *Centurionibus & Gubernatoribus*.

LXIX. Anno Gratiæ 903. *Berengarius* primus *Imperator & Rex Italiæ* dictus, Longobardus erat gente, & se quoque *Parmæ & Rhegii* Dominum fecit. Hic tres reliquit filios, nimirum *Sigisbertum* secundum, *Attonem & Gerhardum*. Cum verò Sigisbertus secundus & Gerhardus obiissent, Atto solus superstes, rerum potitus, mutatisque literis dictus est *Azzo*. Hic duos filios reliquit, quorum natu maximus dictus est *Tedaldo*, & alter *Sigisbertazzo*, & *Albertazzo*, qui missus est à Patre suo in Germaniam ad Imperatorem *Othonem primum*; qui ipsi donavit in Italia *Montagnana*, *Moncelice*, *Calaon* cum titulo Marchionis; ex quo nati sunt *Hugo*, vel Vgo, & *Folco*, qui in Germania cum matre sua mansit. *Hugo* verò in

Italiam

Italiam venit cum patre ſuo, & ſucceſſit tam in territorium *Paduæ*, quàm in Marchionatum *d'Eſte*; atque ille eſt, ex quo Domini & Duces Ferrariæ proveniunt. *Obizzo*, ſecundus filius *Rinaldi*, frater Friſci, an. 1317. in carcere, ſicut pater ſuus, obiit. Dominus factus Modenæ & inveſtituram Vicariatus Ferrariæ & Modenæ per Legatũ *Bonifacii* Papæ accepit anno 1302. *Borſus* naturalis frater Nicolai, Obizzi filii, ſibi potius quàm aliis imperium ſervare voluit, igitur *Dux Mutinæ & Rhegii* factus per Imperatorem *Fridericum III.* & primus *Dux Ferrariæ* per Papam *Paulum II.* poſtea obiit anno 1471. *Cæſar* compulſus eſt anno 1588. *Ferrariam* Papæ *Clementi Octavo* cedere. Habuit aliquot liberos ex Anna Medicea, Coſmi primi filia. *Alphonſus*, ejus filius & ſucceſſor deſtinatus, uxorem duxit anno 1608. Principem *Iſabellam*, filiam Caroli Emanuelis, Ducis Sabaudiæ, ex qua ſuſcepit *Franciſcum* natu maximum, *Alexandrum*, & quoſdam alios filios.

LXX. Princeps de Correggio territorii abſoluto gaudet dominio, Imperium ſolùm ſuperius agnoſcit, cúmque Dominus ſit abſolutus, monetam auream & argenteam cudere poteſt. At verò, quoniam ab Imperio Germanico nimium eſt ſemotus, ideò Hiſpanum agnoſcit ſuperiorem, & Neapoli copiam militum habet, quæ à Regno Neapolitano ſuſtentatur.

LXXI. Domini Mirandulæ territorii, in principio titulos Comitum habebant, poſtea dicti ſunt *Principes Mirandulæ & Comites Concordiæ.* Poſtea hic Status ope cujuſdam pro 50. millib. coronatorum in *Ducatum* ere-

ctus est, & hujus dignitatis titulos ab Imperatore accepit, à quo etiam Feudum agnoscit. Habet potestatem monetæ cudendæ, & sub tutela Regis Hispania vivit. Tres ipsi sunt *Doctores* peregrini, qui justitiam in causis tam civilibus, quàm criminalibus, administrant: in causis verò capitalibus, Dux sibi potestatem judicandi reservat.

LXXII. Primi, qui in hoc Statu inclaruerunt, fuerunt *Pici*, præcipui cives urbis Mutinæ. Hi magnæ fuerunt auctoritatis propter potentiam quâ pollebant anno 1110. Dein *Franciscus Reccius*, Vicarius Mutinæ constitutus est, per Imperatorem *Ludovicum* 4. *Nicolaus*, filius Francisci, postea fuit successor constitutus per Dominos Mantuæ, & Præfectus quoque sive Capitaneus Rhegiensium creatus est.

Mores Florentinorum hujus temporis.

LXXIII. Temperatus & subtilis hujus Regionis aër incolas præstat ingeniosos, optiméque ad literas, agriculturam, & mercatum aptos, magis autem superstitioni deditos, quàm bellatores. Florentini, qui versus orientem magis & meridiem, quàm Mediolanenses sunt positi, liberiorem habent sermonem, & videri volunt, parum comedunt, & Mathesi admodum sunt dediti. Labores facilè ferunt, si spem aliquam lucri habeant. In victu adstricti & parci sunt, non tam propter avaritiam & paupertatem, quàm naturali inclinatione, in Privatis consiliis optimi sunt, minus, cum in publicis conventibus consulunt: offensarum difficilè obliviscuntur, non minus quam accepti beneficii. Peregrinos humanitate, re, & consilio adjuvant. Modestas suas fœminas, paucorúmque verborum esse volebant, neque per plateas vaga-

bundas,

bundas, ſed domi inter privatos parietes clauſas. Illæ verò delicatè vivunt & veſtibus elegantes ſpectari volunt, magis liberis & ſervis, quàm omnibus reliquis faventes. *Piſani*, qui olim tantæ erant potentiæ & animi, ut maria Europæ & Aſiæ navigarent, & omnibus Principibus terrori eſſent, inter ſe capitalibus diſſident odiis; ſuperbi, vindictæ cupidi, peregrinis tamen ſuaves & humani. Bona ſuppeditant conſilia, ſed inconſtantia, quod in aliam mox deſcendant ſententiam, & prius conſulta & omni ratione ſalubriter deſtinata reiiciant. Licentiam & ſine fuco affabilitatem in fœminis amant. *Senenſes* boni ſunt in conſiliis, civiles, grati, & literarum ſtudio valdè dediti, irarum & offenſionum memoriam facilè ſepeliunt, exhibiti tamen ſibi beneficii ſemper memores: in exteros humanitatis ſunt expeditæ, accurati pulchritudinis cenſores, quâ illorum muliebris ſexus eximia pollet. Poëtarum lectione animos excolunt, ut non niſi gravitate inſignes modeſti & accepti omnibus videantur. Piſtorienſes ſunt hilaris & animoſæ indolis, ſed factionum, & odiorum pleni, in ſermonibus tamen ſuaves. Amori ſatis ſunt obnoxii, fœminas mediocris ſtaturæ, & quę nec parum, nec nimium loquuntur, amant. Illæ verò ſatis affabiles ſunt. Illi de *Prato* diffuſi ſunt in ſermone; de *Arezzo*, avaritiæ vitio laborant, fœminas impensè habent charas, cantatrices. Subditi Magni Ducis venationi vacant. *Florentini* & illi de Livorno, aliique qui maria accolunt, omnem vitam ſuam in honorato quęſtu parando ponunt, neque indecorum Nobilibus eſt mercaturam exercere, & artibus manuariis vacare. *Piſani*

verò magis armis quàm mercatui dediti sunt: *Aretini* cum aliis parvo victu contenti. *Senenses* verò splendidas amant mensas, & his sæpè magnos opes abliguriunt. Incolis hujus regionis natura potius, quam luxus, vestimenta paravit; fœminę tamen cultissimo habitu se exornant, qui multum curæ; & plus habet sumptuum. Vltimò, Florentina vel Tuscana lingua omnium est elegantissima, quæ suâ suavitate tam Italos, quàm exteros admodum afficit.

Regimen Politicũ Reipub. Florentinæ.

LXXIV. Familia *Mediceorum* sępius ad summos honorum gradus in Repub. evecta fuit, mox invidia & livore suppressa. Tandem Imperium anno 1531. obtinuit, cum nimirum Florentini à Principe Auriaco Duce belli Caroli V. Imperat. urgerentur, ut Principem *Alexandrum Mediceum* crearent, qui per eundem Imperatorem *Dux* factus est, cui in matrimonium *Margaritam* filiam suam naturalem collocaverat; adeò ut ab illo tempore hac oriundi familia absoluto imperio illas regerent Ditiones, quę Dominos Florentinos agnoscebant. Postea anno 1569. Papa *Pius V.* creavit successorem Alexandri *Cosmum* Magnum Ducem Etrurię, ab illóque tempore his titulis & dignitate usi sunt. Nunc liberi Status absoluti sunt Principes, respectu Florentię & Pisę. Novissimum verò quod attinet statum, Feudi nomine Sienam tenent, tum Marsilianam & partem insulę Elbę à Rege Hispanię, pro cujus recognitione quilibet Dux semel pro semper 10. millia coronatorum Regi Hispanię persolvit, qui aliunde, ab Imperatore nimirum, pro Statu Sienę investituram accipit, respectu nimirum territorii & urbis

Saturniæ,

Saturniæ, &c. Princeps 30. habet *Nobiles Cameræ*, Dominos titulatos; puta, Marchiones, Barones, & alios tam suæ ditionis, quàm extraneæ: 60. Nobiles pueros; 24. nigro sunt habitu hique Ducem in castra sequuntur: Magnum magistrum à poculis *Scalco Maggior*: 200. Nobiles apparitores, quibus diversa sunt officia, ut *Magistri ceremoniarum, magni Culinæ Præfecti, magnus Magister*, cum aliis curiæ Magistris; unus autem culinæ Magister in aula, alter in castris sua præstant Duci officia. Præcipui verò illius Ministri sunt *Connestabilis, Prior conventus S. Stephani*, qui velut magnus est Cancellarius, *Thesauri Præfectus Generalis, Ammiralis* vel supremus Architalassus, *Generalis* vel Præfectus equitum & peditum, *A Secretis Status & belli, Gubernatores* locorum, quorum Senenses & Livornenses in magno sunt honore. Habet Legatos vel *Agentes* ita dictos apud Papam, Imperatorem, Regem Galliæ, Angliæ, Mutinenses, Mediolanenses, Venetos, Lucenses. *Consilium Principis* ex 8. constat Doctoribus, vel literatis, quorum manibus omnia committuntur negotia. Ex aliis XII. Nobilibus multi eliguntur, qui quandoque Legatorum & aliorum officiorum munera obire solent. Quod ad Regimen regionis, ab illo tempore, quo Imperator Carolus Magnus Florentiam in bonum asseruisset statum, creati sunt duo *Consules* pro anno, quibus adjunctus est *Senatus & Consilium* 100. hominum, experientia & usu rerum pollentium. Postea hic ordo immutatus est anno 1220. secundùm quosdam, secundùm alios 1254. electíque sunt X. *Gubernatores*. Impetrata dein libertate ab Imperatore

Rudolpho anno 1287. Magiſtratus decem hominum mutatus, & ad octo priores redactus eſt, cum *Præfecto juſtitiæ*, cujus regimen per duos ſolùm menſes durare debebat, retinens Veterum nomen. Atque hoc illius Reipub. Regimen multas mutationes eſt paſſum, donec tandem ſub hac ratione, quæ adhuc hodie durat, conſtitit. Hodie igitur urbs *Florentia* gaudet ſpecie priſtinæ ſuæ libertatis, quod omnes ordinarios ſuos Magiſtratus & Gubernatores habeat. Numerat autem 48. *Senatores*, ex quibus per tres menſes 5. cum imperio præſunt, & perſonam Principis repræſentant; adjunctus eſt illis *Auditor & Fiſcalis*, hoc eſt Procurator & Advocatus Ducis, ſuntque ſupremi Iudices. Pro criminum punitione 9. ex Magiſtratu ſunt, quibus adjuncti *Auditores, à Secretis, Cancellarii, & Sub-Cancellarii:* Magiſtratus novem perſonarum, habent ſuum *Cancellarium, Sub-Syndicum, Sub-Cancellarium*, alióſque Miniſtros, quibus cura incumbit ſtatum conſervandi, Fortalitia & ædificia Ducis conſervandi. Sex propter mercaturam & mercatores conſtituti, adjunctos quandoque habent XI. alios, ut faciant 17. in ſumma. Hi de negotiis, num quis ſolverit nec ne, dijudicant, à quorum judicio nefas eſt appellare. Ars vel *Collegium mercatorum*, ubi de negotiis mercatorum conſultatio fit in cauſſa permutationis & aliarum rerum. *Collegium lanæ* ex 8. conſtat *Conſulibus* & tribus *Conſervatoribus*, qui de rebus tam civilibus, quàm criminalibus judicant. *Collegium ſerici Miniſtri aſſecurationum*, nummos ſpectantium. 6. *Miniſtri abundantiæ*, qui ex numero Senatorum eliguntur. 8. *Miniſtri adipis*, conſtituti

tuti

tuti in rebus liquidis, ut oleo, butyro, &c. pretiúmque illis imponunt. *Ministri pupillarum & viduarum, & Ministri, & conservatores honestatis* urbis Florentiæ, quam cultam & nitidam scortísque vacuam servare tenentur: in his autem officiis semper quidam ex Senatoribus sunt. Sunt præterea Florentię *Conservatores Legum*, qui summa pollent authoritate, & tam plebeiæ sortis homines, quàm verò ipsum Magistratum delinquentem, puniunt. Est *camera rationum*, dicta *Sopra Sindici*, quæ calculum omnium Ministrorum examinat, qui curam habent redituum Magni Ducis. *Camera Ducalis* vel *Fiscalis*, in qua bona reorum Fisco adjudicantur. Magnus Dux habet Florentiæ 4. *Archivi Conservatores publicos*, qui ab ipso eliguntur. His verò, pro custodia publicorum documentorum, operam 4. *Notarii* præstant, 4. *Coadiutores*, & 2. *Tavolaccini*, qui Ministrorum ad instar sunt, scripturas quærentium. Quatuor *Conservatores* de omnibus cognoscunt Processibus, qui intra privatos & Notarios occurrunt, ratione contractuum, stipendii, & aliarum inde dependentium rerum. *Cancellarius* scribit vel scribi procurat omnes deliberationes, commissiones, informationes, literas, dispositiones, Decreta Magistratuum; omnes Archivi claves in sua habet custodia. Omnes Status communitates, ubi Archiva reperiuntur, obstrictæ sunt mittere ad Archiepiscopum Florentiæ omnia publica documenta, quæ ibi reperiuntur. Extra Florentiam, omnia loca suos habent *Rectores*, qui justitiam administrant, dicuntur suo nomine *Potesta*, cum *Iudicibus*, *Equitibus*, Notariis, & *tribunis militum*,

ita ut omnes extra Florentiam populi dividantur, in *Potestates*, *Vicariatus*, & *Capitaneatus*. In urbe *Pisa* talis hodie est Magistratus. Est ibi *Vetus Commissarius* sive Generalis, qui vices Gubernatoris habet, cui adjunctus est *Iudex*, qui tamen sententiam sine Commissarii permissione ferre nequit. Habent præterea *Notarium*, coram quo debita examinantur, dein 2. *Notarios*, qui de criminibus cognoscunt, cum Iudice & Commissario & 2. *Consulibus maris*, qui Florentini sunt, & in officio per annum subsistunt, de negotiis mercatorum maritimis cognoscentes. *Senensium* hodiernum Regimen quod attinet, hoc propemodum simile est illi, quo, cum liberi essent, utebantur, nisi quod magnus Dux suum ibi habeat *Gubernatorem*, vel pro-Præfectum Generalem, qui tam Sienam, quàm reliquos Status omnes imperio regit. Reliquit verò illis Dux *Magistratum populi*, *Priores*, *Consiliarios*, cum iisdem privilegii immunitatibus, & jurisdictionibus, &c. quibus antea gaudebant. *Magnum consilium* ex pluribus constat civibus. Huic *Capitaneus populi*, *Priores*, *Consiliarii* adjuncti sunt, & ei in consiliis opem ferunt. *Gubernator* verò, prout ipsi visum fuerit, illi consilio præest. Solum verò *populi Capitaneum* potestas & honor manet, negotia in magno cõsilio proponendi. Penes Ducem verò est eligere Capitaneum sive Præfectum populi, ut & Iustitiæ Præfectum, de caussis criminalibus cognoscentem, omnium Status conservatorem. *Gubernator* intra urbem habitat. Dux præterea sibi electionem judicis ordinarii causarum Civilium servavit, tum 3. *Rotæ Auditorum*, 8. *Capitaneorum Status Senensis* & 2.

Ministrorum

Ministrorum custodia pro numero 20. civium. Omnis Senensis Status plurimas urbes & oppida pagósque habet, cum suis Ministris & Gubernatoribus, divisus est in 26.*potestates* vel *iudicaturas* (ita loquendo:) 8.*Capitaneatus*. Plurimos ibi reperies qui territoria benè multa loco Feudi à Principe possident, vel qui certis pactionibus obstricti sunt, illi data occasione servitia præstandi. Habent verò Principem vice Protectoris & Defensoris. Hæc tam quoad verò, quod exiguis delibavimus, quàm vetus ad novum Florentiæ aliarúmque civitatum Regimen leguntur apud *Machiavell. in Histor. Florent.* 100. *Histor. sui temp. Giovani Hist. del Mondo, Leandr. in Ital. Mambrimo Rosco Supplement. della Histor. del Mond. Volateran. Geogr. l.* 5. *Matal. Metelli Specul.*

LXXV. Omnis Florentiæ Status huic Principi quotannis pendit circa 700. millia coronatorum. Hæc summa ex quatuor præcipuis velut scaturiginibus ipsi promanat, nimirum ex jure molendinorum, quæ tributum solvunt 280. coronatorum; sale, qui præstat 200. coronatos; publicis diversoriis, illísque qui conductas habent ędes, Tabellariis publicis, mensuris. Neque parva sunt tributa ex contractibus, dotibus, hæreditatibus, bonorum acquisitionibus, census constitutionibus, quæ ipsi quotannis 100. millium coronatorum summam faciunt. Reditus, quos extra ordinem accipere solet, veniunt ex 22. Magistratibus, qui in Florentia agunt. Magistratus decimæ consistunt in illis, quæ incolæ solvunt pro illorum bonis immobilibus; hoc verò officium præstat Duci quotannis 100. millia coronatorum. Alia *Divitiæ & Reditus.*

officia

officia universum omnia Principi suo redituum certam præstant summam. *La Zecca* sive moneta ipsi adnumerat 100. millia coronatorum quotannis, quæ in Italia pro præcipua habetur. Mulctæ ex condemnatis & confiscatis non infimam faciunt nummorum summam. Et à Iudæis, qui in hac Repub. commorandi habent libertatem, pecunia colligitur. Florentini in singula capita 2. coronatos, Senenses unum cum dimidio solvunt. Pisani & Livorni nonnihil quoque dant. Omnes, qui ex aliis locis huc commigrant, dona extra ordinem dare solent, ut inde aliquas consequantur immunitates. Feudorum renovatio etiam commoda quædam profert, in Statu Senensi pro Cereali agro, qui aliis laborandus conceditur, 100. millia coronatorum penduntur. Reditus bonorum immobilium Magni Ducis, & Domus Mediceæ, sunt 200. millium coronatorum quotannis, qui tamen in dies augeri solent. In Regno Neapolitano *Principatus Capistrani* emptus per Ducem *Franciscum* pro suo naturali filio, hodiéque ad Magnum Ducem spectans, ipsi 27. millia annua coronatorum portat. Gaudet etiam quibusdam in *Hispania* reditibus. Tria Romæ possidet Palatia, & exinde ad 7. millia coronatorum. Multas lapidicinas, lapides pretiosos, pictores, sculptores, bonorum equorum copiam, quæ omnia nummos Duci conferunt non exiguos. Nec sanè exiguam felicitatem hujus Ducatus incolæ possident, quod in peregrinas oras merces suas, ut sericum, pannos, tapetes exportent, exindéque magnam pecuniæ vim sibi parent. Sola Florentia singulis annis pannum, sericum, lanam in tanta

conficit

conficit abundantia, ut ex venditione harum rerum 2. milliones (ut vocant) auri percipiat, exceptis publicis reditibus 200. mill. coronatorum pro ædificiis, Magistratibus, reparatione pontium, &c. Florentini pro bonis suis immobilibus 1200. millia coronatorum nomine reditus percipiunt. Hic Princeps adeò opibus potentes habet subditos, ut unus X. tonnas auri, quidam 200. 400. 600. 100. millia coronatorum in bonis possideant. Omnia quæ apud Florentinos sunt beneficia, complectitur numerus 4. millium, quæ omnia magnos præstant reditus. In Equestri ordine S. Stephani haberi possunt 30. millia coronatorum, nomine redituum, quæ ex fundis colliguntur.

LXXVI. Præter armorum apparatum, quo omnis Ducis militia est instructissima, illámque vim bellicam, quæ in sui Status propugnaculis ubique reperitur, in armamentariis, numero & viribus potentissimis, tantam invenies armorum copiam, quanta pro armandis 80. millib. hominum satis est, nec ullus est Italorum Principum, qui tantam tormentorum bellicorum vim quàm hic in castra queat protrudere. *Florentini*, cum *Pisanis* numerant in suis ditionibus circiter X. centena millia hominum, Princeps pro custodia corporis sui centum Helvetios alit, centum equites levis armaturæ, turmam equestrem sexcentorum sclopetariorum, aliam Nobilium instructam manum, dictam *Lancie Spezzate*. Militaris ejus potentia constat ex 40000. hominibus, quorum tamen exigente necessitate 21. vel 22. tantum millia præsto esse solent. Huic militiæ cum imperio præest Supremus Præfectus equitum, sive *Generalis*, *Vires & Potentia*

ralis, cui alii minores centuriones obsequium præstant. Secundùm consuetudinem hujus gentis militiæ Præfecti potestatem habent, omnes ad militiam (exceptis ordinis sacri literisque deditis hominibus) cogendi, illorúmque nomen in catalogum militum referendi. Quantum ad propugnacula, quæ securitatem & robur huic Statui præstant, illa præcipua hæc sunt; *Monte Carlo*, *Pietra Santa*, *Salto della Cerva* vel Ceruia, *Rocca Sibillina & Filaterra* opposita invasionibus Regis Hispaniæ, *Scarperia*, &c. Præcipuæ verò militum stationes sunt in *Livorno & Porto Ferraio*. In Livorno semper 700. sustentantur milites. Portus hujus Principis 2. sunt insigniores, quorum prior in Insula *Elba*, dictus *Porto Ferraio*, ingenti copiæ navium & triremium commodam præbet stationem. In *Pisa* armamentarium est, cum 12. triremibus, cum apparatu armorum insigni. Præter vires maritimas omnis vis & potestas in *Equitibus S. Stephani* consistit: Institutus est hic ordo anno 1561. à Magno Duce *Cosmo*, sub nomine *Stephani* Papæ. Ex hujus ordinis occasione exstruere jussit aliquot triremes. Numerus illorum, qui sub hoc Equestri sunt ordine, ad 400. accedit, inter quos reperiuntur Marchiones aliique sorte nascendi Nobiles Viri; ad hos accedunt alii, nimirum 100. Rectores: qui omnes Principi sua præstare officia tenentur. Enimverò ita hic Princeps omnibus iis videtur esse instructissimus, quæ ad arcendam hostilem vim requiruntur necessaria, nec solùm potentiâ sua vi nixâ gaudet, verum & ab aliis Principibus Italiæ faciles habere potest suppetias, nimirum ex Portu de Livorno.

Ad

Ad hæc accedit quod ingentem possideat thesaurum, qui sicut aliarum rerum, ita quoque belli nervus est.

LXXVII. Hæc cum in illo, quemadmodum apud alios, præcipuè consistat, ut tranquillitas cum felicitate publica conserventur; has ob rationes Respub. Florentina opus habet amicitia & favore Pontificis Romani, tam propter majoris damni metum, si Papam inimicum sentiret; quàm ob spem maximi incrementi, quod à Papâ huic statui accedere potest. Metus inde oritur, quod Magnus Dux à nemine perniciosiùs & faciliùs quàm à Pontifice invadi queat, ídque propter situm Hetruriæ, quæ altissimis undíque montibus objecta est. Hic verò situs illud efficit, ut Hetruria justâ potentiâ Pontificem invadendi, si hostem experiretur, rectè uti nequeat, quod difficiles montium aditus magnum non capiant exercitum, & impeditissimum tormentis bellicis promovendis iter minetur. 2. quod facilè annonæ caritate laboret, & urgente necessitate, vix necessaria Exercitui alimenta præstare posset. Contrà, si ab adversa parte Pontifex ingrueret, aditum patentiorem haberet, & commeatus facilem abundantiam ex Latio, Lombardiâ & Bononiâ. Postulat igitur ratio status hujus Ducis, ut sibi quam addictissimum habeat Pontificem; dein Imperatorem Romanum, cujus aulæ Ministris, propter investituram tituli, munera ad 300000. aureorum distribuisse dicitur. Galliæ quoque Regem magna colit amicitia, quod illum Hispaniæ Regis sciat esse æmulum, & illius consilia, Italiæ possessione inhiantia maximè perturbet.

Ratio status Magni Ducis Hetruriæ.

LXXVIII. Traiani Boccalini est de hac Repub. judicium, in communi examine & censura omnium Rerumpub. mihi *p.* 254. ubi Magnus Dux à censore accusatur, quod tanta suarum triremium multitudine, nimiam exerceat licentiam, & quod mercium ex oriente advectarum caritatem inducat: ubi à Magno Duce censori respondetur, quod nulla possit dici perfecta potentia Principis, quæ non cum numero armatorum lignorum aliquod possideat in mari Dominium. Plura vide in sequent. His adjungi meritò debent illa, quæ *Ioann. Bodin. l.* 5. *de Repub. m. p.* 804. adprimè de Florentinis notavit, inquiens. *Qui ad hæc animum intenderit, mirari desinet, quid sit quamobrem Florentini ac Neapolitani Venetos & Insubres ingenii acumine in privatis rebus, rationibúsque vincant, in publicis tamen vincantur. Nam Veneti prudenter consilia capiunt: quippe & à sententia discedere & saniora consilia sequi non dubitant: ut qui ingenii viribus non satis confidunt nec diffidunt omnino: illi verò, sine nimia differendi subtilitate, sinē ingenii ostentatione, quam semel sibi proposuerunt sententiam, mordicus tueri plerúmque putant, & cum se imperio dignos esse singuli arbitrentur, popularium imperium semper maluerunt quàm Optimatum.* Hęc ille.

Iudicium Politicū de Repub. Florentina.

LXXIX. Acutè de hac Repub. tam civilibus motibus turbata, quàm pacata, *Machiavellus* sensisse videtur in suo de eadem Rep. præstantissimo libro, cum passim ita dicit l. 2. Non alia ratione populus Florentinus subjugari potest, quam si sub unius Principis imperium mitteretur, à quo virtuti suus honor haberetur. Florentini neque

libertatem tueri, nec servitutem ferre norunt. Nobilitas in privatis negotiis parem non fert, in publicis imperare cupit. L. 3. de dissidiis hujus Reip. ita signanter dicit: Romanorum dissidia urbem istam ex æqualitate in summam inæqualitatem adduxerunt, Florentinorum verò ex inæqualitate ad mirandam æqualitatem revocarunt. Libertas apud Florentinos libertatis nomine opprimebatur. Lib. 7. hæc leguntur: Inimicitiæ Florentinorum semper sectis partibúsque constabant, siquidem nulla partium, quæ victoriâ potita esset, unquam unita stetit diutius quàm dum pars adversa vires adhuc haberet; quàm primum verò ea devicta extinctáque esset, confestim illa, penes quam victoria remanserat, cum neque metu coërceretur, neque prudenti consilio fulciretur, iterum in partes discedere cœpit. De corruptis illorum moribus ad finem ita sentit: Omne studium eo desinebat, ut splendidè vestitis inque sermone astutis, atque mordacibus esse liceret; siquidem is, qui alios dextre perstringere novisset, reliquorum prudentior habebatur.

LXXX. Sabaudorum indoles admodum inepta est, ut vix similem alibi invenias, quod ad plebem attinet. Nobiles verò civilis sunt ingenii, & virtutibus addicti. Pedemontani optimi sunt milites, exiguo victu & vestitu contenti, & in hoc Nobilium imitantur mores, qui infra dignitatem suam ponunt, mercatum exercere. Omnes igitur lucri curas & occasiones ex lana aliísque rebus ditescendi aliis remittunt; contrà verò alia sectantur oblectamenta, nimirum, ut genio indulgeant, & in variis deliciis se voluptarios

præbeant, adeò ut quicquid ſit partum labore, ore abliguriant. Illorum Ducem nulla res peius habet, quàm quod adeò deſides ſunt; quod ut exuant vitium, ſedulo curam dat, ut illis occaſio mercaturam exercendi, & ex illa aliquod lucrum captandi præbeatur. Hoc tamen inertiæ malum non facilè ad ſalutem poteſt converti. Illam verò deſidiam, cujus *Pedemontani* accuſantur, obſequio in Principem ſuum penſare ſolent. Vivendi ſimplicem habent rationem, & quia minus opum, minus luxuriæ. Ita percomis, perbenevola illorum eſt indoles, natura magis quàm arte, virtutis amore potius, quàm pœnæ formidine talis. Amicitiam infucatam exercent, nec ſunt publicis ſcelerum flagitiis inquinati; ideò homicidia & latrocinia inter illos ſunt rariſſima.

Regimen Politicũ Sabaudiæ Ducis.

LXXXI. Sabaudiæ Dux, Princeps pariter Italiæ & Germaniæ nominatur, diverſo tamen reſpectu. Germaniæ quidem hoc nomine, quod olim ad Comitia Imperialia vocari Sabaudi ſolebant. Italiæ verò iſto, quod plurima loca & ingentes opes in illa poſſideat Regione. Quicquid enim nomine Pedemontii venit, illud in ditione eſt Principum Sabaudorum. Sanè paucis Italorum Principibus opum vi & potentia concedit. Vetuſtiſſima Sabaudorum (quod ex Mercurio patet) eſt familia, & per 600. & quod excedit annos rerum eſt potita. Eadem familia diverſis temporibus connubio cum ſummis Principibus juncta fuit, octies cum Imperatoribus, quatuor Orientis, totidem Occidentis; quinquies cum Regibus Franciæ, decies quater cum Principibus Regii ſanguinis in Francia, quinquies cum domo Auſtriaca,

comprehensis Imperatoribus & Regibus. Semel cum Rege Arragoniæ, bis cum Regibus Castellæ & Legionis, bis cum Rege Portugalliæ, semel cum Regibus Poloniæ, Angliæ, Scotiæ, Cypri & Bohemiæ, ter cum Regibus Siciliæ & Ierusalem. Prætensiones ejus vid. apud *Spreng. in bon, Princ. pag.* 104.

LXXXII. Reditus Ducis Sabaudiæ, præcipui è vectigalibus. Vectigal, quod Villafrancæ solvitur cum aliis accedere dicuntur ad 25000. ordinarium antiquum cum eo quod *Baliaggi*, accedit ad 70000. calculus Pedemontii ordinarius, cum mutatione salis; ab alio montium latere in vectigal ordinarium perpetuúmque 263000. Confiscationes bonorum, condemnationes, augmentum subsidiorum, compositiones delictorum. Censuales, qui vulgò *Taglitabeli* dicuntur, qui homines de suis bonis non possunt disponere, nisi Duci pro ejus arbitrio certam aliquam pendant summam. Iudæi quoque tributum pendunt; ex similibus rebus 50000. summa percipitur. Calculus verò omnium, 500000. aureorum nummorum. Quanti erogentur sumptus, nihil potest certi dici, illud tamen scitur, in militiam impendi 10000. aureorum: in aulam Ducis, 60000. in Ducis Conjugem, 20000. in triremes, 22000. Nemorosio Duci, cognato Ducis, 14. aureorum numerantur millia. *Divitiæ & Reditus.*

LXXXIII. Vt pauca de illius viribus dicamus, possidet munitissima cum arcibus oppida. Horum præcipua sunt, *Dronero*, & *Carmagnola*. Illud commercia habet cum Provincia Galliæ, plurimique hic reperiuntur mercatores, opibus *Vires.*

 potentes:

potentes: hoc velut in centro Pedemontii situm est, & propter incolarum atque opum abundantiam Civitatis nomen meritò obtinet. Sunt etiam ibi *Ravellum* magni momenti, *Dogliani, Vercelli, Manta, Pagni*, vino generoso nobile, & ditissima Abbatia *Stafforda*. Superioribus annis à Duce *Carolo Emanuele Marchionatus Salutiarum* Pedemontio unitus est. In *Pedemontio* præter civitates sunt circiter 250. oppida, inter hæc multa sunt, quæ civitatibus minimè concedunt.

Ratio Status. LXXXIV. Cum Ducis Sabaudiæ Vires tantæ non sint, ut diu instructum exercitum alere possit, exterorum Principum amicitiâ valdè opus habet. Qua de caussa arctam cum Principibus Germaniæ colit amicitiam, imprimis cum *Electore Saxoniæ*, ideò quod ex eadem sit familia: sæpius etiam hic Dux Electores donorum oblatione per suos visitat Nobiles. Cæterum cum *Helvetiis* Duci magna intercedit amicitia, imprimis verò cum Cantonibus Pontificiæ Religioni addictis, quibus etiam obstrictus est certam frumenti mittere copiam. Neque aliter dici potest, quam quod cum *Rege Poloniæ* amicitiæ jura colat, non secus ac cum aliis Italiæ Principibus, quorum cuilibet quantum debeat, vid. *Le Thresor politique lib. 2. mihi p. 727.* Judicium Politicum de Sabaudia, hic ex ordine subjungendum, differimus in ultimum de Italia argumentum, ubi universim Principum Italiæ status ex aliorum mente judicabitur. Sequitur igitur Primum.

Prætensio Ducis Sabaudiæ. LXXXV. Duces Sabaudiæ se *Reges Cypri* ob quatuor rationes dicunt, nimirum propter jus hæreditatis, adoptionis, renunciationis, & testamentum.

mentum. Horum prætensiones fusius leguntur in libr. *Les Estats*, p. 807. & *sequent.* Superioribus quoque annis Duci Sabaudiæ à *Duce Mantuano* de prærogativa dignitatis mota fuit controversia, quam sibi cum Sabaudo parem hodie Mantuanus vindicare conatur; hujus controversiæ occasione anno 1622. Scripta prodierunt, quæ, prout in Italia fuerunt impressa, in *V. tomo Mercurii Gallici* extant, ibique legi possunt fusiùs.

LXXXVI. Quantum (inquit) ad Principes Italiæ in genere attinet, Majestas tua minimè ignorat, quanta invidia Principes inter se flagrent. Vix unus reperitur, qui vicini sui potentiam augeri cupiat, nisi fortè quia incrementum unius, diminutio est alterius potentioris, cujus potentia adhuc magis invidiosa est. Hæc invidia vel maximè Italorum Principum animos occupat; nolunt verò inprimis plerique omnes Papæ potentiam in temporalibus crescere, quod vereantur, si huic Pontificis potentiæ, satis nunc formidabili, insignior aliqua potestas temporalis accesserit, qualis per reditum tot Feudorum Ecclesiasticorum ad patrimonium Ecclesiæ facilè fieri potest, se neutiquam ipsi pares esse ad ultimum posse. Neque deesse possunt occasiones & caussæ dissidiorum inter Pontifices & Principes Italiæ, idque præcipuè ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ, cujus respectu Pontifex ut plurimum de omnibus queritur, hodiéque maximè de Hispanis in Ducatu Mediolanensi, & magis etiam in Regnis Neapolitano & Siciliæ. De omnibus verò seorsim dicendo, pro explorato haberi debet, quod *Rex Hispaniæ* vel maximè iniquo animo feret Papæ

Iudicium Illustrissimi Cardinalis Ossati de Italiæ Principũ Potentia, affectu erga Papam, & alios Principes. In Epistola ad Regem Galliæ, anno 1597.

potentiam in temporalibus incrementum capere, cum sibi conscius sit, quemadmodum meliorem & potiorem Italiæ partem possidet, & limites cum Ecclesiastico dominio conjunctos habet; ita etiam crebrius, & quasi quotidie sanctæ Sedi, tam in jurisdictione, quàm juribus Ecclesiasticis, injuriam facere. Solus quoque omnium exterorum Principum Dominatus in Italia possidet, Principésque Italiæ illius solius dominationem & viciniam haud satis æquo animo ferunt; idem quoque seorsim potentiam Pontificis temporalem reformidat, quæ supra alios illius ruinam & libertatem Italiæ, quam Hispani opprimunt, potest promovere; id quod quidam Papæ facere tentarunt, ut *Paulus, & Pius quartus, Sixtus quintus*, Post Regem Hispaniæ *Veneti* omnium minimè optabunt Ducatum Ferrariensem ad sanctam Sedem reverti, tum quod sapientissimi sunt mortales, dominiique sui retinentissimi, quique diligentissimè prospiciunt omnia, quæ ipsis aut prodesse aut obesse possunt: tum quod præoptent vicinum habere particularem potius Ducem Ferrariensem, quàm Pontificem tot aliorum Principatuum Dominum. *Magnus* quoque *Hetruriæ Dux* suspectum habet incrementum Pontificis, non minùs quàm alius quivis Italiæ Princeps; quia non solùm fines Dominiorum suorum cum ipso conjunctos habet, sed quasi permixtos & terris Ecclesiæ insertos. Præterea Ducatus Florentinus haud ita antiquus est, ut Reipub. Florentinæ & Senensis memoria jam excidisse potuerit ex animis multorum, imò ne Pontificis quidem; & quædam diffidentiæ mutuæ inter hos Principes tam vicinos

indicia

indicia possunt animadverti; sedésque Apostolica jus aliquod sibi vindicat in nonnulla Hetruriæ loca, quorum unus est *Burgus S. Sepulchri.* Cæterum *Cæsar Estensis* sororem magni Ducis in matrimonio habet, & ex illa liberos, qui sunt magni Ducis cognati; quare haud frustra plerique judicant, ipsum Ducatum Ferrariensem affini suo & cognatis, quam Pontificibus, præoptare. *Dux Mantuanus* limites cum Ducatu Ferrariensi jungit, & affinitate junctus est, tam cum Familia Estensi, quàm cum magno Hetruriæ Duce, quippe cujus soror uxor fuerat postremi Ducis Ferrariensis, &c. De *Sabaudiæ Duce* quid dicam nescio, (verba sunt Mercurii Gallici) & fortè ne ipse quidem novit, cui potissimum adhæreat, tantùm ipsi est domi negotii, &c. Nihil de *Duce Vrbinatium* dicam, quia licet *Cæsar Estensis* illius sit è sorore nepos, & ipse Dux defuncti Ducis Ferrariensis sororem in matrimonio habeat, tamen propter divortium ipsius ab uxore jam à longo tempore, hæc affinitas potius decrementum quàm incrementum attulit harum duarum familiarum amicitiæ. *Genuensis Reipub.* potentia tantùm est mediocris, compositæ ex hominibus, qui plus suarum rerum satagunt, quàm publicarum, & cum Regi Hispaniæ sint obnoxii, caussas habent partim ipsum metuendi, & nihil, quod ipsi ingratum sit, faciendi; partim propter injurias, quas quotidie ab illo accipiunt, favendi illis, qui ipsum in ordinem possent cogere, & ipsos ab illius tyrannide liberare. *Lucensis Respub.* tam exigui momenti est, ut non sit pretium, hic illius meminisse, aut illius rationem habere. Vicinos suos omnes metuit, &

Ducem

Ducem Ferrariensem tam iniquum in Finibus dirimendis experta est, ut peius ab Ecclesia timere neutiquam possit.

LXXXVII. Pedemontium nihil simile cum Sabaudia habet; hæc enim montosa est. Pedemontii autem pars maxima plana æqualísque est, aspectu jucunda, nec solùm delectat ejus amœnitâs visum, sed ejus campi fertilitate eximii multùm lucri adferunt colonis. Frumenta enim suppeditat Sabaudiæ & Helvetiis, aliquandóque Genuensibus, quod nisi faceret, vili in Pedemontio vivi posset, sed dicti vicini adeò magnam annonæ copiam inde petunt, ut ipsum Pedemontium penuria aliquando laboret, accidítque ut frumenti saccus, qui scuto aut nummo aureo & semi venundari solebat, aut ad summum duobus, scutis aureísve nummis tribus, aliquandóque quatuor veneat. Pedemontio includitur Ducatus Augustæ, vulgò Duché d'Aosta, dictus, continet is magnum arcium numerum & feudorum, quæ Nobiles possident: singuli horum non magnis pollent divitiis, sed omnes simul magnas possident opes. In Pedemontio sunt quoque territoria Vercellense, Canavense, Comitatus Nicææ. Súntque in eo septem civitates Augusta nempè, quam ædificavit Augustus, secunda civitas Vercellæ dicitur, tertia Inurea, quarta appellatur Asta, quinta Mondevium, Nicea sexto loco numeratur, septima Taurinnm, vulgò Turino nomen est, hæc Archiepiscopi sedes est, & hic versatur Dux.

LXXXVIII. Pedemontani pauci artibus mechanicis incumbunt, nec eas magni faciunt, sufficere sibi putant victum & amictum, in eo imitantur

imitantur Nobiles, qui mercaturam haud exercent, quamvis commoditate, quam Padus fluvius eis offert mercaturam cum Mediolanensis Status incolis, multarum civitatum ad ripas Padi sitis exercere possent, imò & cum Venetis, sed hoc ipsi non curant, extraneos autem mercatura telæ, canabis, lanæ, & pauci serici magnas simul parare divitias concedunt; dici itaque posset, quod quidquid mercatores lucrantur, id eis à Pedemontanis dono dari, quod ipsi id sibi parare possent, si vellent, Pedemontani in id solùm incumbunt, ut penuarium probè sit instructum, utque lautè vivant, ipsique artifices mechanicíque ferina carne, aliisque preciosis cibis vesci volunt; dici itaque potest, Pedemontanos quicquid habent insumere in luxum. Ducem id quidē malè habet dolétq; ipsum, quod magis industrii non sint, offertque ipsis modum exercendi mercaturam consequendíque lucrum. Aquæ ductus fieri curat, omniáque tentat, ut somnum eis excutiat.

LXXXIX. Possidet Magnus Dux Etruriæ cum jam conjunxerit Status trium Rerumpublicarum Florentinæ nempè, Pisanæ & Senensis, provinciam Etruriæ, aut ejus partem majorem, nobiliorem pulchriorémque. In Statu Senensi sunt 7. Civitates, inter quas est Sena & Pisa, populo satis frequentes sunt, libertate diu gavisæ servitutis jugum ægrè invitéque ferentes vacuæ ferè derelictæ sunt, exemplóque aliis sunt, quàm durum sit iis inservire, cum quibus diu contenderis, sed huic malo Princeps singulari industria studióque remedium adferre studet; ipsasque civibus frequentes reddere. Pisis nempè erecto studio,

quod

quod nunc ibi mediocriter floret, noménque adeptum est per Italiam; fabricari quoque ibidem curat Princeps triremes, aliáque ad rem maritimam spectantia: jussit quoque ibidem habitare Equites Ordinis Sancti Stephani. Degítque præterea Dux ibidem quotannis duobus aut tribus mensibus hibernis, procurat quoque culturæ idoneas reddere multas paludes, ut aërem malè sanum, purum sanúmque reddat. Cives denique Pisanos (quod summum est) multis oneribus liberat, eóque medio illos cives, qui patrios Lares deseruerunt, allicit invitátque, ut redeant in patriam, quamvis sub jugum missam.

XC. In Florentiâ sunt multi artifices, fiúntque in ea nobilia eximiáque opera, in textrinis texuntur magna industria diligentiáque variæ res ex lana, serico & auro, nec ea in re cedit, Florentia Flandriæ: parantur hic quoque panni ex auro pulcherrimi, inprimis abundat Florentia iis, qui se exercent serico & lana, quod & faciunt Nobiles ditioresque ejus civitatis cum honore & lucro ipsorum, totiúsque populi; quod autem à Florentinis confectum est, non solùm in ejus ditione venditur, sed distribuitur per totam Italiam, imò per universam Europam, & in Indiam usque, ubi mercatores merces valoris centum aureorum vendunt 150. aureis. Observatum fuit, uno anno Florentiæ confectos fuisse pannos, quos vulgò Rastie vocant, valoris duorum millionum aureorum, ingens profectò summa.

XCI. Opes privatorum valdè ditant Principis ærarium; facultates enim privatorum nihil sunt quàm Principis thesaurus in multorum loculis

culis divisus, præcipuè cum privatorum facultatibus uti potest Princeps, quod Magno Duci facilè est, medio onerum, quæ in usu sunt Florentiæ. Ex dotibus percipit octo pro unoquoque centenario tantundem ex venditione & emptione bonorum immobilium & domuum. Locatores domuum pendunt decimam pretii partem. Litem instituentes certam summam pecuniæ (quæ vulgò La Spartola dicitur) Duci solvunt. Datium aut vectigal quoque penditur Duci, pro animalibus, quæ Florentiam ducuntur. Carnis pondere vendita libra pendit nummum vulgò dictum quattrino. Cambia pendunt certum quid pro centenario, ut absolvam, omne quod Florentiam infertur, aut ibidem laboratur, habet ut dici solet, suam campanulam: Vtebatur Princeps, cum opus esset facultatibus suorum subditorum, modo qui sequitur admodùm facili; cum enim opus ei erant centum aut ducenta aureorum millia, conficiebatur catalogus eorum, quibus paratæ erant pecuniæ, eósque probè norat Princeps. Iisdem pecuniosis civibus imponebatur pecunia petita, sed exigebatur ab unoquoque, pecunia major aut minor secundùm ejus facultates, sed ab uno nunquam ultra quinque nummorum millia exigebantur. Facta divisione significabatur unicuique, quantum intra dies aliquos numerare deberet in depositorio, terminúmque præfixum numquam elabi sinebant cum timore pœnæ, tum ne Principis gratia favoréque exciderent. Qui pecuniam impositam numerarat creditor, inscribebatur pecuniæ numeratæ, quæ ei reddebatur post 28. menses, intra quod tempus in toto Principis statu pecunia ab eo petita colligebatur.

gebatur. Hac ratione utebatur Princeps cum opus esset facultatibus subditorum absque eorum magno damno. Sed Magnus Dux, qui nunc ad clavum sedet cum pecuniis non egeat, adeò benignus magnanimúsque est, ut mutuo det suam pecuniam aliis, tantum abest, ut suo populo gravis esse velit. Reditus publici ascendunt ad aureorum nummum millionem & semis; percipitur enim ex datiis, vectigalibus aliisque oneribus summa aureorum sexcentorum millium: Sena numerat 150000. Telonium Liburni reddit 130000. Datium sive vectigalia rerum maritimarum per universum Statum, excepta Sena, ascendit ad 180000. Ex datio sive vectigali carnis, excepta Sena, percipiuntur 160000. Ex sale, minærísque ferri argentíque tantundem, nempè 160000. Duci accrescit. Lucrum quoque percipit Magnus Dux ex depositiis pecuniis, cujus magnam vim deponit apud mensarios. Rem item facit ex locatione duarum magnarum triremium, quæ merces alio deferunt.

XCII. Magni Ducis Status potest dici Ferreus, præter enim naturalem fortitudinem montium qui ipsum à tribus lateribus cingunt tanquam muri, habet ad quartum latus multas validásque arces, nempè in ditione Senensi, in qua numerantur quinque civitates munitæ, Sena nempè, quæ & natura artéque munita est, sicut & mons Alcino, Gossetum & Sovana. Vltra has civitates sunt & aliæ arces alicujus momenti, Radicofanum nempè, Montefalco, Lucignanum, Monteriggonum aliæque, sed præterquam quod in earum forma aliquid desideratur, nimis parvæ sunt,

nec

nec multos defensores capere possunt, nec iisdem seipsis tuendis subducendísque locus est. In Statu Florentino civitates omnes quæ numero 7. sunt, mediocriter munitæ dici possunt, (excepto Montepolitano) præcipua autem Florentia, quamvis undiquáque muris sicut nunc fiunt munita non sit, sunt in ea duæ arces, una Fanum Miniati, in colle sita, ea universæ civitati imperat; altera arx planiciei dicitur, tempore libertatis ædificata. Ambæ arces, quamvis ædificatæ sint, ut iis tanquam frenis populus coerceatur, necessitate tamen urgente iis se defendere possunt Florentini contra exteros hostes, sed præterquam quod earum forma laudari non possit, nec ex iis hostes offendi queant, laborant etiam parvitate. In Statu Florentino, & Pisano, spectantur adhuc aliæ arces Empoli nempè, Pratum, Liburnum, Castrocarum in Romandiola & Saxum vulgò Sasso, omnibus iis multæ res necessariæ desunt, suntque omnes parvæ incapacésque.

XCIII. Quando egreditur ex Algerio magna Pyratarum manus ad depredandum, non plenè fidit Magnus Dux præsidiariis militibus, in turres ad id structas distributis quæque sibi invicem signa faciunt, sed turres securas reddit equitibus, eósque ipsis turribus. Dux Cosmus, multam curam rei maritimæ impendidit sciens, quod in ea caput rerum situm sit, quódque ille Princeps Magnus haud dici possit, qui mari potens non sit, motus itáque his rationibus instigatúsque à suis propriis deliberationibus, quæ ad majora semper aspirabant, procuravit, obtinuitque per Carolum V. à Domino Plumbini, ut is sibi cederet

deret insulam Ieram sive Elbam ei subditam, quod is (Dominus Plumbini) eam adversus Pyratas tueri non posset (erat enim ab iis vastata) poterátque ea insula, si segniter defenderetur, occupari à Turcis, quod si accidisset, magnam calamitatem damnúmque toti Italiæ adferre potuisset, propter insulæ Elbæ situm , cujus reditus tamen gubernatióque villarum locorúmque muris carentium Domino Plumbini manserunt. Est in hac insula Portus Ferrarus , vulgò Porto Ferraro dictus, magnæ cujuscumque classis capax, huc tanquam loco securo appellunt ferè omnes naves ex Occidente venientes , quæ deinde tendunt Liburnum , ibíque merces Magno Principis commodo deponunt. Si insula Elba in alicujus potestate esset, qui numerum sufficientem triremium haberet, aliísque vellet damnum inferre, is facilè maritimas regiones superiores Barbariam , inferiorésque, Provinciam , Liguriam Etruriámque infestando, sibi Dominium ejus maris parare posset, ita ut nemini liceret , eo in mari navigare , quam cui id permitteret. Possidet Cosmus M. Dux in hac insula parvam Turrim , quam Magnus Dux à suo nomine dixit, Cosmopolim, súntque ad custodiam Portus in ipsius ore, in apice duorum montium duæ arces, quæ cum nunc sint perfectæ, habentur pro munitis & ferè inexpugnabilibus , cum situ tum artificio. In iis sunt multa tormenta bellica, omnéque munitionis bellicæ genus , ibi quoque est Navale Magni Ducis. Est adhuc aliud Navale Magni Ducis in insula Elba , ubi sunt ejus triremes , opificúmque qui in eo operas faciunt , pars maxima est naturalium , in ditione Magni Ducis

aut

aut sunt exules, aut allecti lucro. Vt militiæ maritimæ vires, majorémque reputationem pararet Magnus Dux Cosmus, instituit Ordinem Equitum Sancti Stephani, obtinuitque à Pontifice Pio V. multa Privilegia, licentiámque percipiendi pensionem super bona Ecclesiastica ad ducentos aureos usque, possuntque ii equites uxorem ducere, sed in classe militare debent, nec possunt frui commendis beneficiisque Ordinis, nisi in triremibus per annos tres militaverint. Vt huic Ordini nomen dignitatémque pararet Magnus Dux, ejus Magister esse voluit, inque id officium successit ejus filius, distribuítque majora officia, inter suos Ministros præcipuos. Militiæ terrestri maritimæque ut vigeat, præfecit Dux multos præclaros Capitaneos militaresque viros Italiæ, largitúrque eis opima stipendia.

XCIV. Alexander, Furtivo Laurentii Medicei. Vrbini Ducis, cum materna ancilla congressu editus, ab avia Alfonsina tenui cultu educatus, viro Leone X. Pont. Rom. Patruo magno, in subsidium pereuntis stirpis receptus est. Clemente autem Pontifice Cæsareanis armis capto, à Florentinis deficientibus Medicea domo exturbatus, aliquamdiu in subalpino agro ad Taurinum exulavit inops, donec à Florentinis perdomitis, veteréque exutis libertate, collato Principis titulo, est præfectus. Qui dominatus brevem ipsi atque turpissimum exitum tulit, quippe qui ab agnato & æquali Laurentio Medice, in ædes ipsius & cubiculum perductus, ab eo laudem liberatæ à Tyranno patriæ affectante, nocte altè stertens, nefariè gladio per costas adacto est transfossus Anno

1573. Vxor Margareta, filia Imp. Caroli V. ex adamata puella. Nupta exinde fuit Margareta, Octavio Farnesio Parmæ & Placentiæ Duci. Cosmus, Ioannis Medices, Bellatoris eximii filius, secundus Dux Florentiæ interfecto Alexandro à 48. viris creatus. Arcem maximæ molis, in urbe Florentia construxit, præsidiisque firmavit, justitiæque laude Rempubl. administravit. Senarum urbem Imperialem, ob ejectum præsidium Hispanorum, obsessam, cum amplissimo territorio, Galliarum Regis copiis à Marchione Marignano profligatis, in suam potestatem redegit, Anno 1555. à Pio V. Pontif. Rom. in Magnum Ducem Hetruriæ creatus est.

XCV. Possidet Dux Vrbini 7. civitates & plus quàm 300. Castella. Civitatum nomina sunt, Vrbinum, Eugubium, Caglium, Fossembrona, hæ sunt Ducatus Vrbini, Fanum Leonis caput est Comitatus Monfeltrii, Sinigalia & Pisaurum. Dominium Ducis Vrbini est admodum fertile, floridum, omnibúsque ad vitam commodè transigendam abundans, bona ejus Dominii pars, sita est ad mare Adriaticum, quod adprimè opportunum commodúmque est invectioni rerum omnium, quæ undequaque facilè fieri potest, possintque multa inde commodè evehi deferríque ad alia loca. Extenditur hoc Dominium in longitudinem 60. milliaria, in latitudinem 351. conterminum imò insertum est ditioni Ecclesiæ Romanæ, cujus Vrbini Dux Feudatarius est, attingit quoque Dominium Ducis Vrbini, fines Florentinorum, solvitque Dux Vrbini quotannis Romano Pōtifici pro censu recognitionéq; aureorum 2200.

XCVI. *Pontifices Romani Italiam ab Imperio abstraxerunt.* Factum id ab eo tempore, quo extinctis Carolingis Imperium ad Germanos translatum. Tum enim Pontifices specie Ecclesiastici juris Dominos se ac judices Imperatorum supremos constituere. Et hæc consilia maximè successerunt inter perpetua Germaniæ dissidia cum Saxones, Suevi & Bavari pro Imperio contenderent. Primum in Henrico IV. experimentum fecerunt Pontifices, quantum excommunicatione sua possent, quem cum in ordinem redegissent, eodem prætextu contra omnes ejus successores usi fuerunt, excommunicantes ordine *Henr. V. Fridericum Barbarossam, Philippum, Ottonem IV. Fridericum II. & Ludovicum IV.* Bavarum, qui ultimus rabiem eorum sensit. Si qui sagaciores erant ac pacis studiosiores ex Imperatoribus, Italiam veluti maledictam terram declinabant, secuti exemplum *Rudolphi* Hapsburgici, qui rogatus causam, cur non contenderet in Italiam, cum Vulpecula Æsopi respondit, *quia me vestigia terrent, Omnia te contra spectantia nulla retrorsum.* Et hanc Italiæ ab Imperio R. exemptionem confirmavit *Carolus* IV. ac Wenceslaus Ignavus, dubium majore bono publico an detrimento.

XCVI. *Divisa est Italia in varia Regna, dominia, Ducatus, Principatus & Respublicas.* Nulla terra Tyrannorum magis ferax, quàm Italia fuit. Per singulas penè urbes Tyranni dominationem adfectarunt, similes plerique *Dionysiis, Phalaridi, Busiridi*, & si quos alios antiquitas propter injustitiam ac immanitatem celebrat. Extat vita Ec-

celini tyranni magnæ partis Galliæ Cisalpinæ, quæ non sine horrore immanitatis legi potest, & ad ejus exemplum cæteri sese cōposuerunt. Hanc Tyrannorum insolentiam auxerunt factiones Guelphorum & Gibellinorum : donec tandem extinctis tyrannis legitimi succederent principatus.

XCVIII. *Resp. Veneta & antiquissima & optima hodie censetur.* Origo Venetiarum hæc fuit. Cum fama expeditionis Hunnicæ sub Attila universam perterruisset Italiam, honestissimi quique ex oppidis sinus Adriatici conjuges ac liberos suos in æstuaria ac insulas ex continente transtulerunt circa A.C.421. Inde cum jam certum esset, Attilam contra Aquileiam venire & vastitatem Italiæ minari, frequentius in illas insulas migratum fuit circa An. 452. donec tandem eversa jam Aquileja profugi passim atque extorres eo confluerent, animo sedes illas nunquam deserendi. Ita extructa urbs, quam Venetias appellarunt, tum quod profugi ex pluribus Venetæ regionis oppidis ibi consedissent, tum quòd in pluribus insulis condita multiplex videretur urbs, tanta mox cepit incrementa, ut justam Reipublicæ formam adsumeret. Quoscunque enim Gothi & Longobardi continente pellebant, illi se Venetias tanquam in portum securitatis recipiebant. Veneti primò habuerunt Tribunos summa cum potestate pro numero Insularum, in quas dividebatur Vrbs. Hic Magistratus erat annuus, & ducentis annis duravit. His Duces successerunt circa An. 697. qua dignatione primus *Paulutius Anafestus* perfunctus fuit. Sed sub tertio Duce Hypato

Vrſo inſtitutum hoc immutatum & creati Magiſtri militum annui, quorum poteſtas brevis. Sexto enim anno poſt reditum ad creandos Duces, à quo tempore nunquam interrupta ſeries eorum duravit. Sedes ſuas primo habuerunt Heracleæ, inde alibi, donec tandem ſub Angelo Patriciano exciſa Heraclea ſedes Venetias ad Rivum altum tranſlata, & tum diviſo in Orientem & Occidentem imperio Reſp. Veneta ab utriuſque Iuriſdictione exempta fuit, & nullum Imperatorem ſuperiorem agnoſcere cœpit.

XCIX. *Imperiū per maria, continētem & Inſulas longiſſimè Veneti extenderunt.* Quod in antiquo orbe fuit Tyrus, id in novo orbe cenſentur Venetiæ. Vtraque urbs maritimis viribus inclyta, mercaturà dives, coloniis frequens, imperio valida. Cum ergo Veneti occupaſſent proximas in Continente regiones, imperium in Dalmatiam extendere cæperunt circa An. 990. quo tributo ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis ſoluti ſunt, ita quidem ut circa An. 1085. Vitalis Falerius Dux Dalmatiam & Croatiam pleno jure ab Imperatore Alexio impetrarit. Acceſſit ſub Petro Polano Inſula, Corcyra, quam hodie Corfu appellant. *Vitalis Michael* in bello contra Emmanuelem Imperatorem Chium adjecit. Ab eo tempore univerſi maris Adriatici Dominos ſeſe vocarunt Veneti, illúdque jus ipſis ab *Alexandro* III. Papa R. A. 1177. confirmatum, quod Eccleſiam contra *Fridericum* Barbaroſſam ſtrenue defendiſſent. Ab eo tempore quotannis Duces Venetiarum per annulum in mare projectum ſibi ſinum Adriaticum quaſi deſpondent. Maximum incrementum Reſ-

publica cepit An. 1204. Cum enim Latini capta Constantinopoli imperium Orientis ad se transtulissent, Veneti, quorum præcipuæ in illa expeditione partes, pleràsque Maris Mediterranei insulas sibi vendicarunt Duce *Henrico* Dandulo & tum accessit illis Creta seu Candia, Methone, Corone, Gallipolis, Eubœa, Naxus, Paros, Melos. Tum Imperium per Italiæ continentem propagatum. Cum enim pleràsque urbes obtinerent Tyranni, Veneti prætextu libertatis pleràsque occuparunt, Vincentiam, Veronam, Feldriam, Patavium, Vdinum, Forum Iulii, Brixiam, Bergomum, Ravennam, Cremam, Parmam, quarum aliquot iterum amiserunt. Vltimum incrementum hæc Resp. obtinuit An. 1487. quo Cyprus clarissima Insula Veneto Imperio adjecta hac occasione. Duxerat Iacobus Lusignanus Cypri Rex *Catharinam Marci Cornelii* Patricii Veneti filiam, quam Senatus solenniter adoptaverat. Extincto *Iacobo* filia cum filio posthumo sub tutela Reip. Venetæ per 16. annos administravit Cyprum, donec translata Venetias testamento universam Insulam Reipublicæ legavit. Magnas tamen Veneti controversias propterea cum Ducibus Sabaudiæ habuerunt, qui ad se spectare Regnum Cypri propter nuptias Charlottæ cum *Ludovico* Sabaudo hodiéque contendunt.

C. *Hostes Reip. Venetæ præcipui in ipsa Italia Genuenses fuerunt.* Occasio gravissimorum inter Venetas & Genuenses dissidiorum eadem fuit, quæ olim Lacedæmonios & Athenienses cómisit. Cum enim Veneti destructo Imperio Græco pleràsque maris Mediterranei insulas occupassent, inprimis

Candiam,

Candiam, Genuenſes invidere ipſorum ſucceſſibus, ac de maris Dominio cum illis certare. Igitur An. 1207. primum inter duas potentes Reſpublicas exarſit bellum, quorum ſeptem ordine geſta mira viciſſitudine. Vltimum ad foſſam Clodiam An. 1377. memorabile ingenti Genuenſium clade, qui unico illo prælio veluti Athenienſes ad Ægos Potamos Dominio exciderunt. Ab eo tempore haud dubiè ſuperiores Veneti, ac Genuenſes infauſta militia abdicata, mercaturæ totos ſe mancipárunt, ita ut ſi non potentiſſimi, ſaltem ditiſſimi per Italiam evaderent.

CI. *Reſpublica Veneta declinare cœpit.* Ab A. C. 1500. cum jam ferè milleſimum annum attigiſſet, in ſummo potentiæ apice conſtitit, & poſt maximas bellorum tempeſtates haud parum declinavit. Ab A.C. 1500. uſque ad An. 1530. perpetuis Gallorum. Auſtriacorum & Hiſpanorum bellis colliſa fuit, & vix ullus à graviſſimis difficultatibus liber annus. Præcipuè *Maximilianus* I. eos in extremas anguſtias conjecit circa An. 1509. cum totus ferè Orbis Chriſtianus in Venetos conſpiraſſet Cameracenſi fœdere inter *Iulium* II. Pontificem, *Ludovicum* XII. Galliæ, *Ferdinandum* Catholicum Hiſpaniæ Reges, ac ipſum *Maximilianum* I. Imperatorem, cum quibus reliqua ſentiebat Italia. Victi Veneti ac univerſo continenti exuti vix quidquam præter urbem ſuam ac mænia retinuerunt. Tum primum Reſp. proſternere ſe ad pedes Cæſaris, ejúſque gratiam lamentabili oratione expetere cœpit. Statim etiam fortuna favit. Receptæ, quas amiſerant urbes, denique continentis imperium brevi recuperatum. Ab eo

tempore hoc Reip. suæ conservandæ arcanum habuerunt, ut parta conservarent, nec de novis acquirendis satagerent. Igitur inter Principes Christianos Mediatorum sibi partes adsumpserunt: conciliandi Gallos & Hispanos studium præ se ferre, cum utrosque metuant: inprimis domum Austriacam non quidem aperto bello sed clandestinis federibus impetere. Et hac ratione integro seculo Rempublicam suam utcunque sustentarunt.

CII. *Turca apertè Reip. Venetæ exitium molitur.* Hostes Reip. Venetæ alii sunt aperti, alii occulti. Occulti, Rex Hispaniæ & Domus Austriaca, quibus non deesset voluntas opprimendi Venetos, nisi scirent Regem Galliæ, cæterósque contra Hispanos id haud quaquam laturos. Miris ergo artibus Rex Hispaniæ Turcas in Venetos concitare solet. Cum enim proprium Reip. Venetæ munus sit defendere mare Adriaticum à Pyratis, Hispani ex Regno Neapolitano deprædari Turcas, eósque irritare. Cujus insigne exemplum dedit Dux Ossunæ Pro-Rex Neapolitanus circa An. 1612. qui etiam proditione intercipere urbem Venetam conabatur. Omnium gravissimum fuit, quod per Vskoccos in Remp. moliti sunt Hispani. Vskocci Dalmatiæ effera gens latrocinando vivunt, inter Turcas ac Venetos medii, sub clientela tamen Austriacæ Domus. Ab his plus quàm immania contra Venetos crudelitatis exempla edita fuerunt circa An. 1612. & seqq. Hi Piratæ oppressis hinc inde Venetorum triremibus non contenti occidere homines, quosdam insuper coxerunt, ac devorarunt. A nullo bello alieniores

erant

erant Veneti quam ab illo. Per aliquot annos atrocissimas tolerarunt injurias dissimulando. Sed cum finis nullus esset, cum ludibrio ubique haberentur, An. 1615. armis vindicare Remp. suam aggressi sunt. Bellum in foro *Iulio, Istria* & Dalmatia gestum. Tulerunt auxilia Belgæ & alii fœderati, & avocatis bello Bohemico Austriacis, gloriosam Reip. suæ securitatem pepererunt. Sed Turca damnosior illis, negligentibus, tanquam alienum foret periculum, quod proximo infligitur, communem hostem, cæteris Christianis. Primò ergo Cyprum An. 1570. bello appetere *Solymus* secundus, Turcarum Imperator cœpit, & expugnatis ordine Nicosia, Famagusta & Thamasso, intra biennium universa insula potitus fuit, quanquam medio temporis atrocissimo navali ad Insulas Echinadas à Christianis prælio victus, in quo plus quam 30000. Turcarum perierunt. Ante aliquot annos eodèm jure Turca Candiam invasit, quam in hunc diem deserti ab omnibus Christiani *Orbis* principibus sola Resp. animo quàm viribus majore ita defendit, ut ambiguum hactenus visum bellum illud in discrimen Turcarum an Venetorum erupturum sit. Sed hodie expugnata Candia metropoli horribilis Turca totam Insulam, exceptis duobus vel tribus locis, sub jugum misit.

CIII. *Genua maris mediterranei Imperium affectavit.* Genuenses prohibiti Italiæ imperio summis viribus maria occupare aggressi sunt circa An. 1000. Stimulabant eos vicini atque infesti Saraceni, quibus Corsicam magnámque Sardiniæ partem eripuerunt. Sed Sardinia à Pisanis expulsi,

pulsi, Corsicam in hunc usque diem retinent: nec contenti proxima invadere, in ipsam Tauricam Chersonesum, quæ hodie Minor Tartaria, coloniam deduxere, & ex *Theodosia Capham* fecere, emporium Ponti Euxini celeberrimum. Præterea n conspectu Constantinopolis obtinuerunt Peram, & ex Insulis *Chium* ac *Lesbum*. Validæ insuper ipsorum opes in Palæstina & Cypro. Hinc perpetuæ inter ipsos ac Venetos æmulationes, donec tandem controversia diuturna ad fossam Clodiam decideretur, ut suprà dictum.

CIV. *Creavit Genua Duces.* Circa An. 1327. quorum primus Dominicus Fulgosus. Hic status duravit usque ad An. 1390. triennii tantùm intercedente interregno.

CV. *Fluctuavit Genua inter exteros.* Causa fuerunt factiones Guelphorum & Gibellinorum. Hac occasione in potestatem venit 1. *Caroli* VI. Regis Galliæ ab An. 1390. ad 1403. 2. Ducis Mediolani sub *Iohanne Maria* Vice-Comite: quo interempto cum suos aliquandiu iterum habuisset Duces An. 1420. iterum ad Mediolanenses pervenit, & in eorum fide duravit annis 15. Hæc mutatio aliquoties iterata; cum civitas potens neque sese posset regere neque subesse aliis, donec tandem An. 1499. *Ludovicus* XII. Rex Galliæ eam occuparet, in cujus & successoris Francisci I. potestate permansit annis 23.

CVI. *In libertatē restituta est Genua.* A. C. 1522. *Carolus* V. Genuam impotenti Gallorum Dominio liberavit, usus imprimis opera Andreæ Aureæ sive Doreæ Genuensis. Ab eo tempore nova Reip. forma constituta per tot annos hactenus florentissima.

florentissima. Creati Duces, quorum potestas biennio definita. Electionem sorti committunt. Duci adjunguntur octo Gubernatores, totidem Procuratores & V. *Syndici.* Hæc forma Reip. usque ad An. 1574. duravit, quo anno dissensiones graves inter populum ac Nobilitatem extitere, quas *Maximilianus* II. Imperator, *Philippus* II. Rex Hispaniæ & Pontifex R. sustulerunt. Et sic Resp. Genuensis in hunc diem floret, neutrarum in bello partium, sed magis Hispano addicta, in cujus etiam clientela est.

CVII. *Mediolanum Duces habuit.* Origo Ducum cœpit An. 1395. sub Imperatore Wenceslao Ignavo, qui accepta pecunia Lombardiam Vice-Comitibus in perpetuum vendidit. Ante illa tempora varia Mediolanensium fortuna fuit, & urbs funditus à Friderico Barbarossa An. 1124. excisa, ipsumque solum consperssum ad perpetuam sterilitatem sale fuit. Emersit sub *Friderico* II. tantis incrementis, ut altera post Romam Italiæ urbs censeretur. Factiones in ea inprimis duæ erant Turrani ac Vice-Comites. Hi prævaluerunt & Præfecturam in principatum perpetuum mutarunt. Hæc Vice-Comitum familia non nisi 55. annis duravit, extincta in Philippo *Maria*, qui cum prole careret legitima, Ducatum quatuor potentissimis competitoribus discerpendum reliquit *Friderico* III. Imperatori titulo Imperii, Alphonso Regi Siciliæ ex testamento, *Carolo*, *Ludovici* Ducis Aurelianensis filio ex Valencia *Johannis* Galeacii filia, & *Francisco* Sfortiæ genero suo per filiam illegitimam. Hac occasione Vicini Principes Ducatum undique dilacerarunt, ac

Veneti Placentiam, Cremam, Laudam; *Ludovicus* Sabaudiæ Dux Valenciam & Confluentiam, Carolus Aurelianensis Astam occuparunt. Mediolanum, Novara, Comum, *Alexandria*, *Dertona* mutuo fœdere aliquandiu sese defendebant, donec *Franciscus* Sfortia partim fraude partim vi Ducatu potitus est, qui humili ortus familia ex gregario milite veluti alter Agathocles ad summam potestatem evasit. Ejus successor *Ludovicus* Sfortia An. 1499. à *Ludovico* XI. Rege Galliæ Ducatu exutus ac in carcere necatus fuit. Mansit Mediolanum in potestate Gallorum annis 13. quibus elapsis An. 1512. *Maximilianus* I. Imperator *Maximilianum* Sfortiam restituit, qui post triennium An. 1515. post prælium illud famosum ad Marignanum à *Francisco* I. eversus. Tenuerunt Mediolanum Galli usque ad An. 1522. quo *Carolus V.* *Franciscum Sfortiam* restituit, & captum An. 1525. *Franciscum* Galliæ Regem renunciare juri suo coëgit. Cúmque An. 1535. *Franciscus Sfortia* sine liberis obiisset, *Carolus* V. Ducatum Mediolanensem tanquam feudum Imperii invasit, atque ad posteros suos Reges Hispaniæ transmisit.

CVIII. *Episcopi Romani magnam Italiæ partem obtinuerunt.* Circa A. C. 700. Initium factum à *Johanne* VII. cui Aribertus Rex Longobardorum donavit Alpes *Cottias* & quidquid à Taurinis usque ad Ligurim & Genuam protenditur. Atque hæc est illa conficta *Constantini* Magni donatio, cujus vigore Romani Pontifices non modo in universam Italiam, verum etiam totum Occidentem supremum sibi adscribunt imperium. Cum Reges Longobardorum crebras inimicitias exercerent

cerent erga Pontifices Romanos, ipsi Reges Francorum, veteres Longobardorum hostes, in Italiam evocarunt. Factum hoc à *Stephano* II. qui Pipinum Regem Francorum contra Aistulphum Regem Longobardorum evocavit, & ab eo Exarchatu Ravennæ, Concha, Pisauro, Fano fortunæ, Vrbino, Eugubio, multísque præterea in Piceno & Flaminia urbibus donatus fuit, quæ omnia Aistulpho erepta, *Stephano* Pipinus dedit. Hanc Pipini donationem *Carolus* M. confirmavit, & hæc insuper adjecit: Magnam Liguriæ partem, Corsicam, Parmam, Rhegium, Mutinam, Mantuam, Venetias, Istriam, Forum Iulii, Beneventum, Spoletum. Ita sub Carolingis omnem suam temporalem potestatem obtinuerunt Papæ, & hoc prætextu jus sibi hodiéque in omnes ferè Italiæ Principatus arrogant, tum quoque prætextu religionis Christianæ integra Regna suæ potentiæ Pontifices subjecerunt, jam tum emergentibus his Pontificiæ tyrannidis decretis, extra Ecclesiam Romanam non esse salutem, Pontificem esse successorem Petri, Caput Ecclesiæ visibile, Vicarium in hac terra Christi, Ejus esse Reges creare & conservare aut deponere. Hæc tyrannis primo introducta fuit specie convertendi Reges Paganos, nihil inde mali sibi metuentibus Christianis. Igitur Savi, Moravi, Bulgari, Servii, Bosni, Croatæ, Dalmatæ: successu temporis Poloni, Dani, Norvvagi, Sueci, Angli & aliæ nationes Pontifici Romano etiam in temporalibus sese subjecerunt, quasi beneficium æternæ salutis compensare Christi vicario alia ratione non possent, quàm se suáque omnia ipsius arbitrio submittentes. Hac superbia

Pontifices

Pontifices invadere, armatos duplici gladio spirituali excommunicationis, temporali tum propriæ potentiæ, tum aliorum. Quippe, cum perpetua sit inter Principes æmulatio, Pontifex R. sese alicui semper parti associabat, & alteram vel terrore excommunicationis vel armorum vi sibi subiiciebat. Ita tyrannis ab uno ad alterum pervasit, & ausus fuit Pontifex excommunicare Imperatores, Reges Galliæ, Angliæ, Hispaniæ, omnium denique Ordinum ac conditionum homines: unde jure Canonico decretum Pontificem R. esse supremum Monarcham totius orbis non modò in spiritualibus, verùm etiam in temporalibus, omnia Regna & imperia esse ipsius feuda, eúmque cuncta administrare posse, prout conveniens judicaverit esse Ecclesię. Principes post atrocissima bella domiti tandem suo etiam consensu approbarunt hæc decreta. De Imperatoribus Romanis suprà dictum in *Henrico* IV. V. *Friderico* I. II. *Ludovico* IV. & aliis. Anno 1202. *Petrus* Rex Aragoniæ Regnum suum Ecclesiæ Romanæ feudatarium fecit. Anno 1208. *Iohannes* Rex Angliæ excommunicatus Angliam & Hiberniam præter S. Petri nummum Romanæ Ecclesiæ feudatarias fecit. An. 1255. *Alexander* IV. Mendogum Regem Lithuaniæ ad fidem conversum coronavit, ejusque Regnum sibi subjecit. *Vrbanus* IV. Regnum Siciliæ à Manfredo & posteris *Friderici* II. ad Carolum Andegavensem transtulit. Et ita cum reliquis quoque Regnis actum fuit. An. 1253. *Clemens* VI. Comitatum Avenionensem à *Iohanna* Regina Neapolitana emit. *Alexander* VI. An. 1492. detecto novo orbe eum quasi summus Dominus

inter

inter Reges Portugalliæ & Castiliæ divisit. Iulius secundus Ravennam, Imolam, Faventiam. Forum Iulii, Serviam & Bononiam bello recuperavit. *Leo* X. Ducem Vrbinatem ejecit: ejusque Ducatum *Laurentio* Medici cognato suo tradidit. *Sixtus* V. & *Gregorius* XIII. *Henricum* III. & IV tum Galliæ Reges: *Pius* V. *Elisabetham* Angliæ Reginam excommunicavit, & Regnum tanquam juris Ecclesiastici exposuerunt cuilibet occupanti, inprimis verò Regi Hispaniæ. *Paulus* V. A. 1606. excommunicavit Venetos. *Vrbanus* VIII. A. 1640. & Innocentius An. 1648. Ducem Parmæ, cui etiam superiori anno vi armorum eripuit Ducatum Castrensem. Postea tantùm unus excommunicatus adhuc fuit Carolus Lotharingiæ Dux.

CIX. *Normanni condiderunt Regnum utriusque* Siciliæ. Tancredus multorum parens liberorum, cum domi laboraret inopia, allectis in societatem Normannorum pluribus militatum exteras regiones petiit. In Italiam delatus fortem Græcis operam contra Saracenos Siciliæ incubantes contulit. Sed propter iniquam prædæ divisionem ab illis abalienatus, aliquot Apuliæ oppida occupavit, & crescenti indies potentia Drogo Tancredi filius An. 1039. Apuliæ Comitem sese nominavit: cujus successor *VVilhelmus Ferrobrachius* Calabriam & Capuam, *Robertus* Guiscardus magnam Siciliæ partem adjecit, illámque fratri suo Rogerio Bosso tradidit, qui sese primus Siciliæ comitem appellavit. Extincta *Roberti* Guiscardi progenie *Robertus* II. Siciliæ Comes Apuliam, Calabriam, Capuam quoque obtinuit & sese Siciliæ ac Italiæ Regem appellavit.

Id

Id molestè tulit *Innocentius* II. Pontifex, sed à Rogerio captus Neapolim & quæ adhuc Græci in Italia possidebant ei donavit, hoc tamen impetrato, ut Regis Italiæ titulo abstineret. Factum A.C. 1130.

CX. *Ab his ad Suevos pervenit.* Extincta Normannorum Regum familia Siciliæ Regnum cum Ducatu Apuliæ & Calabriæ ad *Henr.* VI. Imperatorem An. 1192. pervenit, cui *Fridericus* II. successit, qui Regnum Hierosolymæ partim conjugi, partim armis obtentum Regno Siciliæ junxit, quo titulo hodiéque Hispaniæ Reges utuntur. *Friderico* successit *Conradus* IV. cujus filium ac legitimum hæredem *Conradium Manfredus* frater nothus Regno Siciliæ per scelus exuit.

CXI. *A Suevis translatum ad Duces Andegavenses. Clemens* IV. *Pontifex* Regnum Siciliæ donavit Carolo Duci Andegavensi, qui oppresso Manfredo Rex Siciliæ & Neapolis factus fuit his conditionibus, primò ut Imperium ejuraret, 2. ut Papæ tributarius esset. Qua ratione *Conradinus*, dum recuperare avitum Regnum nititur perierit, suprà dictum.

CXII. *Sicilia ad Aragonios defecit.* Causa principalis fuit ultio mortis *Conradini*, qui *Petrum* Aragoniæ Regem tanquam proximum agnatum in ipso ferali pegmate hæredem instituit. Impulsiva externa: tyrannis, levitas & petulantia Gallorum, qui moribus suis pessimis Siculos gravissimè irritarunt. Instrumentalis *Nicolaus* III. Papa, Palæologus Imperator Constantinopolis, Petrus Aragoniæ Rex, & inprimis *Ioh. Prochyta.* Inter hos secreta conspiratione convenerat, ut ad

certam

certam diem atque horam omnes per Siciliam Galli obtruncarentur. Quod An. 1282. ipſo Paſchatis die hora 3. veſpertina ad ſonum campanæ factum. Cæſa Gallorum 8000. Vnica tamen urbs *Sperlinga in* Gallorum fide permanſit, cujus portæ inſcriptum. *Quod Siculis placuit, tantum Sperlinga negavit.* Statim Siciliæ Rex declaratus Petrus Aragonius, & ab eo tempore in ipſius domo conſtanter manſit. Cúmque *Carolus* Andegavenſis Regno carere nollet, Regem Neapolis ſeſe appellavit, quæ prima ejus Regni origo.

CXIII. *Iidem Regno Neapolis potiti.* Neapoli regnarunt duæ Iohannæ, monſtroſæ libidinis, & ſupra fidem animo perfido & immani, quarum prior nupſit Andreæ Regi Hungariæ, cúmque paulò pòſt de feneſtra ſuſpendi juſſit opera cujuſdam fœminæ Catanenſis, qua ſcelerum Miniſtra utebatur: deinde *Ludovico Principi* Tarenti, mox Iacobo Principi Calabriæ, denique *Ottoni* Brunſvicenſi nupſit, quibus omnibus vel repudiatis vel interemptis, *Ludovicum* Ducem Andegavenſem adoptavit. Sed Carolus Princeps Dyrrachii & Iohannam & *Ludovicum* Andegavenſem Regno expulit, & ad filium *Ladiſlaum* II. tranſmiſit. Hinc fluxit perpetuum illud odium inter domum Aragoniam & Andegavenſem. Hinc omnia bella, quæ Galli pro Regno Neapolitano in hunc diem gerunt. *Ladiſlao* ſucceſſit ſoror *Iohanna* II. ejuſdem planè ingenii: quæ, cum modo Alphonſum Regem Aragoniæ, modo *Renatum* Ducis Aurelianenſis fratrem inſtitueret hæredem, cruentis factionibus univerſum Regnum diſtraxit, donec illud poſt diuturnum bellum Alphonſo

omnium ferè Regum optimo ac ſapientiſſimo cederet. Ita Aragonii utriuſque Siciliæ Reges facti ſunt.

CXIV. *Aragonii everſi.* Occaſio fuit obitus Alphonſi Sapientis ſine prole legitima, qui cum Regnum Neapolitanum & Siciliæ teſtamento legaſſet Ferdinando filio illegitimo, Reges Aragoniæ prætendere cœperunt reſtitutionem ſumptuum & fructum impendiorum, quæ expenſa fuerant in occupationem Regni Neapolitani. Hac occaſione uſus *Carolus* VIII. juvenis & rerum imprudens temerariam, ſed felicem expeditionem ſuſcepit in Italiam: & cum videretur potentior, exiſtimabat cauſam quoque ſe habere æquiorem. Expeditio illa fatalis fuit, de qua legi poteſt, qui præſens interfuit, Comineus. Alphonſus Rex Neapolis tempeſtatem imminentem metuens jam ſenior onus tranſtulit in *Ferdinandum* filium, qui Regno exutus *Fridericum* patruum ſucceſſorem habuit. Is, Gallorum Dominio intra breve tempus excuſſo, univerſum Regnum auxilio *Ferdinandi* Catholici Hiſpaniæ Regis recuperavit. Sed cui propter jus conſanguinitatis pluriſmum confidebat, ab eo perfide deceptus fuit. *Ferdinandus* enim Architectus ille Monarchiæ Hiſpanicæ, cum videret everti poſſe cognatos ſuos Reges Neapolitanos, clandeſtinam pactionem cum *Ludovico* XII. Rege Galliarum inivit, ita ut ille aperto bello, ipſe ſimulato auxilio Regnum Neapolitanum invaderet. Idque An. 1499. tam ſecreto artificio factum, ut momento *Fridericus* ſeſe everſum ſenſerit. Videns ergo ſeſe conſpiratione duorum potentiſſimorum Regum,

quibus longè impar erat, eversum, rebus desperatis maluit sese apertis hostibus suis Gallis, quàm perfido amico *Ferdinando* committere. Ipse abductus in captivitatem. Regnum Neapolitanum æqua portione inter duos Reges divisum fuit. Concordia haud diu mansit. Ortæ inter Gallos & Hispanos de finibus controversiæ, & infirmiores erant Galli, quàm ut regionem maritimam longè dissitam diu defendere possent. Inprimis *Ferd.* Consalvus de Corduba Regis Hispaniarum in Italia Præfectus, incredibili virtute ac prudentia Regnum Neapolitanum Gallis eripuit, dictus propterea magnus Capitaneus. De toto bello, quod inprimis memorabile, legendus *Franciscus* Guicciardinus summi iudicii scriptor, qui ipse interfuit. An. 1504. totum Regnum Neapolitanum exclusis penitus Gallis, Hispano in hunc usque diem concessit.

CXV. *Neapolitani libertatem aliquoties affectarunt.* Primo quidem An. 1570. Causę: Inquisitio Hispanica, quàm *Philippus II.* introducere conabatur. Hinc ingens tumultus & rebellio, de qua prolixè *Thuanus.* Secundò, An. 1647. quo anno novam erexerunt Remp. Nihil mirabilius isto tumultu. Occasio levissima. Quidam Piscator, cui nomen Thomas Angelus, orta fortè rixa in foro, inter regios Ministros, & fœminam quandam, nescio quid, vendentem, concitato tumultu sese totius populi Neapolitani Ducem constituit, tanta Majestate, ut nullus unquam Monarcha majori reverentia cultus fuerit à subditis, quàm ipse ab ingenti Neapolitanorum multitudine, solo nutu ac gestu C. hominum millia componere admira-

bili omnium silentio poterat. Vix credibilia patravit, nisi recens fama, & tot, qui interfuerunt; adseveratio credere nos cogeret. Hæc omnis machina à Cardinali Mazarinio instructa fuit, prætextu Regnum Neapolitanum Gallis recuperandi. Missa proinde sub Duce Guisio auxilia, Hispanorum rebus tamen non desperatis, cum ipsa quoque Sicilia tumultuaretur. Sed partim perfidia Gallorum, partim ipsius multitudinis inconstantia omnes hi conatus, quantumvis illustres, in irritum ceciderunt. Mas Aniello conspiratione quorundam in ipso templo trucidatus: Populo confirmata privilegia. Sed necdum finis est papaverum eminentia capita decutiendi. Quotidie aliqui arripiuntur prætextu novæ conspirationis spectante populo & pœnam stultitiæ suæ luente. Verè judicavit *Trajanus Boccalinus* Neapolitanos propter tantam erga Principes suos perfidiam omni libertate indignos esse.

CXVI. Florentia *sub statu Reip. maximas mutationes sustinuit.* Nulla Resp. statum turbulentiorem quàm Florentia habuit, perpetuis agitata populi ac Nobilium factionibus. Post An. 1250. ab Antianis summa cum potestate gubernata fuit. His abolitis successerunt Boni Homines. Neque horum diuturna potestas. Suffecti An. 1282. Priores Artium, quibus An. 1287. *Capitaneus* dictus *Gonfalonerius.* Circa A. C. 1300. factiones Guelphorum & Gibellinorum, Alborum & Nigrorum, Plebis & Nobilium recruduerunt, & adeò collapsæ Reip. vires, ut An. 1311. Roberto Siciliæ Regi sese subjiceret. Sed ne in ejus quidem fide ultra quinquennium manserunt, & Florentini

rentini proprios iterum Magistratus creare. Paulò pòst iterum crearunt Principem *Carolum* Regem Neapolis. Post cujus obitum recuperata libertate suis iterum exerceri turbis & factionibus cum nunquam inter populum ac Optimates conveniret. An. 1342. Gualtherius Gallus per tumultum creatus Princeps, cum Dominationem affectaret, intra vertentem annum urbe ejectus fuit. Cúmque finis nullus esset harum contentionum, tandem populus prævaluit, & adversam Nobilium factionem oppressit.

CXVII. Florentia *in Monarchiam mutata.* Causa princeps illæ, de quibus diximus, factiones. Erat inter populares præcipuus *Sylvester Medices*, Mercator prædives & præcipuus Nobilitatis adversarius. Hujus posteri indies auctis opibus tandem plus quam regias sibi compararunt opes, & favore populi ad summam potentiam & dignitatem emerserunt. Occasio fuit exilium Cosmi Medicis. Cum enim is An. 1433. à factione Nobilium iniquo judicio oppressus ac in exilium pulsus fuisset, altero statim anno à sua factione revocatus, Principem totius Reip. se constituit, sed salva libertate, & obscuram hactenus familiam Mediceam ad illud fastigium erexit, in qua hodie par magnis Regibus versatur. Hujus Nepos Laurentius eadem moderatione & favore populi principatum tenuit, nequidquam reluctantibus Optimatibus, cum quo An. 1492. Pax Italiæ sepulta.

CXVIII. *Libertas improspere repetita.* Occasionem præbuit Petrus Medices *Laurentii* filius, qui cum præterito Magistratu clandestinam cum *Carolo* VIII. Rege Galliæ transactionem inivisset

vissset An. 1494. reversus in Urbem deprehendit omnium animos implacabiliter à se abalienatos. Igitur spontè profugit, & à Florentinis hostis patriæ judicatus Principatu excidit. Libertas hæc duravit usque ad An. 1512. quo Medicei à Ferdinando Rege Hispaniæ restituti. Cum verò An. 1572. Roma à *Carolo* V. expugnata, & ipse *Clemens* VII. Pontifex ex familia Medicea captus à Cæsareanis fuisset, Florentini denuo libertatem auxilio Gallorum recuperarunt. *Clemens* VII. ut hanc injuriam ulcisceretur, mox cum *Carolo* V. hac conditione transegit, ut Florentiam domui Mediceæ restitueret; Idque factum An. 1530.

CXIX. *Florentia Magnus Ducatus est.* Recepta Florentia Alexander Medices An. CIↃ IↃ XXXV. Dux à *Carolo* V. creatus fuit. Ei intra biennium cæso successit Cosmus Princeps, qui Ducatum suum per universam Hetruriam latè extendit & an. 1569. à Pio V. Papa Rex creatus fuit. Sed cum Maximilianus II. Imp. vehementer se opponeret, mutatus ille titulus in Magni Ducis nomen, & Medicei ab eo tempore Magni Duces Etruriæ sc. Florentię dicti.

CXX. *Papatus* vocatur Principatus Religiosus. Tales tres reperiuntur in orbe terrarum, apud Christianos *Romanus*: inter Ethnicos *Iaponicus* & *Peguanus*: Olim apud Mahummedanos fuit quartus, *Chalifatus*: sed eum extinxerunt jam ante quatuor secula Tartari. *Iaponicus* vocatur *Dair*: qui & ipse potestate Civili exutus fuit circa Ann. 1600. *Peguanus* vocatur *Rolim*. De quo nunc dicere nihil attinet. *Papa Romanus* tenet in Italia *Romam*, *Patrimonium* Petri, *Flaminiam*, *Umbriam*,

partem

partem *Hetruriæ*, Marcam *Anconitanam*, Agrum *Perusinum*, *Sabinum*, *Bononiensem*, Ducatum *Ferrariensem*, *Castrensem*, & *Beneventanum* in Regno Neapol. Comitatum *Avenionensem* in Provincia Narbonensi. Talem *Principatum* Pontifices Rom. variis acquisiverunt artibus. Primò quidem confictâ *donatione* Constantini M. Deinde *liberalitate* Regum Franciæ, *Pipini* & *Caroli M.* Tertiò testamento *Mechtildis*, Comitissæ Hetruriæ, quæ vixit sub *Henrico IV.* & *Gregorio VII.* Quartò *Armis* & *Violentiâ.*

CXXI. Papa *prætendit* Monarchiam *Universalem.* Neminem in terris dicendum *Monarcham* præter Papam, contendit Baronius ad An. 1097. nu. 29. 30. 31. Hinc se majorem *Imperatore*, & omnibus Regibus prædicat, ac Dominum *Deum* vocat. *Extrav.* Ioann. XXII. de V. sign. C. cum inter. Potentia Papæ *Spiritualis* consistit in Sacrorum interdictione sive excommunicatione.

CXXII. Papa *de iure* subjectus *est* Imperatori Rom. Ea subjectio duravit usque ad tempora *Hildebrandi*, qui dictus est *Gregorius* Papa VII. Non ergo tribuenda est major Papæ Majestas, quàm qualis tribuitur aliis Principibus Imperio subjectis, contra quam sentit *Carpzov.* ad L. Reg c. 13. sect. 4. *Goldast.*

CXXIII. Papatum *fundavit* Hildebrandus. *Hildebrandus* sive *Gregorius VII.* primus levavit Sacerdotalem lanceam contra diadema Regni, ut *Leodiensis* Ecclesia loquitur. Ab hoc maximæ illius & omni seculo tremendæ venerandæque R. Pont. & infinitæ penè potentiæ jus manavit. *Onuphr. Panvinius* in vita Gregor. VII.

CXXIV. Hoſtes *Papæ vocantur* hæretici. Quicunque credere nolunt Papam eſſe ſupremum Monarcham in Eccleſiaſticis & Civilibus, illi à curia Rom. vocantur *hæretici*. Tales *Hæretici* imprimis apud Curiam Romanam hodie Proteſtantes ſive Evangelici qui ſunt, Papæ authoritatem omnem abrogarunt, eúmque *Antichriſtum* declararunt. Hos hæreticos ſummâ vi exſtirpare conatur, inſtituto in eam rem Collegio de propagandâ fide. vid. *Goldaſt.*

CXXV. Papa *Comitatum Avenionenſem recuperat.* Comitatum *Avenionenſ.* ſitum in Provincia Galliæ Papa obtinuit jure hypothecæ à Iohanna Regina Neapolis An. 1352. fuítque ibi ſedes Pontificia per annos 70. continuos. Cùm verò An. 1662. Papa violaſſet Legatum R. Galliæ, Ducem de *Crequi*, immiſſis latronibus Corſis, Rex Gall. *Ludov. XIV.* juſtiſſimâ Vindictâ Papæ Comitat. Avenion. ademit: quinimò res ad apertum bellum ſpectabat, ſed tandem pax facta, ac Avenio Papæ reſtituta.

CXXVI. Roma *à Carolo* Borbonio *expugnata.* An. 1527. Papa obſeſſus in caſtello *S. Angeli*, tandem deditionem fecit, ac præſidium German. & Hiſpanicum recepit. De Controverſia & bello inter *Paulum V.* Papam & Remp. *Venetam* An. 1606. prolixè Thuan. 137.

CXXVII. *Ducatus* Ferrariæ & Vrbini *rediit ad Papam.* An. 1597. Poſt obitum *Alphonſi II.* Eſtenſis, Papa Ducatum Ferrariæ, tanquam feudum Eccleſiæ ad ſe recepit. *Thuan.* 100. 119. Poſt obitum *Franciſci Mariæ*, ultimi ex familia *Roborea*, etiam Ducatus *Vrbini* ad Papam devolutus eſt An. 1626.

CXXVIII.

CXXVIII. Feuda *Papæ sunt Regnum* Neapol. Parma & Placentia, *ditio* Radicofanensis *Hetruriæ*. Pro Regno Neapolitano Rex Hispan. singulis annis Papæ præstat equum album & aliquot millia Ducatorum.

CXXIX. Quanquam Principes & Civitates Italiæ exemptionem ab Imperio prætendant ex Constitutione Friderici I. de Pace Constantiæ, ac titulo emptionis, tamen revera Imperio subesse debent Venetię, Mantua, Parma, Ravenna, Mediolanum, Florētia, Luca, Pisa, Genua. Carpzov. de Leg. Reg. c. 7. s. 6. Sed hodie nullus Princeps aut Civitas Imperium revera agnoscit præter Duces Sabaudiæ, Mantuæ, & Montisfer. Parmæ & Placentiæ, & Modenę, Comes Mirandulæ, qui tamen & ipsi nihil ad onera conferunt.

CXXX. Sabaudiam *occuparunt Duces* Saxoniæ. Anno 999. *Beroaldus* Hugonis Ducis Saxon. filius Ottonis III. Imp. fratris propter occisam *Mariam* Aragoniam Ottonis Avunculi impudicam Conjugem Germaniâ excedere coactus, *Sabaudiam*, consentientibus Bosone & Rudolpho Burgundiæ Regib. occupavit. Ideo Duces Sabaudiæ gloriantur se origine Germanos, adeóque Consanguineos Ducum Saxoniæ esse, quo titulo aliquoties Imperium adfectarunt. *Hubertus* à Cæsare *Mauriennæ* Comes creatus fuit. Idem ducta *Adeliza* Marchionatum Susæ obtinuit. *Hubertus II.* Tarantasiam adjecit. *Amadeus II. Sabaudiæ* Comes ab Henrico V. creatus. Idem ducta *Sibylla* Vlrici Comitis *Matisconensis* filiâ. Baigeum Comitatum dotis loco accepit. *Petrus I.* cognomine *Parvus Carolus Magnus*, Vallem d'

Oste

Oste & Cablais ditionibus annexit, & primus gestavit annulum S. Mauritii cúmque Sabaudiæ Principibus characterem Principatus tradi voluit. *Amadeus IV.* ducta Sibylla Comitatum *Bressæ* accepit. *Amadeus VI.* Ordinem Equitum Annunciationis Mariæ instituit.

CXXXI. *Fiunt Principes* Pedemontani *& Comites* Nizzæ. *Pedemontium* vocatur Regio Italiæ Alpibus proximè subjecta quam Principes Sabaudiæ Anno 1363. eripuerunt *Iohanni* Comiti Provinciæ & Comitatum *Nizzæ* ac *Villæ francæ* eodem modo obtinuerunt, unde in hæc loca tanquam ad familiam Andegavensem & Provinciæ Narbonensis jura spectantia prætendunt Reges Galliæ.

CXXXII. Sabaudia *fit* Ducatus. Anno 1414. *Amadeus VIII.* à *Sigismundo* Imperat. in Concilio Constantiensi primus *Dux* Sabaudiæ creatus fuit. Vnde Duces Sabaudiæ hodiéque Imperatorem agnoscunt Superiorem. *Carpz.* c. 7. s. 6. habentes *Sessionem & Votum* in Comitiis; sed ita, ut ab omnibus oneribus exempti sint, nisi quod interdum contra Turcas aliquid auxilii mittant.

CXXXIII. *Dux* Sabaudiæ *est* Vicarius *Imper. perpetuus per Italiam.* Quemadmodum per Germaniam *Saxo*, *& Palatinus*, vacante Imperio Vicariatum exercent: Ita per Italiam Dux *Sabaudiæ & Mantuæ* de Vicariatu inter se contendunt, sicut nuper post mortem *Ferdinandi III.* ubi tamen *Sabaud.* prælatus fuit Dux *Mantuæ*.

CXXXIV. *Prætendunt in* Genevam; *ditionem* Bernensem, Montisferratum, Portugalliam, Cyprum & Ierusalem. Prætensiones Ducis Sabaudiæ

baudiæ sunt in *Genevam*. Causas vide apud *Thuan.* l.97. & 125. *Metter.* lib.24. In ditionem *Bernensem*; quippe An.1535. *Bernenses* Helvetii Sabaudo ademerunt quicquid possidebat ad Septentrionales partes lacus Lemanni, quæ Regio vocatur *Pays de Vaux*, cujus caput est urbs *Losanna*. Vnde Anno 1612. *Bernenses* coram Camera Spirensi accusavit, sed qui illud judicium declinarunt. *Metter.* lib.33. In Ducatum *Montisferratensem*; Vnde 1614. bellum exortum inter Sabaudum & Mantuanum. *Mett.* l.24. & 47. *Philibertus* Emanuel in Regnum Portugalliæ prætendit, quia natus erat ex *Beatrice* altera filia Emanuelis Regis Portugal. *Thuan.* l. 65. Sed hac prætensione cessit in gratiam *Phil. II.* R. Hispan. Prætensio in *Cyprum* & Regnum *Hierosol.* nititur conjugio *Ludovici*, Ducis Sabaud. cum Anna Lusignana Cypri Regis filia.

CXXXV. *Obtinet Marchionatum* Saluzzensem *& Comitatum* Bobiensem. Anno 1588. *Sabaudus* occupavit Marchionatum Saluzzi. *Thuan.* lib. 92. 1. Anno 1600. Controversiæ inter Regem Galliæ & Ducem Sabaudiæ de Marchionatu ita definita fuit, ut Rex *Galliæ* potiretur *Bressia*, Sabaudus *Saluzzam* retineret. *Thuan.* lib. 125. Prætensiones Sabaudi in Saluzzi Marchionatum prolixè commemorat *Thuan.* lib. 122. 2. Anno 1617. *Hannibal* Grimaldus Comes *Rabiensis*, quod se in clientelam Regis Gall. dedisset, à Duce Sabaudiæ capite plexus, ejúsque Comitatus in fiscum redactus fuit. *Inter* Sabaudum & Mantuanum etiam *de præcedentia controvertitur*. Controversia hæc mota fuit Anno 1622. ac scriptis ab utraque parte disceptata,

CXXXVI. *Ex Principatu* Mathildis *oriuntur varii Ducatus.* Principatus *Mathildis* sub *Henrico IV.* Imperatore per Italiam potentissimus fuit. Complectebatur *Spoletum*, *Mantuam*, *Parmam*, *Ferrariam*, *Atesten* & alia loca. Dictus Principatus *Mathildis à Mathilde* Vidua *Bonifacii*, quæ duxit *Guelphum* Ducem Bavariæ, sed eum ignominiosè iterum expulit, quod in castris Veneris parum se strenuum præstitisset. Hæc Mathildis fuit intimæ admissionis apud Papam *Hildebrandum* sive *Gregorium VII.* Ideóque Papæ Rom. plurima oppida, imprimis *Ferrariam* donavit; ita ex ejus Principatu dominia *Mantuæ*, *Atestes*, *Ferrariæ*, *Parmæ*, *Mutinæ*, *Rhegii*, emerserunt.

CXXXVII. Mantua *fit* Ducatus. 1. Initio *Mantua* post mortem Mathildis libera facta & Imperio subjecta mansit, usque ad Annum 1220. quo Principatum ejus occupavit *Sordellus.* 2. Deinde Principatu Mantuæ potita fuit familia *Gonzagarum*, ex qua *Ioh. Franciscus* ab Imper. *Sigismundo* Anno 1432. *Marchio. Fridericus* à *Carolo V.* Anno 1530. *Dux* creatus fuit.

CXXXVIII. *Potiuntur* Montisferrato. *Franciscus* Gonzaga ductâ *Margareta* Guilhelmi Palæologi filia, Marchionatum *Montisferrati* Anno 1535. post obitum *Ioh. Georgii*, ultimi ex Palæologorum familia Marchionis, obtinuit & Mantuæ junxit. *Guilhelmus* An. 1573. à Maximiliano II. Dux quoque *Montisferrati* creatus fuit frustrà contradicente Sabaudo, de cujus prætensione in Montisferratum paulò antè dictum vid. *Thuan.*

CXXXIX.

CXXXIX. *Ob successionem Familiæ* Nivernensis *oritur bellum* Mantuanum. Anno 1629. mortuo *Vincentio*, Ducatus Mantuę & Montisferrati venit ad *Carolum* Ducem Niverniensem: Hic quia partibus Gallorum erat addictus, Rex *Hisp.* & *Ferdin. II.* Imper. eum possessione Mantuæ excludere voluerunt. Hinc bellum Mantuanum Anno 1629. de quo vid. *Trutinam Stat. Europæ*, discursu 7. *Metter*. lib. 47. Hujus belli Mantuani occasione, cum Imper. copias suas ex Germania in Italiam abduxisset, Rex *Sueciæ* Pomeraniam occupavit.

CXL. *Inter* Sabaudum & Mantuanum *controvertitur de* Montisferrato. Vnde perpetuus belli metus inter Mantuanum & Sabaudum esse solet, quod erupit An. 1612. 1614. & sæpè ambiguis transactionibus compositum. Sed *Car. V.* pro Mantuano pronuntiavit, illúdque judicium *Maximil. II.* & *Ferdin. II.* comprobarunt. Mantuanus *designatus* etiam Vicarius *Imperii per* Italiam. Nam Anno 1624. *Ferdin. II.* Ducem *Mantuæ* Vicarium Imperii per *Italiam* constituit, quod munus hactenus Sabaudo incumbebat.

CXLI. Ferraria *fit* Ducatus. Anno 1289. *Opizo* ex familia *Atestina* Ferrariam à Benedicto XII. *Vicariatus* nomine accepit; item *Mutinam* tenuit, & Papæ quotannis 10. millia aureorum beneficii loco tribuit. *Nicolaus II. Regium* Lepidi ditioni suæ adjecit. Vid. Ioh. Baptistam *Pignam* in rebus gestis Attestinorum. Primus Ferrariæ Dux *Borsius* à Friderico III. & Paulo II. creatus fuit. Vltimus *Alphonsus II.* Ducatum *Ferrariæ* libenter in *Cæsarem* Estensem transtulisset; sed obstitit

Papa

Papa *Clemens VIII.* prætendens Cæsarem esse illegitimum, adeóque successionis incapacem, *Thuan.* l. 100.

CXLII. *Ex eo oritur Ducatus* Mutinæ & Regii. Post mortē *Alphonsi II.* Ducis Ferrariæ Papa Ducatum Ferrariæ tanquam ad Ecclesiam deficiente prole legitima, relapsum occupavit. Cum ergo *Cæsar* Estensis, qui se pro hærede Ducatus Ferrar. gerebat, cedere *Ferraria* cogeretur, *Mutinam & Regium Lepidi* Carpense oppidum, quæ ad Imper. spectabant, retinuit, & se Ducem *Modenæ* imposterum scripsit, eandem Romæ prærogativam habens, quam olim Ferrariensis habuit. *Thuanus* l. 119. *Est* porrò hic Dux Vasallus *Ducis* Mantuani. Propter castellum *Berselli*, cujus nomine par calcarium Mantuano præstat. Prætendit porrò *in ditionem* Comacchio, quam Papa possidet, atque hinc Duci Mutinæ cum sede Romana controversia.

CXLIII. Paulus *III. Papa* Parmam & Placentiam *confert* Farnesiis. Anno 1544. *Paulus III.* Papa creavit filium suum, spurium, *Petrum Aloysium*, *Parmæ & Plac.* Ducem. *Thuan.* l. 4. & 8. De hujus *Petri Aloysii* immani Tyrannide & miserabili morte videatur *Sleidanus.* Vnde *Ducatus* hic est *feudum* Papale. Sed in Placentiam Ius sibi vendicat R. Hispan. ratione Ducatus Mediolanensis.

CXLIV. Octavius *Cæsari reconciliatur.* An. 1556. Conditiones vide apud *Thuan.* lib. 16. Hic *Octavius* Vxorem habuit *Margaretham*, filiam naturalem Caroli V. quæ fuit Gubernatrix Belgii, ejúsque filius *Alexander Farnesius*, Dux Parmensis,

menſis, qui tantas res in Belgio geſſit, de quibus *Strada.*

CXLV. Papa *Ducatum* Caſtro *occupat. Papa* Vrbanus VIII. Ducatum *Caſtro* Duci Parmæ, ratione debitorum eripuit, tanquam feudum Eccleſiæ: unde bellum exortum & controverſia tandem authoritate Ludovici XIV. Regis Galliæ Anno 1664. compoſita fuit, ut *Caſtro* Parmenſi reſtituatur; ipſe pecuniam Papæ exolvat.

CXLVI. Genua *fit* Ducatus. *Genuenſes* initio libertatis ſuæ ab Ann. 1100. Præfectos habuerunt; deinde inſtituti Conſules vario numero à binis ad denos & 24. Senatores. Anno 1194. Prætor iis additus juſſu Frider. I. poſtea acceſſerunt Præfecti populi, ſinguli aut bini, & aliquando omiſſi mira fluctuatione. Tandem compeſcendis factionibus, quæ inter Nobiles & plebem frequentes, Dux creatus Anno 1327. ídque inſtitutum, ſemel tantum per triennium omiſſum, duravit uſque ad Annum 1390. Creatus Dux ex Nobilitate vel Plebe in Biennium.

CXLVII. *Potiuntur* Corſica. Imperium per Liguriam & Inſulas maris Mediterranei extenderunt ſub Conſulibus, Corſicam hodiéque tenent: Sardiniæ partem diu habuerunt; Capham in Taurica Cherſoneſo coloniam habuerunt: Chium, Leſbum, Peram acquiſita iterum amiſerunt. *Thuanus* lib. 63.

CXLVIII. *Deduntſe Regibus* Galliæ. Anno 1390. Propter factiones *Guelforum & Gibellinorum, Spinularum & Auriorum, Fliſcorum & Grimaldorum.* Genua ſe in fidem Caroli VI. Regis Gall. dedit; deindé in Vice-Comitum Mediolanenſium

nensium potestatem concesserunt, à quorum jugo liberati fuere An. 1444. virtute Simonis Buccanigri. *Thuan*.l.61. Postea Ludov. XII. & Franciscus I. Genuam recuperarunt, sed non diu tenuerunt. Hinc Reges Galliæ hodiéque in Genuam & Corsicam prætendunt, ac propterea Henr. II. Anno 1553. bellum iis intulit. *Thuan*. lib. 12. Corsi etiam Anno 1563. ad Gallos defecerunt. *Thuan*. lib. 16.

CXLIX. *In* Libertatem *vindicatur*. Anno 1522. Genua ab Imperio Gallorum in libertatem per Carol. V. vindicata, & nova Reipubl. forma Anno 1528. ab Andrea Aurea instituta fuit, qui propterea *Pater Patriæ* dictus. Creati Duces: eorum potestas biennio definita. Electio sorti commissa. Duci additi VIII. Gubernatores; totidem Procuratores; Syndici V. Hæc forma Reip. usque ad Ann. 1574. duravit, quo dissensiones inter populum & Nobilitatem extitere, quas Maximil. II. Imper. *Philip. II.* Rex Hisp. & Papa sustulerunt. *Thuan*. lib. 61. *Coniurationes* Fliscana & Ciboina *Genuam perturbant*. De his conjurationibus & quando ab Andrea Aurea oppressę sint, vide *Thuan*. lib. 3.

CL. Genua *usuris atterit* Hispanum. Opes Genuensium specie mutui sunt in manu Regis Hisp. quem tamen crebris usuris ita atterunt, ut pręcipua Indiarum & Hispaniarum vectigalia oppignorata habeant; Sed Reges Hispan. aliquoties nimiam Genuensium avaritiam castigarunt Anno 1575. 1596. *Thuan*. l. 117. iterum Anno 1627.

CLI. *Periculum iis imminet à Regibus* Gallię & Hispanię, *& Magno Duce Hetruriæ & Sabaudo*. De Regni Gallię in Genuam prętensionib. dictum.

dictum. Hispanus iis suspectus ob Marchionatum Finalis. Magnus Dux Hetruriæ ob urbem Serezanam & Corsicam olim Pisani Iuris. Sabaudus propter Savonam. *Student porrò Genuenses paci.* Ab eo enim tempore, quò à Venetis exuti fuerunt imperio maris lucro magis & paci quàm bellis & finibus promovendis dediti fuere. An. 1558. porrò Genuenses Marchionatum Finalem occuparunt Alphonso Caracto ejecto, cui an. 1571. illum Hispani restituerunt. Dein anni. 1602. Genuenses eum iterum occuparunt. Cæterum Ferdinandus II. Imp. pro Hispanis tamen pronunciavit.

CLII. Florentia *fit* Magnus Ducatus. *Magnus Ducatus Florentiæ III.* Respublicas, olim liberas, complectitur, *Florentinam, Pisanam & Senensem.* Respectu Dominii *Florentini & Pisani* Magnus *Dux* est *absolutus* Dominus, nulli subjectus: Cætera velut *Senas & Elvam* à Rege Hispan. *Radicofanum & Burgum.* S. Sepulchri à Papa, *Filaterram* & alia in agro *Lucensi* ab Imperatore, fiduciario jure possidet. *Florentia* facta fuit Ducatus An. 1530. Primus Dux à Carolo V. creatus. *Alexander* Medices, cui à Laurentio patruele per insidias occiso, successit *Cosmus*. An. 1569. *Cosmus* à Papa Pio IV. creatus fuit *Magnus Dux* Hetruriæ, acriter contradicente Imperatore *Maximiliano II.* qui suum esse jus *Reges Ducésque* creare prætendebat. *Thuanus* l. 46.

CLIII. *Magnus Dux* Florentiæ *potitur* Senis. *Cosmus* urbem & territorium *Senense* ope Hispanorum domuit, & à Philippo II. Rege Hisp. in feudum accepit, exceptis *Herculis* portu, *Telamone, Orbitello, & Plombino,* quæ Hispani retinuerunt.

tunt. *Thuan.* l. 15. 17. 18. & 23. *Classem contra* Turcas *instruunt. Cosmus* primus instituit triremes contra piratas Afros, in quem finem obtinuit Insulam *Ilvam*, ibíque *Cosmopolim* exstruxit. *Thuanus* l. 5. ac præterea portum *Livorno* nova urbe auxit.

CLIV. Italia quanquam felicissima videatur Regio, plus tamen famæ quàm suæ dignitati debet. Montibus aspera ac nimio ac sterili æstu torrida: *solum* in plerísque locis adustum, segetes vel non patitur, vel rubigine adurit; Nec *pascua* magno numero felicia. Et nisi vicinarum Regionum *fertilitas* Italiæ subsidio veniret, suis ipsa alendis incolis vix sufficeret. *Vrbes* eximiæ, quas antiquitas imprimis & Majorum monumenta commendant. Ingens lapidum ac statuarum numerus & expressi *Marmoribus* priscorum Romanorum vultus, tacitam spectantibus venerationem & horrorem incutiunt. Imprimis *Roma* post tot seculorum lapsus, antiquam in ruderibus Majestatem conservat, ut vel illius videndi studio, ex universo Occidente peregrini Italiam frequentent. Sed ædificia plerúmque à cultu Germaniæ & Galliæ recedunt. *Fenestra* raro vitreæ, plerúmque *Carbalus* aut *inuncta oleo charta* lumini obtenditur. *Hospitia* privata ut plurimum *sordida, & egena*, quemadmodum Italorum genio conveniunt, ita peregrinos lautius vivere assuetos, haud raro destituunt.

CLV. *Itali* in *amorem* atque *odium* nimii: semel offensi implacabiliter irascuntur, nec ultionis animum nisi cum vitâ deponunt: Levi *joco* & innoxio sæpè *verbulo* offensi, quod tristissimum amicitiam,

amicitiam ſimulant, & non alia arte impunius nocent, quàm ſpecie amicitiæ, ut multi ante ſe periiſſe intelligant, quàm hoſtes noverint. *Nictus, oculos, geſtus*, (adeò non ſola verba inter eos noxia ſunt) in ſuſpiciones & crimen detorquent, ut illis gentibus, quæ remiſſiori animo ſunt & candidiore, periculoſum ſit in Italia verſari. Hinc Regio *Latrociniis* infeſta & peregrini inter hoſpites, non tutius quàm inter apertos hoſtes verſantur, nemo, niſi armis & viribus ſuis tutus, & quanquam vim ipſorum prudentiâ vel animi magnitudine eludas, occultiores tamen fraudes; *venena, philtra*, ac *Sicarios*, raro, quibus illa deſtinantur, effugiunt. Ibi hominis vita exiguo pretio æſtimatur, & in publico reperias, qui veluti ad id deſtinati accepto pretio, & pernici equo ad fugam inſtructi, parricidium, vel in medio templo, & ad Aras facere ſuſtinent; tuto plerumque ſcelere, cum diviſa in tot Principatus Regione, intra breviſſimum tempus ex una in aliam ditionem, ubi inviolabiles ſunt, pervenire poſſunt, ſed non ea ubique Italiæ barbaries eſt. Nam modeſtius *Veneti* vivunt, ubi major virtuti, atque integritati honos habetur. Omnium peſſimi *Longobardi* ac *Neapolitani* ſunt, quos ipſa ſervitus, quàm ſub Hiſpanico ſceptro agunt, aſperat. Gens prudentiæ nomine celebris, & ad Imperium gerendum aptiſſimi inter Gallorum levitatem, & Hiſpanorum faſtum, medio temperamento, qui minimum caſui & fortunæ, plurimum conſilio tribuunt, nec aliter inter tot infenſos Principes, ac mutuis diſtractos factionibus Italiæ pax conſervari poſſit.

CLVI. Italia complectitur *Ducatus, Reſpu-*

blicas, Statum *Ecclesiæ*, Regnum *Neapolitanum*. *Ducatus* ſunt *Mediolanenſis*, complectens majorem partem *Lombardiæ*, ubi *Mediolanum*, *Pavia*, *Cremona*. Ducatus *Mantuanus*, ubi *Mantua*, *Caſal*, & Ducatus *Montferrat*. Magnus *Ducatus* Hetruriæ ſive *Toſcana*, ubi *Florentia*, *Piſa*, *Livorno*, *Sena*, *Viterbo*, *Arezzo*. Principatus *Pedemontanus*, ſive *Piemont*, ſpectans ad Ducem *Sabaudiæ*, ubi *Turino*, Villa *Franca*, *Aſti*, *Vercelli*, & Marchionatus *Saluzzo*. Ducatus *Parmæ & Placentiæ*, Dúcatus *Vrbino*, Ducatus *Modena*. Reſpubl. tres ſunt. 1. *Veneta*, quæ complectitur *Marcam Treviſanam*, *Longobardiæ* partem, *Forum Iulii* ſive *Friul*, & *Iſtriam*. Vrbes ſunt *Venetiæ*, *Padua*, *Verona*, *Brixia*, *Aquilea*, *Pola*, & *Palma*. 2. *Genuenſis*, complectens *Liguriam*, ubi *Genua & Savona*, Lucenſis, ubi *Luca*. Dominium Eccleſiæ, ſive Pontificis Romani, complectitur, *Latium*, ſive *Patrimonium Petri*, ubi Roma. Ducatum *Spoletanum*, ubi *Spoleto*. Marcam *Anconitanam*, ubi *Ancona & Loretta*. *Romandiolam*, ubi *Ariminum*, *Ravenna & Imola*. Ducatum *Ferrarienſem* ubi *Ferraria*. *Regnum Neapolitanum* diviſum in VII. Provincias, quarum prima *Terra di Lavoro*, ubi *Neapolis*, ſive Napoli, *Capua*, *Caſeta*, *Nola*. *Principado*, ubi *Amalfi*, *Salerno*, *Noceræ*. *Baſilicata*, ubi *Potenza*; *Calabria*, ubi *Cozenza*. *Otranto*, ubi *Otranto*, ſive *Tarentum*. *Apulia*, nunc Puglia Piana, ubi *Manfredonia*, *Aſcoli*. *Abruzzo*, ubi *Beneventum* & *Aquilia*.

CLVII. Inſulæ ad Italiam. *Inſularum* ad Italiam aliæ ſunt *Maiores*, aliæ *Minores*. *Maiores*

ſunt

ſunt tres, *Corſica, Sardinia, Sicilia.* 1. *Corſica* ſub Genuenſium ditione minima ex majoribus tribus, ſylveſtris, & magnam partem inculta, vino tamen bona eſt. *Corſi* antiquam ferè retinent barbariem. Natura crudeliſſimi, ultionis avidiſſimi, adeò, ut Itali proverbio dicant: *Corſo neque vivo neque mortuo fidendum eſſe.* 2. Sardinia. *Sardinia* dimidia ſui parte montoſa eſt & aſpera verſus *Septentrionem:* plana & campeſtris verſus *Africam* ſive Meridiem. Hinc *ver* ferè *peſtilens*, & quanquam fertiliſſima ſit, peregrinos tamen peſtilentiæ illi non aſſuetos interficit. *Plantam* producit, quæ comeſta nervos adeò contrahit, ut ſpecie ridentium homines enecentur, unde Riſus Sardonius. *Æſtate* raro pluit, hinc *hibernæ* pluviæ per totum annum aſſervantur, cæterùm *argenti*, atque *auri* dives eſt. *Sardi* robuſto corpore ſunt, *colore* ex vicinâ Africa *fuſco*, laboribus dediti, & venationibus, &, quod rarum in tantâ barbarie, maximè *hoſpitales.* Metropolis eſt *Calaris.* 3. Sicilia. *Sicilia* Inſularum Maris Mediterranei maxima, & celeberrima: triangularem formam refert, & tribus *Promontoriis* inſignis eſt. Solùm crebris ac æternis ignibus ſcatet, totáque Inſula cavernoſa, ſulphur ac bitumen affatim producens. *Ætna* mons ab omni antiquitate horribilem in modum arſit, & vicinas ſæpe Regiones incomparabili damno affecit. Cæterum non alia toto orbe *fertilior* Regio: adeò quidem, ut *horreum* populi Romani & totius Italiæ penè fuerit, unde *Cicero* eam *urbis* Romæ *animam* appellavit; Abundat etiam optimo vino, *Saccari* quoque & *Serici* copia, *Siculi* ingenio ſubtili & *amœno* ſunt,

 ſingulari

ſingulari *facundiâ*, & ferè in *Loquacitatem* degenerante. Animo *ſuſpicioſo* atque *invido*, unde illud *Inuidia Siculi*. Multum Neapolitanis, quibus proximi, ſimiles. Metropolis *Panormum*, vel *Panormus*, nunc *Palermo*, ſedes Proregis; *Meſſana*, *Syracuſa*, nunc *Saragoſa*; *Catana*, & memorabilis cæde Gallorum ſive Veſperis Siculis *Sperlinga*. In univerſum urbes ac oppida *centum & ſeptuaginta* complectitur. Minores Inſulæ ſunt *Elba* ſub Ducatu Florentino, ubi *Coſmopolis*. Mons *Chriſti* rupes potiùs, quàm Inſula. *Iſchia* è regione Neapolis, *Caprea* ſive capri infamis ſeceſſu Tiberii, *Lipara* perpetuis ignibus ſcatens.

I. H. a Pflaum. in Venet. p. 43. Abr. Gorlæus in præloq. Dactylothecæ.

CLVIII. Nihil tam arduum ſedulitati humanæ, ad quod Italici acuminis præſtantia non tollatur. Etenim, ut ordiar ab infima ingenioſorum & induſtriorum hominum tribu; nempe *opificum*; abundè apud Italos invenient ſtatuarii, pictores, textores, architecti, & reliqui artifices manuarii noſtrates, quod dicant, quod imitentur, & quod nec diſcere, nec imitari, ſed tantùm admirari queant. Atque, ut *Antonellum Mamertinum*, quem primum imbutis oleo coloribus pinxiſſe memorant, nominem tantummodo; nominem etiam *Iacobum Trecciam* Mediolanenſem; qui (antiquis luxuriæ magiſtris, cum nullum non pretioſi lapidis genus ſcalpro cælóve ſubegiſſent, ſoli adamanti ob indomitam, uti credebatur, duritiem parcentibus) primus reperit, quomodo invictam gemmam ad obſequium redigeret gentilitiis Philippi Hiſpaniarum Regis inſignibus Adamanti ſumma arte inſculptis; Sive, ut alios ſummos & perfectos magiſtros hic ne

nominem

nominem quidem: non omittendus tamen hoc loco eſt, *Bernardinus Carovagius*, oculis emiſſitiis, ore exporrecto, linguáque blæſus, ſed qui horologicam artem Papiæ diſcens, mirabilia faciebat; inter quæ illud fuerat memorabile, quod, ut Andreæ Alciato ICto morem gereret, horologium fabrefecerit, in quo per aëris ſonitum, quam quiſque ſtatuiſſet horam, exaudiebat; atque eodem ictu ignis ſcintilla ab inſerto ſilice in ſubjectum ſulphur excuſſa in flammam ibat; quæ repente ardentis ſulphuris Miniſterio ac continuatione accendebat appoſitæ lucernæ fila, lucémque reddebat: ita, ut compoſito horologio ad quam Dominus deſtinaſſet noctis horam, & à ſomno excitari, & lumine juvari ſolius horologii ope unuſquiſque accubans poſſet. At verò minimè omnium prætermittendus ſit *Michael Angelus Bonarota* Florentinus, adeò poſt priſcos Græcos picturæ, ſtatuariæ, & architecturæ fuit ſummus artifex: cujus nomine ut paſſim orbis perſonat; ſic pleríſque locis, ſed Romæ & Florentiæ præcipuè, ſtupendi operis monumenta ejus viſuntur. Angelo tamen ſecundum, & forſitan parem addere poſſem *Georgium Vaſarium*, qui Arretii in Etruria natus, eidem Coſmo Nobilitatem ſui ingenii ſimúlque picturæ & architecturæ præſtantiam editis paſſim inſignibus ad ſtupendum omnium ſpectaculum monumentis, cumulatiſſimè probavit; vivis exemptus anno ſuo climacterico Florentiæ, ubi degebat, & exinde, ſicut teſtamento caverat, Arretium in patriam tranſlatus: quo loco in principali ſecundum ſedem Epiſcopalem templo in ſacello ab ipſo juxta ſumptuoſo

B. Saccus Tic. H. l. 7. c. 17.

Th. H. l. 59.

A. Gh. 1574.

Thes. Polit. p. 1. de Hetr. & admirando artificio extructo sepultus est. Florentia textrinis Nobilis est, nec minus quàm Belgium: & aliquando panni, quos *Rascie* vocant, uno tantùm anno ibi confecti, *duorum auri millionum* æstimantur. *Si dice; che chi volesse rassetare Italia, si roina Milano.* Omnium autem opificiorum artificium ex uno Mediolano (vulgatum enim proverbium est; *Mediolanum destruendo, Italiam quorumvis artificum copia instrui posse*) cum magno Reipub. emolumento petere quis posset. *Panciroflus in Nov. Repert. tit. 11. & ibi Salmuth.* Vna *pyxide cuia nautica*, sive *acu* vel *acicula marina*, qua debet explicari oratione? Quis affirmare ausit, usu *magnetis*, quo in tota rerum natura nihil est admirabilius, quicquam divinius excogitari & inveniri potuisse? Immortalis ille *Ioannes Goia* civis Amalphitanus ante annos trecentos mirificam magnetis virtutem mihi monstravit, vasculique tam parvi virgulæque, imò acus modicæ ductu rectum cursum tenere docuit; *Cardanus l. 17. de art. ib. Keckermannus in Comm. Naut. prob. l. 7.* ex eo tempore, quæcunque sit cœli facies, etiam in profundissimis tenebris, acutissimè cerno, & intrepidè omnia maria sulco, omnemque aquarum vastitatem feliciter emetior: tanto inventoris totiúsque Italiæ beneficio; ut cunctæ terrarum gentes, quæ fructus inde percipiunt quotidie uberrimos, illud prò dignitate minimè æstimare, quoniam indies evadit se ipso majus, nedum gratiarum referendarum modum reperire possint.

CLIX. Acumen Italorum in *Literarum* etiam *studiis* longè transcendit aliorum hominum conditionem: & illi etiamnum scientiarum dictaturam gerere videntur. Vt de priscis nihil dicam, laudabilis merito est cura *Cosmi Medicis* sapientis, & *Laurentii* magni, nepotis; quo utroque

Duce

Duce Homerus in Italiam, atque *Marsilius Ficinus*, *Io. Argyropylus*, *Demetrius Chalcondiles*, *Angelus Politianus*, aliique doctissimi viri, Florentiam venerunt. Nec in parva laude pono labores *Azonis*, Bononiensis; qui, cum primus plerasque Digestorum leges justis commentariis, ex quibus Accursius in suas glossulas plurima transtulit, interpretatus esset, *fons legum, vas electionis, lucerna iuris*, postea appellari meruit; meliori utique vitæ clausula dignus. Is enim, uti etiamnum Bononiæ durat fama, cum in disputatione ab antisophista quodam suo provocatus cultro eum appetiisset, in carcerem pertractus & capitalis criminis damnatus dicitur: cúmque exclamaret, *Ad bestias, Ad bestias*, (nempè hujus principii legem ex Pandectis adducens, qua propter artis excellentiam relaxari sontibus, & novissima meritis, pœnam allegabat) judices se ab eo tanquam *belluas* insimulari credentes, iccircóque irati non destiterunt, donec summo supplicio afficeretur. Nec Azonis tantùm, sed etiam dilaudo, lucubrationes *Dantis Aligerii, Franc. Petrarchæ, Io. Boccatii*, (qui Florentini triumviri in Italica lingua sine dubio Principes sunt) *Gratiani* Decreti collectoris, Sancti *Bonaventuræ, Cyni, Accursii, Dyni, Socinorum, Bartoli*, & qui Bartoli Præceptor fuerat *Rainerii*, *Iac. Alvarotti*, *Raph. Fulgosi*, *Ioannis de Bononia Archidoctoris Decretorum* dicti, *Ioannis de S. Georgio*, *And. Barbatiæ I.V. Monarchæ* appellati, *Baldi*, *Pauli Castrensis*, *Paridis à Puteo*, *Odofredi & Gofredi*, *And. ab Isernia*, *Gul. Durandi*, *Alberici Rosatis*, *Marsilii Mainardini*, qui *Defensorem Pacis* scripsit, *Ant. de Rosellis*, *Blondi Flavii*, *Ioan. Ioviani*

Alciat. Pareg. l. 10. c. 25.

l. 31. ff. de pœnis.

Th. H. l. 100.

Pontani,

Pontani Ioan. Pici Mirandulæ, (qui merito cognomine *Phœnix* appellatus est *Antonini* Archiepiſcopi Florentini, *Æneæ Silvii*, qui poſtea Papa *Pius II*. fuit; *Hieron. Savanarolæ, Felini Sandei, Ioan. Nevizani, Iaſonis Maini, Phil. Decii, Card. Ruini* &c. Qui Iuriſprudentiæ receſſus poſſunt eſſe tam abſconditi, quos *Franc. Curtius, ſolius temporis*, ut ejus habet Epitaphium, *avaritia extinctus*; *M. Mantua Benavidus, And. Alciatus, Guidus Pancirolus, Paul. Paruta, Alb. & Scip. Gentiles, Iul. Pacius, M. Ant. Peregrinus, Iac. Menochius, Io. Vaudus, Ioſ. Maſcardus, Proſp. Farinacius, Io. Pet. Surdus, Io. Vinc. Hondedæus*; non perſcrutati fuerint? ut de excellentiſſimis Theologis & Medicis jam nihil dicam. Quid in omnium totius Philoſophiæ partium ambitu tam eſt rarum, & à vulgi captu remotum; quòd *Iul. Caſ.*
Th. H. l. 21. *Scaliger* (*quo ſuperiorem antiquitas vix habuit, parem certè hæc ætas non vidit*) quod *Franc. Guicciardinus*, nemini hiſtoricorum poſt antiquos, Thuani & Lipſii judicio, poſthabendus; quod *Io.*
Th. H. l. 68. *Baptiſta Hadrianus*, qui Fr. Guicciardini hiſtoriam accurata diligentia perſecutus eſt, & ex quo multa ſe ſumpſiſſe, atque adeò plura quàm ex quovis alio in opus ſuum Hiſtoricum tranſtuliſſe ingenuè profitetur Thuanus, miratus, eum minore inter Italos, quàm par ſit, in pretio haberi; quod item *Paul. Iovius, Car. Sigonius, Laz. Bonamicus, Lil. Greg. Giraldus, Petr. Bembus* Cardinalis, *Luca Gauricus, Onufrius Panvinius, Hermolaus & Daniel Barbari, Ambr. Calepinus, Leand. Alber-*
Præf. in Flaccum. *tus, Manutii*, (de quibus ſic ſtatuebat Lud. Carrio, ut *Deciorum* nomen Rom. Reip. conſervandæ

ita

ita *Manutiorum* fatale fuisse rei literariæ restituendæ.) *Nicol. Leonicenus, Lud. Ariostus, Torquatus Tassus, Pet. Aretinus*, (doctissimus quidem, sed Satyricus & impensè lascivus poëta; cui summa capita mordere ludus, eóque *flagellum Principum* cognomen fuit.) *Pompon. Lætus. Pet. Paul. Vergerius, Iac. Zabarella, Fr. Piccolomineus, Lud. Cælius Rhodiginus, Ioan. Baptista Benedictus, Ioan. Ant. Maginus, M. Ant. Bonciarius, Pet. Victorius, Sebast. Echinus, Pet Angelius Barga, Fulvius Vrsinus, Ant. Ricobonus, Thom. Campanella, Laz. Superantius*, &c.

Pflaum. in Venet. p. 42.

CLX. Quinctiam *virtutem militarem* Itali divina judicii bonitate, & immortalibus operibus ad id Majestatis culmen evexerunt, ut altiùs ascendere nunquam possit. Hetrusci Animo sunt nunquam non præsentissimo & impavido, in omni discrimine: quod Carolo VIII. Galliarum Regi maximè Nobili facinore fecêre testatum. Cum enim ille Florentiam armatus numeroso cum exercitu esset ingressus, & civibus qui contra libertatem nihil permissuri erant, durissimas fœderis conditiones proponeret; *Petrus Caponius*, è quatuor viris ad res cum Rege expediundas selectis, unus rei indignitate commotus, Scribæ Regio, iniquissima capita de scripto recitanti, chartam è manu abripuit, & Rege ipsomet spectante concerpsit, cum stomacho in hæc verba erumpens: *Quandoquidem tam iniqua postulatis; agite vos Galli, tubas vestras & cornua inflate, nos campanas nostras pulsabimus*: simúlque cum dicto, collegis ipsum sequentibus, è regio cubiculo se proripuit.

F. Guicciardin. H. l. 1. Iov. H. l. 2.

proripuit. Qua libera voce & Gallos terruit Caponius, & patriæ libertatem conservavit. Quis ignorat illos novos Hercules & Martes; *Scaligerum illum Veronæ*, urbis inter tres civitates, quas omnium pulcherrimas vidisset unquam, ab Imperatore Carolo V. numerari solitæ, *Principem*; *Sfortias*; nec non *Bartholomæum Coleonium*, Sunt Venetiis Virtuti & Honori positæ statuæ marmoreæ centum sexaginta quinque, æneæ tres ac viginti: sed inter omnes celebratissima est illa colossea equestris inaurata B. Coleonii; quam Veneti gratitudinis maximis tanti viri meritis debitæ testificandæ ergo, pro æde Divor. Ioannis & Paulli in area, cum elogio rerum ab ipso benè gestarum in alta basi erexerunt. Quis militum cum honoris præfatione non recordatur *Leonis & Petri Strozziorum, Ioan. Iac. Medicini* Meliniani Marchionis, *Ioan. Bapt. Castaldi* bellis Germanicis atque Pannonicis famosi, *Andreæ Auriæ*, novi Neptuni? Quis non jucundissimè meminit circumspectissimi Principis *Ambrosii Spinolæ*, qui veterem & illustrem familiam invicta animi vi & fortibus factis in tantum claritudinis evexit, ut nemo majorum sit cum eo comparandus? Nec parvo fœderatis Belgii provinciis tanti viri & bellatoris præsentia stetit, cum ille Ostendam Oldensilium, Lingam, Wachtenduncum, Lochum, Grollam, Berkam caperet. Vel unica illa, sed toto Orbe famosa, tot certaminibus, tot nuperæ inventionis munitionibus & machinis insignis *Ostendana obsidio*, id loquitur: in qua intra annos tres ac menses totidem *centum quadraginta*, aut qui minimum scribunt, *centum viginti* mortalium *millia*, utrinque

C. Sciop. in Scal. Hypobol.

St. Vin. Pighius in Herc. Prodicio. Pflavern. in Mercur. Italico.

Th. H. l. 130. Miræus in vita Alberti Pr.

varia

varia ignis, ferri, morborúmque peste ceciderunt. Canant Poëtæ, & fabulis attollāt *Troiæ* obsidium decennale, *Tyri* expugnationem inter clarissima Alexandri Magni facinora, extollat Græcia, Lacones in obsidenda pertinaciter *Messana* annos viginti posuisse: una *Ostenda*,

——commune sepulchrum Aquilonis & Austri,
Illa Ducum simul & militum acerba cinis,

illustribus veterum factis tenebras offundit & luminibus obstruit. Neque enim ibi *de parva area*, neque *de tumulis*, aut *sterili tantum pulvere*, ut Hugo Grotius suo in Epigrammate volebat; sed de supremo inter Hispanum & æmulos Reges dominatu ac gloria, imò de Europæ quodammodo imperio certatum est. Quis item non veneratur nomen *Alexandri Farnesii* Ducis Parmensis, Imperatoris felicissimi, & uti judicabat Fr. Lanovius, *du premier Capitaine de la Chrestienté*; nonne ille Parmam suam ac Placentiam, ob caseos tota Europa expetitos alias celebres urbes, rerum fortissimè gestarum laudibus ad miraculum implevit? Nonne munitissimam urbium Antuerpiam expugnavit, præter opinionem clarissimorum belli Ducum, cum Gul. Arausionensis vox audita fuerit, *Versurum in Perniciem Parmensi, si obsidium Antuerpiæ auderet?* Quis autem maximopere non admiratur *Americum Vespucium* Florentinū qui inventæ quartæ terrarum orbis parti nomen ab se imposuit *Americæ*? Imò quis non stupet ad novi Orbis repertoris nomen, *Christophori Columbi*? Benignissima salutarium siderum conspiratione illum natum fuisse existimare decet, eximium Liguriæ suæ decus, & jubar Italiæ profulgidum, quódque

Iamais Capitaine n'eust plus de iugement en la conduite d'une armée, n'y plus de iustice en la discipline militaire. P. Matth. l. 1. narr. 4.

Reid. Ann. lib. 4.

quódque priscorum heroum, Herculis & Liberi patris, famam obscuravit. Hic vir est hodiernæ potentiæ & stupendæ magnitudinis Hispanorum præcipuus auctor: qui, uti erat Geographiæ apprimè studiosus, curiosi ingenii nervos omnes contulerat ad Oceanum explorandum, aliásque ad Occidentem solem longè dissitas regiones inquirendas, quarum Plato ipse, & Seneca, & plerique alii Græcorum & Latinorum, nonnulla expendenda Cosmographis argumenta reliquissent; ut ita angustos columnis Herculeis descriptos terrarum limites irrideret. Sed illius vota multis Principibus, ad quos naves armis & commeatu instructas Indiarum vestigandarum causa petitum aut alios miserat, aut ipse venerat, explodentibus; cum à suis quoque Genuensibus, pro vano, ab Henrico VII. Angliæ Rege pro ridiculo, ab Alphonso V. Portugalliæ Rege pro futili & deliro circulatore habitus esset, tandem Ferdinandum Regem Hispaniæ propitium & propensum habuit, & ab eodem liburnicam unam & duas caravellas milite & nautico instrumento armatas accepit; cum quibus III. die Aug. A. Ch. cIↄ ccccxcii^do è Gadibus solvens, inter innumera & perpetua immensi Oceani & turbantium Hispanorum pericula, novum Orbem invicto animo quæsivit, inaudita felicitate invenit, & suprema sui totiúsque Italici nominis gloria Ferdinando donavit: Atque ut

Iov. l. 4. Elog. de Chr. Columbo.

Benzo Hist. Ind. l. 1. cap. 5. & 6.

Fr. Lopez de Gomara H. Ind. l. 1. c. 10.

Owen.

cedere diluvium, campósque patere liquentes
nuncia de cælo prima Columba *venit:*
æquora sic ultra nostris incognita primus
nunciat immensos esse Columbus *agros.*
Aurum *arrham secum tulit alter, at altera* Olivam:
Alter Divitias, *altera* Delicias.

Sicuti

Sicuti autem humanum ingenium est, ut facilia putet, quæ jam facta; nec de salebris cogitet, ubi via sit strata: ita Columbo in Hispaniam reverso evenit, ut Hispani Proceres in convivio quopiam laudem ejus delibatum irent & deminutum. Quippe inventionem Indiarum rem pronam fuisse, dicebant; navigationem sine discrimine, appulsus faciles, deníque unum aliquem ex sese potuisse easdem illas terras gentésque reperire, sine Itali hominis ullo nisu. Columbus (aderat enim) cum tacitus diu audisset, surrexit; & velut aliud agens ovum attulit à gallina; in mensa reposuit; & *Heus sodales*, inquit, *quis vestrûm ille solers, qui hoc ovum rectum mihi destituat & in caput?* Mussare illi, circumspicere, tentare; negare ad extremum omnes, id fieri posse. Tum Columbus clementer: *Imò fiet*, inquit: & simul ovum leviter à capite tusum & quassatum, deposuit erectum. Inde risus, pro se quisque rem facilem nugatoriámque esse, dicere. *Attamen*, ait ille renidens, *quis vestrûm hoc facilè ante me indicem potuit? Talis inventio novi Orbis est: quem inveniendum ante me nemo, omnes inveniant inventum.* Columbus ille patriæ charitatem etiam extremo spiritu retinuit, cum amplissimarum opum suis laboribus partarum decumam partem Reip. Genuensi legasset: cui tamen Genuenses, qui aliàs statuæ honore complures cives levissimis sæpè de caussis decorandos duxerant, nullo monumento gratitudinem testati sunt.

Benzo. l. 1. cap. 5.
Lipsius in præf. ad Criti-.
Vb. Folieta Elog. clar. vir.

CLXI. *Reginaldus Polus* Cardinalis Anglus, cum ingravescente morbo testamento condito *Aloisium Priulum*, patritium Venetum, (notetur insignis humanitas hominis Itali) hæredem instituisset,

stituisset, ob integritatem & morum consensionem in familiaritatem ante annos XXVI. adscitum; (à quo tempore ille à Poli latere nunquam discessit, nec inde ullis conditionibus avelli potuit, ne tum quidem, cum à Iulio III. ut in sacrum
Th. H. l. 10. Collegium allegi vellet, urgeretur) Priulus tamen post Poli excessum, hæreditatem delatam recusavit, & nihilominus testamentum præcipua diligentia executus est, ac totos XX. menses, quibus Polo superstes fuit, in colligendis ejus rebus huc illuc dispersis, & summa fide distribuendis, consumpsit: egregio veræ ac sanctissimæ amicitiæ exemplo; quæ cum haut ulla emolumenti aut privatæ commoditatis spe, verùm solius virtutis contemplatione coiisset, nulla etiam temporum aut locorum intercapedine dividi potuit, sed ad ultimum usque vitæ utriusque spiritum constanter perduravit. Nec ineptè Priulo hic junxero *Ludovicum Atestinum Cardinalem*; qui *thesaurus pauperum, aulæque Romanæ ornamentum* dici meruit.
Th. H. l. 84. Nam quod alii in vastis ædificiorum molibus & otiosis divitiis exstruendis insumebant; id ille totum demerendis hominum per liberalitatem voluntatibus, ac tenuiorum fortunis sublevandis impendebat; eas solas veras opes possidere se ratus, quas amicorum necessitatibus non rogatus donasset. In summo homine, Cosmo Mediceo & penè dixerim *monstro sine vitio*, planè singularis erat morum temperies & naturæ facilitas, non eloquio, non cultu, non ipso denique convictu & comitatu fastum ullum ostendebat, modestia tantum, humanitate, & studio honestæ virtutis supra cæteros enitebatur: singulari tamen, quæ sibi & patriæ

patriæ ornamento esset, magnitudine atque elegantia ædificiorum, perpetuáque benignitate hospitalis domus cunctos superare contendebat; cum natura frugi privata in mensa nihil ad exuperantem copiam, sed ad nitorem cuncta, civilémque Etruscæ disciplinæ temperantiam, alioqui liberalis, & maximè sumptuosus in hospites dignitate doctrinæ claros, revocaret. Erat enim sicuti maximè pius in egenos, officiosus in adflictos, & longè omnium omnis virtutis largissimus æstimator; qua una re superabat cives, æquabat Reges, & sibi certum iter ad perennem laudis famam sternebat. Nunquam eum institutæ liberalitatis pœnituit. Nullus unquam ædificandi sumptus eum deterruit. Nullus unquam vel adversus fortunis ejus casus, popularis beneficentiæ consuetudinem interrupit. Ac licet ita in pauperum eleemosynas & in templorum ædificationes ingentes & ferè plusquam regias opes expendisset, solitus tamen est dicere: *Non potuisse se in suis accepti & expensi codicibus unquam reperire debitorem Deum.* Intelligebat videlicet vir maximus; eum, etiamsi tam multa, imò etsi omnia sua in tales causas impendisset, in quibus ipse Deus se debitorem constituit, tanquam in se collata essent, tamen longè longéque plura atque adeò seipsum Deo debere; imò nec quicquam dedisse Deo, quod non fuisset Dei. Quarum rerum admiratione ducti nonnulli cives, ut incomparabiles magnificentiæ laudes verbis elevarent, sæpè dictitabant; tantam vim inexhaustæ pecuniæ nequaquam ex argentariorum negotiatione, quæ in omnibus Europæ emporiis à Cosmi institoribus exerceretur,

Sc: Gētil: Comm. in Ep. Pauli ad Philem. c. 59.

ſed ex *Balthaſaris Coſſæ* Theſauris proveniſſe, quos uti vir eximiè probus & pius condendis templis atque cœnobiis profudiſſet, ut delegantis mortui amici ſecreta vota impleret, & fidem ſuam ſine piaculo tueretur. Conſtat enim ex adverſariis rationum codicibus, *Coſmum ſupra quadraginta myriades aureorum numûm in privata & publica ædificia contuliſſe: piæ verò aut occultæ largitionis ſumptum myriadum decem ſummam exceſſiſſe.* Verum eam ſuſpicionem facilè apud rerum peritos avertebant paternæ opes, quæ ſignata pecunia & quæſtuoſiſſima menſariorum negotiatione immenſæ propè conſtiterant, cum nullum unquam alienæ decoctionis, aut ſuæ conturbationis detrimentum per multos annos accepiſſet: prædiorum verò reditus, adſtrictáque privati ſumptus frugalitas, quotidianam modicæ familiæ impenſam facilè ſuperarent. Conceſſit fato ſeptuaginta amplius natus annos, tumulatúſque vir incomparabilis & civium maximus in Laurentiano templo ab ſe condito, cum hoc ſepulchri brevi titulo, ſed longè omnium, qui ſcribi poſſint, honeſtiſſimo: *Coſmus Medices hic ſitus eſt decreto publico Pater Patriæ.*

Th. H. l. 51. CLXII. *Liguria*, omnium rerum à natura ſterilitate & paupertate damnata regio; in qua ægrè tantùm frumenti corradere poſſunt incolæ, quantum ad bimeſtre quotannis ſatis ſit: atque *campi Veronenſium* inculti & lapidibus horrentes, maximis ſummorum Ducum aliquot victoriis aut cladibus famoſi: nec non *Laumellina regio eruca infamis.* Oritur enim in Alagniæ finibus, ineunte æſtate, à tellure edax eruca, volitánſque vires invadit,

Leand. Alb. in Venet.

yadit,

vadit, depascitque folia; quibus ablatis arescunt jam exiles & immaturi racemi, sine umbra relicti. Desinente postea æstate eruca rursus tellurem ingressa fœtus edit & recondit; deinde vertitur in vermiculum annullari digito minorem, quem aratrum agentes bubulci sępè detegunt ac perimunt; at minimè tamen fœtus disquirere ac perimere possunt. Nam æstate nova adveniente renascuntur iterum erucæ, alatæque in turmas edito stridore prodeunt, infestántque Alagniæ fines, & in Valligii etiam ditionem ruunt, cogúntque incolas sine vinearum ornatu ac commodo vitam ducere. Atque misero experimento comprobatum est, omissa telluris cultura erucam simul perire, sed una cum terræ cultura hanc vinearum pestem statim natura soli resurgere: ut ita ferè non nisi publica communíque indicta egestate copiæ hostes arceri queant: quibus tamen præsens interitus imminet à sturnis, qui uvarum cupidi gulosíque coacto agmine in uvarum vastatrices erucas convolant; rostrísque exenterant, sibíque & Dominis ita vites ab illarum injuria non rarò vindicant. Nec melioris notæ est convallis *Veggetia*, in medio longarum faucium & asperrimarum editissimo frigidissimóque situ; quamobrem homines etiam alit agrestes, duros, ingeniis immanissimos; ex quibus est genus illud rude, quod per universam Europam oberrans caminis everrendis operam locat. Quid? Ab urbe Ferraria Bononiam usque inculta via est, absque opidis & pagis; vile tantummodo medio itinere diversorium, quod ad Scalam nominant, & tamen XXX. millibus passuum una ab altera urbs distat. Ager quoque

B. Saccus Ticin. H. l.4.c.3.

Leand. Alb in Insubr.

L. H. Pflaum. Ferraria. p.80.

Pisanus, Aquileienſis, Romanus, aliíque, quot habent aſpreta? quot paludes? quot miſerabiles ruinarum & deſertorum tractus? quę ibi eſt aëris gravitas? quæ hominum ibi ob cœli ſolíque infelicitatem jam eſt paucitas? Atque uti Anconæ & Venetiis peſtilentiales febres, Ferrarię autem tertianę nothæ Dominium habent: ita quoque cœli Romani ea hodie eſt intemperies; ut cives *Medicorum* ſuorum juſſu circa diluculum & crepuſculum abſtineant publico, niſi ſol ſplendeat. Iulius Cæſar Scaliger de hodierna Roma dixit ingeniosè, *Vrbem illam eſſe novum acetum peſſimum, veteris vini optimi.* Supina turpíſque negligentia tam altas apud Italos egit radices, ut etiam *Anconitanum portum*, propter capacitatem ſitúmque natura & opere veterum tutiſſimum, inter primos atque pulcherrimos orbis terrarum commemorandum, (quis enim neſcit hoc vulgatiſſimum? *Vnus Petrus in Roma, una Turris in Cremona, & unus Portus in Ancona*) dum illum æſtuantis maris arena oppleri patitur, non parum corrupit. Aſſeruit præterea Paulus Diaconus Aquilejenſis, *Apuliam à perditione nominari, cum citius ibi ſolis fervoribus terræ virentia perdantur.*

Amat. Luſi. Cur. Med. cēt. 3. c. 74.

Leand. Alb. in Marca Anc. Pigh. in H. Prod.

CLXIII. Vt autem alia omnia terræ Italiæ incommoda tacitus tranſilierim: hoc ſine ſummo dolore concoquere non poſſum; quod, ubicunque ferè bonitate agrorum & fructuum abundantia præcellit, ibi quoque *vitiorum* & omnis pravitatis meſſis ſuccreſcat plerunque copioſiſſima. *Patavina* quidem Regio agro gaudet longè feraciſſimo: ſed id vulgò circumfertur,

Zvving. M. Apod. lib. 3. c. 17.

Villanos generat tellus Paduana diablos.

Et

Et Circumpadani in præpingui ſunt ſolo; unde *Cremæ Cremonæque* nomina; quódque admittat in ima terræ, quantas dimittere radices velint arbores: *ſed illorum ingeniis ad res novandas nihil levius, aut inconſtantius.* *Sicilia,* inſula Italica, olim continentis pars, laudes fœcunditatis poſſidet non vulgares; eámque M. Cato Sapiens *cellam penariam Reipublicæ, & nutricem plebis Romanæ* nominavit: ſed Siculi licet antiquitus, Oratoriæ artis, bucolici & rithmici carminum, horologii, catapultæ, illuſtratæ picturæ, tonſuræ, pellium ferinarum uſus, inventores eſſe perhibeantur, turpibus hiſce notis ſunt inſignes: *Monſtra hominum Cyclopes, Dionyſium, Phalaridem, fuiſſe Siculos: Voracitatis templa plurima in Sicilia condidiſſe Siculos: Omnes inſulanos eſſe malos, peſſimos autem eſſe Siculos.* *Calabria* cunctis rebus, vitæ ex voto tranſigendæ neceſſariis, adfluit: ſed eadem habet *Bruttios*; quo nomine Lucani olim vocabant apoſtatas, rebelles, fugitivos: etſi Nicolaus Perottus ſic dictos putet, quod ſint homines fœdi, veſani, ſpurci, bilingues, mendaces: & Alphonſum Regem affirmare ſolitum accepimus; *Si nullum omnino aliud Regnum, nullam Provinciam, præter Calabriam, aut haberet, aut habiturus eſſet, illam protinus ſe relicturum, privatúmque & civem vivere potius velle, quàm illorum, qui nihil hominis habent præter figuram, ineptias tolerare, quamvis Dominum aut Regem.* *Campania & Regnum Neapolitanum* (in quo Regno Bozius numerat hominum omnis ætatis *tricies centena millia*, militiæ aptorum *quingenta millia*, & domicilia *totidem*, urbes autem *mille quadringentas & ſexaginta tres*) ter-

I.C.Scal. ad Card. exerc. 167.c.1.

Cic.l.2.in Verr.

Facell. de reb. Sic. dec.1.l.1. c.6.& 7.

Leand. Alb.

Merul. Coſmogr. p.2.l.4. c.17.

N. Perott.in Cornu cop.

A. Panorm. in Apoph. Alfonſ. l.1.c.30.

de ſtatu Ita.l.3. c.1.

rarum proventibus luxuriant: sed improbitas hominum illis in locis ita dominatur, ut vernaculum proverbium audiatur passim; *Il Regno Neapolitano è un delicado paradiso, ma habitato da gli diavoli* : & testatur Cicero, *Campanos semper superbos fuisse bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, & pulchritudine*: atq; ex illa copia rerúmque omnium affluentia natam arrogantiam, quæ alterum urbi Romæ Consulē è Capua postulavit; & eam luxuriē, quæ ipsum Hannibalem, nivibus atque Alpibus, & armis tum indomitum virum, voluptatum fomentis enervavit.

Camer. M. H. Cent 1. c. 85.

de L. Agrar. contra Rullum.

Sen. Ep. 5.

CLXIV. Alicubi tamen cum ipsa natura loci mores Italorum pro malitiæ & improbitatis palma bellum gerere videntur. *Liguria* enim quid asperius? quid horridius? Ligures tamen vocat Iulius Cæsar Scaliger *Cerbereos*, *sacerrima fide* : & in ora Ligurum nullum ferè animal nasci propterea existimat; *quod natura etiam nunc suspensa iudicium ampliet, cogitétque, quibus artibus eorum scelera, perfidiam, avaritiam, livorem, vanitatem, impietatem, in aliquo animali repræsentare possit, quod quia nondum potuerit excogitare, nondum dare voluerit*. [add. *Ego existimo Scaligerum affectibus hic nonnihil dare, neque judicium eius esse universale : Vbique terrarum sunt boni mixti malis.*] Quapropter in *Genuenses* quoque illa passim jaciuntur dicteria : *illorum mare piscibus, viros fide, fœminas verecundia destitui.* & quod eodem alludit: *virtutem à Genuensibus centum milliaria distare.* Vnde iterū Scaliger apposité:

Exerc. 274.

Exerc. 203.

Genuensis osor pacis, ac boni moris:
unus Britannis tetrior Ligur cunctis,
saxicola, pelagi cursor, invidus, spurcus,

famelicosus, turpis, archipirata. Poëtic.l. 3.c. 16.
Thraces, ait Cæsar Scaliger, *Mysi, Arabes, Moscovitæ, Pæones, Hungari, prædones: Illyrii, Liburni, Dalmatæ, iactabundi:* Germani fortes, simplices, animatum Prodigi, veri Amici, verique hostes: *Suetii, Norvegii, Gruntlandii, Gotti; belluæ: Scoti non minus: Angli perfidi, inflati, feri, contemptores, stolidi, amentes, inertes, inhospitales, immanes:* Itali cunctatores, irrisores, factiosi, alieni sibi ipsis, bellicosi coacti, servi ut ne serviant, Dei contemptores: *Galli ad rem attenti, mobiles, leves, humani, hospitales, prodigi, lauti, bellicosi, hostium contemptores, atque iccirco sui negligentes, imparati, audaces, cedentes labori, equites omnium longè optimi: Hispanis victus asper domi, alienis mensis largi, alacres, bibaces, loquaces, iactabundi, fastus Tartareus, supercilium Cerbereum, avaritia immanis, paupertate fortes, fidei firmitas ex pretio, omnibus nationibus & invidentes & invisi:* Vna natio illos superat animi pravitate, scil. Ligurum

CLXV. Res auditu absurda est, vera tamen, in Italia bubulcum & cerdonem ferè quemlibet, superba formula, per fidem viri Nobilis; & quamlibet abjectam meretriculam, per fidem matronæ Nobilis, plerunque sermones suos confirmare solere. Ac fuit quidam non indiligens observator rerum in Italia monstrosarum; qui in libro commentario singulariter notat Nobilitatis sine numero numerum, & ridet tot Marchiones, quibus nullus est Marchionatus, tot Comites, quibus nullus est Comitatus, tot Equites, quibus nec equus, nec calcaria, nec ocreæ sunt, atque cum cordolio vidisse se jocatur in agro Lunensi tri-

ginta Marchiones in fico arbore, famem ficis depellentes. Quod verò Nobilitatis honorem omnium maximè hodie prostituit apud Italos, est quod in illius acquisitione virtutis opus agunt nummi, & supremum fastigium cum mercaturæ sordibus indignè conjungunt: cum in Germania nostra, in Gallia, & apud alias rectiùs sentientes gentes, mercatura obstet Nobilitati; etiam apud filios Israël sordida & abjecta vivendi ratio habita fuerit. Propterea Matthias Corvinus, Rex Hungariæ, Venetos non ignobiles modo plebeiósque, sed etiam rusticos vocare solebat.

Tiraqu. de Nob. cap. 3. Minsing. 6. obs. 54. A. Gētil. de Nupt. l. 4. c. 13. H. Prad. in Ezech. c. 17. p. 221. & seq. Tuber. H. l. 10. Machiavell. Disp. de Rep. l. 1. c. 55. Cicarella in Greg. XIII.

CLXVI. Quas *Graduum Scholasticorum* faciunt mercaturas Itali. Quem latet illud vulgatissimum; *Nos accipimus pecuniam, & mittimus asinum in Germaniam?* Quam ob causam, cum Italus quidam, *Doctoris* nomine superbiens, *à Gregorio XIII.* (qui Pontifex, *Hugo Boncompagnus* antea dictus, juris utriusque doctrina fuit clarissimus, & Professor Bononiensis) *beneficia* quædam, ut vocant, peteret: Pontifex, *dic mihi*, ait, *utrum doctor sis, an Doctoratus: ad hoc pauca; ad illud verò plurima, quorum tu fortè nihil habes, requiruntur.* Cùm *Iulius III.* Pont. Max. *Montanum*, quem voluptatis gratia ex infima egentium fece domi educarat, Cardinalem creasset, rogatio pro Cardinalium Collegio lata erat, ne pateretur ordinem clarissimum sordidissimi hominis labe contemerari; quibus tamen Pontifex urbanè respondit; *Et vos, quid tandem in me meritorum comperistis, quem Christianæ Reip. Principem constitueretis?* Quin etiam *Leo X.* Pont. Max. cum unis Comitiis inusitato cooptationis

Bod. de Republ. l. 5. c. 4. Th. H. l. 6.

tionis

tionis numero XXXI. Cardinales creasset, inter eos & *Raphaelem Vrbinatem*, præstantissimum pictorem, cujus arte oppido quam delectabatur, nominaturus credebatur; ut hoc collato honore ingentem æris summam, quam illi ex pictura debebat, compensaret. Qua de causa Raphael Bernardum Bibienæ Cardinalem, neptem suam in uxorem offerentem, novis morarum causis in dies allegatis, fertur suspensum detinuisse: sed Raphaelis mors satis immatura omnes ejus spes prævenit. Verùm præter superiora, non levis momenti alia duo in literas peccata Italis Doctoribus obiicio. Alterum *Philologorum* est quorundam; qui id unum quæsiisse videntur, ut tenebris antiquitatum onerent stultissimam orationem pravoquè elegantiæ studio res faciles obscurent. *Petrus Bembus* in illa puerili erat hæresi, (& is eadem inquinavit *Christophorum Longolium*, qui in consultoris sui gratiam omnino immutato priore studiorum genere, quinque annos continuos nullum alium authorem legebat, præter unum Ciceronem,) ut religio ipsi esset scribere aut dicere aliud, quam à Cicerone scriptum aut dictum. Hinc Venetorum Senatus, illi sunt *Patres conscripti*: Duces & Ducatus, illi sunt, *Reges & Regna*: Reges Persarum & Turcarum, sunt illi, *Reges Armeniæ & Thracum*: Fides nostra, est illi, *Persuasio* tantum: Excommunicatio, est illi, *aqua & igni interdictio*: Peccata morituro remittere, est illi, *Deos superos manésque placare*: falcones, sunt illi, *aquilæ*: verveces, sunt illi, *hirci genitalibus desectis*. Et advertite inepti hominis impietatem cum pari stultitia conjunctam.

Alv. Gō. de reb. gest. Ximen. l. 7.

Lips. cent. 2. Epist. 57. ad Dousam.

Is ſiquidem *Epiſtolas* omnes *Pauli* palàm condemnavit, eáſque deflexo in contumeliam vocabulo *Epiſtolaccias* eſt auſus appellare; cum amico author eſſet, ne illas attingeret, vel, ſi cœpiſſet legere, de manibus abîiceret, ſi elegantiam ſcribendi & eloquentiam adamaret. Quid verò faciam *Iacobo Sannazario*, optimo Poëtæ? Qui, cum de *Chriſto Ieſu* tres libros oppido luculentos ſcripſerit, ne ſemel quidem *Chriſtum* aut *Ieſum* nominare auſus eſt: offenſus, ut puto, parum Latinis auribus tritis nominibus: ſed hoc in verbis. Quale autem illud eſt, & quantum ejuſdem in eodem opere peccatum, etiam aliis notatum; quod ſanctiſſimæ virgini *Mariæ* veteres de more *Sibyllas* in manibus ponit; quod de rebus à Chriſto gerendis vaticinium prolaturus non Eſaïam, non Davidem, non veterem alium Prophetam, ſed *Protheum* ea canentem inducit in antro Iordanis, quo ex marino ſuo domicilio fortè diverterat? Ita etiam *Pomponius Lætus*, Romanæ Linguæ ſic erat unicè deditus, ut à Græca quoque refugeret, ne illam ſuam Venerem aliena conſuetudine ſceleraret.

Cruſ. Ann. Suev. p. 3. l. 7. c. 8.

CLXVII. Alterum autem peccatum *Iuriſconſultorum* & *Theologorum* eſt: de quorum tempeſtuoſo & in omnem adulationem properante ſtylo conquerendi cauſas habet totus orbis Chriſtianus longè plurimas & graviſſimas: cùm illi non ſolùm, & ferè ſoli, *plenitudinem poteſtatis*, infauſto ſtudio, libertatem & jura civium catapultis monſtroſarum opinionum conquaſſando, Principibus nimis aſſentatoriè explicaverint; ſed etiam per *Ius Canonicum*, ambitione magis, quàm neceſſitate,

cessitate, in lucem productum, (quod jus Cynus Pistoriensis plenum erroribus esse palàm profiteri non erubuit, illudque in scholis & curiis nostris retinemus haudquaquam in gratiam Papæ Romani veluti ab ipso profectum: sed quia jam usu & consuetudine nostrum est, uti & studia Philosophica sunt, quorum contemplatione tamen Platoni, Aristoteli, Ciceroni, & cæteris antesignanis minimè homagium aut obsequium debemus) fœdis exemplis legitimam Principum authoritatem, in gratiam Pontificum oppugnaverint, atque populorum obsequium seditiosa doctrina subinde perverterint. Fuerunt ex illis, qui abominabilem spiritum, nisi perpetuis convitiis atque vaniloquiis inequitarent Majestati Principum, ducere non poterant: quibus caput votorum erat, Papam Deum, Imperatorem autem & Principes omnes obliterata aut & damnata nomina facere posse. Atque *Canonistarum*, quotquot sunt, concors est sententia, *Imperii vasallos criminis rebellionis & maiestatis haud esse reos, si pro Pontifice Romano adversus Imperatorem ipsum pugnent:* nec Bartolus, qui tamen Schurffio est *veritatis magister*, Menochio *Iureconsultorum signifer*, Nattæ *excellentissimus Doctor*, aliis *juris lucerna, & cæcorum dux, speculum, & veritatis pater; quemque jurisperiti quidam pro numine colunt, ejusque scripta inter sacrorum vatum oracula in larariis habent*; Bartolus inquam, non discedit a Canonistis in *Extravag. Qui sunt rebelles. in verb. rebellando, col.* 2. quanquam excusatum se haberi petit in *procemio D.* quod hæc in Papali ditione scripserit. At per Deum immortalem,

Duaren. in præf. de S. Ecc. minist. Gædd. de cõtr. stip. c.6.n. 109. Fr. Roman. Qu.I. ad t. de judic.

Molinæus super facto Conc. Trid. c. 98.

I. Schult. ad M. Pistor. p. 3. q. 127. Dãhouder. in subhast. 1. & 4.

quæ hæc est juris Divini & humani perditio? quæ illorum veterum sacrorum Canonum, quos ut leges imitarentur Iustinianus voluit, est labefactatio? Potuissetne, si omnia elementa in Reipubl. Christianæ perniciem quasi conjurassent, calamitas inferri major, quàm factum est ab halophantis illis Canonistis? Malè, malè cum rebus humanis actum est, ex quo *Decretis alæ* accesserunt: sed pessimè, ex quo alæ è suo nido in alienum *inclementius extravagatæ sunt.* Res tamen, Dei gratia, iterum bene habet: imposturas Pontificum sibi omnipotentiam impiè adscribentium, & vanitatem Pontificiorum in propria causa testimonium impudenter dicentium, jam vel pueri intelligunt, explodunt, damnant. Ac licet Aula Romana omnibus viribus & machinis enitatur, ut non modo libri Principum jura defendentes conquirantur, exurantur & aboleantur; verùm etiam, ut semper aliqui *Bellarmini*, *Marianæ*, *Baronii*, & id genus emunctæ naris atque vectigales scriptores prodeant, qui Monarchiam Papalem totius mundi arbitram, calamo *directo & indirecto* εὐκαίρως καὶ ἀκαίρως, adstruant, confirment, & propugnent: qui Manliana Pontificum in Principes imperia atque Hildebrandicam doctrinam, suaviloquentia sua condiant: tamen in hodierna Evangelii luce nemo non sacris literis paulò liberalius tinctus, nec difficulter animadvertit, veterem Romanam Ecclesiam non amplius Romæ, hodiernam autem Regum novercam, & Pontifices ipsos vitricos, eorúmque bullas nullas, atque Brevia digna esse, quæ vel ad brevia, aut ad piper abjiciantur. Lo-

Duaren. de Ecc. minist. in præf.

G. Va Winter. in Parth. Litig. l. 1. c. 6. n. 15.

Tortura Torti passim.

quar

quar apertius, & omnino Latinè. *Hildebrandicum* imperium, *directum & indirectum*, deteſtamur boni cives omnes: Regni cœlorum claves Apoſtolis datas eſſe credimus; ſed Regni Romanorum, Hiſpanorum, Britannorum, Francorum, aut aliarum gentium, non datas eſſe, prorſus ſcimus: Petro dictum fuiſſe, *Paſce oves meas*, novimus; ſed illis tribus verbis Petro, aut Papæ, poteſtatem Principes & Reges diris fulminibus (quibus plus detrimenti fidei Profeſſoribus, & plus lucri fidei hoſtibus obvenit, quàm ulla alia ex re) percutiendi, Regnis & ditionibus exuendi, contra legem Evangelicam fœdera & vincula ſocietatum, ſubditóſque jurisjurandi religione ſolvendi, aliena imperia transferendi, conceſſam fuiſſe; id conſtantiſſimè negamus: adeóque omnium ſtultiſſimos dicimus illos, qui diſputant, *Vtrum Papæ tantùm liceat*. Vitio vertitur Baldo, qui tradidit, judicem poſſe ſententiam ferre Hebraicè, Græcè, Latinè; quia Dominicæ crucis inſcriptio Hebraica, Græca, & Latina fuerit: ſed longè vitioſius inferunt Canoniſtæ, Papam poſſe Principem, quantumvis liberum & abſoluta poteſtate præditum, ditionibus ſuis ejicere; quia Chriſtus dixerit Petro, *paſce oves meas*: cum rectius ſic argumentari poſſent: *Chriſtus Petro dixit, Abi Satan; Tu non ſapis ea, quæ* Dei *ſunt; ſed ea, quæ hominum: Ergo Pontifex eſt Satan, nec ſapit ea, quæ* Dei *ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Itaque ſimpliciter magis & ingenuè, quàm cautè, *Paulus III.* cum de ſumma ipſius poteſtate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere illos ſolitus erat, ut ſcholaſticos & rerum rudes, qui à Chriſto eam tam anxiè repeterent; cujus ſe

Caſaubo. in Dedic. Exerc. Baron.

Til. Mel. Epiſc. Mor. in H. Pap. ad l. 12. C. de ſe. & int. om. ju. A. Gent. de lingu. mixt. p. 109.

Matth. c. 16. v. 23.

Præf. ad Paralipom. F. Guicciard.

se possessionem vel solam optimum & firmissimum titulum habere dicebat, quàm viribus opibúsque maximis, urbibus munitissimis, & potentissimorum Principum sibi devinctorum auxilio tueri ac defendere posset. Venit hic mihi Æneæ Sylvii in mentem, is nondum Pontifex sic judicabat de *donatione Constantini* : callidè id provisum à Pontificibus, ut acris esset utrinque controversia, valerétne donatio illa de jure, annon valeret; quo sic semper talis donatio facta præsumi posset: attamen ridiculos interim esse Legistas, qui quæ nunquam fuisset facta, ea valeret nec ne, tantopere disceptarent. Idem hic penitus locum habet: fervere enim scholas & subsellia quotidie de temporali hac Pontificis in Principes potestate, quo jure illam & quomodo, directè an indirectè habeat, detrimento Papæ esse non potest; quo sic opinionem litis occasione corroboret, habere se eam potestatem: sed non minùs insaniunt Canonistæ & Theologi, qui quam omnino ille non habeat, eam directéne habeat, an indirectè, sudant nitendo, ut se expediant, nec expediunt tamen. Hodie autem plerique Principes, cum excusso servili Paparum jugo in libertatem suam redierint veluti postliminio, atque tristi tot seculorum experientia didicerint, Papatum non Religione & vitæ sanctimonia, sed scelerum immanitate, opum magnitudine, atque cumprimis stultitia Christianorum Regum constare: inde dignitatis suæ custodes facti sunt tam vigilantes, ut ne tantillum quidem sibi eam imminui patiantur: non immemores, etiam *Philippum Pulchrum* Galliarum Regem *Bonifacio VIII.* Regnum Franciæ feudum

Tortura Torti. Balb. de Coron. c. 22.

Tub. H. l.29.

Morn. in H. Pap. Serres. in Ph. 4.

Papalis

Papalis Majestatis falso asserenti, sic respondisse: *Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse*: & Græcos *Ioanni XXII.* plenitudinem potestatis in universam Ecclesiam sibi arroganti ita rescripsisse. *Potentiam tuam summam circa tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non valemus; Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Quid? quod etiam *Philippus II.* Hispaniarum Rex, quo tamen nemo suæ ætatis Principum sedi Romanæ favit impensius, in causa Lusitanica Papæ judicium repudiaverit. Cum enim *Gregorius XIII.* primum per Philippum Segam, suum Oratorem apud Philippum Regem ageret, ac peteret, ut in negotio successionis Regni Portugalliæ sibi rei componendæ arbitrium deferretur: gratum quidem in speciem sibi initio Pontificis officium esse simulabat Philippus, Ioannis Silvæ consilio usus, & quousque cum Henrico Portugalliæ Rege transegisset, variis protelationibus urgentem Segam ludificabatur; ubi verò cum Henrico transegit, tum renudata voluntate, respondit; in tam justa ac clara causa, cum propensa Henrici in causæ suæ æquitate perspecta sit benevolentia, non opus esse, ut S. S. partes suas interponat. Suspecta quippe Philippo Regi erat Pontificis, ut & aliorum Principum in eo negotio voluntas, & præjudicium juri suo in præsens, Regiæ Majestati in posterum fieri existimabat prudentissimus Princeps, si de his rebus in Pontificem compromitteret, eòque exemplo illum Regnorum arbitrum & quasi judicem constitueret. At verò cum sequenti anno, pridie Cal.

Io. de Mandevil. Mor. in H. Pap: Conestag. de Port. & Cast. conj. l. 3. Th. H. l. 69. & 70. A. Ch. 1578.

Febr.

Febr. Henricus hora & momento à se prædictis in deliquium incidisset, & eodem tempore Luna deliquium pati inciperet, quo deliquio Lunæ desinente & ipse in vivis esse desierit, qua eadem hora ante LXVIII. annos, sicuti à curiosis observabatur, in lucem editus fuerat; Pontifex autem arbitraretur, Ph. Segæ ordinarii sui Oratoris authoritatem parum antea apud Philippum Regem valuisse, placuit, ut Alexander Riarius Cardinalis lateralis Legati titulo ad eum mitteretur. Huic in mandatis datum, ut, si qua ratione posset, Philippo deponendi arma, & se judicio S. S. submittendi consilium insinuaret; id si nequiret impetrari, Riario subsidiariè mandatum erat, ut sibi ad Portugalliæ Ordines proficiscendi necessitatem à Pontifice impositam significaret. Sic enim judicabat Pontifex, si Philippus acquiescere nollet, fore, ut saltem reverentia Legati, quamdiu is in Lusitania esset, à bello gerendo abstineret; quo interea Antonius, novus Rex, turbatos suorum animos componere, & à vicinis Principibus Philippo ex æmulatione infestis auxiliares copias comparare posset, & sic Philippus, æquata per eam moram æmuli potentia, aleam prælii veritus S. S. arbitrium postremo subire cogeretur. Hæc ita inter otiosos homines, & præcepta de prudentia propria opinione credulos Romæ actitata fuerant. Verum Philippi prudentia Romanos hosce astus susque deque habuit, & Riario, quem in Hispania summis passim à civitatibus delatis honoribus distentum, & per multas adfectatas moras sero ad colloquium toties & tantopere expetitum admiserat, tale responsum, multis quidem honorificis

officiorum

officiorum testificationibus exornatum, quasi sacrosanctam summi Pastoris Majestatem maximè omnium revereretur, sed animosum & verè Regium reddidit; ut legatus satis intelligeret, nullo casu Regem cordatum, neque tam jure suo, quàm viribus confisum, arma depositurum esse. Quapropter Cardinalis omissa omni rei conficiundæ spe, contrarium mandatum à Pontifice causatus, Romam mox reversus est. *Veneti* autem tam parum fidunt Pontificibus, ut ob id Sacerdotes, quantumvis cives & patritios, à comitiis procul arceant; quod juratos credant nihil contra Romani Pontificis utilitatem facturos esse: contritúmque est illud, quod ante suffragia cives in comitiis acclamare solent; *Fuora i Preti*. Propterea *Hermolaum Barbarum*, & *Cardinalem Mulanum* exsilio damnarunt; quod cum legationem apud Pontifices Romanos obirent, in Collegium Cardinalium cooptari se paterentur injussi. Libenter hic memini *Nicolai Pontani*, Venetiarum Ducis, viri magna doctrina & mira animi libertate præditi; qui, subortis inter Pontificem Gregorium XIII. & Senatum Venetum de finibus controversus, ut sæpè accidit; cum minæ à legatis Pontificiis adderentur, quasi Pontifex adversus Senatum censuris acturus esset; ille statim nec consulto Senatu respondit, *Censuram Pontificiam esse gladium vagina inclusum, qui temerè distringi non deberet; ne discerent homines contemnere eiusmodi telum; quod, quia intempestive missum esset, minus læderet:* cúmque instarent nihilominus Legati, ille iterum subjecit, *Verendum esse, ne qui Græci olim fuissent, è Latio in Græciam migrarent.* Durabit quoque ad

Bodin. de Rep. l. 3. c. 1.

Th. H. l. 18.

posteros atrox memoria vulnerum, quibus illi Pontificum causam per latus *Pauli V.* nuper adflixerunt. Quot enim volumina per orbem dissipata excusserunt Papatus vires, & hanc imperandi vanitatem deriserunt? nec ab iis quidem sparsa, quos religio iniquiores fecit, sed ab illis, qui sacrorum participes, tamen docent graviora sceptra esse, quam ut illa inanes Scholastici suis argutiis moveant. Quin ita tunc externarunt Paulum animosa Venetorum consilia, ut iste plumbeis suis minis, & apud cordatos Patres nil profecturis excommunicationum fulminibus diffisus, patrocinium Hispaniarum Regis anxiè ambiverit; atque negotio ibi in cunctatrice Aula parum ex sententia succedente, mox iterum misso per cursorem Brevi, & exaggerata periculi magnitudine, animum Regis, ut dubiis rebus suppetias ferret, tentarit fortius; additis singularibus literis ad Lermæ Ducem, cui Pontifex causam suam commendabat quam diligentissimè, cum excessu quodam longè infra Papale supercilium natantium adfectuum, & magnificarum promissionum; quem insuper vocabat *basin Hispanicæ coronæ, super qua acquiescat Monarchia Catholica, unicum Ecclesiæ fundamentum*; & amplius (*cosa insolita alli Pontefici*) istum Iberum Despotikyrium *Excellentiæ* titulo dignabatur. Quid dicam de *Germanis* nostris Principibus? *Pii IV.* ad Protestantes in Numburgi conventu literas, quas *brevia* vocant, Concilii causa missas, cum hac inscriptione; *Dilecto filio Nobili viro Duci, aut Comiti*; eas omnes minimè resignatas illi in hospitium deferentium Legatorum remiserunt, cum hoc responso: nullam

Barclajus in Sat. p. 2.

Historia particolare, &c. l. 3 p. 120.

Th. H. l. 27.

se

ſe Pontificis juriſdictionem agnoſcere; neque etiam opus eſſe, ut Pontifici, quid ſuæ voluntatis ſit in Concilii negotio, cujus indicendi aut habendi poteſtatem ipſe non habeat, aperiant. Quare cum *Pius V.* Franciſco Comendono, ſuo in Comitiis Imperialibus Auguſtanis Legato, enixè injunxiſſet, ut ſi Religionis cauſa in comitia deduceretur, ipſe ſuo nomine publicè proteſtaretur, & Pontificem in cunctos, qui aderant, tam ſeculares quàm Eccleſiaſticos Principes divinæ cenſuræ gladium diſtrictùrum interminaretur, & contra Cæſarem inprimis, quem & Imperio ac Regnis & ditionibus, ſucceſſionibus, & juribus, quæ in Hiſpaniæ Regnis ei competebant, privaturus eſſet: Miniſter hero ſuo prudentior, qui veritus, ne ea proteſtatione magis animi irritarentur, ne ſecundis quidem mandatis paruit. Si itaque jam è ſepulchris, vel inferis veniat in noſtram Germaniam aliquis *Clemens V.* qui Venetis ob occupatam Ferrariam infeſtus *Franciſco Dandulo* eorum Legato aditum concedere noluit; tandem verò, cum is quaſi quadrupes catena collo appenſa ad pedes ipſius Pontificis cœnantis provolveretur, pacem dedit: aut potius aliquis *Gregorius VII.* qui Imp. *Henrico IV.* regio cultu abjecto nudíſque pedibus aſperrima hyeme Canuſii ſibi ſupplici facto, abſolutionem & reconciliationem ſuperbiſſimè tertium denegavit: aut etiam àliquis *Paſchalis II.* qui Imp. *Henrici IV. filium* patri cognominem, & Imperii Proceres, ad parricidalem rebellionem impulit; qua factum, ut tandem miſer ille pater inſignibus Imperialibus orbatus; Leodium in cuſtodiam miſſus, ac mœrore conſumptus

Th. H. l. 29.

Zvving. M. Apod. l. 1. c. 1. Bodin. de Rep. l. 1. c. 9. Mornæus in H. Pap.

sit; odio etiam in defuncti cadaver jam sepultum grassante, quod effossum Leodii per totum quinquennium honore sepulturæ caruit: aut si omnes illi, quibuscunque fuerint facinoribus famosi, fulminatores atque pacis publicæ perturbatores Papæ simul in patriam nostram adveniant; fraudum, scelerum, atque tyrannidis suæ periculum facturi; An putatis nobis defuturos esse novos aliquot *Dantes*, *Marsilios Patavinos*, *Petros de Vineis*, *Occamos*, *Venericos*, *VValtramos*, *Antonios à Rosellis*, & *Albericos Rosates*, qui necessariis & invictis rationibus demonstrent, *Imperium à Papa non pendere*, *Imperatorem eius confirmatione non indigere*, *qui contra sentiant*, *læsæ Maiestatis reos esse & bona sua committere*? An non existimatis, exorituros novos *Ottones VVitelspachios*; qui, ut ille apud Vesontionem Hadriani IV. Legatum, *Imperium Papæ beneficium esse* stolidissimè contendentem, jam jam stricto gladio confossurus esset, nisi ab Imp. Friderico I. fuisset retractus, ita nunc isti Romanorum alastorum injurias & fastum armis retundant? An verò non estis certissimi, serenissimis Imperii Ordinibus non minus animi aut authoritatis hodie esse, in Majestate augustissimi *Imp.* Matthiæ tuenda, quàm olim fuit in dignitate *Imp. Ludovici Bavari*, & totius Imperii, conservanda & stabilienda; cum in pomario vici *Rhenosei*, An. Chr. cIↃ CCCXXXVII. sexto die Iulii, Electores hoc Senatusconsultum conderent, quod altero anno post Francofurti, octavo Augusti, admirando suffragiorum concentu Imperator & universa Principum reliquorúmque Procerum multitudo solemni edicto sanxerunt & compro-

Alb. de Rosate in l. benè à Zeno. col. 6. n. 18. C. de Quad. Præsc. Mor. in H. Pap. Naucl. vol. 2. gen. 39.

baverunt?

baverunt? *Sacrosanctum Imperium summa in terris potestas, cœleste donum est. Imperator enim primus ante omnes, secundus post* Deum *est; per quem leges, iura, regna, humana genti largitur æterna Maiestas: & tam grande nomen à solo* Deo *traditur; cui soli ille Reip. administrandæ rationem reddendam habet. A Curiatis igitur Heptarchis rebus impositus, continuo more Maiorum atque iure gentium rex est & vocatur. Ipsum contra Maiestatem Reipub. decus Imperii, legatos ad sacerdotem Romanum, ut author fiat, copiam administrandi concedat, mittere; eidem iureiurando fidem adstringere; atque petere ab eo usum regii diadematis, religio est: nullum harum rerum ius omnino est Pastori, qui servus ovium est, & in consecrando domino gregi servit. Quippe iure suffragiorum, beneficio Electorum atque populi, quisque imperat. Hæc verissima esse convenit inter omnes annalium, rerum humanarum divinarúmque peritos, atque iam sæpius utriusque iuris Cæsarei atque Pontificii, cœlestis thesauri testimoniis comprobatum est. Nonnulli quidem sanctuli præter fas contra naturæ legem docere non erubescunt; Pastoris beneficiarium esse Dominum, neque ante Principem Principum esse, aut nominari oportere, quam ille servus servorum author fiat, & dignum indicarit, qui regnet: sed hæc cum maxima Reipub. Christianæ pernicie, intolerabili populi Christiani, Imperatoriæ Maiestatis iactura, nec sine gravissimo tetrarcharum, dynastarum, clientium Imperii detrimento, instigante Stygio Principe domino huius mundi, commenta esse, eventus docet, exitus probat. Quare decernimus, & perpetuo sancimus edicto; nimirum ex solo electionis beneficio, omnem potesta-*

Avent. Ann. Boior. l. 7. Lehm. Chr. Spi. l. 7. c. 17.

tem imperiúmque proficisci: nec ullo pacto Pontificis Romani in hac re sanctimonia, flaminio, authoritate, consensu opus esse. Quicúnque aliter docuerit, senserit, factitarit, crimine læsæ Maiestatis reus, hostis Reipublicæ atque proscriptus esto, capite pœnas solvito, bona eius publica sunto, prædia infiscentur. Etiam hodie in Imperatoribus nostris vivunt & vigent Majestas, virtus, & potestas priscorum Cæsarum. Illi *Concilia* universalia indixerunt; *Constantinus Magnus* Nicenum, Constantinopolitanum *Theodosius senior*, Ephesinum *Theodosius iunior*, *Martianus* Chalcedonense; quæ quidem *quatuor Concilia* sunt *quasi quatuor Evangelia*, vel *totidem Paradisi flumina*: & alii Imperatores indixerunt alia: sed & nostris Imperatoribus eadem cura jam commissa est. Illi *Papas instituerunt*; atque *Henricus III.* Clementem II. Damasum II. Leonem IX. & Victorem II. creavit; alii alios: sed & hoc nostri jure suo jam facere possint, si velint. Illi contumaciam & impietatem Paparum non rarò puniverunt; & *Otto I.* Ioannem XIII. (*qui in amorem Diaboli vinum biberat*) & Benedictum V. *Henricus III.* Benedictum IX. Sylvestrum III. & Gregorium VI. & alii alios, exautoraverunt: sed & nostris hodie licet idem. Prorsus uti Imperator *Henricus IV. Gregorium Hildebrandum*, illum *sanctum Satanam* (sic enim vocabatur à Petro Damiano, Monacho non vulgaris existimationis) qui contra Apostolicam Petri & Pauli doctrinam abominabili scelere Deo & Regi honorem suffurabatur, ita compellat: *Tu Hildebrande, non iam Apostolice, sed false Monache, descende; vendicatum tibi sedem Apostolicam relinque: alius in solium beati*

c. 1. & 2. Dist. 13. Iac. M. B. Rex in Ap. pro iur. fid. Whitaker. de Conc. Q. 2. Gothofr. in not. ad l. 7. § 4. C. de sum. Trin. Seld. Consf. contr. Paul. IV. Grotius in Pietate Ord. Holl. Hat auffs Teuffels gesundheit getruncken/ *Bar. ad An. 1064. nu. 28. Goldast. tom. 2. Constitu. Imp. p. 50.*

beati Petri aſcendat, qui nulla violentiam religione palliet, ſed beati Petri ſanam doctrinam doceat. Ego Henricus Rex Dei *gratia, cum omnibus Epiſcopis noſtris, tibi dicimus, Deſcende, Deſcende:* ſic hodie, ſi Religionis & Reipublicæ ſalus per Paparum flagitia & artes periclitetur, idem remedium Imperator noſter adhibere poteſt.

CLXVIII. Veruntamen non dicam craſſus & intolerabilis error, ſed fraus Canoniſtarum & totius illius adulatoriæ ſectæ fuit Diabolica, qua Germanos Religionis zelo, in ſuperſtitionis decipulas jam prolapſos novis mendaciorum technis ac ſutelis, de *Papali Imperii in Germanos tranſlatione, de iuramento fidelitatis ab Imperatore Papæ præſtando, de confirmatione, coronatione, & titulo Imperatoris, de adminiſtratione vacante Imperio, & huius farinæ pluribus,* irretire conati ſunt. Clarum enim & meridiano ſole lucidius eſt, *Carolum Magnum* triplici expeditione Italiam occupaviſſe, eo ordine; ut *primam* ſuſciperet rogatu Adriani Pontificis contra Deſiderium Regem Longobardorum, quem Papiæ incluſum cepit, & totam Longobardiam ſub jugum miſit: *alteram* contra Argiſum Ducem Beneventanum, qua omnem ejus ditionem ſibi ſubjecit, & propterea *Advocatus S. Petri contra Longobarbos,* dein etiam *Patritius Romanus* electus eſt à Romanis: *tertiam* denique contra Romanos, ulturus injuriam Leoni III. ab illis illatam, qua, levi in Beneventanos excurſione facta, Romam venit; ubi ipſo die Domini natali à Leone coronatus eſt, cuncto Romanorum populo acclamante: *Carolo Auguſto à* Deo *coronato, magno, & pacifico, Imperatori Romanorum,*

Arniſæ. de Trãſl. Imp nu. 12. & 13.

rum, vita & victoria. Vt ita populus Romanus auxilio destitutus omni, cum hinc seditionibus intestinis ac civilibus, illinc finitimorum populationibus atque injuriis premeretur, Constantinopolitanorum Imperatorum ignavia desidiáque, interim etiam hæresi, permotus, primò Exarchorum Vicariatum Imperialem, tum denique ipsa Imperatorum jura, in quos *Lege Regia* olim ea contulerat, tanquam commissa sibi asseruerit & vindicaverit, in Germanósque eadem *Lege Regia* transmiserit. Neque etiam *iuramentum*, quod præstat Imperator Papæ, est *fidelitatis*: id quod *Henricus Luzelburgicus*, convocatis tabellionibus, publicè negavit se fecisse, testatus nulli mortalium ad fidelitatem se obligatum esse, nec in fidelitatem cujusquam jurasse: sed jurat Imperator Pontifici & Ecclesiæ tantùm protectionem, procurationem, & defensionem: quemadmodum Domini vasallis, Principes subditis, jurejurando sæpè promittere solent. Sic *Coronatio* Pontificis non magis operatur quicquam ad amplitudinem Imperatori conciliandam; quam Archiepiscopi Coloniensis, aut cujuslibet alterius Episcopi facta consecratio: ac licet antiquitus Imperatores non nisi à die coronationis Pontificiæ, annorum Imperii dinumerationem inciperent, singulari quadam erga Sedem Apostolicam reverentia inducti: id tamen jamdudum in desuetudinem abiit; & uti ante introductam istam consuetudinem semper licuit Imperatoribus, ita & inducta jam illa licet, atque in posterum semper licebit, post electionem & Germanicā coronationem se Imperatores nominare & scribere. Et quot fuêre Imperatores, quibus

Goldast. in Rationali Cōst. §. I.

Goldast. in Replic. pro Imp. cont. Grets. c. 16. Seld. Cōs. cōt. Paul. IV. Arni de Transf. Imp. nu. 34. & 35.

Seldius. d. l. G. Buxtorff. Disp. in A. Bull. th 8. lit. c. & th. 29. lit. g.

à Papa

à Papa corona nulla eſt impoſita? Quot fuêre, qui ſolennes illas ceremonias penitus neglexerunt? *Henricus Auceps* invitatus à Pontifice, ad coronam Imperii ſuſcipiendam, reſpondit: *Sibi ſufficere, quod ex gratia* Dei *ſit Rex Romanorum, & quod Germaniam ab infidelium incurſione defendat.* Et *Rudolphus I.* Principibus ad Italicum iter adhortantibus, Imperatorie: *Multos Alemannorum Reges Italia conſumpſit: non ibo Romam. Rex ſum, Imperator ſum: nec minus pro utilitate Reipublicæ acturum me confido, quàm ſi Romæ fuiſſem coronatus.* Sic etiam in eo Canoniſtas falſi arguimus, quod per *vacationem* Imperii jus ad Papam devolvi vaniſſimè nugantur; cum longa & approbata conſuetudine, vacante Imperio jus adminiſtrandi Palatino & Saxoni Electoribus competat, & nuper *Paulus IV.* magis fuerit ridiculus, quam formidoloſus, cum *Imperatori Ferdinando I.* fatuum ſilicernium ineptiſſimis quæſtiunculis obſtreperet; Principibus & Ordinibus Imperii Canones Caraſſicos, & purpuratos illos Canoniſtas, *par le droict du canon* confutare tunc promptiſſimis, ſi Imperator nutu tantum operam illorum poſtulaſſet. Sed quemadmodum ſerpentes venenum ſuum retinent, quocunque anni tempore, etſi non ſemper exſerere poſſunt: ita Pontifices ſuam pravitatem: quæ tamen cum interitu ipſorum aliquando erumpet non aliter, quam cum *Ioan. Baptiſtæ Concordiæ Epiſcopo*, Pontificio ad Venetos legato, retentus in convivio Ducali ventris flatus lethalem contraxit morbum, & Ferrariæ poſtea animam eliſit.

Archidiac. & Seld. d. l.

Cruſ. Ann. Suev. p. 3. l. 3. cap. 1. ex Trith.

Bod. de Re. l. 1. c. 9.

Zwing. M. Apodem. l. 3. c. 19.

CLXIX. Quod ſi verò quis iſta Pontificum

indi-

indignitate exacerbatus, accuſet nimiam Principum indulgentiam, an dementiam; qui illos tantis, nec ab homine expetendis honoribus auxerunt, & paulò infra Deum adoraverunt; nihil aliud obtendere poſſum, quam Religionis obſervantiam, cui Majorum pietas tantum detulit, ut etiam ſacrorum Antiſtites ac Interpretes poſt Deum exquiſitiſſimè colendos eſſe cenſuerit. Ita fit, ut Imperatore non Papa tantùm, ſed quilibet loci

Seld. d. l. Epiſcopus & parochus in *foro conſcientiæ*, ut loquuntur, ſit ſuperior: ſed & extra illius fori cauſas ſcimus, Monachos Capucinos maximis Principibus dexteros incedere: at qui inde velit argutari, Papam, Epiſcopum, parochum, & illos monachos, poteſtate & authoritate eſſe ſupra Principes, is nihil aceti in pectore habiturus, nec rationibus, ſed baculis convincendus ſit. Equidem Pontificii faſtus proxenetæ, & qui illum oſculandorum pedum ritum, quo non niſi perreptato de geniculis cubiculo, oſculóque pedibus Papæ admoto, nemo ad illius colloquium admittitur, Religionis ſuæ faciunt characterem, Ambroſium, divinum virum, in patrocinium trahere audent.

Vide Iacob. Capellum de Sedis Ro. poteſt. l. 1. c. 24.

De dignita. Sacerd. c. 2. *Sublimitas Epiſcopalis*, inquit Sanctus Epiſcopus, *nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas Regum colla & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dexteris, orationibus eorum credant ſe communiri.* Locus eſt illuſtris; ſed quo turpiter abutuntur lupæ Romanæ luſtra. Aſſerit aureus Doctor, Epiſcopatum vel regno eſſe potiorem.

rem. Quidni? Cum etiam Christianum esse majus sit, quàm Regem esse. Quis enim verè Christianus dignitatem suam cum Neronis diademate commutatam velit? Non tamen Ambrosius dixit, se potiorem esse Theodosio; neque certè dicere debuit. Nam Theodosius & Christianus fuit, & Pastor, & Sacerdos, ac insuper Imperator. Reges quippe Pastores dicuntur, & à sacris & ab exoticis scriptoribus. Imò quivis Christianus, qua talis, etiam Sacerdos est, atque adeò Rex: cum omnes sint, divi Petri verbo, *regale Sacerdotium, gens Sancta, populus Acquisitionis.* Rex autem verè Christianus etiam Episcoporum suorum Episcopus esse debet. At in Synaxin sacram non ingreditur Rex, qua est Rex, sed qua est Christianus; nec ut Pastor, sed ut ovis: idque ut testetur, de geniculis adorat & inferiore loco, Pastor stans & de umbone. In hoc actu vel Diaconus, ut Rege, sic Episcopo major est: quia tum & Episcopus non Episcopum agit, sed ovem. Quamobrem tunc quoque ut Regis, sic Episcoporum colla genibus orantis Diaconi sunt inferiora. Ne tamen quid diffitear; ille Ambrosianus locus, nec modestiam, nec seculum sapit magni Ambrosii; & illa inter Episcopum & Regem comparatio vitio non caret. Si enim Theodosius Ambrosium eo nomine culpare voluisset, quem vindicem laudare potuisset? quem Martyrem? quem Apostolum? quem Prophetam? quem Doctorem intra mille & octingentos annos, qui fluxerunt ab Aaronis obitu ad Ambrosium usque? Contra, tam Novi quam Veteris Testamenti tabulæ Regiam dignitatem passim anteponunt Sacerdotali; postponunt nunquam.

Et

Et præclarè annotatum à Talmudicis est, quanto major omnibus & Prophetis & Pontificibus Rex fuerit. Nos id obiter ex Rabbi Mose Maimonide Ægyptio, (qui scriptor maximus fato quodam & sorte nascendi primus solúsq; ingente Talmudica rectè intellexit, quid hoc sit, *non ineptire.*) referemus; cujus verba sententiam fermè habent ejusmodi, interprete eruditissimo Petro Cunæo: *Sancitum fuit, uti Pontifex maximus Regem veneraretur, & locum illi suum ad sedendum cederet, atque ipse staret, si quando veniret ad eum Rex. At contra, Rex non stat præsente Pontifice, nisi cum consulit solenni ritu oraculum* Vrim. *Præterea tanta Regis dignitas est, uti vel ipse vates, quoties ei adest, in terram humiliter se summittat. Quippe scriptum est: Nathanem Prophetam venisse coram Rege, & specie honoris prono ore procubuisse in humum.* Regredior cum *Marcello II. Pontifice*, Cardinalis Bellarmini avunculo, viro rara eruditione, prudentia, & sanctitate vitæ antiquis comparando; qui aliquando, cum ei anagnostes in memoriam revocasset *Hadriani IV.* verba, quibus miseram Pontificum Romanorum conditionem deplorabat, mensa manu percussa subjecit; *Non videre se, quomodo, qui fastigium hoc altissimum tenerent, saluti suæ consulere possent.*

P. Cunæus de Rep. Hebræor. l. 1. c. 2. & cap. 14.

Rabbi Moses Bē-Maimon in Halacha Melachim. c. 2.

Onuphr., in Marcell. II. Th. H. l. 21.

CLXX. Itali plerique, cum militari gloria aliis nationibus æquiparandi non sint; *vindicta* tamen cupiditate, & barbara truculentia, omnibus hostibus multo sunt immaniores, & planè exsecrandi: & cum non possint fortiter, agunt saltem fraudulenter, perfidè, nequiter, crudelissimè. *Florentini* non milites, sed venefici; non viri, sed

fœminæ;

fœminæ; non homines, ſed aſpides ſunt; non gladiis, ſed veneno pugnant. Optimus Imperator *Henricus VII.* proficiſcitur in Italiam cum Germanis ſuis, requirit Florentinos, ut ſibi & univerſo & comitatui Cæſareo in urbe hoſpitium parent: ſed reſpondent perduelles, *Tantum Principem imprudenter agere, qui barbaros* (ecce inſolentiam & typhum adverſum Germanos!) *in Italiam ducere conetur, quam ipſe Imperii cauſa à barbaris tueri deberet:* nec uno crimine contenti, *Bernardum* Dominicanum Monachum ſubornant, qui hoſtia veneno illita Imperatorem ad Bonconvẽntum nefariè interemit. O Cerbeream impietatem! Sed in *Ladiſlaum* Hungariç & Neapolis Regem Florentini quales? Libidinoſiſſimus ille urbem eorum obſidebat arctiſſimè; & jam ſic preſſerat, ut deditionis leges eſſet præſcripturus; omni tamen eos metu, atque obſidione etiam liberat, hac conditione, ut ſibi tradant virginem quandam, quam pulchritudine omnibus aliis ſuperiorem eſſe acceperat. Non abnuunt Florentini, pudicitiæ hoſtes: ſed non ſine dolo malo. Virginis enim pater, Medicus illo tempore magni nominis: tam turpi neceſſitate expugnatus, dat filię ſudariolum odore & artificio elaboratiſſimum, quo novum amantem in primo congreſſu demulceret. Et ita nova Venus ad Martem ſuum egreditur; cui amore deflagranti cum ſe permitteret, ex domeſtico mandato incaleſcentis carnes ſudariolo perfricat; qua re venenum in utriuſque corpus ea penetravit vehementia, ut mox inter mutuos amplexus ambo expirarint. Quanquam autem Florentini hoc ſtratagemate ſe metu, & Italiam

Platina in Clemen. V.

Cuſpin. in Henr. VII. Mornæus in H. Papat. Lehm. Chr. Spi. l. 7. c. 10.

M. Montan. l. 2. 33.

A. Gētil. de I. belli. l. 2. c. 6.

tyrannide

tyrannide liberavisse dicuntur: quot tamen flagitiis & sceleribus parta est victoria? *Vinci satius est, quàm malo more vincere*; dicebat Scaurus. Quocirca *Cosmus Medices*, ille sapiens, qui perspectum habebat popularium suorum veneficum ingenium, cum lividorum factionibus prævalescentibus, tanquam adfectati in libera civitate principatus reus, qui tamen innocens neminem nisi virtutis fulgore offenderat, & studiosè multos suis opibus ab egestate sublevarat, custodiæ traderetur; adeóque ab inusitata inimicorum acerbitate, qui tum erant in Magistratu, crudelissimum Senatus decretum, atque ipsum carnificem expectaret; veneni insidias veritus, ab omni ferè cibo totum quatriduum abstinuit; quem Fridericus Malavolta custodiæ præfectus, ut concepto veneni metu ac suspicione liberaret penitus, post plenissimas consolationis sententias, quibus captivum erigebat, etiam cœnam cum eo sumpsit, singulis dapibus prius à se delibatis. Quo verò in numero habeam *Pistorium*? quæ urbs non quidem beneficio, nec tamen justo bello, sed crudelitate & rabie factiosorum usque adeò est labefactata, ut deserta nunc & colonis destituta videatur. Vnde & *Maligna* quibusdam vocatur, & *factionum parens*. In ea siquidem primum omnium audita sunt factionum nomina ad perniciem humani generis & exitium penè universæ Italiæ excogitata, *Cancellariorum & Panciaticorum*: qui cum immani vindictæ cupiditate & capitalibus odiis inflammati in mutuas carnificinas ingenti Hetruriæ malo præcipites ferrentur; ad eorum postea exemplum veluti peste tacti in Piceno *Albi & Nigri*, in Latio

Iovius. in Cosm. Med.

Plat. in Greg. IX. Leand. Alb. in Hetr. Med. Schradæus Monum. Ital. l. 1. Merula Cos. p. 2. l. 4. c. 21.

Columnenses

Columnenses & Vrsini, in Insubribus *Bracciani & Sfortiani*, pro partium Nobilitate & potentia non minus crudeliter grassabantur. Hæ furiæ in Italia nunquam penitus extingui potuerunt, neque posthac eradicabuntur facilè, propter tectum gentis ingenium ac mores ad inferendum injuriam promptos, ad deponendum contumaces. Tanta est enim illic ultionum vis, & ambitiosa naturæ crudelitas, ut pueri etiam se aut harum aut illarum partium esse profiteantur, nec pietati parentum, nec cognatorum sanguini parcentes. Itaque in hanc diem cum alia loca, tum Pistoriensis civitas maximè cædibus recentibus madet. Et verò tu, Roma, quæ vidisti in tuis visceribus sanguinea *Gibellinorum & Guelforum* spectacula? Itali ex levissimis causis captant offensiones, lanienas, cædes: atque si causa sit gravior, ultionem odio alunt immortali. Ne tutæ quidem amicitiæ, aut necessitudines periculo carent: jocus fortè, aut imprudens per fenestram aspectus, secretissimo scelere vindicatur, sæpè in ferrum tutos, venena sustulerunt, aut facis illitæ fumus, aut corrupta floris suavitas, aut fatalis cultelli acies, qui eodem tempore & intactam liberis dapem dissecat, & adversario mortem. Æterna sunt semel læsæ mentis vulnera; & plures reconciliatio; quàm professum odium extinxit. In familia *Liminea*, inter Patavinas satis antiqua & illustri, duo fuerant fratres; qui per æstatem in rustico prædio commorati, cum noctu sereno cœlo innumeras stellarum cohortes contemplarentur, stolidum votorum certamen iniverunt; cum alter per jocum diceret subridens: *Vtinam mihi tantum esset boum,*

I. Barclaius in Sat. p. 1.

quantum

B. Scardeonius l. 3. cl. 13. in descr. Patav. Camerarius Cent. I. cap. 92. Zwing. M. Apod. lib. 3. c. 19. *quantum in cœlo stellarum!* alter statim joco responderet; *Vtinam verò mihi pratum esset cœli amplitudine?* & ad fratrem conversus, *Vbi tuis bobus*, ait, *sis inventurus pascua? In tuo prato*, inquit Prior. Sed alter: *Quid si nollem? Etiam te invito pascerem*, infit ille. At iste: *Tunc me invito? Te invito etiam*; denuo ille. Et ita altercando, joco & risu in iram; hinc in rixam, & in furorem usque progressi, denique sicis è vagina eductis, mutuis vulneribus se se crudelissimè interemerunt. Tantine sit jocus? O vanitatem! Tudernum autem civis sui *Altobelli* crudelitatem majori longè sævitia ita compensavit. Ille cum sociis quasi ducentis exulibus sicariis (quos *Banditos* vocant; ferale latronum genus, licitatores capitum, qui in Italia tam latè nuper regnabant & grassabantur, ut frequentissimum crimen penè fuerit sine infamia, & quidem sub Pontificatu Gregorii XIII. non usque adeò innoxii & boni publici amantis Episcopi; quippe qui Kalendarii emendationem Imperatori & Principibus Christianis indignè præripuit; qui *Iac. Boncompagnum*, filium naturalem, invidiosis opibus auxit, ad maximos evectum honores; & alia multa in civili disciplina peccavit; tunc grassatores illi Banditi, *Curtieto Sambucano & Marco Sarra* primariis Ducibus, Romanæ Ecclesiæ ditiones tot latrociniorum, homicidiorum, deprædationum, & maleficiorum exemplis funestaverunt, ut nec in pagis, nec in urbibus, & ne Romæ quidem vita & fortunæ bonorum tutæ essent; vix tandem securitate restituta per Sixtum V. cujus severitas tanto impleverat pavore exulum animos, ita ut licentiæ tempora præteriisse, *tempus* Sixti *venisse*,

Cicarell. in vita Greg. XIII. & Sixti V. Th. H. l. 81.

Th. H. l. 82.

communi

communi proverbio jactaretur.) Ille, inquam, *Altobellus* patriam & vicinam ditionem excursionibus, rapinis, incendiis, cædibus, fædè deformaverat: sed ab exercitu Pontificio captus, mox in publico loco nudus tabulæ affixus est, potestate omnibus, quos læsisset, facta de eo supplicium sumendi, confestim accurrunt matres, quas liberis privaverat, rabie incitatæ, & nonnullæ dentibus corpus ejus dilaniant, aliæ aliis modis sauciant, patres quoque & amici eorum, quos interfecerat, oculos, cor, & alia membra evellunt, nihilque omittunt, quo cruciatus augeri possent, sed Altobellus obstinatè ferebat omnia; affirmans, nihil novi sibi accidere, quod jam pridem animo suo conceperit, tandem mortui cadaver in minutas partes concisum, & ad pondus, sicut aliæ carnes in macello solent, divenditum est iis, qui nondum satis injurias ulti essent, ut quod reliquum esset devorarent. Res auditu, multo magis visu horrenda; emptam esse carnem humanam, & voratam, tantum ad animum vindictæ cupidum exaturandum. Nullus tamen Sulla, nullus Phalaris, nullus tyrannus unquam ultionis immanitate par fuit illi *Mediolanensi*, quem appellare nefas est: qui cum decennali odio furens sæpissimè aucuparetur occasiones familiaris sui opprimendi; humili tandem gestu ac blanditiis amoris redintegrationem simulans, aggreditur inopinantem, prosternit, & sica faucibus admota mortem minatur; humiliter tamen veniam precanti, hanc libertatis dicit legem, vt Deum *immortalem eiuret*, miser ille, eheu miser! ultima exturbatus necessitate morem gerit invitus, & Deum de-

Leand. Alb. in Duc. Spolet.

Bod. in Rep. l. 5. c. 6. Camer. M. H. Cent. 1. c. 84.

testabilem in modum exsecratur; & quo minus simularet, exsecrationes sæpius ex animo iterare ab adversario cogitur, & deinde statim confoditur: sicario postremo ita gloriari auso: *Et illa est generosa ultio, quæ & corpori vitam eripiat, & animo cruciatus sit allatura sempiternos.* Hominem arbitror esse neminem, qui facinus istud audiverit, quin toto animo in sicarii illius detestationem conspiret.

O utinam cœlique Deo terræque liberet
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas!

Quid enim Satan ipse, capitalis, & æternus humani generis hostis, in perniciem hominis machinari possit, quod Mediolanensis ille omiserit? Vbi in uno facinore tetrior scelerum audita est veluti conjuratio?

CLXXI. Fidem, qua Respublicæ cohærent unicè, ubi terrarum vidisti rariorem? ubi gentium *Perfidiam* immaniorem? *Pudet me*, ait Æneas Sylvius, *plus hodie fidei trans montes, quàm circa reperiri. Pleró sque ex nostris Principibus, quos Italia genuit, adeò parabolanos, ut ita loquar, invenias, ut certiora sint meretricum, quàm eorum promissa.* Non ausim viro patriæ suæ amantissimo, atque censori ingeniorum acerrimo contradicere. Equidem *Romæ, fides est aroma*; & res omnino peregrina: ut, qui ad hodiernos mores Romanorum respexerit, eósque cum tua, *Laurenti*, laudatione contulerit, dicturus sit, te arcem fecisse è cloaca, & lapidem è sepulchro veneratum fuisse pro Deo. Et *Dominicus Trevisanus* in Senatu Veneto libera voce testabatur, *proprium esse Pontificum, posthabere*

Æn. Silv. in Paral. Al. l. 1. cap. 58.

Fr. Guic. l. 8.

bere fidem. At qualis Rex, talis & grex: qualis pater, tales & liberi. Et Neapolitani, *semper Italorum omnium maximè cupidi rerum novarum, & mutationum appetentissimi*, an fidem colant? Imò, *ut cæteri quoque Itali, fidem parvo momento mutant.* Cum Carolus VIII. Galliarum Rex Neapolim deditione cepisset, cives in nomen Gallicum quidem læti & summa congratulatione jurabant; sed biennio vixdum exacto ipsi Gallos iterum pepulerunt, palàm erga Alphonsum Regem fugitivum & Ferdinandum filium ejus studium suum professi. Quod posteaquam Carolo nunciatum esset, contracta fronte, *Agnosco*, inquit, *Sirenis cantus & mellitas fraudes: sed brevi palinodiam ipsa canet.* Alludebat ingeniosus Princeps ad id, quod vulgò fertur, *Parthenopen tertiam Sirenum Neapoli sepultam esse:* unde & urbs illa *Parthenope* nuncupatur. *Mediolanenses* autem, quoties fuerunt perfidi? Quoties deceperunt Imperatorem Fridericum Barbarossam? Quoties sicarios in illud augustum caput subornarunt? Sanxerunt etiam pœnam *linguæ*, ne *Imperatoris Friderici* nomen quisquam in sermonibus usurparet: & accusati de perjurio respondere ausi sunt, *se iuravisse quidem, sed iuramentum servaturos non promisisse.* Sed extremis desperatisque morbis extrema remedia adhiberi solent: ita cum Mediolanenses scelera sceleribus tuerentur, pleráque perditi, & cumulatis injuriis patientiam Augustalem evincerent clementiæ incapaces, necessario Fridericus ad decretorium stylum accessit. Itaque urbs illorum deleta; mœnia, templa, basilicæ, domus civium, prostrata; aratrum per urbis aream decussatim tractum, & sal in ea

A. Gentil. de j. bell. l. 3. c. 8.
Tubero H. l. 8.
Forcat. de Gall. Imp. l. 2.
Crus. in Ord. de Frid. Barbar. & Ann. Suev. p. 2. l. 10 c 18. & l. 11. c. 6. Lehmã. Chr. Sp. l. 5. c. 57.
Hippocrat. in Aphorismis.

Jov in Fr. l. l. 2. Elog. disseminatum; atque omnes illi refractarii & rebelles patrium solum vertere jussi, & ultra centum stadiorum spatium relegati. Fertur & hoc de Mediolanensibus: *Beatricem* Augustam, Barbarossæ uxorem, videndi Mediolani cupidam, aliquando urbem ingressam esse, omnino nihil mali metuentem; cum tunc inter Imperatorem & civitatem Münsterus Cos. 2. cap. 20. aut pax, aut pacis sequestra induciæ, coiissent: sed plebem incompositam, & tranquillitatis impatientem, Imperatricem mulæ imposuisse Cruf. Ann. præpostere, ita, ut illa caudam bestiæ tenuerit pro freno; Suev p. 2. l. 11. c. 2. F. & sic per urbem ignominiose circumduxisse, & Faber. H. foras eduxisse: Imperatorem verò, qui petulan-Suev. lib. tiam enormem meritis pœnis cohercere voluerit, 1. c. 12. benè multos illius ludibrii & injuriæ authores ac sceleris participes mortis terrore coegisse, ut ficum de natura mulæ exemerint. Ex quo illud Italorum contumeliosum; ut pollice inter duos digitos exerto, aut medio ostenso digito, dicant: *Ecco la fico, Ecce ficus.* Genuensis perfidiæ monumentum in omnem memoriam stabile est, transportatio Turcarum in Europam, Muhametis in Leüclav. Pand. H. Tur. c. 89. Christianum orbem, hostis in patriam. Cum enim Murates II. Mustapham fugientem persequeretur, & omnes ad Hellespontum propter Calliopolitanum trajectum naves in terram inveniret subductas; Cruf. Ann. p. 3. l. 5. c. 6. Genuensium opera opportuna fuit, & eorum navibus *Interiana & Squarciafica* LX. millia Turcarum Hellespontum trajecit, pro naulo in singula capita singulis aureis numis persolutis.

CLXXII. *Avaritia* Italos sic tenet in vinculis, ut pecuniæ amore cum Turcis consuescant, & totius Europæ libertatem conjiciant in discrimen,

men, barbaríſque prodant. Nec tamen ſoli Genuenſes ſic delirant. Cardinalis enim Beſſarion omnibus Italiæ Principibus graviter exprobrabat, quod Conſtantinopolin quinquaginta millibus coronatorum juvare noluerint, cauſæque extiterint, ut poſtea urbs à Turcis occuparetur; qui inde victoriarum curſu Trapezuntem, Sinopen inſulam, Leſbum, Peloponneſum, Caramaniam cum regionibus vicinis Pamphyliæ, Boſniam, Bulgariam, inferiorem Hungariam, Epirum, maximam partem Dalmatiæ & Illyrici, tandem quoque Eubœam, imperio ſuo adjecerunt. Quapropter Hungari, Bohemi, Poloníque, non minori ferè odio inſectantur Italos, quam *Iudæos*; illorum maximè calliditatem & avaritiam animitus deteſtantes. Quod enim alibi pro pecunia Iudæi faciunt; nec facere recuſabunt Itali: fraudes, veneficia, homicidia, ſunt illorum merces, quibus opes parant. *Gemes* profecto Muhametis II. Sultani Turcici filius, vir adſpectu Regio, magnanimus, Arabicis quoque literis non mediocriter excultus, hiſce avaris artibus avorum ætate interiit in Italia. Ille mortuo patre, fretus populorum ac militum benevolentia Ciliciæque regulorum opibus, armis de imperio cum *Baiaſete* fratre natu grandiore contenderat, victúſque in Pruſiacis campis, & aliquanto poſt in Lycaonia ad Iconium amiſſo exercitu, Rhodum profugerat; ibi carceri incluſus à Buſſonio Rhodio Magiſtto; hinc in Provinciam Galliæ, ut tutius ſervaretur, delatus, & denique Innocentio Pontifici Romam miſſus. Fuerátque Gemes magnum vectigal ipſis Pontificibus, per aliquod tempus: cum Bajaſites alendo

Soranz. in Ottom. cap. 8.

Tubero H. l. 1.

fratri *quotannis XL. millia aureorum numûm* exolveret. Ingruentibus autem in Italiam Gallis, cum Papa *Alexander VI.* (qui homo punctum temporis nullum vacuum sceleribus præterire passus est; adeo ut cum tribus ante mortem annis fulmine ictus, & mox præter plurimorum spem refocillatus esset, mirarentur dicaces, *Dæmonem à Dæmone concuti potuisse.*) Carolo VIII. Regi Galliarum ex conventionis legibus Gemem traderet, prius iste profugo & extorri barbaro Principi, *ut ducenta aureorum millia à Bajasete promissa lucraretur*, lethiferum poculum miscuit, quo ad Caietam paulò pòst miserè exanimatus est. Erat id venenum pulvis ad fallendum candore mirabili, nec valdè injucundo sapore, qui non acriore vi protinus, sicut præsentanea venena, spiritus vitales opprimeret; sed sensim venis illabendo exitiabili tarditate grassaretur: quo ipso postea Alexander opulentos aliquot Senatores, & postremo se ipsum, incautè mutata lagena, sustulisse fertur. Verum Romæ non Gemes modo & illius vita salúsque inter avaritiæ fuit promercalia: sed omnino, ut *Baptista Mantuanus Carmelita*, raræ eruditionis vir, conqueritur, sunt

Forcat. de Gall. Imp. lib. 4.

Vide Iov. H. l. 2. F. Guicciard. l. 2. qui testantur, Scioppium vanitatis esse manifestum, dũ præf. in Ecclesiasticum Alexandrum culpa Gemis veneno interfecti liberare conatur. L. 3. Calam.

venalia Romæ
templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
ignis, thura, preces; cœlúm est venale, Deúsque.

Vnde facete, sed non minus verè Ovvenus:

An Petrus *fuerit Romæ, sub iudice lis est:*
Simonem *Romæ nemo fuisse negat.*

Et Poëta alius:

Si caput à capio, vel dixeris à capiendo:
Tunc est Roma caput: omnia námque capit.

Quod

Quod ipsum quoque sensit *Ioannes Andreæ*, Iuris Canonici interpres, cum diceret, *Romam fundatam à latronibus, adhuc sapere primordia sua.* Et in eandem sententiam Alphonsus Aragonum Rex falsè: *Harpyias non jam insulas, ut poëtæ existimarunt, incolere; sed ex insulis migrasse in Curiam Romanam, ibique domicilium constituisse.* Non enim amplius Romæ, *de pastu ovium*, *sed de lana*, est quæstio. Cúmque Religio olim pepererit divitias, filia impiè degenerans devoravit matrem: nimia præsertim piorum Principum liberalitate & alicubi profusione, Sacerdotum integritatem in nequitiam, humilitatem in fastum, paupertatem Apostolicam in avaritiam Satanicam, cœlestémque gloriam in mundi pompam infelicissimè transformante. Nullum enim crimen abest, ex quo tenuitas illa prisca periit. Et *Bonifacius* martyr aliquando interrogatus, *An liceret ligneis calicibus in sacris uti*, ita respondit: *Olim aurei Sacerdotes ligneis vasis, nunc lignei aureis utuntur.* Scilicet

Panorm. de dict. & fact. Alf. l. 1. cap. 8.

Æn. Silv. Ep. 25.

Duaren. de sac. Ecc. minist. l. 2. c. 4.

De consecr. dist. 1. c. 44.

excesserе modum magnorum munera Regum.

Gunth. l. 6.

CLXXIII. Etsi Reipublicæ salus tam prodigas donationes & alienationes nulli hominum permittit. Rex enim, quantum ad boni publici procurationem attinet, ferè idem est, qui pater cum uxore & liberis, tutor cum pupillo, curator cum adolescente, gubernator cum vectoribus onusta nave, pastor cum grege, Imperator cum exercitu: quorum nemo fidei suæ concreditos ut vendere, donare, & alienare potest; sic nec Rex populum & provincias. Quare Imp. *Carolus V. Paulo III.* Pontifici candidè respondit de Parma

Hotom. in Franco-G. cap. 19.

Th. H. l. 4.

& Placentia; *eas civitates, si ad Imperium pertinerent, non posse se in ditionis ac dignitatis Imperialis praeiudicium alienare.* Quemadmodum igitur *Pius II.* dixisse scribitur; *fuisse aliquas causas, cur ademptum sit Sacerdotibus coniugium, sed multo maiores esse causas, ut reddi debeat:* sic jam argumentari licet; fuisse olim aliquas devotionis, etsi & superstitionis plenissimas ratiunculas, ob quas Papatus tot provinciis & opibus fuerit ditatus; sed hodie causas esse multo gravissimas, cur donationes illæ ut inofficiosæ, illegitimæ, & injustæ, sint rescindendæ, abrogandæ, tollendæ; atque Papatus ad priscam pauperis Petri & Apostolorum egenorum conditionem redigendus. Hac etenim via sint reditura sanctitas Religioni, quæ Roma jam per tot secula exulat; honor Sacerdotibus, *qui omnium magnorum malorum in Ecclesia habentur authores*; existimatio Pontifici, quem *Gabriel Povelus* Antichristum esse tam certò se scire affirmat, quam Deum ipsum esse creatorem visibilium & invisibilium, & Iesum Christum esse verum Messiam: hoc item modo triumphatura sit modestia, quæ *Vniversalis Episcopi* titulum abrogabit; regnatura justitia, quæ *Bonifacium VIII.* aliquem ista verba, *Ego sum Cæsar & Pontifex*, superbè usurpantem compescet, & Pontifices Imperatoribus subditos esse jubebit: hoc denique pacto Imperator noster tandem sit priscam illam Imperii sui sedem, illud augustissimum terrarum Capitolium, omnibus Reipublicæ hostibus exstirpatis, iterum feliciter occupaturus. O quando fiet! O quando splendidissimus sol ille illucescet! *Leonem X.* Papam præ gaudio, quod ex nuncio victoriæ de

Vide Confess. August. de coniug. Sacerdot.

Morn. in H. Pap.

Becanus in Refut. Apolog. Iac. M. Br. Reg.

Cuspin. in Alberto I.

S. Goulart. en ses Histoires.

de Gallis extra Italiam pulsis reportatæ gratissimo conceperat, mortuum fuisse aiunt: & verò ego quoque, si voto illi meo felicitas seculi satisfaceret, tam læto & jucundissimo nuncio statim piè immori non modo nil detrectem, verùm etiam istam ἀθανασίαν medullitus optem. At verò avaritia Romanorum tam profundè radicatur; ut spei audaciam cum voto meo vix ausim committere, *Henricum VI.* Angliæ Regem, expressum Christianæ pietatis & patientiæ exemplum, commendabat Henricus VII. Rex *Iulio II.* Pontifici; ut *Cambed.*
iste illum referret in numerum Divorum: sed quo *in Br. Re-*
minùs hoc fieret, in causa erat Papæ avaritia; qui *gnis. p.*
212.
pro Regis canonizatione, ut vocant, nimis magnam pecuniæ vim exegerat; ut videretur non Principis Sanctitati, sed auro honores illos delaturus. Sed non tantùm in Principum, etiam in privatorum fortunas invadendi, modos cum excogitarent Papæ penè infinitos: hic sanè fuit inter pessimos, quod in Galliis superioribus seculis, qui testamento nihil curionibus aut Collegiis Ecclesiasticis legasset, honore sepulturæ carebat: si quis *Bod. de*
autem inopinato casu occubuisset, sacrificulus *Repub. l.*
Pontificis jussu mortuo testamentum condere, & *5. c. 2.*
quæ vellet Ecclesiæ arbitratu suo quasi testator legare solebat: quem morem tamen sustulit Curia Parisiorum. Quin æmulata est Pontificia habendi cupido aliquorum Imperatorum & Principum in pecuniis corradendis insaniam. Namque uti *Vespasianus urinæ vectigal* commentus est, & filio *Sueton.*
Tito id reprehendenti pecuniam ex prima pen- *in Vesp.*
c. 23.
sione admovebat ad nares, sciscitans, num odore offenderetur: & illo negante; *Atqui*, inquit, *è lotio*

est.

est. Cui vectigali origo & causa; quod in publico amphoræ aut dolia stabant ad urinam reddendam: quam fullones, opinor, vertebant deinde in suum usum & videtur hoc fuisse triste illud *Chrysargyrum*, historiis decantatum, sublatum ab Imperatore Anastasio; quæ pensio fuit talis; *ut quisque mendicus aut pauper, meretrix sive iam emerita, omnis servus itémque libertus inferrent in ærarium pro* Vrina & Stercore, *iumentorum etiam & canum; sive in agris, sive in oppidis habitarent: & homines quidem utriusque sexus, nomisma argenteum; equus, mulus, bos, tantundem; asinus & canis folles sex*. Phui, phui, spurca vectigalia! & nihilominus viri Proceres & Reipublicæ primi munus colligendi ambibant, atque isti pudendarum sordidum lucríque exercitores aut conductores sunt, quos *Foricarios* IC. appellant. Caligula etiam *ex capturis prostitutarum vectigal instituit, quantum quæque uno concubitu mereret*: & postea quoque sub Heliogabalo lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum fuit. Sic Romani Pontifices, non quidem foricis, quod ego sciam; sed quod fœdius in Religiosis est, lupanaribus locupletaverunt ærarium; nihil turpitudini adscribentes, quod ad æs exeat. *Sixtus IV*. Romæ Nobile admodum extruxit lupanar, ut ex meretricioquæstu infame lucrum acciperet. Et Romana scorta in singulas hebdomadas *Iulium* nummum pendunt Pontifici: qui census annuus nonnunquam *XX. millia ducatorum* superat; adeóque Ecclesiæ Procerum id munus est; ut una cum Ecclesiarum proventibus etiam lenociniorum numerent mercedem. *Et sic Henr. Cornelius Agrippa* audivisse se dicit aliquando

Lips. Adm. l. 2. c. 6. ex Cedreno.

Suet. in Calig. c. 40.

Agrippa. de Vā. Scien. c. 64. Morn. in H. Pap.

quando, cum rationes ſuas ita inirent: *Habet ille duo beneficia; unum Curatum aureorum viginti, alterum Prioratum ducatorum quadraginta*; & *tres putanas in burdello, quæ reddunt ſingulis hebdomadibus Iulios viginti.* Magnum hoc crimen eſt Italicæ avaritiæ, & vix eſt in orbe terrarum provincia, ubi Roma flagitioſorum vectigalium & tributorum non reliquerit veſtigia: ut propemodum cum *S. Brigide* credi poſſit, *Papam decem* Dei *Præcepta in unum commutaviſſe,* Da Pecuniam. *Mornæus de Eccleſia. c.6.*

CLXXIV. Accipite nunc *Libidinis*, & improbiſſimæ luxuriæ crimen. Æneas Silvius, cum procreaſſet ſpurium, ita ſe excuſabat patri factum deteſtanti: *Neſcio,* ait, *quam de me tibi finxeris opinionem, pater, non ego caſtratus ſum, neque ex frigidorum numero: nec tu me lapideum, aut ferreum genuiſti, cum ipſe eſſes carneus: & ſcis, qualis tu gallus fueris.* Et cum *Galeacius Sfortia* Mediolani Principatum obtineret, jam tum ea erat ex multo otio luxuriantis ſeculi in Italia conditio, in ipſis præcipuè Nobilioribus matronis, ut totum pudicitiæ decus ab humanitate aulæ alienum prorſus & ſubagreſte putaretur, ideóque Princeps ille ad licentiam libidinis proclinans, & juventæ vigore venuſtatéque oris ſupra omnes ſpectatu digniſſimus, procacibus fœminarum oculis & deſideriis cupidiſſimè deſerviret. Erat enim tum vulgatum inter fœminas, *Nullam ex Principis concubitu fieri impudicam, earúmque maritos, qui ineptis hirci videri poſſent, ita excellere aureis cornubus, ut dignitate cunctos anteirent.* Et Papa *Alexander VI.* Sed pro me dicat Sanazarius, qui Alexandro, ſub quo vixit, tale ſcripſit epitaphium.

Epiſt. 15.

Iov. in Galeacio. Sfortia.

For-

Fortassis nescis, cuius hic tumulus siet:
adsta viator, ni pœniteat.
Titulum quem Alexandri vides, haud illius
Magni est; sed huius, qui modo
libidinosa sanguinis captus siti
tot civitates inclytas
tot Regna vertit; tot Duces letho dedit;
Natos *ut impleat suos*
Orbem rapinis, ferro, & igne funditus
vastavit, hausit, eruit:
humana iura, nec minus cœlestia,
ipsosq; sustulit Deos;
ut scilicet liceret (heu scelus!) Patri
Natæ *sinum permingere;*
nec exsecrandis abstinere nuptiis,
timore sublato semel.
Et tamen in urbe Roma hic vel undecim
præsidet annis Pontifex.
I nunc Nerones, vel Caligulas nomina,
turpes vel Heliogabalos.
Hoc sat viator: reliqua non sinit pudor:
Tu suspicare, & ambula.

Quid utor circuitione? Itali jam sunt Lydi in meridie: Veneríſque ergasteria calent undique tanta scortationum licentia, ut etiam sacrificuli sint, qui profano more suum *Ave Maria & Missas* suas in lupanari, quam in templo dicant sæpius. Et *Romæ* quidem Cardinali *Galeoto*, homini nihili, *arma, equi, canes, odores, scorta, pro bibliotheca erant.* Et cum *Pius V.* meretrices primo aut urbe excedere, aut nubere, & si non obtemperarent flagellis cædi juberet; postea verò monitionibus cedens non aliter pati vellet, quam ut lupanari

Iul. Scalig. Exerc. 211. c. 2.

lupanari includerentur, nec, ut prius, liberè per totam urbem interdiu noctúve vagarentur, ratus pudore utrinque incusso, & illas priori vitæ renunciaturas, & viros infamiam veritos ad ea loca non ituros; quæ verò in meretricia professione morerentur, in sterquilinio defodi mandaret: intercessit urbis Senatus, à sacro ordine clàm instigatus, hoc decreto hospitiorum pretia vilescere, & ad nihilum redigi, & libertatem antiquam tolli, dictitans; nec matronarum pudicitiam inter tot cœlibes integram & inconcussam servari posse, atque insuper majoris vitii, quod Romanis jam olim B. Paulus exprobravit, periculum subesse, nisi meretricum gregibus pristina libertas restituatur. De *Leone I.* Pontifice Romano memoriæ proditum est: cùm is die quadam Resurrectionis Dominicæ populo Eucharistiam distribueret, accidisse, ut manui ejus matrona quædam fixerit osculum, simúlque infixerit aculeos libidinis: sed ut primum concepti ignis impetus sensit ille, statim manum veluti partem contagiosam, è qua lues in totum corpus irrepserat, ultro sibi truncavit. At si eodem modo hodiéque Romæ in ordine Sacro vagæ libidines retundendæ ac coërcendæ essent, quotusquisque Paparum, Cardinalium, Episcoporum, & reliquorum patrum, fratrúmque rasorum, sit futurus superstes integer? Nonne necesse foret, non tantum manus illorum, sed & pedes, & quicquid membrorum tegit cucullus vel stola, omne demetere & capite minuere? Stupeo, cum criminis hujus frequentiam in hac populi Romani infrequentia expendo. Ecce enim hodierna urbs,

Th. H. l. 38.

Sba l. 5.
Pet. Rudolph. Seraph. Relig. l. 1. *p.* 22.

quam

Lips. Adm. l. 3. cap. 3. quam abest ab illa veteri? quam relinquitur? Paulus Iovius pro magno scripsit, Leonis X. temporibus, quibus omnia in felici ubertate & pace; censa Romæ *octoginta quinque millia* civium & inquilinorum fuisse; cum post cladem sub Clemente VII. acceptam, iterum censu inito, vix ad *triginta duo millia* perventum esset. Vnus pene veteris Romæ vicus fuerit tam frequens. Sed quantumvis Roma hodie populosa non sit, nihilominus tamen est libidinosa: quæ

Scaliger. H. Kornm. in Linea Amor.

——quod inverso delectaretur amore,
nomen ab inverso nomine cepit, Amor.

Veneti autem tot lupas alunt, ut in totam Italiam colonias mittere possint. An quæritis,

Vrbe tot in Veneta scortorum millia cur sint?
In promptu causa est: est Venus orta mari.

Et verò, quid possint *domi Nobiles* Veneti in Veneris castris, *Emus*, Petri Emi fratris filius, hominum memoria memorabili facinore testatus est. Cùm enim Petrus (Thuanus *Gabrielem* vocat) in sinu Hadriatico tres Turcicas triremes, in quibus vidua *Ramadanis* Tripolitani purpurati cum filio, familia, mancipiis utriusque sexus, & omni pretiosa suppellectile, quæ credita est IↃCCC, aureorum CIↃ. excedere, vehebatur, in potestatem nullo jure redegisset; statim inaudito furore sævitum in captivos, tam mares, quàm fœminas, mares occisi CCL. filiúsque Ramadanis Bassæ matris in complexu & gremio confossus: fœminæ XL. prius nefariis pollutæ stupris, uberibus mutilatæ, dissectæ tandem piscibus in escam projectæ. Sed Petri nepos in puellam

quandam

quandam eximiæ pulchritudinis inciderat: ea cum ipſum pudicitiæ ſuæ vim illaturum conſpiceret, mox Chriſtianam ſe profiteri, & in Cypro natam nobili familia Cornelia, quæ ſuam originem ad Cornelios Venetos referret; captam ante XII. annos, cum Cyprus ſub jugum Turcicum veniret; ex eo tempore miſeram apud barbaros ſervitutem ſerviiſſe: nunc quando poſt tot ærumnas in hominis Chriſtiani, pudoris virginei vindicis, Nobilis denique Veneti manus incidiſſet; obteſtari ſe per immortalem Deum, ne Chriſtianæ faceret injuriam, ne virginem inceſtaret, ne Veneto ſanguini fœdam labem aſpergeret; ſed potius in optatum hunc diem, quo Chriſtianam ad Rempublicam poſtliminio rediret, divina quadam providentia conſervatam ſalvo pudore libertati reſtitueret. Sed nihil apud immitem animum, ac prodigioſe crudelem, ſalacémque, tam ſanctæ preces valuêre, quo minus violaretur, & ſuffocata cum aliis mancipiis Turcicis in mare proiiceretur. Verum Italicam libidinem in Anglia quoque illuſtravit *Mannus* quidam Florentinus, ſcortator profligatiſſimus. In illo Regno, quicunque extra matrimonium commiſcebantur mulieribus, deprehenſi ſacerdotis imperio die feſto in proceſſu cleri ac populi adeſſe jubebantur, & retentis femoralibus nudi Eccleſiam circumire, ardentémque cereum manu geſtare: ſi quis ſe illi pœnæ ſubmittere nollet, auro noxam redimebat. Mannus itaque cum ſæpius pecunia ſe liberaſſet, rurſus deprehenſus, pœnam ſubire, quam argentum dare maluit, diéque dicta, prodit ad Eccleſiam longo conte-

Leunclavius in ſupplem. Ann. Turc. Th. H. l. 80.

Æn. Silvius Paral. Alf. l. 1. c. 2.

ctus

ctus pallio; quo in media turba virorum fœminarúmque deposito, omni ex parte nudus compareret, at indignante Sacerdote, & femoralia resumere injungente: *Minimè gentium*, inquit Mannus: *nam pudenda hæc, quæ peccaverunt, ea potissimum dare pœnas decet.* Sed quis credat illud? Etiam fœminæ Italæ aliquot, veteres illas Romanas, *Messalinam & Faustinam* æmulatæ forsitan, ad extrema libidinum pervenerunt. *Bona Sfortia* certè, Sigismundi Augusti Poloniæ Regis parens, cum filii pertæsa, Sarmatia relicta in patriam Italiam & Barium oppidum illi hæreditarium venisset, ibi dissentiente à priori vitæ ratione, consuetudine cujusdam *Papacaudæ* inhoneſtè usa, cui & omnia bona testamento præteritis liberis reliquerat, fama & bonis decoctis in summa egestate & infamia decessit. Omnium tamen salacitatem supergressa est *Ioanna*, Neapolitana Regina; quæ quatuor maritos habuerat: primum *Andream Hungarum*, quem tanquam ludo Veneris imparem post triennium strangulari, & de fenestra jusserat præcipitari; ipsamet chordam aureis filis crassiusculam texente, & Andreæ, *in quem usum texeret*, familiariter quærenti, *ut te suspendam*, blando risu respondente: secundùm *Ludovicum Tarentinum*, cui illa nimietate noctium supremam noctem acceleraverat: tertium *Iacobum Tarraconensem*, quem alienæ mulieri familiariorem supplicio capitis affecerat: & quartum, *Othonem* Ducem Brunsvicensem, quem Carolus Dyrrachinus pugna victum cepit, & incolumen è Regno dimisit; sed Ioannam ipsam in eodem loco, ubi olim Andreas suspensus fuerat, suspẽdit. O bonum

Th. H. l. 16.

Crus. Ann. Suev. p. 3. l. 4. c. 14. ex Pandulfo; & aliis. De Ioanna tamen multa præclara refert Meibomius ad Aur. Bul. Andr. Imp.

factum!

factum! Etsi, ut hoc quoque dicam, Itali uxores perquam serviliter includunt, & ferè gentium jure, legitimóque hominum commercio, excludunt: quo rigore non tam arcent, quám provocant adulteria: cum *æquè difficilè sit invitam custodire mulierem, quam in ferventi sole pulicum gregem observasse*; & luxuria ipsis vinculis, sicuti fera bestia, irritetur. Vbi enim audiuntur plura thalami furta, quam in Italia? Vbi visuntur *Cornuti* plures? Quod verbi convitium in uxorum suarum lenones, qui adulterinam sobolem tanquam suam legitimámque educabant, jam olim jacere soliti sunt Arabes. Húcque pertinet ille nimio plus aculeatus jocus Mustaezami, postremi Caliphæ Bagdadensis; qui Nazaraddino gente Tusæo, Chorasanensi, celebri Mathematico, libellúmque offerenti, cum populare vitium, quo Tusæi *cornua gerere* dicebantur vulgò: importunè objectavisset, protinus quærebat ab eodem, *Vbinam igitur & ipse cornua sua haberet?* quæ tamen dicacitas ipsimet Caliphæ imperióque ejus post exitio fuit. At in Europa *Cornutorum* appellatio Imp. *Andronico*, opinor, debet quam plurimum: qui cornua cervorum insignia, & rari aliquid habentia, in porticibus fori suspendebat, specie quidem ostentandæ magnitudinis ferarum, quas cepisset; cum revera civitatis mores, & uxorum, quas ipse corrumpebat, lasciviam notaret. Atqui illa, quæ contra naturæ leges furit libido, Italiam omnino facit *Sodomam*. Et cum sylva veluti suppetat horrendorum exemplorum, illud tamen hic præcipuè memorandum est, quod *Petrum Aloisium Farnesium*, Parmæ & Placentiæ Ducem, Pauli III. Pont.

Coras. Miscel. Iur. civ. l. 2. c. 1. nu. 4.
Æn. Silv. de Eur. & Luc.
Gul. Schickar. in Tarich. proœm. p. 73.
Nicetas l. 2. de Imp. Andron. Comneno.
Forcatul. de Gall. Imp. l. 5.
P. Rebuf. V. priv. 11. n. 6.
Kornm. in l. Amor. Th. H. l. 4.

Max. filium, habet authorem. Hic námque infami libidine æstuans *Cosmum Gerium* Episcopum Faventinum, primò blanditiis frustra tentatum, ad extremum specie colloquii in secretius cubiculum sevocatum, ope servorum quamlibet renitentiũ, per vim compresserat: unde ille ex mœrore animi paulò pòst decessit. Quæ rei indignitas contaminatissimo homini, quem alioqui tyrannis & alia vitia summè invisum reddebant, ultimam perniciem maturavit; in necem illius *Ioanne Anguisciola Comite*, *Camillo Pallavicino*, *Augustino Lando* Complani Comite, & *Ioanne Aloisio Confalonerio* conspirantibus. Licet autem summa prudentia texerint consilia sua conjurati; nihilominus tamen aliunde certior fiebat Petrus Aloisius, atque inprimis à Paulo patre admonebatur, ut à IV. Eid. VIIbr. sibi caveret: astra enim ei cladem insignem portendere. Siquidem ille Pontifex Astrologiæ divinanti, quæ de singulorum fortunis judicat, valdè addictus erat, ob ídque *Lucam Gauricum* Geophanensem, ætate sua magni nominis astrologum, semper dum vixit familiariter habuit, privato colloquio & mensa dignatus, ac tandem Civitatensi Episcopatu donavit. Ferunt, nec vanus rumor est, P. Aloisium jam de conjuratione certum, cæterum de personis ac loco ignarum, ac vetitas artes, quas à patre, ut conjurati ajebant, edoctus familiariter colebat, postremò confugisse, & incantationibus evocatum dæmonem de conjuratorum nominibus interrogasse; istum verò nihil aliud, quam ut diligenter in suam monetam inspiceret, respondisse: in ea quippe locum conjurationis & consciorum nomina repert[u]rum.

pertum. Id tunc minimè intellectum pro delusione habitum; quod facta cæde verum fuisse compertum est. Nam cum in antica parte Farnesianorum numorum scriptum sit, P. Alois. Farn. Parm. & Plac. Dux, vocis *Placentiæ*, ubi cædes facta est, prima quatuor elementa *Pallavicinum*, *Landum*, *Anguisciolam*, *&* *Confalonerium* designasse. Successus consiliorum hic fuit, ut occupata arce conjurati P. Aloisium gladio transfixerint, & cadaver catena suspensum è muro plebi ostentarint, & ad ludibrium aliquandiu agitatum præcipitarint in fossam, addito elogio, quo nefandæ libidinis crimen mortuo exprobratur. Imò ut Sodomam scelere omnium turpissimo vinceret Italia; *Ioannes Casus* Florentinus, Archiepiscopus Beneventanus, Apostolicæ Cameræ Decanus, repertus est, qui *Sodomiæ* laudes Italico carmine concelebraret: in quo nefarius cinædus illud flagitiorum postremum & spurcissimum ausus est appellare *divinum opus*, testatus præterea, illo se maximè oblectari, nec aliam Venerem novisse. Liber, qui una cum authore flammis debuisset aboleri, Venetiis est typis exscriptus à *Trojano Navio*. Propterea *Franciscus I.* Gallorum Rex post commissum prælium Papiense petiit à Borbonio & Lanojo, ne pueros Gallicos, qui capti erant, miles Italicus attrectaret: quod ut est concessum libentissimè, ita mox totis castris per tubicines edicto proposito, plusquam sexcenti adolescentes liberali egregiáque forma Hispanorum fidei traditi, quorum pudicitiam deploratam, si apud Italos mansissent, omnes fatebantur. Abhorret animus à longiori libidinum memoria: & lingua eloquii operam in

Sleid. Comment. l. II. Ab Alexan. Pontamario vocatur Iulio Ertiny Cardinal de Benevét.

Arn. Ferronus rer. Gallicar. l. 7. in vita Francisci I.

talibus locat invita. Omnes, quæso date hoc & concedite pudori meo, ut reliquam Italicæ & brutæ Veneris obſcœnitatem reticere poſſim. An verò etiam vultis aliquid de Italicæ *gulæ* faſtu & pompa? Extat memorabilis liber artis Apicianæ, *de culina & architriclini officio, di M. Bartholomeo Scappi, cuoco ſecreto di Papa Pio V. qui nunc Præfectus eſt* (ait ille) *noſtris intimis coquis, non ſine eiuſdem privilegio, & approbatione inquiſitorum hæreticæ pravitatis*, Venetiis editus anno M. D. LXXI. Sed & ante hunc Bartholomæum extant Platinæ, Suetonii Pontificii, de popinæ ſcientia libri X. ad Cardinalem Rovarellam: in quos ſalſe ita luſit Actius Sanazarius:

M. Freher. Cõm. ad Conſtant. Donat.

Ingenia & mores, vitáſque obitúſque notaſſe
Pontificum, arguta lex fuit hiſtoriæ.
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ:
Hoc, Platina, eſt ipſos paſcere Pontifices.

Quidni verò ejuſmodi libri præſcriptum ſecutus ſit *Auguſtinus Chieſius*, Romanus trapezites? qui Leoni X. Pont. Max. totíque purpurati Senatus cœtui, exterorúmque Regum Legatis, ob filium ab illo Baptiſmi lavacro tinctum, ſplendidiſſima, ut ita dicam, repotia conſtituit: in quibus non ſatis fuerat, eduliorum omnis generis miſſuúmque exquiſitiſſimorum apparatui modum omnem ademiſſe; niſi etiam lances, pinaces, cæteráque cum eſcaria vaſa, tum potus inſtrumenta ex argento affabre facta omnia in Tiberis præterlabentis alveum, inani luxus oſtento præcipitarentur: idque non una modo, ſed pluribus quoque vicibus, quotieſcunque ſcenicum illud ferculorum & menſarum choragium mutandum foret; atque ita

Had. Iuni. Animad. l. 4. c. 8.

ista parvo constitisse, æstimandum erat; nisi & alieno ex orbe petitarum immani pretio *avium*, quas *psittacos* nominamus, *solæ linguæ variis in patinis conditæ* ultimo ferculo omnem luxus ostentationem longè superassent. Quis delicatulorum supra hunc Chiesii luxum possit comminisci aliquid? Quis gulæ ambitionem proferre ulterius? Quis verò sobriorum in illis voluptatum mancipiis non extimescat genera mortis terribilia? Quis naturam injurias sibi allatas neglecturam arbitretur? Benigna & munifica est parens; sed à corpore & animo requirit temperantiam: in luxuriam ingluviémque morbos immittit, lorarios & tortores crudelissimos; præ quibus carnificum equulei, rotæ, cruces, & reliqua tormentorum supellex, sæpe doloris faciant minus. *Dominicus Sylvius* Venetorum Dux duxerat uxorem Nicephori Imp. Constantinopolitani filiam, aut sororem: ea tam erat prodigiose mollis & delicata; ut manus aliásque corporis partes non aqua communi pura, sed rore cœlesti ablueret; cibos nudis digitis non attingeret, sed minutissime concisos, aureis furculis aut fistulis absorberet; cubiculum autem & vestes pretiosissimis odoribus sic impleret, ut insolentia eorum non assuetos efficeret stupidos atque attonitos. veruntamen illam odorum vim postea fœtor multò vehementior totam hausit, & cubiculum aulámque ita infecit, ut servos ancillásque ferè omnes fugaverit; cum mollicella illa computresceret, & ex toto corpore saniem & corruptissimos stillaret humores; & sic denique luxuriosam animam inter consanguineos vermes miser-

M. Guazz. Leand. Alb. in Venet. Crus. Ann. Suev. p. 2. l. 7. c. 3. Cam. Cæs. 2. c. 38.

rimè exhalaret.

Paraf. Af. l.1.c. 53. CLXXV. Ad *Religionem* tamen Italorum, paululum adhuc attendite. *Omnem æquitatem, omnémque Religionem proculcare, morem esse Italicum*, ait doctissimus *Æneas Sylvius*. An sic credis Historico, Theologo, & Pontifici Italo? *Nuspiam minus vel pietatis vel Religionis, quam in Italia, & hominibus Romæ vicinis esse*, adfirmat *Nicolaus Macchiavellus*. Dissp. l.1. c.12. An ita tu credis Secretario Florentino, & Politico Italo? Ego certè neutrum hic reiicere possum: & heu! infelix experientia jamdudum utrique fidem fecit. Et nonne in intimos mentis recessus admisisti illa proverbia, à tuis, ab aliis, tanquam veritatis oracula, tibi in futuros vitæ prudenter transigendæ usus proculdubio sæpissime iterata? *Qui semel it Romam, videre scelestum; qui secundò it, cognoscere; qui tertiò it, in patriam referre.* Je näher Rom / je grösser Schalck. Et: *Quo Romæ propior; eo Christianus pejor.* Item: *in nomine Dei* (hoc bullarum Papalium exordium est) *incipit omne malum.* Nonne avidis auribus aut oculis hausisti aliquando, *Ægidium Assissiatem*, sodalem Franciscanum, cuidam olim Romam petenti precatum fuisse eam eligendi dexteritatem; qua ibi bonam monetam ab adulterina, & aurum à scoriis; hoc est, ut interpretari fas est, veram pietatem & virtutem à fanatica superstitione & personatis sceleribus distinguere possit? P.Rodul. H.Serap. Relig. l. 1. p. 63. Religio sua Romana bene multis Italis est risus, jocus, nihil; Deus ipse est multis neglectus, contemptus, nullus: Inferi sunt illis fabula. Fr. Petrarcha in Epistolis. Quid fecit *Cardinalis Caraffa* in Galliis? Ille Lutetiam Regni metropolim, tanquam Pontificis A.Ch. 1556.

Legatus

Legatus solita pompa ingressus, cum signum crucis, ut fit, ederet, verborum quæ proferri mos est loco ferunt eum, ut erat securo de numine animo & summus religionis derisor, occursante passim populo & in genua ad ipsius conspectum procumbente, sæpius secreta murmuratione hæc verba ingeminasse: *Quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur.* Quomodo verò religiosi fuêre *Macchiavelli* duo? *Nicolaus pater* moriturus, & monitus suscipere sacram illam extremam unctionem, respondit; *Ocreas imo ungendas iter facturo.* Nicolai autem *filius*, hæreseos accusatus, dicebat; *Credere se, quod Ecclesia crederet, & adhuc amplius; scilicet, illum suum accusatorem nebulonem esse, quod non crederet Ecclesia tamen, quæ hominem ei muneri accusandi præfecisset.* An Lucianus in religionem suam jocari potuisset acerbius? an irrisisset petulantius? Sed *Ioannes Medices* impietatis canones illis Caraffis, Macchiavellis, & Lucianis, præscribere potuisset: qui cùm esset rei militaris non imperitus, ingentibus tamen vitiis illam laudem prorsus extinxit: quippe solitus spreta quoque jurisjurandi religione variè Deum divósque lacessere, & fœdis puerorum amoribus flagrare. Quin à Divinæ Majestatis contemptore auditas has voces memorant: *Florentinis se velle imperare, sed tamen invitis Diis; si vellent Dii, nolle imperare.* Cum qua impietate horribile civium & præsidiariorum *Montis Draconis* scelus merito cóncecto. Id enim oppidum cum Ferdinandus Alfonsi spurius, Rex Neapolitanus, obsideret, obsessi penè siti enecti, in ultima aquarũ

Th. H. l. 17.

Alb. Gentil. de Actorib. Fabul. c. 12.

Arn. Ferronus l. 7. rer. Gallicar. in vita Francisci

penuria ad magicas præstigias concurrerunt ; & nocturnis in tenebris, deceptis castrorum vigiliis, per asperrimas rupes furtim profecti ad litus traxerunt secum imaginem adfixi ad crucem Christi, quam maledictis prius ac diro persecuti carmine, post in mare execrabundi immerserunt, cœlo, mari, terrísque tempestatem imprecati, quo etiam tempore Sacerdotes quidam mortalium omnium ultimi, dum profano militum desiderio satisfacere student, ritum nefarium secuti, quo in hujusmodi necessitatibus elici imbres putantur, asino pro ædis foribus constituto, tanquam agenti animam cecinêre funestum carmen : post *hostia consecrata* (ignosce ó mitissime Iesu abominabilem impietatem recitanti) in illius os palatúmque injecta, conclamatum asinum funereis cantibus vivum tandem ibidem pro templi foribus humavere. Hic verò vix dum perfecto immemorabili sacro, obnubescere aër, mare ventis agitari, dies medius offundi nocte, nunc cœlum micare ignibus, & nunc lux omnino eripi, omniáque tonitribus, fragoribus, fulminibus, remugire, concuti, misceri ; & tandem, tam validi prorumpere imbres, ut aquarum undique abundè, atque Rex Ferdinandus, qui in siti potiundi oppidi spem collocaverat, frustra fuerit. Breve monitum ex *Alexandro Pontamario* Gallo, magni & candidi judicii viro, referam. *In Italiam proficiscimur, & incredibilibus sumptibus comparamus nobis solummodo umbram alicuius civilitatis; sed nobiscum simul domum portamus immanem & integram vitiorum alienigenarum massam. Mediolanenses instruunt nos in fraudibus: Bononienses docent mendacia*

I. Iov. Pont. H l. 5.

dacia

dacia : Veneti faciunt hypocritas: Romani demergunt in Oceanum atheiſmi atque impietatis : Neapolitani transformant in Satyros, ſive potius mutant in latrinam & cloacam omnis laſciviæ, luxuriæ & libidinis. Florenitni ſunt bonorum morum jurati hoſtes. Hæc ille, quod tamen de omnibus dici non poteſt.

CLXXVI. Italia Cælum habet mite & ſerenum: Sericum, vinum, ficus, mala aurantia in magna copia ibi abundant: Cæterum nimius calor Solis diurno tempore hominibus & brutis animalibus moleſtus. Præterea aër nocturnus inſalubris, & quilibet ſcorpiones cautè horreſcere tenetur.

CLXXVII. Itali in rebus Politicis ſubtiles atque prudentes; in rebus verò religionem ſpectantibus planè rudes & nimium ſuperſtitioſi, qui externis ceremoniis decipiuntur. Et quia ſubtiles Relig. Rom. conſcientiā tranquillam reddere nequeunt, inde eſt quod multi vel Atheiſmum vel Magiam ament. In privatis converſationibus alter alteri parum fidit, calliditatem nimium amant, inimicitiámque ſemel conceptam deponere neſciunt, adeò ut occultum odium per plures annos ſecum in pectore geſtare poſſint, donec ulciſcendi occaſionem nanciſcantur. Quæ ſi adeſt, proditorum mores imitantur, ac ſine ulla veniæ ſpe ulciſcendi libidinem explent. Præſertim autem inimicitiæ eorum ex zelotypiâ oriuntur. Fæminas pretioſis veſtibus ornant, minimè tamen iis indulgent, ut cum maſculis colloquantur, ſed tanquam ancillas eas incluſas domi detinent præterquam quod frequentationem Sacrorum ipſis interdicere

nequeant.

nequeant. Et quamvis Itali ſcortationem virtutis ferè loco reputent; tamen uxores cum aliis rem habere nolunt. Cæterum zelotypia hæc in cauſa eſt, ut uxores eò avidius adulteria expetant, quum ipſis etiam cognitum ſit, maritos alienos thoros violare.

CLXXVIII. Italos videmus inceſſu tardiuſculos, geſtu graves, vultu inconſtantes, voce remiſſos, ſermone captioſos, moribus magnificos, habitu compoſitos. Sunt in oratione graves, ſed verſuti Itali. In conſiliis eſt providus Italus: In victu eſt mundus. Sunt erga exteros officioſi Itali. In converſationibus ſunt prudentes. Sunt in amore zelotypi. In odiis ſunt occulti: In gerendis negotiis circumſpecti: In militia ſunt ſtrenui, ſed crudeles: Inſignes ſunt literaturâ. Ex Corn. Agrip. de Vanit. Scient. P. Merula p. 2. Coſmogr. l. 1. c. 7. Italus —— fuerit crudelis in hoſtes. Gens *Itala* prudens lautè vivit: Italis gravitate ſeverus ſermo: Veſtis regalis Italo: Hoſtibus amicè blanditur Italus: Idem præ cæteris nationibus omnibus melius novit expenſis modum præfinire ſecundùm reditus: Italus ratione hoſpitalitatis admittit tantum amicum (à quo expectare poteſt commodum) cum uno famulo, cæteros ad tabernam diverſoriam remittit. Proverbium etiam eſt. Cavendum rufum Italum. Italus Poëta ita de ſuâ patria: Italia fide pagana eſt & infidelis, ſummo ardore in vitia fertur, iniquitatis patria eſt, & hortus vanitatis, quicquid ſceleſti eſſe poteſt nullibi melius, quàm hic provenit, non ſecus, atque Africa monſtrorum fertilis eſt. Alexander de Pontaymery ita: Totam percurre Italiam, non minus animo vitio-

ſus

ſus eris, quàm antea fuiſti, vitia novis vitiis cumulabis: frequentabis ſcholam diſſimulationis, ambulabis viam arrogantiæ & luxus: tandem extra te ibis, ut intres labyrinthum peſſimarum machinationum, quas exercebis poſtea. *Idem:* Mediolanenſes docent artem decipiendi, Bononienſes mentiendi; Veneti hypocritas nos reddunt & cogitabundos; Romani nos præcipitant in mare quoddam atheiſmi & impietatis: Neapolitani nos transformant in Satyros & Faunos, aut potius in cloacam omnis laſciviæ, Sodomiæ & Venereæ voluptatis. Oblitus eram Florentinorum, qui ſunt jurati hoſtes bonorum morum. (Vid. Limnæ. T. 4. I. P. ad lib. 2. pag. 231.)

Italus eximio lautus cultúſque nitore,
Amplus, magnificus, ſplendidus atque gravis.
Serius & prudens cum maieſtate ſeverus,
Magnus ut ingenio, ſic quoque iudicio
Præclare doctas ſtudioſus percolit artes,
Curæ illi virtus, gloria, religio.
Impiger & præſtans opifex; mercator honeſtus,
Bellator valida ſtrenuitate potens.

CLXXIX. Ex quo Caroli M. virtute Italia paruit Francis, Imperatores Carolini & poſt illos Saxones, Franci, Luxemburgici, Suevi, & Habſburgici habuerunt in Italię variis provinciis Gubernatores, quorum aliqui favore Pontificum nixi, negarunt Cæſaribus obedientiam, alii perſeverantes in officio, experti ſunt Pontifices implacabiles. Et tandem omnes vel virtute propria, vel injuriâ Cæſarum, vel pecuniâ, vel omnibus his mediis ſimul acquiſiverunt talem libertatem, ut ſolo ferè nomine agnoſcant Cæſarem, vel Papam *Status turbatus Italiæ.*

ſuperiores.

ſuperiores. Hodie neque conſiliis, neque viribus, neque ſubventione Imperio adſunt, niſi quando & quantum ipſis placet.

CLXXX. Pappia dominatio Pontificis Romani adeò nulli juri innixa, ut meritò ſuper

CLXXXI. Ex quo Itali uſi ſunt forcipibus ova & ariſtas ambulare videatur. [add. *Ordo tamen Politicus illius Monſtroſæ Reipublicæ ſatis bonus, quamvis ſcaturigo & fons illius Regiminis ſit ambitio Eccleſiaſtica, ex qua omnia mala in Orbem Chriſtianum promanarunt.*]
Hiſpanis, ut clavum Gallicum è Mediolanenſi tabula educerent, forcipes ita inhæſerunt tabulæ, ut inde nunquam potuerint evelli. Boccalin. in Lap. Lyd. Quomodo Maphæus Viſcontius à Wenceſlao Imp. hunc Principatum obtinuerit vid. *Machiav.* l. 1. Hiſt. Flor. p. 40. & ſeqq. Ducatus hic pomum diſcordiæ inter Hiſpanos & Gallos. Reditus hujus Ducatus vid. ap. *Luc. de Lind.* in Deſcr. Orb. p. 579. Sed de hujuſmodi deſcriptionibus benè monuit Forſtnerus (ad l. 1. annal. Taciti) Cavendum eſſe ne nimium iis fidatur: Cum enim opes publicæ, tributa, vectigalia, arma, vires & expenſæ ſolis Principibus & intimis eorum conſiliariis notæ ſint, ac præterea pro diverſis imperiorum fatis perpetuo mutentur, augeantur & minuantur, ineptæ præſumptionis eſt, hæc omnia certo pondere, numero, menſurâ librare velle.

CLXXXII. Neapolis dicitur Orbis delicium, & paradyſus à Diabolis inhabitatus: Hominum inconſtantiâ infamis. Regnum tamen hodie pulcherrimum & locupletiſſimum. Nulla gens adeò quàm Neapolitana ad rebelliones proclivis,

&

& ideo Boccalinus dicit, Hispanos prudenter agere, dum illi equo moribundo alimenta subtrahant, ne calcitrare possit. Author des Estats & Empires du monde de Regn. Neap. p. 183. refert quod intra 540. annos septies supra vigesies Neapolitani rebellarint. Causæ rebellionum fuerunt vires Procerum illius Regni, & crebra Paparum variæ gentis & humoris electio, qui tanquam directi Regni de facto domini facilè mobiles subditorum animos adversus Reges suos, qui curiæ Romanæ displicebant incitarunt. Romani Neapolin diu in pace tenuerunt: Quum autem sub Honorio Imp. Occidentale Imperium mirum quantum decresceret, pars hujus Regni cessit Gallis A. C. 412. dein Vandalis, tandem Longobardis. Ab his pervenit ad Carolum M. sub quo in divisione Imperii cum Imperatoribus Græcis, Regnum illud ita fuit divisum, ut quicquid fuerit ab Aufido & Vulturno fluminibus versus mare Siculum, pertineret ad Orientale, reliqua ad Occidentale. (Fauchet. in Vit. Car. M. ad an. 803. p. 513.) Hucúsque Neapolis non gaudebat titulo Regni, qui dein sub Normannis, provinciam illam Sedi Romanæ subjicientibus, cæpit. Tenuerunt dein Regnum illud Henricus VI. & Fridericus II. Impp. qui posterior sese Papis, Italiam occupare annitentibus, masculè opposuit. Hinc Vrbanus IV. Papa noluit pati ut Manfredus, Friderici filius naturalis, Regnum pacificè possideret, illúdque obtulit Carolo Andegavensi, qui Manfredum vicit & occidit. Vrbanus IV. Carolo isti dedit investituram Regnorum Siciliæ & Neapolis an. C. 1255. (*Machiav. l.* 1. *Hist. Flor.*) Prætensiones Gallorum in Neapoli-

politanum Regnum sæpè turbarunt Europæ quietem.

CLXXXIII. Inter Italiæ Principes potentissimus *Sabaudiæ Dux*, ejúsque Principatus extenduntur à limitibus Helvetiæ ad mare Mediterraneum, ubi possidet Nicæam & VillaFrancam munitissimas arces. Præterea Dux imperat montibus, qui sunt Italiæ clavis, & ideò dicitur Alpium Rex, atque hinc illa Ducis authoritas in Italiâ & apud Reges Galliæ & Hispaniæ. Regio ferme ubíque ita fertilis, ut subditi obliviscantur omnia belli incommoda, si tot mensibus pace gaudeant, quot annis bello fuerunt immersi. Fertilitas illa conjicitur ex Principis reditibus, qui excedunt annuatim 800000. coronatorum. *Hic* Princeps si rectè utatur ratione sui status, Italiæ propugnaculum habebitur & erit. Vires Sabaudiæ Ducis quod attinet, Itali putant posse 30000. peditum alere è suis Principatibus, &, si Botero credendum, habet 7000. Nobiles, pluráque fortalitia, inter quæ Nicæa, & VillaFranca ad littus maris, Taurinum, Asti, Salucæ, Vercelle, Carmagnolas, Montmelian &c. Hodiernus Dux est Carolus Emanuel magnæ spei Princeps. Vocantur hi Duces Serenissimi, Invictissimi, Potentissimíque. [add. *Celsitudinis Regalis titulus jam ipsi tribuitur ab Electoribus, ut notavi in Limnæo Enucleato.*] Regnum Cypri, à Turcâ expugnatum, adhuc affectat. Sed quid est titulus sine vitulo? Roy de Ciffre, ut Galli illum vocant.

CLXXXIV. Mediceis Florentinis Principibus prudentia videtur esse congenita, fortunæque favor iis ita arridet, ut sint maximis Ita-

liæ,

liæ, vel superiores, vel æquales. Medicæi autem (juxta Ioann. Villanum l. 1. Hist.) descendunt ab Eberhardo Equite Gallo, qui ann. C. 800. Carolum M. in bello contra Desiderium Longobardiæ Regem secutus occidit Mugoalem gigantem, qui regionem latrociniis vastabat. Eberhardus tamen ejúsque posteri manserunt in mediocri fortuna durantibus bellis inter Bondelmontios, Vbertos, Guelphos, Gibellinos, Albos & Nigros, qui civitatem in factiones scissam miris modis exagitabant. Inter familias quas Florentia admovebat ad Rempub. fuit & Medicæa, & tempore Ludovici Bavari Imp. Sylvester Medicæus factus fuit Signifer Gonfaloniere, id est, præcipuum Reip. caput. Nam hæc dignitas erat eadem, quæ Romæ Dictatura. Plebs tamen vilissima cœpit regimen, illúdque servavit ab an. 1378. ad an. 1381. tum Vierius Medicæus sedavit dissidium, & Senatus authoritatem restituit, cum tanta probitatis fama, ut (si credimus Machiavello in Hist. Flor.) supremam authoritatem potuerit obtinere, si eam desiderasset. Post Vice-Comites Mediolanenses aggressi sunt Florentinos, quos Ioannes Medicæus, qui fuit factus Signifer an. 1423. pecuniâ & consilio juvit, & patriæ Deus tutelaris apud plebem habitus est, ac si voluisset Florentiæ Principatum obtinuisset. Cosmus, Ioannis filius, regio vivebat more, & erat unus omnia Florentiæ, & sine eo Florentia nihil erat. Hinc à Magnatibus missus in exilium, Venetíque læti illum receperunt. Postea ab ingratâ patriâ revocatus, restitutus omnibus honoribus & dignitatibus, quas antea possidebat. Hic jecit fun-

damenta

damenta Principatus in suâ familiâ. Eum dein interrupta serie excepit Ioannes, pater Cosmi, qui d. 9. Ian. 1536. Magnus Dux creatus & paulò post à Cæsare Maximiliano II. confirmatus est. Habet Magnus Dux plus, quàm sesquimillionem auri in annuis reditibus, ejusque status est totius Italiæ felicissimus. Inde illa æmulatio perpetua inter Sabaudiæ & Florentiæ Duces: Hi enim ditiores; illi nobiliores, oculo se invido semper respiciunt; &, si proximiores essent, mutuo bello se invicem sæpissimè impeterent. Hodiernus Magnus Dux est Ferdinandus II. præstantissimus Princeps, qui ex Iulia Victoria Friderici ultimi Vrbini Ducis filiâ genuit Cosmum III. [add. *Ferdinando II. mortuo hodie Cosmus III. Rei Florentinæ praeest.*]

CLXXXV. Domus Medicæa sæpius Florentiæ elevata fuit ad summum honoris gradum, & postea iterum depressa, imò ex civitate pulsà à malevolis, & tumultuosis. Tandem verò obtinuit dominatum anno 1531. quando Florentini à Principe Aurasio, qui erat Præfectus generalis exercitus Imperatoris Caroli V. cogebantur recipere pro Principe Alexandrum Medicæum, qui postea ab eodem Imperatore Dux creatus, quando duxit in matrimonium ejus filiam naturalem. Deinde familia ista absolutum dominium exercuit in omnes, qui Florentinos Dominos habuerunt. Anno 1569. Papa Pius V. Ducem Cosmum, successorem Alexandri, donavit singulari bulla titulo Magni Ducis Hetruriæ, respectu ejus partis, quam in Hetruria possidebat, quo titulo successores hucusque usi. Sunt Principes abso-

luti

luti in Principatu libero, respectu Florentini & Pisani territorii, cum cæteris eò pertinentibus. Hæ enim Respublicæ longo jam tempore ab Imperatoribus libertatem obtinuerant, & ejus erant conditionis, quando illas sibi subjiciebant Medicæi. Quod autem reliqua attinet, à Rege Hispaniæ in feudum tenent Senense territorium, Marsilianum, & partem, quam possident in Insula Ilua. Raticofanum verò, & circumjacentem tractum, à Sede Romana habent, nomine Vicariatûs perpetui, ut antea fuit apud Senensem Remp. Regi Hispaniæ, qui Statum Senensem ab Imperio in feudum accipit, & confert Florentino, solvit una vice decem millia aureorum. Agrum & Civitatem Saturniam quod attinet, feudum est Abbatiæ trium fontium, vel, ut alio nomine appellatur, S. Anastasii Fillaterro, & alii Marchionatus Lunigiani, antehac ad familiam Malespinam spectantes, sunt feuda Imperii. Oppidum Sancti Sepulcri aliquando Reipubl. Florentinæ à Papa fuit oppignoratum, unde ab Ecclesia repetitur, atque à Commissario Cameræ Apostolicæ quotannis in vigilia S. Petri recensentur in loca subjecta Ecclesiæ, sed de mediis recuperandi nihil agitur. Romana Florentina à Rep. olim fuit conquisita, & nunc ad Ducatum pertinet sine contradictione. P. d'Auity *d. Tom. 3. tilt. Estat du grand Duc de Toscane pag. 209.* Pius IV. Francisco, Cosmi Florentini Ducis filio, cupiens à Philippo Hispaniæ Rege sororem ejus, Regis Lusitaniæ viduam, dari uxorem, & præsentiens Philippum in has nuptias, tanquam dispares,

ægrè consensurum, promittebat se Cosmum Hetruriæ Regem creaturum, siquidem eo conjugio donaretur. At hæc tunc effectu caruerunt. Sed cum post aliquot annos Alphonsus, Ferrariæ Dux, de gradus prærogatiua Cosmo controversiam moveret, & causam inde Cæsar, inde Pontifex Pius V. ad se traheret, is pro Cosmo insigne præjudicium faciens, eum Hetruriæ Magnum Ducem creavit, id se facere dicens exemplo Alexandri III. Innocentii III. & Honorii III. qui Portugalliæ, Walachiæ, Bulgariæ, & Hiberniæ Reges, olim creassent: Atque illi coronam Regalem exquisita & nova forma confectam dedit, istísque & aliis huiusmodi exemplis id Pontificum Romanorum juris esse probans apud Cæsarem, qui hoc indignè ferebat, tanquam ad suam Imperiíque injuriam factum: jussit etiam milites conscribi in Germania, qui nisi Imperator æquis conditionibus rem confici pateretur, Pontificem ejus potentiæ parem ostenderent. Ac licet sub Gregorio XIII. Imperator, & Philippus Hispaniæ Rex instarent, ut prædecessoris sui decretum induceret, promittente Imperatore, se aut eodem, aut, alio æquivalente titulo, satisfacturum Cosmo integra tamen remansit in posterum collata qualitas, ut deinceps Hetruriæ Princeps dictus sit Dux Magnus, ad instar Moscovitarum Principis. Roussel *histor. Pontif. Iurisdict. lib. 7. cap. 4. n. 20. p. 742.* De contentione ob præcedentiam inter Ducem Ferrariæ & Cosmum de Medicis, agit Favyn *au Theatre d'honneur & de Chevalerie, liv. 8. p. 1504. Alphonse. dit-il, debattoit la pre-*

seance

seance, & le titre de Grand Duc à Cosme de Medicis, qui respondoit, que l'estendue possedée par les Ducs de Ferrare estoit reduite au petit pied, & sans Souueraineté, d'autant que l'Estat de Ferrare est vn fief de l'Eglise (par la donation de Pepin, & de Charlemagne, Roys de France) & quant à la Duché de Modene, & de Regge, ils releuoient de l'Empire: Qu'il estoit au contraire Prince absolu de son Estat, lequel auoit d'estenduë deux cents milles en longueur, & cinquante mille de large aux Passages plus estroits d'iceluy: qu'en icelle estoient les villes, de Florence, la plus belle d'Italie, Pise, Pistoye, Volterre, Arezzo, le Bourg du S. Sepulchre, Corconne, Montpulcian, Sienne, Montalcin, Grosset, Sanne, Pience, Massa, & Ligorne, sans plusieurs autres places, Bourgades & forteresses de moindre renommée, auec l'Isle d'Elbe. Sur ces differens le Pape Pie, cinquiesme du nom, par sa Bulle declara, qu'il y auoit difference entre les Ducs des villes, & ceux la des Provinces, ausquels la preseance devoit appartenir de droit. Et suivant cette Bulle, Cosme de Medicis fut declaré Grand Duc de Toscane, & en cette qualité couronné par le dit Pape Pie d'un Chapeau d'Or, à fleurons releuez de pierreries, du prix de six vingts mille escus d'Or, en l'an 1569. en la baste du Chappeau Ducal furent gravez & buriuez ces mots: Pius V. Pontifex Maximus ob eximiam dilectionem, & Catholicæ Religionis Zelum præcipuúmque Iustitiæ studium, donavit. *Le Duc de Ferrare se pourveut par deuers l'Empereur Ferdinand contre cette Bulle du Pape, en vertu de laquelle toutesfois Cosme retint tousiours le tiltre de Grand*

Duc, joinct que quelques années apres il se fit alliance entre ces deux Princes, le Duc Alphonse espousant une des filles de Cosme, & mourant sans lignée le dit Alphonse dernier de Ferrare, le Grand Duc de Toscane Ferdinand est demeuré possesseur en ce tiltre de preseance par dessus tous les Princes d'Italie. Alphonsus negabat præcedentiam, & titulum Magni Ducis competere Cosmo Medicæo. Hic regerebat, Ducem Ferrariensem exiguum tractum provinciæ possidere, & quidem sine superioritate. Ferrariam esse Feudum Ecclesiæ, (cui dono data à Pipino, & Carolo Magno, Regibus Franciæ) Ducatum Modenensem & Reggium dependere ab Imperio: Se verò esse Principem absolutum in statu suo, cujus longitudo occuparet ducenta milliaria Italica, & latitudo quinquaginta, Illo contineri civitatem Florentiam pulcherrimam totius Italiæ, Pisam, Pistoiam, Volaterrum, Aretium, Burgum sancti Sepulchri, Cortonam, Montempalcianum, Sienam, Montalcinum, Grossetum, Soanam, Piernciam, Massam & Liburnum, aliáque plura loca, oppida & propugnacula, minoris famæ, nec non Iluam Insulam. De hac controversia Papa Pius V. Bulla sua judicabat, differentiam dari inter Duces Civitatum, & Duces Provinciarum, atque his præcedentiam jure competere præ illis. Eadem Bulla Cosmus Medices dictus fuit Magnus Dux Hetruriæ, & coronatus ab eodem Pontifice Pio, coronâ aureâ, floribus & gemmis pretiosis exornata, æstimata centum & viginti millibus aureorum. Circa coronam insculpta legebantur hæc verba; Pius Quintus Ponti-

Pontifex Maximus, ob eximiam dilectionem, & Catholicæ Religionis Zelum, præcipuúmque justitiæ studium, donavit. Dux Ferrariæ de hac Bulla conquestus fuit, apud Imperatorem Ferdinandum, sed Cosmus nihilominus retinuit titulum Magni Ducis. Post aliquot autem annos contracta fuit inter hos Principes amicitia, & Alphonsus duxit in uxorem unam ex filiabus Cosmi, sed mortuus est sine liberis, & fuit ultimus Ferrariæ Dux. Ferdinando verò Magno Duci Hetruriæ remansit cum hoc titulo primus locus inter omnes Italiæ Principes. Dux Hetruriæ, cognomentum Magni præ cæteris omnibus Italię Ducibus obtinuit, quoniam Ducatus ipsius amplitudine vincit reliquos. Florentinorum Status præ cæteris, non solum Italię civitatum, sed & aliarum Rerumpublicarum, mutationibus variis clarus est, postquam intra minorem quàm centum annorum terminum, septem vicibus variavit: Pierre Matthieu *en l'histoire de Louys XI. livr.* 8. *pag.* 416. donec tandem ab Imperatore Carolo V. Alexander Medicæus anno millesimo quingentesimo tricesimo primo Bulla aurea, eius Princeps, vel Dux (Pierre Matthieu *livr.* 2. *de l'histoire de Henry IV. narrat.* 4. *p.* 410.) confirmatus fuit: *Le Labyrinthe Royal de l'Hercule Gaulois triomphant ch.* 9. *p.* 93. Postea à Pio Quinto Pontifice, anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono, nomen Magni Ducis Cosmus accepit, cum corona aurea maximi pretii, (ut paulo superiùs à nobis dictum est) cui inserta hæc verba: Pius V. Pont. Max. ob eximiam dile-

ctionem, & Catholicæ religionis zelum, præcipuúmque justitiæ studium donavit, ut Author *libri des Estats, Empires, & Principautés du monde, in descriptione Status Florentini, non procul à fine,* exprimit, paululum verò aliter Pierre Boissat *au trillant de la Reine pag.* 329. Postquam autem Imperator Maximilianus Secundus Pontificis conatui se opposuisset, tandem anno suprà sesquimillesimum septuagesimo quinto, Francisco, Cosmi filio, tanquam Imperii beneficiario, amplissimo diplomate titulus Magni Ducis confirmatus est.

CLXXXVI. Gonzagæ Mantuæ Duces sine dubio sunt origine Germani; & à Germanis Imperatoribus bonis aucti, honoribus & dignitatibus. Passarinus de Gonzaga Mantuam occupavit tempore Friderici II. Imper. à quo Domini Mantuæ titulum accepit, posteą ejus Successores variis temporibus mutarũt nomen. Aloysius quippe Gonzaga fuit creatus Mantuæ Capitaneus à Carolo IV. Imp. Franciscus eundem accepit honorem à Wenceslao. Ioannes Franciscus à Sigismundo Marchionis titulo cohonestatus est. d. 22. Septemb. ann. 1433. Franciscus II. deiu postquam fœderi pro libertate Clementis VII. renunciasset, à Carolo V. ex Marchione Dux factus ann. 1530. Huic beneficio honorifico utile beneficium addidit Cæsar. Nam quum familia Paleologorum, quæ diu Montisferrati Marchionatum possederat, fuisset extincta, orta est lis inter Sabaudiæ Ducem, Salucianum Marchionem & Fridericum Gonzagam pro successione in Marchionatum Montisfer-

tisferrati, Cæſarquè pro Friderico pronunciavit, quia Fridericus duxerat Margaretham Wilhelmi Paleologi, ultimi ſuæ familiæ Montisferrati Marchionis, filiam. Inde tamen ſæpe jurgia orta ſunt inter Sabaudos & Mantuanos, quæ Turinum & aliquot aliàs Præfecturas à Montisferrati Principatu præſciderunt.

CLXXXVII. Mantuani Duces, uti Cæſarum beneficiarii, ſemper conati ſunt has gratias demereri: Sed quia ſub finem ann. 1627. Wilhelmi primogeniti Friderici Ducis filii poſteritas in Vincentio defecit, ſucceſſio tum iure devoluta eſt ad Carolum Nivernii Ducem, ejuſdem Friderici nepotem, Ludovici Gonzagæ ex Henricâ Civiâ filium. Hic quia natus erat in Galliâ, reperit Hiſpanos armatos, ut impedirent, ne jure natalium ſibi debitam, hæreditatem adiret: Nullum autem eſt, dubium, quin Carolus Nivernius fuerit proximè agnatus, & legitimus Succeſſor Vincentii. II. Mantuæ Ducis. Hiſpani tamen qui nolebant videre Principem in Galliâ natum poſſidere in Italiâ Principatus, & multò minus Mediolanenſi Ducatui vicinos, conati ſunt Carolum illis provinciis ſpoliare. Obſidebat tum temporis Galliæ Rex Rupellam, quam Hiſpani putabant fore Ilium Trojanum vel Numantiam Hiſpanicam. Et ſic non niſi occaſionis & opportunitatis reſpectu, quia nullum alium habere poterant, obſederunt Caſalium, Montisferrati metropolim, & fortalitium munitiſſimum. Rex itaque Galliæ potitus Rupellis, atque ſuperatis Alpibus, Hiſpanos & Sabau-

dum, Hiſpani adiutorem, fugavit, ac Caſalium obſidione liberavit. Quum dein Hiſpani Cæſaris vires in Italiam attraherent, Gallus Guſtavum Adolphum Sueciæ Regem in ſuas partes traxit, qui brevi Imperatorium exercitum domum revocans, domum Auſtriacam in maximas redegit anguſtias. (Forſtner. ad l. 13. Ann. Tacit.)

CLXXXVIII. Vires horum Ducum ſunt conſiderabiles: Poſſident enim in Galliâ Principatus Nivernenſem, Retelenſem & Arquenſem, habentquè tria inſignia fortalitia ad Moſam Meiſiere, Montem Olinopium & Carolopolim. Nivernii Ducatum emit Cardinalis Mazarini, & dedit Mancini ſuo ex ſorore nepoti. Retelienſem autem emit Mazarini filius adoptivus & hæres. Italiæ Principatus quos hodie Nivernii Duces poſſident, nempe Mantuæ & Montisferrati, nullis neque ſoli fertilitate, neque fortalitiis cedunt, ſive Caſaliam ſive Mantuam reſpicias. Principatus Mantuæ, Montisferrati, Nivernii, Retelii & Arquenſes pertinent ad Carolum II. hodie regnantem; Quia verò avus ejus magna debita contraxit, ut acquireret, quod modo in Italiâ poſſidet, maxima pars eorum, quæ habet in Gallia, ſunt venalia, Cardinaliſquè Mazarinus emit Nivernii Ducatum. Pręterea Dux Mantuanus in utróque Italiæ Principatu poteſt, milites colligere magno numero habétque bellicoſos vaſallos. Cæterum vires utriuſque Ducatus non poteſt conjungere, cum eas cogatur per intermedium Cremonenſem Principatum, Hiſpano parentem, ducere.

CLXXXIX.

CLXXXIX. Quod Parmæ & Placentiæ Duces attinet Paulus III. Farnesius Petrum Aloysium filium suum Comerini & Parmæ Placentiæque Ducem creavit,& ut posset hos Principatus in suâ familiâ conservare, à Carolo V. obtinuit Margaretham filiam notam pro Octavio suo nepote, resque tam feliciter successit, ut Octavii posteri hos adhuc possideant Principatus. Descendunt ergo hi Duces ex parte à Papa,ex parte à Cæsare. His ipse Papa Celsissimi titulum tribuit, ut videre est apud Vittor. Siri T. 1.lib.3. p. 560. Essent tamen minus illustres, nisi à Margaretha Caroli V. filiâ descenderent. De hac Margaretha vid. Fam. Strada. l.1.Hist.Belg. Paulus verò III. Papa fuit hominum pessimus, & natura monstrum, quod patet ex ejus dictis, & quod matrem & sororem jugulavit. Filius ejus Perius Aloysius,paulò minus malus, quàm pater, Hispanorum arte est interfectus.Ne tamen videamur malè erga Parmenses Principes affecti, in quorum gloriam Famianus Strada creditur historiam Belgii descripsisse. Inter hos Duces Alexander Farnesius, Octavii filius, vel major vel æqualis Alexandro M. Macedoni, pluràque præstitit immortalitate digna, dum Ant-Werpiam, Trajectum, Nepusium, Audenardum,& alia munitissima loca occupavit, Parisios & Rhotomagum liberavit, quàm Macedo dum Orientem subegit,quia debuit omnia elementa vincere, & Regem Regum generosissimum, ut loco cederet obligare.

CXC. Mutinæ Duces veniunt ab antiquissimâ

quiſſimâ familiâ Ateſtinorum. Machiavellus (l.1.Hiſt.Flor. p.33.) dicit Ezelinum quendam, virum potentiſſimum & opulentiſſimum, Friderico II. Imper. excommunicato, Marchiam Tarviſanam occupaſſe, unâ terrariâ exceptâ, quę ab Azone Eſtenſi militibus quos adhuc Pontifex in Longobardiâ habebat, defendebatur. Hanc ob generoſam actionem Civitas illa obſidione liberata Azoni eidem à Pontifice in feudum conceſſa, à quo noſtrâ ætate Ferrariæ Duces ſuam originem deducunt. Ex quibus licet coniicere hanc domum poſſediſſe Ferrariam à tempore Friderici II. tanquam feudum Eccleſiæ. Quicquid de eo ſit hęc Domus ante 10. ſecula in Italia illuſtris fuit, & adhuc in Germaniâ viget. Quum ultimus Ferrariæ Dux Alphonſus II. poſtea ſine prole maſculâ deceſſiſſet, Clemens VIII. Papa Ferrariæ Ducatum Eccleſiæ patrimonio univit ann. 1598. quod Cęſar ejus proximus agnatus tantæ ſucceſſionis propterea incapax à Papa & Cardinalibus habitus, quia Alphonſus Mentechii Marchio, Cæſaris parens ex contubernio Laurę Euſtachiæ vilis fœminæ natus erat. (Vid. Thuan. lib. 119. Hiſt.) Deum itaque Cæſar Ferrariâ excidit, Imperatores Maximilianus II. & Rudolphus II. Rhegium Lepidi, Mutinam & Carporum oppidum ipſi conceſſere, cujus poſteri ſolo Mutinæ & Rhegii Ducatuum, ac terris Carpi, Carſinianæ Comitatuum titulo gaudent; ratione quorum ſunt Imperii vaſalli, ideóque Imperatori quotannis 4000. aureorum ſoluunt. Vt hi Principes Friderico II. ob Ferrariam propugnatam

gnatam exesi, ita Friderico III. Imp. adeò fuerunt accepti, ut illis dederit Multuum & Rhegium an. 1451. (Machiav. l. 6. Hist. Flor.) Contra Pontifices Alexander VI. Iulius II. Leo X. & Clemens VII. voluerunt hanc longè illustrissimam familiam destruere, ut videre est apud Thuanum & alios.

CXCI. Postquam Honoratus II. Moneccii Princeps feliciter Hispanos milites atque cum iis jugum Hispanicum ejecisset, obtinuit à Ludovico XIII. R. Galliæ Valentiam cum 25000. Imperialium annuatim, titulúmque Ducis & Principis Franciæ. Fortalitium autem Moneccium juxta tenorem pactorum custoditur 500. militibus Gallis in 4. cohortes distributis, 20. tormentariæ rei peritis, quibus ipse Princeps præest. Eisdem sumptibus Regis numeratur stipendium, qui ipsi dat talem vicarium, qui Principi placet. Sic servatis & auctis sui Principatus reditibus Honoratus acquisivit ultra 30000. Imperialium in annos singulos, libertatémque quam artibus Hispanicis amiserat, iterum recepit. Videatur pluribus Manifestum quod Moneccii Princeps ann. 1641. edidit. Hodiernus Princeps prudens & generosus est, & gratiâ Dei se Principem Moneceii scribit; cudit monetam, & in suo Manifesto dicit se habere superioritatem & jura Regalia. Certum tamen est, illum non numerari inter magnos Italiæ Principes.

ADDEN-

ADDENDA

Ad tit.de Regno Galliæ in TOMO II.

I. Lutetia nomen non habet à Luto, ſed ſecundùm Strabonem à Rege *Luco*, quaſi Lucotetia. Paris non dicitur à Paride Trojano, ſed à *Paride* 18. Gallorum Rege.

II. Lutetiæ Pariſiorum *à la Cour S. Eloy* horologium adeſt, vbi apparet hæc inſcriptio:

Machina quæ bis ſex tam juſtè dividit horas,
Iuſtitiam ſervare monet, legeſq; tueri.

III. Lutetiæ Pariſiorum in ingreſſu Palatii, vbi Parlamentum eſt, prope ſcalam apparet imago Comitis, qui Regis Philippi pulchri theſaurum ſpoliaſſe dicitur, junctâ hac inſcriptione Gallicâ: *Chacun ſoit content de ſon bien: Qui n'a ſuffiſance, il n'a rien.*

IV. Infelicem caſum Henrici II. R. Gall. póſtquam illi à Comite Mongomerio in torneamento oculus perfoderetur, Galli acerbè tulerunt, ut conſtat ex his verſibus:

Non tanti pax nulla mihi, connubia tanti
Nulla mihi Henricum Superi mihi reddite; veſtram
Pacem reſtituo vobis, bellumq; repoſco.

V. Metis in S. Arnoldi eſt Epitaphium.

D. M. S.

Quiſquis es Pius Hoſpes, adſtes & perlegas:
Regis piiſſimi manes non imperant, ſed rogant.

D.Lu-

D. Ludovico Pio D. Caroli Magni filio, Galliarum Regi, Imperatoriq; Romano: qui quondam (ut tanti nominis gnarus & memor abeas) cum & vivente Patre & suscepto post Patris obitum imperio, præclarissimis rebus in Aquitania primùm, cuius adhuc Puer Rex fuerat constitutus, deinde in Dania, Italia, Hispania, cæterísque Orbis Christiani partibus benè ac feliciter gestis, nec non flagrantissimo divinarum atque humanarum legum cultu & cura, quódque illi præ omnibus, quotquot fuêre, Galliarum Regibus Pii Regis cognomen dedit, incredibili & inaudita, tùm in suos, tùm in alienos pietate, Principum Populorúmque animos sibi conciliasset, indignè tamen ac miserè ab ingratis liberis in Cœnobium actus, Imperatorio & nomine & munere privatus, sic extitit, ut animi fortitudinem admirarentur omnes, Sapientiam cognoscerent. Qui paulò pòst ab optimis Franciæ, Germaniæ, Austrasiæque Magnatibus in solitam Imperii administrationem, communi totius populi auxilio & applausu reductus, ac veluti omnium humeris revectus, sic reliquum vitæ spatium transgressus est, ut optimum & piissimum Imperatorem transgredi decebat. Qui denique cum talis è vita discederet, à Drogone fratre Archiep. Metensi (quem charus Pater ex illegitimo consortio filium susceperat) in suburbana ejus Tritavi æde conditus, multis inde seculis cum Hildegarde matre, geminísque patris Chariss. Sororibus, Rothaide & Alaide, totidémque filiabus Alaide & Hildegarde, feliciter quievit. Hoc istud

qualecun-

qualecunque est hospes, cum Arnulphi ſano, ob Metarum obſidionem diruto, Pii manes in hanc urbem traducti fuiſſent, D. Henricus II. Galliarum quoque Rex Auguſtiſſimus, & inter pios pii Regis nepotes pientiſſimus, avitæ ſuæ ipſius pietatis ac æternæ memoriæ ergò, Anno M. D. LII.

Inſtauravit & conſecravit.

Oben darüber ſtehet:

Extra urbem poſitus ſacrâ priùs æde jacebam.
Mars ruit, & ſolita membra revellit humo.
Henrici pietas huc tandem (ut ſera tulerunt
Fata) pium divo marmore condit Avum.

VI. In urbe Galliæ Salon, in Provincia ſepultus etiam celebris ille Aſtrologus Noſtradamus, cuius tale monumentum in templi introitu ad ſiniſtram.

Oſſa
M. Noſtra-
dami unius
omnium morta-
lium judicio
digni, cuius
penè divino
calamo to-
tius orbis
ex Aſtrorum
influxu fu-
turi eventus
conſcriberentur
Vix. An. 72.
M. 6. d. 17.
Obiit Salo M. D. LXVI.

Quietem

Quietem posteri ne invidete
A nuna Pontia Genella Salonia
Coniugi Opt. V. P.

VII. Nancei in Lotharingiâ legitur tale Caroli Audacis Ducis Burgundiæ epitaphium.

En iacet hic Carolus Belgarum illa inclysta virtus
Cui Mavors dederat bella gerenda pater.
Quem timuit subitos animósque Gallus in armis;
Cuique Alemannorum terga dedere Duces.

Carolus hoc busto Burgundæ gloria gentis
Conditor, Europæ qui fuit antè timor.
Ganda rebellatrix hoc plebs Domitore, remotas
Post patriæ leges, perpete pressa iugo est.
Nec minùs hunc sensit tellus Leodina cruentum,
Cum ferro & flammis urbs populata fuit.
Monte sub Heretio Francas cum Rege cohortes,
Inpavidam valido truserat ense fugam.
Hostibus expulsis Eduardum in regna locavit
Anglica, primævo restituítque solo,
Bella Ducum Regúmque & Cæsaris omnia spernens,
Totus in effuso sanguine lætus erat.
Denique cum solidis fidit temerarius armis.
Atque Lotharingo cum Duce bella movet.
Sanguineam vomuit media inter prælia vitam,
Aureáque hostili vellera liquit humo.
Ergò triumphator longæva in secla Renatus.
Palmam de tanto Principe victor habet.
O tibi, qui terras quæsisti, Carole, cælum,

Det

Det Deus, & spretas antea paucis opes.
Nunc dic, Nanceios cernens ex æthere muros:
A Clemente ferox hoste, sepulchror ibi.
Discite terrenis quid sit confidere rebus,
Hic toties victor, denique victus adest.

ADDENDA

Ad Tit. de Regno Daniæ.

I. Divi Friderici III. Regis Daniæ epitaphium est tale: Hic jacet, per quem stetit Dania, Serenissimus & Potentissimus Daniæ & Norvvegiæ Rex Fridericus III. &c. qui tam privatis virtutibus clarus, quàm Imperatoriis, in palatio justus, in castris vigil, in tribunali propitius, in throno, campo, foro ubique Rex, ubique moderator omnium, sed maximè sui. Annos regimine, menses beneficiis, dies pietate distinxit; ob quæ merita, inprimis ob fractas bellorum procellas, Regni jugulo minitantes, communis Parentis haud paulo pulchrius quàm nomen Regis meritus; Quò nulli hactenus Principum Danorum ire datum, hæreditariam primus accepit potestatē, i.e. Cives omnes in Regno suo effecit liberos, séque & stirpem in perpetuum suam supra omnem extulit mortalitatem. Stat fama supra tanti Herois ruinas, qui hærens cælo lucet terris, & in animis hominum colitur, postquam in augustali desiit perpetuâ sede, & orbi coævâ, si quid cælo creditur,

ditur, si qua pietati duratio futura. Natus anno 3609. d. 18. Martii. Denatus anno 1670. d. 7. Februarii.

II. Hafniensi Castello fortissimo, nihil deest, als ein fester Grund vnd gute Erde / welche/weil sie auß lauter Sand vnd Kieß bestehet / fallen fast jährlich gantze Courtinen vnd facen ein. Castellum illud regulari formâ extructum, habet quinque propugnacula, des Königes/der Königin / deß Printzen/ der Princeßin / vnd das Ranzauische. Generalis Major Ruse est illius militaris architectus: Amicus in literis Germanicis, ad me transmissis, de hoc castello ita: Zwey Bollwercke gegen der Stadt sind mit Katzen verhöhet; die andern drey bestreichen den Hafen vnd die See. Ihre flanquen sind mit zwey retirierten flanquen (wie sie Ruse zu nennen pfleget) verstercket ꝛc. Diese Festung hat zwey Thore eines gegen die Stadt/ daß ander gegen die See gahr vortheilhafftig gelegen / daß sie von dem Feinde nicht woll beschossen werden können/ ꝛc. Es ist auch eine contreguarde mit einem ziemlichen breiten Wassergraben darumb geführet / welche der Festung keine geringe Stärcke giebet; Vor demselben ist noch eine Contrescarpe, wie auch vor jeder Brücke noch darzu ein klein ravelin. Weil an der gantzen Festung nur eine face ist / auff welche der Feind approchi-

ren kan / wird derselben von dem Stattwalle desto mehr defension gegeben / ꝛc. Civitas etiam Hafniensis post ultimam Suecorum obsidionem egregiè adhuc hodie munitur. Viginti duo habet propugnacula, davon acht (ut refert Amicus) den Christianßhaven begreiffen. Sie haben alle gute defension nicht allein von der flanque / welche an der länge der facen nicht viel nachgeben / sondern auch von der Courtinen welche halb die secunde flanque giebet. Und ob gleich keine Berge nahe ümb die Stadt liegen / sind doch fast alle Bollewercke mit Katzen verstercket. Die Erde ist lauter Sand und Kieß; damit aber das Wasser durch abspühlen dem Walle keinen schaden thun möge / werden alle Steine die in den Graben gefunden werden / an die Böschung desselben geworffen. Von Aussenwercken ist anders nichts da / als vor iedern Thore / derer vier seind / ein ravelin. Hæc Amicus meus.

III. An. 1670. d. 4. Iul., hodiernus Sereniss. ac Potentiss. Daniæ Rex Dn. CHRISTIANUS V. præsedit Iudicio supremo Appellationis dem Herren-Tag / oder dem höchste Gerichte: der Ort / da es gehalten wurde / war uff dem Königlichen Schlosse in einem grossen Gemache / neben dem grossen Saale: Oben an in dem Gemache saß der König an einem etwas erhobenen Tische unter einem Himmel

mel gantz allein/ und stunden hinter ihm etz-
liche Cammerherren: hiebevor/ ehe die Souve-
rainität eingeführet worden / mögen die
Reichs-Räthe auch mit dem Könige an ei-
nem Tische gesessen haben; Anizo aber wah-
ren auff beyden seiten neben des Königes
Tische zwey andere Tische; daran die Reichs
Räthe und andere Assessores in ihrer Ord-
nung dergestalt sassen / daß der erste an dem
Tische zur rechten hand zu votiren anfieng/
dem der erste an dem Tisch zur lincken hand
folgete/ und also fort/ allezeit Wechselsweise
von einem Tische zu dem andern die vota
führeten. Diese Assessores wahren theils von
Adel/ theils Gelährte. Gegen des Königs
Tische über stunden noch zwey Tische / an
deren einen zwey Secretarii protocollirten/
auff dem andern aber hatte der Ober-Ge-
richt-Schreiber der Partheyen acten liegen/
und laß dieselbe ab. Alle ietzerwehnte / des
Königs / der Assessoren und Secretarien Ti-
sche wahren mit hölzern Schrancken umb-
schlossen / ausser welchen die Partheyen / und
wem sonst beliebte / stehen bleiben / und zu-
höreten. Bey diesem Gerichte sind keine ab-
sonderlich beeydigte Advocati und Procurato-
res, sondern die Partheyen mögen ihre Sa-
chen entweder selbst/ oder durch wen sie wol-
len mündlich vorbringen. Der Ober-Ge-

richts-Schreiber laß an seinem Tisch stehend / die in den vorigen instantzen ergangene acta, oder nur das wichtigste darauß / laut ab / darnach brachten die Partheyen oder ihre Wortführer ihre Noturfft kurtz / iedoch bißweilen sehr unordentlich / vor. Darauff müsten Sie vnd alle andere Leute (ausser den König vnd die Assessoren) einen Abtritt in den grossen Saal nehmen. Vnterdessen wurde von den Assessoren über der Sache votiret (worbey der Reichs-Cantzler / oder / in dessen abwesen ein anderer / das directorium führete) ein Vrtheil abgefasset / darnach die Partheyen vnd iederman / wer da wolte / wieder hineingelassen / das Vrtheil publiciret / vnd eine andere neue Sache auff eben solche masse / wie die vorige / vorgenommen. In ieder Sache wahr einer von den Assessoren Referent, der zu hause die acta durchlesen vnd darnach in dem Gerichte darauß referiren müssen / dem müsten die Partheyen nur allein wegen der Mühe des referirens einen Rosenobel geben; der andern Gerichts-sportulen vnd vnkosten zugeschweigen. Von den Rechts-Sprüchen dieses Gerichts werden keine weitere appellationes oder andere remedia suspensiva zugelassen / sondern es muß bey denselben allerdings sein bewenden haben. Dieses Gerichte wird alle Jahr einmahl

vmb

umb diese zeit gehalten/ wehret 6. 8. Wochen oder so lange/ biß alle durch appellation dahin erwachsene Sachen zu Ende gebracht. Es wird allezeit des vormittags von Glock sechsen biß umb 11. oder 12. Uhr zu Mittage gehalten/ und auff einmahl 5. oder 6. Sachen/ mehr oder weniger/ nach dem sie weitleufftig oder kurtz sind/ erörtert.

IV. An. 1670. d. 13. Iulii vormittags umb 9. Uhr wurd zu Coppenhagen ein neuerbawet Orlog-Schiff von dem Strande ab ins Wasser gebracht mit folgenden solennitäten. Im beysein des Königs und seiner fürnehmsten hohen bedienten wurde das Geistliche Lied: Gott der Vatter wohn uns bey: gesungen. Darauff hielt ein Geistlicher einen sermon von dem Nutzen der Schiffart/ den Gott der Herr selbst dem Noa durch aufferbawung der Archen gezeiget/ und wie auch sonderlich erlaubet sey/ derselbigen in rechtmessigen Kriegen wider seinen Feind sich zugebrauchen. Gab endlich auff befehl des Königs/ dem neuerbaueten Schiffe der Chur-Princeßin von Sachsen Nahmen: Anna Sophia: Hieruff wurd wieder ein Lied gesungen/ und darnach die Arbeit mit bewegung des Schiffes angegriffen. Dasselbe stund nur mit dem Fundament oder Undertheil auff dick eichenen Bohlen/ welche als eine brücke biß an das

Wasserlehne vnd abhängig geleget / vnd starck mit Seiffe beschmieret waren. Umb das Schiff wahr ein grosses Anckerthau oder Seyll / dicker als ein Arm gemachet / vnd zogen daran eine grosse anzahl Bothsknechte auff beyden seiten. Unterdessen wurde auch mit zweyen starcken höltzernen böcken von beyden theilen unten wieder das Steurrüder hinten am Schiffe gestossen / damit das fundament eher zur bewegung gebracht werden möchte. Als nun solches eine weyle gewehret / fing endlich das Schiff an fortzugehen / vnd lieff auf einmahl auff den mit Seiffen glat gemachten bohlen hinunter in das Wasser / und zwar mit solcher vehemenz, das die bohlen davon zu rauchen anfingen / und das Wasser durch die Gewalt der auffwallenden wellen / alle in dem hafen herumb liegende grosse vnd kleine Schiffe bewegete. In dem das Schiff also in das Wasser lieff wurde auß etlichen Stücken auß andern Orlogs-Schiffen salve gegeben.

V. In Camera artificiosâ Regia inprimis visu digna (1.) Ein steinern plattes Täffelein / darin von Natur ein rechtes eigentliches gebildetes Crucifix zusehen. (2.) Eine Grönländische steinerne Axt / so scharf daß man holtz darmit hauen könte. (3.) Daß zu Nürnberg bey den Friedens execution Tractaten gehaltene panquet von einem Nürnberger

sehr

sehr künstlich geschnitzet / also daß die darbey gewesene Personen alle Conterfeysch und nach dem Leben abgebildet / und dießbey dem Feuerwerck gebrauchte Stück und Mörser alle nach dem verjüngten Maßstabe gemacht waren. (4.) Unterschiedene steinerne Täfelein / darauff rechte Landschäfften und Beüme von Natur also gewachsen waren. Et plura alia.

VI. Tycho de Brahe cum plusculos annos cœli motum felici apud Danos successu monstrasset, ipse moveri cæpit, & exteris cessit: Primo Benaticam, mox Pragam, inde Niessam delatus: Ita quas in cœlo vices designauit, in terrâ passus: Tandem capta Niessa virtute, ductu & auspicio Principis Divi VLDARICI Patria velut trophæum ex peregrino Marte vindicatus & restitutus an. 1632. Calend. Decemb. ut patet ex inscriptione Hafniæ in Collegio Academico.

VII. An. 1670. d. 21. Iul. Hatte zu Coppenhagen der Englische Ambassadeur Ein Graff von Essex seine Abscheids-audienz derselbe wurde folgender gestalt auffgeholet / und wieder abgeführet. Vorauß ritte der Futter-Marschall / dem folgeten 12. Königliche Gutschen / iede mit 6. Pferden bespannet / in der zehenden Gutschen saßen drey Königliche Hoffiunckern und in der elfften der Ceremonien-Meister mit einem Königlichen Rathe / die zwölffte für den

Ambassadeur war/ gleich wie auch die andern neune leer. In solcher Ordnung fuhren sie vor deß Ambassadeurs logement/ holeten denselben ab/ und folgete in der auffführung nach dem Schlosse deß Ambassadeurs eigene Gutsche/ deß Königs Gutschen / darin der Ambassadeur fuhr/nach. Der Ambassadeur, nebenst zweyen andern deß Königs und seiner eigenen Gutschen/ in den Schloßhoff. Unten in dem Hoffe an der Treppen würde der Ambassadeur durch den ietzigen Oberhoff Marschal / mit etlichen bey sich habenden Cavalieren empfangen und hinauff geführet. Oben an der Treppen wurde er durch den Reichs-Marschall von Korwitz angenommen / und zwischen den Trabanten durch biß in die erste Antecameram geführet. Da wartete der Ambassadeur biß ihn der Reichs-Marschall beim Könige angemeldet. Der kam bald wieder / und führete ihn durch die andere Antecameram vollends ins audienz-Gemach. Da saß der König unter einem Himmel mit bedecktem Haupte. So bald der Ambassadeur ins Gemach getretten/stund der König auff/ trat dem Ambassadeur etliche schritte entgegen / und nahm den Hut ab. Als nun der Ambassadeur sich gegen dem König geneiget/ und zu demselben auff den etwas erhabenen Platz getretten war/ setzten sie beyde die Hüte wieder auff. Der Ambass. legte

sein

sein compliment gahr mit wenig worten ab; dem antwortet der König auch gahr kurtz: Daruf nahm der Ambassadeur den hut wieder ab / und wurde allen seinen Cavalliren erlaubet J. May/dem Könige/ die hand zu küssen. Nach dem solches geschehen/trat der Ambass. wieder ab auß dem Gemache vnd wurde/ wie herauff/also wieder hinunter vnd nach hause gefüret.

VIII. *Collegium Status Regis Daniæ* constituunt hodie Illustris Dn. Hanß Schack/Feldher / Generosus Dn. Peter/Reetz Reichs Cantzler: Generosus Dn. Heinrich Bielcke Reichs-Admiral: Consiliarii Status sunt Illustris Dn. in Norwegen/ Illustris Dn. Friederich Graff Vlrich Friderich Güldenlöw Stadthalter von Achlefeld / Stadthalter in Schleßwig Holstein Dn. Christoff Paßberg Vice-Cantzler: Dn. Ovve Iuel Vice-Stadthalter in Norwegen: Dn. Holgor Wind Vice-Schatzmeister: Dn. Otto Pog Wisch General Kriegs-Commissarius: Dn. Corfitz Trulle: Dn. Erich Kragge: Dn. Enwald Paßberg: Dn. Christen Schack: Dn. Martin Schinckel: Dn. Seckman Præsident in Coppenhagen: Dn. Conrad Bierman. Ante paucos annos in hoc Collegio Sanctior & Cameræ Secretarius fuit Illust. & Generosus Dn. Petrus Schuhmacher; qui tamen hodie à Serenissimo Rege Danię in Equitem ordinis Elephantis evectus, adiunctâ Comitivâ dignitate; vnde & Comes de Greif-

fenfeld dicitur: Hic optimus Christianus Statista, vir πολιτικώτατος, inter Sanctiores Regię Majestatis Consiliarios personam suã cum omnium applausu decenter in Regiâ Aula repræsentat. Sũmo meo Patrono, quem nũc eligo, sit vita, salus, & cõstantissima Regia gratia. *Collegium Cãcellariæ Danicæ* consistit in seqq. (1.) Pręside, Dn. Petro Reetz (2.) Vice-Cancellario Dn. Christophoro Paßberg: (3.) Consiliariis Cancellariæ, Dn. Erich Kragge / Dn. Dieterich Schulte & Dn. Schuhmacher / Sanctior Regis Secretarius; qui ante paucos annos à Sanctissima Regiâ Majestate in Comitivam dignitatem illustrem evectus, Eques creatus, Rȩgni Cancellarium & sanctiorẽ Cancellarię Consiliarium hodie agit, simul audit Ober- und Geheimer Staats vnd Cammer-Herr / Ambtmann über Cronenburg / Ambt Assessor im Collegio und höchsten Gericht. *Collegium Cancellariæ Germanicæ*, constat hodie sequentibus: Dn. Conrado Reventiver / Hoff- und Cantzley Rath: Dn. Conrado Hesse / Hoff- und Cantzley Rath: & duobus Secretariis Cancellariæ & Archivi, Dn. Friderich Wulff / & Johann Moth. *Collegii Militaris* membra sunt: Dn: Hanß Scheul / Præses: Dn. Johan Christoff von Corbitz: Dn. Jürgen Bielcke. Dn. Otte Poqwisch: Dn. Hanß von Ahlefeld General Lieutenant: Dn. Friderich von Ahlefeld / General Stat Major, &c. *Collegium Admiralitatis* constituunt Dn. Henrich Bielcke Præses:

Præses: Dn. Cort. Sivertsen Adelar General Admiral: Dn. Niels Iuel, Admiral: Dn. Paul von Klingenberg Admiralitäts Rath: Dn. Iens Lassen Admiralitäts Rath. *Collegium Thesaurariorum* conficiunt Dn. Holger Winde/Vice-Schatzmeister: Dn. Steno Hundorff Rentmeister & alii, quorum nomina in peregrinis oris indagare in præsens haut potui.

Assessores Supremi iudicii constant ex Nobilibus & Literatis. Inter Nobiles hodie primo loco sunt: Dn. Hanß Schack: Dn. Peter Reetz: Dn. Dn. Henrich Bielcke: Dn. Ulrich Friderich Güldenlöw: & alii tam Nobiles, quàm Literati. *In Regimine Holsato Glückstadiensi*, Vicarius Regis hodie est Fridericus Comes de Ahlefeld: Detlefus Comes de Ranzavv Vice-Stadthalter/ ꝛc. *Consiliarii Provinciales in Ducatu Slesvicensi-Holsatico sunt*: Fridericus Comes de Ahlefeld: Kay von Ahlefeld Ambtman zu Haderßleben: Henrich Blome Ambtman zu Renßburg: Detleff von Ahlefeld Ambtman zu Flenßburg: Gosche von Buchwald Probst vnd Vorbitter der Klöster Itzehoe vnd Utersen: Borchard von Ahlefeld: Dn. Johan Christoff von Schönbach Land Cantzler. In Comitatu Oldenburgensi & Delmhorstino Vicarius est Dn. Comes Antonius von Aldeburg/ Consiliarii, General Wachtmeister von Baudissen: Wilhelm Herspen: Jacob Preusser: Friderich Heclar. Iudex Provincialis est in Comitatu Oldenbur-

denburgensi D. Henrich Hudenlau: In Comitatu verò Delmhorstano Christian Michaelsen / Quæstor verò Johan Oetken: Secretarius Cancellariæ Henrich Herecker. Sereniss. Rex ordinariè quatuor militaria Regimenta alit: das Seelendische / das Fünische / das Nordjütische und Südjütische Regiment. Hodie verò, orto bello Gallo-Hollandico, hic Monarcha Potētissimus plusquā 20000. exercitum alit.

IX. Hafniæ etiam visum meretur die schöne grosse Holtzkirche / in form eines Creutzes aufgebauet / in dessen einem Winckel der Predigstul ist / also daß der Pfarrherr alle Leute in der Kirchen / und sie hinwider Jhn / hergegen aber die in einem Winckel / die andern in den andern Winckel darneben nicht sehen können. Die invention ist fast wie die Kirche zu Freudenstatt in Fürstenthumb Würtemberg / nur daß jene die forme eines Winckelmasses / diese aber eines Creutzes hat.

X. Pulcherrimam Regis Daniæ arcem Fridericoburgum amicus in literis ita describit: Das innere Schloß an sich selbst ist gantz steinern mit dreyen seiten gebauet / und zwischen denselben ein grosser lediger hoffplatz. Das Tach ist gantz mit kupffer gedecket / und Fensterrahmen / Portale / grosse knöpffe auff dem Thurn und anders starck vergüldet / also daß es von aussen ein trefflich schönes ansehen hat; Von innen aber und

in den

in den Gemächern ist es noch viel köstlicher: In der Schloßkirchen ist sonderlich zusehen eine kostbare gantz massiv silberne Altar Taffel mit schwartzen Ebenholtze eingefasset: Der Predigstuhl ist von dergleichen Arbeit / und die vier Evangelisten in zimlicher grösse von gutem Silber herumb. Diese Altar-Taffel und silberne bilder am Predigstule / sein in dem letzten Kriege noch bey zeitten nach Coppenhagen geschaffet / und also gerettet worden. Die berühmte gantz Silberne Orgel aber / welche zurücke blieben / haben die Schweden bekommen / und nach Schweden geschaffet. Es ist jetzund noch eine gantze höltzerne Orgel drinne / dessen vordere Pfeiffen / so im Gesichte stehen / alle von Ebenholtz und mit Helffenbeinen Blum und Schnitzwerck außgeleget / die Clavier auch von Ebenholtz / semitonien von Helffenbein / die knöpffe und züge der Register aber von puren Silber alles auff das sauberste und künstlichste gemachet. Die Kirchstühle und Thüren sein alle auch theils von Eben / theils andern raren holtze von vielerley farben so natürlich außgeleget / als wen es gemahlet were. Oben uff der Bohrkirchen zwischen den Fenstern werden ietzo schöne neue Bilder gemahlet / weil die Schweden die alten auch hinweg genommen / und davon gefüret haben. Von der Bohrkirchen

chen gehet man in ein schön Cabinet deß Königs / die Fenster in demselben sein von lauter geschnittenen Spiegelglaß; die Seülen an den Thüren von Ebenholtz und helffenbein: Oben an der decken sein auch viel künstlich gedrehete und geschnitzte knöpffe und Rosen von helffenbein von allerhand gattungen. Es stehet ein kostbahrer Tisch mit Edelgesteinen außgeleget von Florentinischer arbeit darinnen; item ein kleiner Altar mit einer massiv silbernen Taffel / daruff ligt eine Dähnische Bibel starck mit Silber beschlagen; item stehet ein gantz güldener Kelch und Patene daruff. In einem andern zimmer ist ein Cabinet inwendig mit Ebenholtz und in demselben von allerhand Blumwerck von Silbernen drath außgeleget / welches aber von den Schweden sehr verderbet / und ist an vielen Orten das Silber außgeschnitten und außgegraben / ꝛc. In dem grossen Saal ist ein Camin von schwartzen marmor, davor hiebevor auch massivsilberne grosse bilder gewesen / welche aber die Schweden in dem letzten Kriege mit der Silbern Orgeln hinweg bekommen / ꝛc.

XI. Croneburgi an dem Portal sequentes leguntur versus:

Hic ubi diffusum frenans Oresunda profundum,
Oceani te tuis limina ponit aquis,

Tollitur

Tollitur alta solo Regum Domus , inclyta Martis
Area,& Arctoi claustra vetusta Maris.
Quæ nuper belli sævis concussa ruinis,
Nunc denuo antiquum tollit honore caput.
Hanc tutam vis esse diu,vis patria salvam?
Quæ Dani dos est nominis,adde fidem.
Condat castra,Vrbes, Arces Bellona domósque,
Et varium dextræ belli potentis opus.
Arx invicta una est,cujus propugnacula cingit
Vna fides,unum pectus & unus amor.

In altero latere apparent sequentia:

Sta domus antiquis in cælum evecta columnis,
Et belli memores dilue fronte notas,
Ac seros tutela tingens solare nepotes,
Regis ab arbitrio nunc reparata tui?
Gratia sit , FRIDERICE, tibi,qui damna,ruinas,
Qui Regna è senio relliquiisque levas
Vt postquam memoris cessaris secle senectæ
Quosque tibi longos dent pia fata dies.
Postquam homines siluere & tot modo nomina laudum
Saxa tamen laudes nec peritura sonent.

Reparata est Arx Cronenburgi
Anno 1664. rerum potiunte
Friderico id nominis tertio & primo Danorum Hereditario Rege.

Arx hæc, quamuis bene sit munita, natura loci & arte, tamen ego credo, quod hodiernus Serenissimus Rex illam adhuc fortiorem redditurus sit; presertim quũ Sueci è regione trans fretum Suudæ , cujus latitudo milliare Germanicum hic æquat , arcem Helssinburg contra Daniam

Daniam ad hodiernum architecturæ militaris modum bene muniunt. Amicus ita de illâ per literas mecum colloquitur: dieses Schloß/ welches auff dem Berge lieget / wird von neuen / als ietzo eine Grentzvestung gegen Dennemarck / regular fortificiret/ bekommet 4. bollwercke / welche alle aufgemauret werden. Der Graben herumb wird zimlich tieff und sehr schmaal gemachet/ also daß er von den hohen Bollwercken nicht woll zu bestreichen. Die Contrescarpe welche an der seiten gegen die See/ scheinet mehr schädlich als nützlich zu sein / weil sie gar zu hoch und dem Feinde eine verdeckung geben kan.

ADDENDA

Ad Tit. de Regno Sueciæ.

I. Iudicia Sueciæ ita hodie se habent: In der haubtstadt in Smaland Jenecöping wird das Hoffgericht deß Jahrs zweymahl gehalten / im Februario vnd Martio, vnnd im October vnd November / und alle durch appellation von den vntern instantiis dahin erwachsene sachen erörtert / vnd zwar ohne weitere appellation/ nur daß noch das beneficium revisionis an den König zugelassen ist. An diesem Hoffgericht ist ein Præsident, deme

zwey

zwey Reichs-Räthe und zwölff Assessores; halb Adeliche vnd halb Gelehrte adiungiret sind. Es wird daran mit zweyen oder zum höchsten dreyen umbgewechselten Sätzen / und zwar Schrifftlich und nicht mündlich verfahren. Dieses hiesige Hoffgerichte wird genennet Giöthen oder das Gothische / vnd gehören darunter die Provintzen Schmaland / Osteriüdland / Westeriutland / Wermeland / Dahlen / Bahußland / Halland / Schonen / und Bleckingen. Ausser diesen sind in Schweden noch drey Hoffgerichte / neimlich (1.) zu Stockholm / Schweden oder das Schwedische genant / darin ist der Reichstrotzet Præses / und hat neben sich vier Reichs-Räthe / sechs Adeliche und sechs Bürgerliche Assessores. Vnd gehören darunter das eigentlich also genante Schweden / Helsingen / Dalakarlen / und die Nordische Provincien / item die ienigen welche durch ein sonderliches privilegium von der jurisdiction der andern Hoffgerichte eximiret sind / dan auch das Hertzogthumb Ehesten / und die Städte Riga vnd Revel. (2.) Zu Abo in Finnland darunter das groß Hertzogthumb Finnland / und beyde Carelen gehören / vnd (3.) zu Dörpt in Liefland darunter Liefland und Jngermanland gehören. Vnd haben diese beyde letzte Hoffgerichte ebenmessig ein iedes einen Reichs Rath

zum Preside, und sechs Adeliche und sechs Bürgerliche Assessores. Wie auch an allen Hoffgerichten Secretarien/ Notarien und andere Gerichtsbedienten sind. Wen einer von den Assessoren verstirbet / benennen seine Collegen dem Könige zu der vacirenden stelle 6. Persohnen gleiches standes mit dem verstorbenen/ auß denselben wehlet vnd confirmiret der König einen. Die Vnterthonen in Schweden haben ordentlich in ihren Rechts sachen drey instantias. Die bauren haben in ihren häredten oder Vogteyen absonderliche Gerichte/ daran ein Richter/ und 12. Bauren (haretzhaffdin gar) oder Gerichts-Schöpffen sind. Von dar gehen die appellationes an den Lageman/ welcher allezeit ein Reichs-Rath ist/ und solche charge durch einen Vnterlageman verwalten lässet. Der hat davon eine gewisse besoldung (Lagmanßpenningar) welche ihm die Vnterthanen iährlich bezahlen müssen. Von dem Lageman wird an die Hoffgerichte appelliret. In den Städten sind Nieder und Obergerichte. Die Niedergerichte heißen Kämmenärrät/ sind mit einem Kämmener und ein paar Notarien besetzet/ welche die geringen sachen summariter schlichten. Von dar wird an die Obergerichte appelliret/ die sind der Stadtraht iedes Orths/ der gemeiniglich auß vier Bürgermeistern

meistern und 24. Rathsherren bestehet. Von denselben gehet die appellation auch an die Hoffgerichte. In allen diesen unter instantiis wird nur mündlich verfahren/und dasselbe protocolliret. Es müssen aber alle an denen Unter instantiis gesprochene Urtheil und bescheide auch in gewisse Urtheilsbücher (Dombücher Sueci vocant) eingeschrieben/ und den Hoffgerichten jährlich im Februario zur revision eingeliefert werden. Wer von der ersten instantz appelliret muß einen halben Thaler/von der andern aber 3. Rthlr zuvor erlegen. Suchet er hernach das beneficium Revisionis an den König/ muß er dem Hoffgerichte 120. Rthlr. erlegen/ das juramentum malitiæ schweren / und in casu succumbentiæ der Obsiegenden Parthey die unkosten wiederbezahlen. Das Geld welches die appellirende oder die revision suchende Parthey erlegen muß/ behelt iedes Collegium oder Richter/ welche das urtheil gesprochen / es werde dasselbe gleich darnach reformiret/ oder confirmiret. Zur revision sind auch gewisse fatalia gesetzet nemlich ad interponendam vel quærendam eandem acht Tage/ ad introducendam verò bey der Königlichen Cantzley von den Hoffgerichten Schweden/ Gothen und auß Finland drey Monathe; auß Liefland und Ehesten aber 6. Monathe / von zeit derer

an den Hoffgerichten außgesprochener Vrtheill anzurechnen (Vid. Wexionii Epitome Descriptionis Sueciæ lib.5. c.10.)

II. Die Mummen von Renstern / so das berühmte Messingswerck in Nortköpingen inhaben / seind dahin auß Holland kommen; haben privilegia zu auffrichtung dieses und anderer Messingswercke in Schweden / und dadurch grossen Reichthumb erlanget / darnach der krone viel vorgestrecket / und sind nunmehro geadelt worden. Daß Messingwerck ligt in der Stadt an dem Fluße Motala, und hat einen grossen umbfang. Das Meßing wird in dreyen Schmeltzoffen unter der Erden gemacht / die haben oben runde und auff den seyten kleinere Windfangslöcher. Durch die obern Löcher werden in jeden Offen allezeit acht grosse schmeltztiegel mit eysernen Zangen hinunter gesetzet / und wieder herauß gezogen. Diese schmeltztiegel sein mit Kupffer / und Galmey gefüllet. zu 40. pfund Kupffer wurden allezeit 55. pfund Galmey gethan. Wen das 12. stunden in dem schmeltzoffen gestanden / wurde 55. pfund Messing darauß. Nach dem nun das reine Meßing in einem Tiegel beysammen wahren / wurde es zwischen zwey grosse breite steine (welche mit einer absonderlichen machina handthieret und umbgedrehet werden können)

nen) zu einer Platten gegossen. Ferner ist auch alhier eine drathhütten / da schneidet erst ein Kerl mit einer grossen scheeren lange messingene Taffeln in kleine schmaale und lange stücklein / dieselbe werden darnach durch zehen drathzieher (welcher Werckstedte alle durch ein Wasserradt getrieben werden) immer von einem dünner als von dem anderen zu dem andern zu drath gezogen. Weiter wird in einer andern Werckstadt gezeiget / wie das Meßing zu langen schmahlen stükken durch eiserne auch vom Wasser getriebene hammer geschlagen wird. Weiter ist eine schmeltzhütte / darinnen garkupffer geschmoltzen / und in kleinen formen zu runden stücken gegossen / zu dicken platten geschlagen / und darnach Kessel / Pfannen / und anders darauß geschmiedet werden. Weiters wird auch / wie der Meßing zu runden platten mit grossen eysernen von Wasser getriebenen hammern geschlagen / Kessel gemachet / poliret / und andere dergleichen manufacturen mehr verfertiget werden / gezeiget. In diesem Messingswercke arbeiten täglich 113. Persohnen / und wird ihnen ihre Arbeit alle nach dem gewichte bezahlet.

III. Vpsaliæ in Sueciâ in templi cathedralis Sacristiâ monstratur Calix aureus, gemmis distinctus, ad 24002. Imperialium æstima-

tur, quo utuntur tantùm in festo Nativitatis, Resurrectionis nostri Servatoris & Pentecostes; quem Konigsmarckius Comes Praga accepit, ac dein Regina Christina huic Ecclesiæ donavit. Zu Avestaforsta / in Weßmanland ist das berümte kupfferdruckwerck / alwo auß dem rohen kupffer / wie es von den kupfferbergen hieher kommet / garkupffer / und auß demselben wieder allerhand manufacturen gemacht werden. Die Crone hat solches 1670. auff 20. Jahr verpachtet für 80000. Rthlr. Zu der art das garkupffer zu machen ist eine grosse officia / vnd darinnen 14. grosse Schmeltzkessel. In iedern wird 6. Schiffpfund roh kupffer auff einmahl gethan / wen selbiges 12. stunden geschmeltzet / wird oben auff das kupffer im Schmeltztiegel ein wenig Wasser gegossen / dadurch sondert sich gleich ein rundes Stück / so breit als der Kessel ist / von dem andern kupffer ab / daß man dasselbe / wie einen Kuchen mit einer Zangen herauß nehmen kan: so bald selbiges auß dem kessel komt wird es im kalten Wasser abgekühlet darvon bekombt es eine schöne rothte kupfferfarbe. Da es zuvor / wen es auß dem schmeltzoffen komt / noch gantz blau und unscheinbar ist. Dieses sprengen mit Wasser / und herraußnehmen der kupffertaffel wehret so lange / biß der kessel

gantz

gantz lähr wird. Je neher es dem boden kombt/ ie beßer und reiner ist das kupffer; Dannenhero auch das allerletzte / was auff dem boden bleibet/ höher als das ander/ æstimiret/ und Regulus cupri genennet wird. Vor diesen haben sie die art / das garkupffer zu machen in Schweden nicht gewust / sondern das rohe kupffer mehrentheils nach Lubeck und Dantzig geschicket/ alwo es allererst zu garkupffer gemachet worden. Vor nicht gar langer zeit aber haben einige Frembde sich/ dasselbe zu machen/ in Schweden angemeldet/ denen es auch von der Crone verpachtet worden. Bey dem schmeltzen deß kupffers flieget auch viel / gleich wie kleine Sandkörnlein / in die Lufft dasselbe wird Flores cupri genandt. Vor diesem / weil sie kein mittel / diese flores auffzufangen gewust/ sind sie alle in die Lufft geflogen / und unnütze zerstoben. Vor 6. Jahren aber (von an. 1664. zurechnen) haben sie allererst dieselbe auffzufangen gelernet: Nemlich sie haben über den Feuer essen über den Kesseln viel eiserne schieber immer einen über und gegen den andern gemachet / also daß zwar der Rauch zwischen denselben durchgehen kan/ die flores cupri aber an den schiebern sich stossen / und also behängen bleiben müssen. Die Blaßbelge in dieser Officin sein gantz höltzern

ohne einzig Leder/ und werden von dem Wasser getrieben. In einem andern Wercke werden die kupfferschlacken/ worin sich grosse stücke Kupffer verbergen/ mit stämpfelen/die auch das Wasser treibt/gantz klein zerstossen/ von dem Wasser gesaubert/ vnd darnach in absonderlichen Schmeltzoffen wieder zusammen geschmoltzen. In einer andern Werckstadt sein zwey dicke stählerne waltzen über einander/ die auch das Wasser treibt; Zwischen denselben lassen sie lange schmahle stücke kupffer durchgehen/ und dasselbe dünner und breiter machen. Darneben sein andere vnderschiedliche waltzen/ und darauff kupffermüntz gepräget von allerhand kleiner vnd grosser Müntze gegraben. Zwischen selbige lassen sie vorgedachte lange schmahle stücke kupffer wieder durchgehen/ worvon alsobald die gepräge auff denselben der länge nacheinander außgedrücket sein. Dieselben tragen sie hernach in eine andere Werckstadt/ woselbsten gewisse Schneidwercke zu ieder Müntz sorten/ welche durch einen eintzigen druck allezeit die Müntze recht rund von den langen stücken abschneiden/ zc.

IV. Wexionius in Epitome descriptionis Sueciæ lib. 7. c. 12. ait: Sueciam nescit, qui hunc locum (die Stadt Fahlun in Dalekarlen)

karlen) nescit. Das kupffer ertz zu Fahlun/ wird/ wie es auß dem Bergwercke kommet/ in kleine stücke geschlagen/ neben etlichen hütten geführet/ unter freyen Himmel auff holtzhauffen geschüttet/ also daß das holtz vñ Ertz schichterweise in einem grossen hauffen über einander liegen. Darnach wird das holtz angesteckt/ und bleibet also das Ertz ein vierzehen Tage/ drey Wochen oder auch woll ein Monat zeit darauff liegen/ biß es gantz außgebrant/ und wird wen es allhie fertig/ kalrüstewerck genennet. Dieses werck wird hernach in einen Schmeltzoffen gethan/ und in demselben zum ersten Gusse gebracht/ und wen es da fertig/ Skerstein genant. Dieser Stein wird wieder in grosse Stücke geschlagen/ und anderweitig in Hütten auff Rosten/ wie vormahls das Ertz/ gebrennet/ und zwar gemeiniglich sieben unterschiedliche mahl nach einander. Wen es hier wieder durch so viel Feuer gegangen/ wird es kupfferwerck genennet/ und von neuen in einen Schmeltzoffen gebracht. Wen es da fertig/ und zum Gusse gebracht/ heißt es muln- oder rohe kupffer/ und wird nach Avestaforsta auff den Bruuck gebracht/ allwo es vollends zu Garkupffer gemachet/ und dan allererst/ wen es schon woll zwoff mahl durch das feuer gegangen/ recht verarbeitet wird. Bey

dem

dem brennen auff den Rosten / ziehet sich auß dem Ertz eine schwefeliche schleimichte materia, die wird aufgesamlet / und wen solche mit Bier oder Covent gesotten wird / giebet es eine Schwärtze / das Leder damit zu färben. Auß dem kupfferschlacken wird auch eine braunrothe Farbe gemachet / womit mehrentheils die Häuser in Schweden angestrichen werden. In die kupffergrube führen die Bergknappen auff unterschiedlichen Leitern hinunter / biß man unten recht in die örther eingehen kan. Da wird das kupffer-Ertz mit angelegten Feuer loßgebrennet / und hernach durch eiserne instrumenta mit geringer mühe loßgebrochen / in Körben in die höhe gehaspelt / in kleine stücke zerschlagen / vnd auff die Schmeltzhütten geführet. Das Ertz ist nicht in gewissen Adern / sondern gahr reich in klaren Felsen / also das deß Unterbauens / wie anderer Orthen / da viel Erde darbey ist / nicht nötig / sondern es werden nur an gewissen Orthen unterschiedliche pfeiler gelassen (und mit dem Königlichen Wapen bezeichnet / von welchen bey Leib vnd Lebens straffe niemand mehr Ertz brechen darff) damit die Orter nicht verfallen. Weil hin vnd wieder schachte durchgebrochen / als ist auch allerwegen an guter Witterung und Lufft kein mangel.

In

In einen gewissen hause allhie bey der Ertzgruben wird wochentlich das Berggerichte zweymahl gehalten / worinnen die zwischen denen Theilhabern an den Bergwercken / und den Bergknappen selbst verfallende streitigkeiten entschieden werden.

V. Die gesambten Kupfferbergwerck zu Fahlun in Schweden sein in 1200. Vierfachten eingetheilet die sind alle privatleuten verpachtet / und hat mancher einen / mancher mehr theile darvon. So bald aber einer mit dem verlag seiner Theile nicht mehr fortkommen kan / mußer selbige einem andern andern abtretten / damit die Krone an ihrer Gerechtigkeit keinen abbruch leidet. Dieselbe hat iährlich von iedern Vierpachte 1. Schiffpfund Kupffer Pachtzinß / und also 1200. Schiffpfund zusammen. Jetzund aber / weil die Theilhaber sich beschweret / daß die Unkosten so groß / daß weinig Uberschuß zu haben / mag es ex singulari privilegio dahin moderiret worden sein / daß von allen 1200. Vierpachten iährlich nur 900. Schiffpfund erleget werden dörfften. Von dem übrigen bekommen die armen von ieden Schiffpfund ein Schaalpfund kupffer von 32. lothen. Item haben die Geistlichen dortherumb / und die / welche die Skiutzpferde für die Crone halten müssen / auch einen gewissen theil davon. Von dem was darnach den verpachtern

übrig

übrig bleibet/hat der König wieder den vierten theil an statt zolles. Und wen darnach das garkupffer auß dem Lande gefüret wird/ bekommet die Krone wieder von iedem schiffpfund ietzo 16. Thlr. zoll/das schiffpfund Rohe kupffer kostete ietzt 30 $\frac{6}{7}$ specie Rthlr. Die Krone helt von ihren mitteln einē Kunstmeister/6. Schmiede/12. Zimmerleuthe. 36. Bohrer und andere Werckleute/ welche mit Anbau- und Erhaltung der Wasserkünste und anderer Berggebeude täglich vollauff zuthun haben. Die Bergknappen aber und andere/die in den Berg- und Schmeltzwercken arbeiten/ item die mit den pferden das Ertz auß der Gruben haspein/ werden von den Theilhabern besoldet/ und belohnet. In der grossen Gruben mögen täglich an die 300. Menschen arbeiten. In diesen Kupffergrubē wächset auch das kupfferwasser oder vitriol heuffig. Item finden sich bißweilen auch kleine stücklein garkupffer/ welches die Natur schon selbst fertig gemachet/und zwischen dem Ertz hervor treibet; Wie auch lange stücklein schwefel/ welchen ebenfals die Natur schon vollenkommen præpariret/ derselbe hat ein länglich runde form/ wie Spanisch siegelwachs/ und siehet/ als wen er von lauter dünnen fässerlein recht mit fleiß und durch kunst zusammen gewunden were.

VI. Zu Sala in Schweden vor der Stadt

ist

ist eine schmeltzhütte/ darinnen das Silber/ Ertz/ wie es auß dem Bergwercke kommet/ hanthieret/ vnd geschmoltzen wird. Es wird aber mit demselben folgender gestalt verfahren. Weil in dem Bergwerck alhier fürnemlich zweyerley silberertz gebrochen wird/ nemlich gantz reines/ und anders mit wilden steine vermischtes/ so wird auch beydes absonderlich zum schmeltzen tüchtig gemachet. Das reine vnd gute wird nur/ wie es auß dem Bergwercke kommet/ in kleine stücker zerschlagen/ uff Rosten geleget/ und außgebrandt. Von dar wird es in schmeltzoffen/ derer zwey allhier sein/ gebracht/ und darmit es zum Flusse kommen möge/ zu zwölff zentner dergleichen außgebrantes Ertz zwey zentner Bley gethan/ vnd an die 6. stunden in den Schmeltzoffen gelassen. Wen es endlich gnug geschmoltzen/ wird unten ein zapffen in dem Offen aufgelassen/ das es herauß in den Sand lauffen kan. In dem es den noch gluend ist/ wird oben uff ein wenig Wasser gesprützt/ darvon sondert sich oben ein runder kuchen ab/ derselbe wird Scherstein genant. Das beste aber so unten bleibet/ wird von dar weiter in ein absonderlich Scheidhauß gebracht: Da ist auff der Erden von einem uff besondere art zugerichteten Sande ein hooler platz/ wie ein Kessel gemacht/ in denselben werden erst gluende kohlen geschüttet/

tet / das rohe und noch mit bley vermischete Silber darauff / und über dasselbe viel klein holtz / und endlich auch zwey grosse dicke beume / die eine weile Feuer halten können / geleget. Darnach wird das Feuer durch zwey grosse Blaßbälge / die ein Kerl durch einen schwangbalcken / gleichsam als auff einer schuckel stehend / gar leicht bewegen kan / angeblasen. Wan nun das Silber also etwan 3. stunden in der Glût gewesen / sondert sich das Bley darvon / und ziehet sich wegen seiner schwere in die asche vnd den sand / also daß das Silber / welches leichter ist / oben bleibet. Dieses abgescheidetes Silber ist noch nicht gantz reine / sondern es muß noch einmahl eben auff solche manier / wie zuvor / geschieden werden. Darnach ist es allererst zu seiner vollenkommenheit / vnd wird hier die Probe auff 15. Loth vnd 15. Grån gebracht. Der Scherstein aber / dessen oben gedacht / wird wieder in kleine stücke zerschlagen / und noch sechsmahl nach einander auff Rosten gebrant / darnach noch einmahl in die Schmeltzoffen gebracht / und wie vorbey den andern gedacht / tractiret. Das geringe und mit dem Wildenstein vermengete Silber-Ertz wird in einem absonderlichen Pachhause / mit stämpffen die das Wasser treibet / Pulverklein zerstossen / und gewaschen / also daß der wilde kiß gantz darvon kommet / und

das

das gute Ertz welches sich an nasse Tücher anhänget/ alleine bleibet. Dasselbe wird hernach gleich wie oben von dem andern guten Ertze erwehnet/ auff rosten gebrennet/ und ferner in den Schmeltzoffen und in das Scheidhauß gebracht. Monatlich mag hiesiges Silber-bergwerck 800. 900. biß 1000. Marck Silber geben. Die Silbergrube deß Bergwercks allhie ist oben im Diametro ohngefehr 15. Ellen weit / vnd gehet von oben gantz perpendiculariter 80. Klaffter tieff hinunter in die Erde. Oben auff den Eymer da man in die Gruben fahret trit noch darzu einer von den Bergleuten / mit einer handvoll langen dünnen spänen / welche er oben anbrennet/ und an stat einer Fackel gebrauchet: Darauff wird der Eymer von Pferden/welche selbigen ziehen/ algemach hinunter gelassen / und gehet unterdessen auff der andern seiten ein Eymer voll Ertz herauff/ gleich wie in einem ziehebrunnen von den zwey Eymern allezeit einer auff und der ander niedergehet. Vnter wegens singt der Bergman auff Schwedisch ein gewisses Berglied / daß Vnser Herr Gott für fallen und andern Gefahr behüten wolte: Das Ertz unten auff den boden wird ebenfals / wie in den Kupfferbergen / loß gebrandt / darnach mit eisernen instrumenten mit leichter mühe abgebrochen / vnd herauß gehaspelt.

mühe

Es war auch ebenmessig lauter Felsen / und also keines unterbauens vonnöthen / sondern es wurden nur hin und wieder pfeiler gelassen / zu Erhalt- und Verwahrung der Orter. Der Zentner deß guten Silber-Ertzes giebet 5. in 6. Marck Silber. Daß gantze Bergwerck ist in 114. Theile eingetheilet / und ist von der Crone unterschiedligen Privatleuthen umb den vierten Theil der Außbeuthe außgethan. So hat der König auch den Silberkauff / massen alles alhier gemachte Silber nach Stockholm uff die Müntze gebracht / und daselbst vermüntzet werden muß. Ausser diesen hat die Cron Schweden noch ein Silberbergwerck in der Lapmarck.

VII. Præcipui Regis Sueciæ Ministri hodie sunt (1.) In Regni Collegio Comes de Wisingsborg Peter Brahe / Reichs drotzet; Comes Carl Gustav Wrangel / Reichs-Feldherr; Comes Gustav Otto Steinbock / Reichs Admiral; Comes Magnus Gabriel de la Gardie Reichs Cantzler; Baro Steno Bielcke Reichs-Schatzmeister. Sequuntur dein 35. Senatores Regni. Secretarii Status sunt Frantz Joel Orensted / Johannes Pauli Olivenkrantz. (2.) In Dicasterio summus Director & Comes Peter Brahe; Præses Dn. Johann Gyllenstieren / &c. (3.) In Collegio Bellico Director Comes Carl Gustav Wrangel /

ael / ꝛc. (4.) In Collegio Ammiralitatis Director Comes Gustav Otto Steinbock; Vice-Ammiralii Comes Nilß Brahe & Claudius Sternschild ꝛc. (5.) In Cancellaria Director est Comes Magnus Gabriel de la Gardie; Consiliarii Dn. Steno Bielcke; Dn. Matthias Bierenklau; & Dn. Johann Gyllenstirna ꝛc. (6.) In Camerâ Director est Baro Steno Bielcke; Præses Dn. Gustav Carlsen Baner; ꝛc. (7.) In Collegio Commerciorum Præses est Dn. Knut Kurck; Vice-Præses Jsrael Lagerfeld; Consiliarii Comes Gabriel Ochßenstirn / Johann Rosenhahn / Abraham Cronström ꝛc. (8.) In Revisione Cameræ Director est Dn. Laß Eldstiern; Assessores Melchior Falckenberg / ꝛc. (9.) In Collegio Reductionis Vice Præses Dn. Nilß Rosenfeldt ꝛc. (10.) In Collegio Montano Bergs Collegio Præses Dn. Erich Flemming; Assessores Dn. Philip Bonde / Dn. Creutz / Jsaac Cronström / ꝛc. De rebus Suecicis ulterius legi merentur (1.) *Loccenii* Historia Suecica ejusdem Antiquitates Sueco-Gothicæ (2.) *Schefferi* Vpsalia antiqua (3.) *VVexionii* Epitome descriptionis Sueciæ. Hic ultimo loco circa Daniam adhuc monendum est, quod qui olim Senatores Regni (Reichs-Räthe) dicti hodie salutentur, Königliche Geheime Räthe.

ADDENDA

Ad TIT. *ultimum* TOMI II.

1. Visu dignum Mediolani est Musæum Septalianum Manfredi Septalii Patritii Mediolanensis industrioso labore constructum, & an. 1664. Dertonæ typis excusum. In illo præcipua, quę peregrinantes in admirationem rapiunt, sunt hæc. (1.) Triginta duo specula capsulam intus exornant, in qua tetragona rota versatilis sub speculis constituta circulari acta motu variis spectaculis causam præbet; Hinc enim specula oculos tuos delicatissimè pascentia nunc tibi obiiciunt viridarium elegantissimum, nunc ornatissimam tibi Bibliothecam adaperiunt reflexionum ope. (2.) Tabulæ pictæ duæ, in quarum centro positum speculum oblongum in cylindri formam fabrefactum naturalem tibi refert Crucifixum, cui lachrimabunda Virgo unà cum Magdalena adstat. (3.) Instrumentum sonans, umbraculis tribus frondeis distinctum: unum occupant quinque figuræ tripudiantes; alterum mensæ assidentes tenent, quæ pocula ori admoventes, si propriam non exstinguunt, alienam excitant sitim. Occupat Matrona tertium, quæ bracchium extollens tympanizare videtur, cui fidicula elegans concordans juvenis, brachium movens, imaginarium melos nullibi delicatius personat. (4.) Clavi cymbalum varios ex se promovens musi-

cos

cos cantus. (5.) Tigris, cujus in pectore horologium, oculos movens. (6.) Machina sustentata basi, in quam purissimi crystalli immittitur globus se movens de latere in latus, sed contra naturam gravium apparenter ascendit ultimámque tangens campi motorii lineam, præcipitatur in primum punctum sui motus, quem dum tangit, elegantissimum intueris viridarium, statuámque æneam; hincque indefessus athleta ascendendi laborem reassumens videtur per aëra nullo innixus solo iter suum conficere. Hic motus quoscunque intuentes stupore defigit. (6.) Basis sustentans, capsulam speculi plani continentem, supra quod cum Helenis disponuntur Hectores, qui cursum quasi Gallicum saltantes, se ad invicem insequentes circulariter moventur; sed quam stupens in magno circo formant, se volventes epiciclos, Septalii adstantis mandata inviolabiliter observantes, quum eam stare jusserit, cave ne moveatur, donec mandans illi movendi facultatem denuò concesserit. Ludicra alia spectacula super hoc speculo tibi exhibentur, naves, triremes, currus præcipitantur, moventur absque remis, absque jumentis. (7.) Basis quæ scenam, venationem repræsentantem sustentat, cum primariis mulieribus equites venantur cervum, equis insidentes, dum moventur, speculis exagoni circumambientis ope innumerus nympharum equitumque venantium chorus apparet. &c. Vid. plura in Musæo typis excuso.

INDEX

RERVM QVÆ IN II. Thesauri Rerumpublicarum Parte deprehenduntur.

A.

Paulus Æmilius. *Iudicium de eo vide* pagina 804.

ALEXANDER. Alex. VI. *Papa sceleratissimus* 1046. *libidinosissimus* 1052.

Alex. VI. *Papa conatus & molimina* 818.

AMBROSIVS. Ambrosii *locus de honorando Clero examinatur* 1034.

ANGLIA, ANGLVS, ANGLICVS. Anglia *quibus rebus abundet?* 556. *seq.* 675. *bello civili graviter concessa* 752. *canes optimos alit* 709. *classe secura* 554. *ab initio Ecclesiæ Christianæ multos habuit sanctos viros* 676. *mutationibus obnoxia* 794. *pervenit ad Normannos post Danos* 770. *sub Normannis electivum fuit regnum* ibidem. *pannificio excellit* 560. 749. *variis religionibus turbata* 801. *à Scotia olim muro distincta* 537. *incursionibus gentium Septentrion. infesta* 554. *vitibus & oleis caret.* 506.

Angliæ *Academiæ recensentur* 561. *aër qualis sit* 673. 739. 761. *divisio* 583. *divitiæ* 688. 649. 740. *fertilitas* 673. 794. *gubernatio semper Parlamen-*

lamentum fuit 766. *Incolarum origo* 558. *quantitas & qualitas* ibid. *litterati viri referuntur* 678. *portus* 741. *Regiminis forma antiqua & nova* 562. 565. *Regnũ est hæreditarium* 610. *Regni causa efficiens* 552. *materialis* 554. *Magistratus dividuntur* 570. *mutatio post Carol. I. Regem* 563. *Ordines distribuuntur in domum* Parlam. *superiorem & inferiorem* 567. *potentia* 651. *reditus* 652. *Regimen sub Cromvvellio* 667. *& seqq. Ecclesiast.* 570. 599. *est mixtum* 564. *politicum* 610. 573. *quæ sint tribunalia* 622. *scopus* 574. *situs & securitas* 554. 673 *& seqq. status fluctuat* 562. *status qualis tempore Elisabethæ.* 565. *olim absolutus erat* 686.

Angliæ *Rex in Gallia olim potens* 320. *an iura Maiest. possideat* 566. *qualis* Rex *tales etiam subditi eius* 558. *omnium pupillorum est tutor* 653. *Regis hodierni & Parlam. authoritas quanta sit?* 564. *potestas in Comitiis quomodo se habeat?* 566. *familia refertur* 575. *potestas circa Magistratus constituendos an magna?* 570. *prætensiones* 603. *primogenitus filius quomodo vocetur?* 613. *status ratio* 665. Regi *competit ius constituendæ militiæ, ius tamen belli & pacis comitia retinent* 567. *Reges olim absoluti* 611. Regum *Franciæ titulo utuntur.* 577. Regum *authoritas qualis?* 688. *edicta parum curantur* 727. *series* 753. *quis status* 565. *virtutes quasdam vide* 687. *& seqq.*

Angliam *gravissimè adflixerunt Eboracensium & Lancastrensium factiones* 773.

ad Angliam *quæ insulæ spectent?* 708.

in Angliam *reformatam religionem Eduardus VI. induxit* 746. 758.

ex Anglia *pecuniam exportare non licet sub*

pœna 650.798.

Anglia *Anabaptitarum multitudo est satis periculosa* 573. *Episcopi exulare jubentur.* 568. *Episcop. autoritas olim magna* 567. *Episcop. autoritas crevit sub Iacobo & Carolo Regibus* 568.781. *quando* Episcoporũ *autoritas conciderit?* 568. *circa quæ verfetur iurisdictio Episcop.* 638. *variè propter Episcopos certatur* 779. *Episcopos modernus* Rex *restituit* 568. *acerrimæ turbæ circa Ecclesiasticos* 571. *& seq. Halecum captura uberrima* 675. *quomodo celebrentur conventus iuridici?* 631. *quomodo iustitia administretur?* 623. *quæ officia ad iustitiæ administrationem pertineant?* 624. *cur nulli lupi* 750.561. *quomodo se Magistratus erga Ecclesias gerat?* 600. *Marchiones & Duces titulo solum tales sunt* 744. *quare perpetuus miles alendus?* 573. *unde mutationes illæ & motus exorti?* 778. *& seqq. quando rei nauticæ studium cœperit & quo authore?* 559.

in Anglia *Nobiles sunt à Normannis orti* 554. *autoritas Pontificis per Mariam Reginã restituta* 747. *Pontificii non tolerantur* 665. 670. *quomodo processus fiat in causis criminalibus?* 631. *religionem reformatam* Elisabetha *restituit.* 748. *est regni administratio penes Regem & Parlam.* 749. *omnis ager ad Regem olim pertinuit* 559. *quæ sectæ vigeant?* 604. *quando societas regia instituta?* &c. 800. *venatio privatis interdicta* 723.

Angli *cuiusdam mira in Hispanum fides* 686. *ubi olim vixerint?* 553. *ad belli & pacis studia apti* 558. *bello strenui* 679. *& seqq. primum habuerunt Regem Christianum* 676. *Galliam graviter adflixerunt* 679. *& seqq. in Galliam prætendunt*

321. *cum magno detrimento Gallia eiecti* 717. & *seq. in Gallia multa olim possederunt* 577. *Hispanis insigne dant damnum* 683.

Angli *sunt origine Germani* 198. *libidinosi* 715. *post* Elisabeth. *Reginæ obitum molles facti* 793. *in indagandis rebus naturalibus alias nationes superant* 799. *per universum propè orbem negotiantur* 741. *Philosophiæ multum dant operæ* 560. *Reges suos pro lubitu quasi occidunt* 563. 723. *Religionem Christianam primi in Germania docuerunt* 677. *Religionibus plurimis dediti* 751. 762. *à Scotis sæpius victi* 719. *superbi & fastuosi* 713. *comparantur Sybaritis* 793. & *seq. tabaco extremè delectantur* 715. *vaticinijs plurimum tribuunt.* 710. & *seq. victorijs uti nesciunt* 720. & *seq. ab uxoribus reguntur* 794. & *seq.*

Anglorum *iura matrimonii & testamentorum qualia?* 635. *militia terrestris qualis* 742. 752. *mores huius temporis* 585. 762. 1015. *studium rei nauticæ insigne est* 559. *potentia in Gallia quomodo fracta?* 320. *Vires maritimæ quomodo se habeant?* 574. 741. 752. 795. 799. *prætensio* 752. *Virtutes & vitia* 559.

Insignis controversia est inter Anglos & *Batavos propter halecum piscationem* 557.

Anglo-Hibernorum *mores* 591.

Anglo-Saxones 7. *regna constituerunt.* 553. 753. 765.

Post Anglo-Saxones *Dani regno* Angliæ *potiti* 769.

Anglo-Saxonum *regna plerumque electiva fuerunt* ibid. *regna in unum redacta* 753. 766.

Anglo-Gallicum *fretum magnis navibus in-*

festum 558.

Anglicanus *populus quando libertatem suam recuperauit?* 562.

Anglicæ *terræ qualitas* 556.

Comparatio inter Anglicam *classem & Batavorum* 555.

Anglicarum *fœminarum mores* 711. *rerum Scriptores* 551.

Anglicorum *Comitiorum antiqua & nova constitutio*

ARAGONIVS. Aragonii *positi Regno Neapolis* 977. *Siciliæ* 976. *eversi* 978.

ARELATE. Arelatensis *urbis elogium vide* 425.

ASSENTATOR *Quidam optimè in ruborem datus* 695.

ASTRACAN. *Regnum quomodo ad Russos pervenerit?* 8. 26.

AVENIONENS. Avenion. *Comitatus & Principatus Arauscon. non sunt Gallici iuris* 311. *Comit. ad Papam spectat.* 814. 828. *quomodo ad Papam pervenerit?* 974.

Aven. *Comitatum Papa recuperauit* 984.

AVRELIANENSIS. *Dux* Aurelianen. *vocatur secundo genitus Galliæ Regis filius* 341.

Virgo Aurelianen. *Galliæ liberatrix* 321.

B.

BACO de Verulamio. *Iudicium de historia* Baconis de Verul. 551.

mare BALTHICVM. *Quæ sint claves* maris Balthici? 255.

BAR-

BARCLAIVS. *Iudicium de* Barclaius *libro contra Monarchocomachos* 545.

BARTHOLVS. *Elogium* Bartholi *Iurisconſ.* 1019.

Iohann, BASILIDES. *Moſcorum tyrannus immaniſſimus* 38.43.

BATAVI. *Rei nauticæ neceſſaria ex Norvvegia petunt* 261.291.

Batavorum *& Imperat. intereſſe ratione Daniæ* 269. *intereſſe ratione Dantiſci* 133.

BELLVM. *Antequam bellum initium capiat quidnam Princeps prudens obſervare debeat?* 27.

BIBLIOTHECA. Bibliothecam *Vaticanam quis incœperit, & auxerit?* 825.

David BLONDELLVS. *Iudicium de libro* Blond. *de Primatu Papæ* 810.

Hector BOETHIVS. *Iudicium de hiſtoria* Hector Boëthii 536.

BOII. Boii *populi origine ſunt Galli* 315.

BOLESLAVS. Boleſlaus *III. Poloniæ* Rex *fortiſſimus* 146.

BORVSSIA, BORVSSI. Boruſſia *Ducalis hodie abſoluta poteſtate ab Elect. Brandeburgico poſſidetur* 55.56.58. *quando Poloniæ acceſſerit?* 139.

Boruſſiæ *regimen politicum* 114. *urbes Principales* 61. 115.

Boruſſorum *mores huius temporis* 113. *vide plura lit.* P. *in Pruſſia.*

BORYSTENES. *Ingens Poloniæ fluvius delineatur* 162.

Elect. BRANDEBVRGENSIS. Elect. Brandeburg. *Suecis eſt formidabilis* 192.

Ducatus BREMENSIS. *hodie ad Suecos pertinet* 191.

BRITANNIA, BRITANNI. Britannia *per connubium Galliæ olim coniuncta* 322. *Meridionalis quid complectatur?* 764. *quomodo à Romanis subiecta* 552.

Britanniæ *Regna quando coniuncta* 749. 776. *separata?* 777.

Britanniam *Romani per murum diviserunt* 552.

Britanni *quamdiu Romanis paruerint?* 553.

Georg. BVCHANANVS. *Iudicium de* Buchan. 536. 545. 706. 732.

BVLLIONIVS. *Gotthofredi* Bullionii *Hierosolymorum Regis virtus miratu digna* 427.

Anton. de BVSSIERES. *Iudicium de eius historia* 307.

BVRGVNDIA, BVRGVNDICVS. Burgundiæ *divisio* 350. *Ducatus accessit Gallis* 321.

Burgundicæ *familiæ interitus* 322. *potentia quomodo creverit.* 321.

C.

VVilhelm. CAMBDENVS. *Iudicium de* Cambdeni *historijs* 536.

Cambdeni *alteram historiarum partem cui debeamus* 552.

CAMBRIA, CAMBRI. Cambria *Angliæ Provincia describitur* 561. *titulo Principatus VValliæ ad Anglos perveniat* 775.

Cambri *genealogias suas longissimè deducere possunt & solent* 776.

CAMERA. Camera *Apostolica quomodo regatur?*

gatur? 893.

de Cameræ *Apost. Auditoribus* 895. *Commissario* ibid. *Præside* ibid.

CANTABRIGIENSIS. *Comitatus* Cantabrigiensis *laudatur* 700.

CANTIVM. Cantium *Angliæ Provincia laudatur* 695.

CAPETVS. *Hugo* Capetus *quomodo ad Sceptrum Gallicum pervenerit?* 340.

Ex familia Capeti *multi Principatus in Gallia orti* 341.

Capeti *posteri in Gallia hodie regnant* 510.

sub Capeti *posteris comitiorum in Gallia potestas abrogata.* 511.

CARDINALES. Cardinales *sunt Archipresbyteri Romæ* 896. *quando cœperint*? 857. *non adeò divites, à Regibus Principibus salaria capiunt* 853. *summa* 4. *officia Romæ possident* 874. *sunt primarij Papæ ministri* 857. *habent potestatem eligendi Papam* 851. 857. 858. 877. *quid spectent in Pontificum electione*? 854.

Cardinalium *quæ autoritas & potestas*? 828. 857. *divisio* 878. *favor quare Papis necessarius* 858. *numerus quantus sit*? 874. 877. *& seq. titulus* 857.

Modi perveniendi ad Cardinal. *dignitatem* 858. 874.

Ad Cardinalium *ingenia Papæ Sacra sua accommodant* 854.

De Camerario Collegij Cardinalium *& subiectis officiarijs* 878. *& seq.*

CARELIA. *Quomodo ad Suecos pervenerit*? 17. 188.

CARO-

CAROLUS, CAROLINGI. Carolus *Crassus Imp. primus annos à Christo nato numerare instituit* 487.

Carol. I. *Angliæ Rex de iure suo non nihil remisit* 783.

Car. I. *quare populo exosus factus?* 781.784. *& seqq. ad Scotos transiit* 792. *securi percussus* 793.

Car. I. *Angliæ* Regis *bellum cum Parlamento describitur, & quæ vtriusque fortuna?* 536. 787. *& seqq.* 883.

Car. I. *Ang.* Regis *bellum contra* Parlamentum *in* 3. *periodos dividitur* 787. 788. 791. *errores* 565. 780. *regimen examinatur* 549.

Tractatus varij pro innocentia Car. I. *Regis Angl. editi* 576. 804.

Consilia varia inita pro liberando Rege Carolo I. *Reg. Angl.* 792.

Carolus II. *modernus Angliæ Rex, quando in regna sua restitutus?* 807.

Carol. II. *Angl. Regis fatum* 797. *prudentia circa vindicandam necem patris* 566.

Carolo II. *Angl. Regi duo sceptra oblata quid denotent?* 798. *egregia spectacula Amstelod exhibita* 796.

Carolingi *decreverunt divisione regnorum, multis dissidijs & propria ignavia* 506.

Carolingorum *familiæ interibus* 340. *origo* ibid.

sub Carolingis *Britannia in Ducatus ac Comitatus formam redacta fuit?* 509.

CASA. *Ioan.* Casa *Cardinalis horrendi Sodomitici criminis elogia scripsit* 1059.

CASAN. *Quomodo Regnum* Casan *ad Russos*

sos per venerit 8.26.

CASIMIRVS. Casimirus *Magnus Poloniæ Rex quomodo regnaverit?* 105. I. *Poloniæ Rex quomodo ad regnum pervenerit?* 164.

Casimiri *nuperi Pol. Regis ingenium depingitur* 76.

Casimirianæ *successionis negotium examinatur* 77.

CASTELLANVS. Castellani *& Starostæ in Polonia Comitibus Germaniæ antiquis similes* 69.

Castellanorum *Poloniæ numerus* 69.89.

CHYTRÆVS. *Iudicium de Davidis* Chyt. *Chronico* 249.

CIRCASSI. *à Moscis sibi non metuunt* 35.

CLERVS. Clerus *nimis honoratus Reip. periculosus* 1034.

Christ. COLVMBVS. Columbi *elogium & conatus* 1005. *& seqq.*

CORNVBIA. Cornubiæ *seu Cornvvallia Angliæ Provinciæ opulentia* 691.

CORNVTI. Cornutorum *nomen jam olim in usu* 1057.

COSACCI. Cosacci *unde dicantur.* 78.178. *Polonis adhæsere* 78. *cur bellum gesserint contra Polonos?* 79.179. *quare à Polonis defecerint?* 79. 178. *& seq. laudantur* 148. *peculiarem hodie constituunt Rempubl.* 80. *vituperantur* 163. *unde vivant?* 78.

Cosaccorum *origo* 78. *religio* 79.179.

Cosaccos *quis primùm in Polonia conduxerit?* 78. 178.

CRACOVIA. Cracovia *Poloniæ urbs quare à solis Germanis regatur?* 164. *sessionem habet in*

Comitijs 71.

Cracoviæ *urbis elogium* 98. *in colarum mores* ibid.

Quare Cracoviâ *sedes regia VVarsaviam translata?* ibid.

CRANTZIUS. *Iudicium de Alberto* Crantzio 249.

Martin. CROMERVS. *De* Cromer. *Historia Polonica iudicium* 52.

CROMVVELLIUS. Cromvvell. *abrogando Comitia occasionem dedit revocationi* Regis 569. *Protectoris titulo Angliam rexit plus quàm regiè* 549 363.

Cromvvellii *vita describitur* 805.

sub Cromvvellio *quomodo Anglia ordinata fuerit?* 569.667.805.

CRVCIGERI. Crucigeri *ingenti clade in Polonia adfecti* 107. *in Borussia potentes olim* 139.

CVRLANDIA. Curlandiæ *Dux Regis Poloniæ Vasallus* 59.92.225.

D.

DANIA, DANI. Dania *frumento abundat* 262. *munimentis instructa non est.* 270. *Dania & Norvvegia sibi Reges ex Ducibus Holsatiæ crearunt* 234. *quando Regni titulo insignita?* 278.

Daniæ *cœli qualitas* 261. *Episcopi recensentur* 281. *Insulæ sunt satis tutæ ab exterorum invasione* 254. *Nobilium arcanum Oligarchicum* 260. *autoritas* 263. *mores* 296. *potestas*. 278. 292. *Rusticorum divisio* 287. 295. 297. *soli qualitas* 262.

Daniæ *Regnum quomodo ad bellum sit compositum*

situm? 270. *an sit electivum?* 265. 278. 284. 298. *& seqq. olim Germaniæ subjectum* 297. *fit hæreditarium* 294. *& seq.* 298. 299. *quomodo se habeat tempore pacis* 270. *Regni causa finalis* 262. *materialis* 258. *claustrum est fretum Sundæ* 293. *decrementum* 251. *divisio* 279. *ordines denuò facti Episcopi & urbes.* 265. 300. *Reditus* 282. 291. *Regimen quale?* 278. 295. *Senatores ex Nobilibus eliguntur* 279. *Senatorum numerus* 263. 279. *Situs* 253. *status antiquus* 262. 300. *status Ecclesiasticus* 277. *Vires* 283.

De feudis Daniæ *Regni* 264.

In Daniæ *Regni Comitiys quot sint ordines* 295.

Electio quando in Daniæ *regno cœperit?* 264.

An mutatio in Regno Daniæ *jure facta?* 267.

Qua ratione Nobilium in Regno Daniæ *autoritas sine tumultu conciderit?* 269.

Daniæ *& Norvvegiæ Regna quando conjuncta?* 227. 265.

Daniæ *& Sueciæ Regnorum unio disrupta* 272. 298.

Daniæ *Rex quare usurpet titulum Gothiæ* Regis 251. *an absoluta potestate gaudeat?* 278. 300. *mari quam terra potentior* 294. *Regis præcipui Ministri ex Nobilibus eliguntur.* 284. 297. *prætensio in Hamburgum* 284. *in Insulas Orcades* 538. 585. *status ratio.* 268. 285. *titulus.* 251. *Reges quibus mediys populi sui favorem conservare possint?* 268. Regum *familia ex Comitibus Oldenburgicis orta.* 271. 283.

In Dania quando cleri autoritas expiraverit? 263. *halecum piscatio defecit.* 262. *quomodo justitia administretur?* 282. *quis miles optimus salmi regni?* 271.

In

In Dania *mutatio Regiminis orta, & quibus ex causis?* 263. 265. 267. 298. *& seq. novissima orta an stabilis sit futura?* 268. *quot sint Ordines* 279. 281. 297. *populus tributis non est onerandus* 269. *Rustici habent jus Comitiorum* 296. *ab Ordinum jure remoti sed tamen restituti* 263. 281. 300. *quando urbium auctoritas evanuerit?* 263.

Dani *olim Angliam obtinuerunt.* 754. *an sint bellicosi?* 260. *nihil amplius hodie in Gothia tenent.* 252. *in Iutia tantem hodie invadi possunt* 294. *quare affectent dominium maris Septentrionalis?* 257.

Danorum *intentio circa dominium maris Balthici examinatur* 254. *leges.S.jus* 282. 298. *mores* 276. *processus juridicus quomodo sit ordinatus?* 270. *Religio* 277.

Comparatio inter Danos *& Suecos* 296.

Comparatio potentiæ Danicæ *cum Suecica* 269.

Danicarum *rerum Scriptores* 247.

DECIMATIO. *Funestum* decimationis *genus in Anglia institutum à quodam Comite* 727.

DELPHINATVS. Delph. *Ducatus quo jure ad Gallos pertineat?* 312. 348. 519. *quas habeat urbes?* 348.

DEMETRIVS. *De tribus Pseudo*-Demetriis *pro Moscoviæ Ducibus se gerentibus* 16. 39. 44. *& seqq.*

DORSETIA. *In* Dorsetiæ *Angliæ Provincia est saltus candidi cervi* 726.

Francisc. DRACO. Draco *Iaso Angliæ laude dignissimus* 692. *piratica ingentes corrasit divitias* 725.

DVNKERKA. Dunkerk. *urbs Gallis tradita*

ta cum plurimorum admiratione 555. *& seq.* 582

E.

EBORACENSIS. *Provincia præstantissima* 703.

EIDORA. *Fluuius est terminus Regni Daniæ* 150.

ELECTIO, ELECTOR. Electio *multa habet incommoda* 443. *& seq.*

Electores *à Papis institutos, falsò tradunt Pontificij* 913.

ELISABETHA. *Angliæ Regina innocenter à sorore carceri mancipata* 747.

Elisabethæ *Angliæ Reginæ elogium & gesta* 442. 680. 748. 758. 793.

Elisabethæ *status ratio quæ?* 668. 780. *Regimen laudandum* 748.

EPISCOPI. Episcopi *in contemptum delapsi* 846. *an sint divinitus constituti?* 833. *non amplius à Papa eliguntur* 876.

Episcoporum *electio in Germania ad Canonicos venit* 843.

Episcopis *frenum injecit Papa per introductionem Monach. mendicantium* 845.

Episcopos *creandi ius Papæ Impp. eripuerunt* 843.

ESSEXIA. *Angliæ Provincia laudibus effertur* 698.

ESTHII, ESTHONIA. Esthii *Sueciæ populus* 186.

Esthonia *quomodo Suecis accesserit?* 184.

F.

FAMES. Famis *vis ingens describitur* 231.

FARNESIVS. *Octavius* Farnes. *cum Imperat. reconciliatur* 990.

Alexandri Farnesii *elogium* 1005.

Petri Aloisii Farnes. *execranda libido* 1057. & *sequens obitus miserrimus* 1059.

Farnesii *quando Parmæ & Placentiæ ducatum obtinuerint*? 990.

FEDEROVVIZIVS. *Michael* Federovv. *quomodo ad Regnum Moscorum pervenerit?* 17. 40. 47. *condidit novam Imp. Russiæ familiam* 44. *feliciter regnavit.* 48.

Alexij Federovv. *regimen* 17.

FELICITAS. *Vera civilis felicitas in quibus rebus consistat*? 65.

FERRARIA. Ferrariæ *Ducatus & Vrbini quando ad Papam pervenerit*? 820. *fatum* 984. *origo* 989.

Ex Ducatu Ferrar. *Mutinæ & Rhegij Ducatus orti* 990.

Ferrariæ *Ducum origo.*

FINNI, FINLANDIA. Finni *non sunt originis Germanicæ* 186.

Finnorum *lingua* 186. *mores* 223. *religio* ibid.

Finlandiæ *divitiæ* ibid. *Regimen* ibid. *soli qualitas* 193.

FIONIA. Fionia *Balth. maris insula fertilis & amoena est* 275. 294.

FLORENTIA, FLORENTINVS. Florentia *artefacta sua per universam Europam vendit* 956.

Magnus Ducatus est 982. *quando M. Ducatus factus?* 993. 1072. *& seq. in Monarchiam mutata* 981. *non adeò munita* 959. *sub statu* Reip. *maximas sustinuit mutationes* 980.

Florentiæ *degunt eximij artifices* 956. *Ducis divitiæ & reditus* 941. 942. *urbis regimen* 937.

Florentina *Resp. quomodò ad Medicæos pervenerit?* 936.

Florentinæ *Reip. fortalitia quæ?* 944. *libertas infeliciter repetita* 981. *regimen politicum* 936.

De Florentina *Rep. iudicia politica vide* 946.

Florentinorum *mores hujus temporis* 934. *vitia* 1037.

FRANCIA, FRANCI. Francia *dicta à* Francis 485. *quomodo à Germania fuerit separata* 308.

Franciæ *divisio* 485. *divisio alia in Ludov. Pij filijs* 309. *Parium interitus* 529. *origo* 465. 506. 565. *potestas* 465. *Regnum florentißimum fuit sub Carolo M.* 501.

Franci *qui olim fuerint?* 485. *Galliam sibi subijciunt* 308. 485. *Germaniam sub unum redegerunt sceptrum* 308.

Francorum *Regnum divisum* 496. *Rex non habuit absolutam potestatem* 319.

De prima Francorum *origine nil certi constat* 493.

A Francis *plerique Principatus per Galliam, Belgium & German. conditi* 505.

Libertatis Franciæ *incrementum fuit interitus libertatis Germanicæ* 528.

FRISIA. *Comitatus* Frisiæ *sub Carolo simplice. Imperatoris* 508.

G.

GALLIA, GALLI, GALLICVS. Gallia *arboribus abundat* 313. *Belgica quid contineat?* 350. *Celtica quantum complectatur?* ibid. *commercijs est apta* 312. *inter Europæ provincias principatum obtinet.* 484. *abundat hominibus.* 314. 468. *quot magnetes habeat, qui ex exterorum pecuniam attrahunt?* 417. 454. *metallis non abundat.* 313. *quare præ alijs regnis multis instructa munimentis?* 457. *Principatus & Comitatus varios habet.* 320. *quando & à quibus Imperio Romano subtracta?* 308. *salis copiam producit* 313.

Galliæ *Académiæ enumerantur* 434. *Ducum potentia quando interierit?* 321. *præsens conditio qualis?* 335. *fertilitas* 419. *& seqq.* 451. 455. *fluvij* 313. 346. 452. *Homonymia* 315. *Iudiciorum defectus* 409. *libertas periit occasione delendi Reformatos* 323. *litterati quidam viri recensentur* 434. *& seqq. portus præcipui quinam?* 346. *Regimen Ecclesiasticum quale?* 356.

Galliæ *Regnum nuper per primarium Ministrum status administratum* 483. *diu electivum fuit sub Merovingis* 498. *hæreditarium est* 320. 389. *incrementum sumpsit pace Monasteriensi* 482. *Regni causa finalis* 338. *formalis* 319. *materialis* 312. *dignitates & Magistratus enarrantur* 463. *& seqq. divitiæ* 385. 390. *fines extensi sunt* 309. *& seq. præcipuum munimentum est libertas Religionis reformatæ* 481. *Ordines referuntur* 393. 381. *potentia quanta?* 459.

Galliæ *Regni Provinciæ earúmque urbes nominantur*

nantur 349 *& seqq. Reditus exhibentur* 347. 385. 387. 389. *& seqq.* 398. *& seq. status* Ecclesiasticus *qualis?* 327. 378.

De Galliæ *Regni officijs militaribus & togatis* 369.

In quibus Galliæ *Regni Provincijs ius Romanum observetur?* 384.

Galliæ *Regno deest sufficiens potentia navalis* 470.

Iudicium Polit. de Regno Galliæ 412.

de Civibus Nobilibus & mercatoribus in Regno Galliæ 374.

In Regno Galliæ *quomodo feuda sint constituta?* 374.

In Regno Galliæ *fœminæ ad sceptrum non admittuntur* 359. *& seq.*

de Nobilium in Galliæ *Regno statu* 381. *& seqq.*

de tributis in Galliæ *regno imponi solitis, & qui ab illis exemti?* 385, 389.

Galliæ *Rex est absolutissimus* 445. 463. 468. 530. *& seq. bonis* Ecclesiasticis *tributa imposuit* 333. *iura maiestatis solus hodie habet exclusis ordinibus* 325. *pacis bellique negotia solus tractat* 335. 337. *sæpius pecuniæ inopia laborat* 386.

Galliæ *Regis potestas circa Episcoporum constitutionem qualis?* 331. *expensæ traduntur.* 396. *& seqq. ministerium aulicum exhibentur* 368. *moderni, nuptiæ* 345. *potentia in quibus consistat?* 472. *unde æstimari debeat?* 387. 413. *prætensiones* 407. *& seq.* 532. *privilegium de non excommunicando* 330. *prudentia in constituendis* Magistrat. *& Præsidibus Provinciarum* 335.

De Consiliarijs Regis Galliæ 374. 380.

De varys Galliæ *Regis vectigalibus* 375.

Galliæ *Regum elogia vide* 440. *familiæ quot?* 339. 368. 485. *& seqq. quorundam insignis iustitia laudatur* 447. *potentes Ministri quare in prima familia mutationem status induxerint, nec hoc in tertia hodierna contigerit?* 344. *quorundam primi Ministri recensentur* 342. *numerus quantus?* 368. *quorundam series & regimen* 460. *& seqq.* 485. *successio qualis?* 338. 357. 360.

Galliæ *silva* 346. *situs* 387. 416. *status antiquus describitur.* 308. 319.

Galliam *ab Anglis liberavit virgo Aurelianensis* 321.

Servi peregrini ut primùm Galliam *intraverint, statim liberi fiunt.* 425.

In Gallia *expilationes Advocatorum maiores sunt, quàm alibi* 414. *aër diversus valde est* 449. *Bullæ Papales parùm curantur* 328. *quæ cœli qualitas?* 314. *quomodo clericorum ordines sint constituti?* 571. *Comitia obstitêre absolutæ Regum potestati* 324. *quando Comitiorum libertas interierit?* 323. *Concilium Trident. non habet vim legis* 329. *ad dominatum aspiravit primùm Ludov. XI.* 326. *pinguissima sunt bona Ecclesiastica* 333. *extranei testari possunt & intestatorum bona fiscus capit* 376.

In Gallia *quare ad sceptrum non admittantur fœminæ* 441. 470. *feuda orta sunt* 383. *quomodo dividantur homines?* 466. *Iesuitæ & clerus discordant* 333. *Iesuitarum restitutio difficilis fuit, & sub arctis conditionibus* 378. *ante Merovæum non fuit Respub. communis* 316. *quare non legatur miles, sed conducatur?* 337. *ordo S. Michaëlis institutus* 377. *quando Monarchia cœperit* 319. *& seq. obti-*

net Monarchia herilis 346. *summa fuit mutatio post obitum Francisci II. Regis* 523. *quot sint pagi* 453. *Papæ autoritas est exigua* 327. *dogma de deponendis Regibus non agnoscitur* 329. *qui est quot sint Pares curiæ?* 373. *successerunt Parlamenta in locum Comitiorum* 324. *quo prætextu, Parlam. sint introducta?* ibid.

In Gallia *quot sint Parlamenta?* 362. *quot sint parochiæ* 393. *multi olim insignes pietate viri erant* 432. *quot sint Principes?* 369. *interdum Reginæ cum Regibus etiam coronatæ & consecratæ sunt* 380. *quid sit Seneschallus* 384. *olim sepultura carebant, qui nihil Collegiis Ecclesiast. legassent* 1049. *quomodo se habeat successio ab intestato?* 382. *quot sint Thesaurarij* 395. *quomodo jus indicendorum tributorum sit comparatum?* 326.

Arcanum de Patriarcha in Gallia *creando* 328.

Galli *faciliùs acquirunt quàm retinent acquisita* 475. *Burgundiam & Provincias Belgicas amiserunt* 479. *duellis se atterunt* 473. *quare tam numerosos comparare poßint exercitus?* 337. *levitatis vitio laborant* 316. *negotia magna constanter ob levitatem obire non possunt* 317. *ad mercaturam non æquè apti ac Batavi* 318.

Galli *moribus ferè similes* 316. *quare non sint apti ad rem nauticam* 318. *Reges suos vehementer amant* 449. *felices quod nunquam exterum Regem habeant* 413. *quatenus virtitutibus militaribus polleant* 317. *fœdus cum Turca inierunt* 478.

Quid obstet, quo minùs Galli *totam Europam sibi subiiciant?* 388 455.

Gallorum *quis habitus corporis?* 315. *hostes sunt*

Angli, Burgundi & Hispani 476. 515. *& seqq. ingenium quale?* 439. *ingenium ad res hilares proclive* 318. *leges* 336. *levitatem excusare conatur Bodinus* 316. *militaris virtus celebratur* 428. *& seqq. mores tam antiqui quàm novi prolixè tractantur* 350. *& seqq.* 458. 484. 1015. *Religio* 356. *& seq. virtutes homiletica examinantur* 318. *virtutes* 317. *vituperium* 440.

Gallo-Francorum *regnum quando conditum?* 426.

Quibus ex causis bellum inter Gallos *& Anglos ortum?* 488. 515.

Gallica *militia potißimum equestris* 337. 475.

Gallicæ *terræ qualitas describitur* 312. 346.

Cleri Gallicani *numerus & reditus* 403. *& seqq.* 433.

De Gallici *Regiminis indole eiusque morbis* 467.

Monarchiæ Gallicanæ *vltimam manum imposuit Cardinalis* Richelius 343.

Ecclesiarum Gallicarum *libertas examinatur* 328.

Gallicarum *rerum Scriptores monstrantur* 302. *& seqq.*

GEDANVM, GEDANENSIS. Gedani *seu Dantisci Regimen Politicum* 121.

Batavorum interest ratione Dantisci 133.

Gedanenses *in Poloniæ Regni Comitijs sessionem habent* 71.

Gedanensium *ritus funebres describuntur* 119. *mores* 116. *ritus nuptiales* 118. *Religio* 120. *Vires* 122.

GENVA, GENVENSIS. Genua *quando*

Ducatus

Ducatus factus? 991. *creauit Duces* 970. *fluctuavit inter exteros* ibid.

Genua *quando in libertatem restituta?* 970. 992. *Maris Mediterranei dominum affectavit* 969.

Genuensis *Reip. status Ratio* 753.

Genuenses *Corsica potiti* 991. *quando se dederint Regibus Galliæ?* ibid. *atterunt usuris Regem Hispaniæ* 992. *student paci* 993. *fuerunt præcipui hostes Reip. Venetæ* 966.

à quibus periculum impendeat Genuensibus? 992.

GERMANIA, GERMANI. Germania *dividitur* 316. 493.

In Germania *Canonici eligunt Episcopos* 875. *Papa non amplius colitur ut olim* 1026.

Germani *negligentes in defendendis finibus* 189. *Impp. Papis præstiterunt iuramentum protectionis, non subiectionis* 1032. *ad lubitum paruerunt olim Papis sub specie religionis* 1031. *aliquoties in Iutiam excursionem fecerunt* 253.

De concordatis nationis Germanicæ 644.

Iudicium de authore Epitomes rerum Germanicarum 323.

Imperium German. *præter Deum superiorem non agnoscit* 1028.

GNESENSIS. *Episcopus* Gnes. *est Vicarius Regis Poloniæ tempore inter regni* 175.

GOLNITZIVS. *Iudicium de Vlysse Bello-Gallico Abrahami* Goln. 303.

GRAMONDVS. *Iudicium de* Gramm. *historia* 306.

GOTHI. *ubi sedes suas olim* Gothi *habuerint?* 186.

GRE-

GREGORIVS. Greg. VII. *Papa summa audacia Reges sibi subiectos esse docebat* 815.834.842.

GRONLANDIA. *Islandorum colonia periit hodie* 230.

Gronlandiæ *notitia obscura est.* 256.

H.

HAFNIA. Hafniæ *cives Regem Daniæ securum præstant* 267.

HAMBVRGVM, HAMBVRGENSIS. *Rex Daniæ in* Hamburgum *prætendit* 284.

Archi-Episc. authoritas quando in Suecia extincta? 207.

HEINRICVS. Heinric. III. *Rex Galliæ Parisiensis lanienæ architectus fuit* 523. *à sicario confossus* 341. 472. 492. 528.

Heinric. IV. *bella civilia magna cum laude composuit* 322. *nefariè occisus est* 341.492.

Heinr. VII. *Rex Angliæ ad rem nauticam Anglos impulit* 859. *se fecit Papam Angliæ* 745. *condidit Britanniæ Regnum* 744.

Heinrici IV. *Galliæ Regiæ elogium* 461.

Henrici VII. *Angliæ Regis familia tenui loco orta erat* 173.

Ab Heinrici *nomine abhorrent hodie Reges Galliæ.* 341.

In Heinrico III. *Galliæ Rege extincti sunt Valesiij* 492.

HELSINGIA. *Potens regnum fuit olim tam per Norvvegiam quàm Sueciam* 231.

HELVETII. Helvetios *primùm in Gallia conduxit Ludov.* XI. 456.

HETRV-

HETRVRIA. *Magnus* Hetruriæ *Dux est absolutus* 1073. *I. erat Alex. Medices* 936. 961. *Papam suspectum habet* 952. *quem paranda pecuniæ modum habeat?* 957. *quando Senis potitus?* 993. *quas terras poßideat?* 955.

Magni Het. *Ducis feuda* 1073. *controversia de præcedentia Ratio status* 945. *Reditus* 957. *& seq. Vires maritimæ* 959. *terrestres* 958.

Magn. Het. *Ducum origo* 1071. *series* 1071. *& seq.*

HIBERNIA, HIBERNI. Hibernia *quibus rebus abundet?* 578. *quando ab Anglis superata?* 579. 772. *olim in* 4. *regna divisa fuit* 759. *est Insularum versus Occidentem maxima* 577. *non fuit olim Romanis subiecta* 578. *Claros olim aluit viros* 707.

Hiberniæ *divitiæ* 660. *Ecclesiæ quomodo se habeant?* 609. *elogium.* 706. *incolarum divisio* 574. *Pro-Rex magna gaudet potestate* 581. 646. *Provinciæ recensentur* 585. *Regni quæ causa efficiens?* 582. *potentia* 662. *Reditus* ibid. *Regimen quale?* 580. *Scopus quis?* 581. *situs & securitas monstratur* 577. *soli qualitas* 578. *status Ecclesiast. huius temporis* 599. *Politicus nostri temporis* 645. *ratione quo titulo Reges Angliæ utantur?* 581.

In Hibernia *nulla sunt animalia venenata* 578. *quæ gubernandi sit ratio?* 581. *quot sint judicia?* 647. *quomodo iustitia administretur?* 593. 747. *& seq. turpissimi sunt sacrificuli* 737. *propter Sodomiæ crimen terra quædam aquis inundata, & in lacum conversa* ibid.

Hiberni *quo iure ab Anglis subjugati?* 580. *præter sacra nomina, etiam profana & casualia*

baptizatus imponunt 588. 736. *quo Ordine in bellis utantur* 595. *quando Christiani facti?* 578. *Musicam valdè amant* 589. *nuptias maturè contrahunt* 579. 736. *otium decori ducunt* 735. *pessimi sunt mortales* 734. 738. *gentis suæ propagationi student* 579. *multos olim habuerunt Regulos* 773.

Hibernorum *crudelis conspiratio contra Anglos describitur* 579. *elogium* 598. *eruditio qualis?* 597. *ritus funebres quales?* ibid. *mores huius temporis quinam?* 580. 588. *ingens strages traditur* 579.

Apud Hibernos *latrocinia sunt impunita* 588. 830. 736.

Ligna Hibernica *nullas ferunt araneas* 578.

Rerum Hibernicarum *Scriptores* 577.

HIERARCHIA. Hierarchiæ *Ecclesiastica origo* 811.

HISPANI. Hispanorum *sub Philippo II. Rege stupenda classis quomodo perdita fuerit?* 681. *& seqq.* 799. *mores depinguntur* 1015.

HOLLANDIA, HOLLANDI. Hollandiæ *Comitatus origo* 508.

Hollandi *unde nomen suum acceperint?* 259 509.

HOLSATIA. Holsatia *quando Ducatus nomen acceperit?* 288. *est feudum Imperij German.* 278. *quot habeat Ordines* 288. *quomodo dividatur* ibid.

Holsatiæ *Nobiles familiæ nominantur* 290. *Reditus* 289. *Regimen* 288. *Religio* 289. *Vires* ibid.

Quo fine ab Holsatiæ *Duce Legatio in Persiam missa?* 11.

HVGONOTÆ. Hugonot. *unde sic dicantur?*

tur? 523 528.

Consilia de exscindendis in Gallia Hugonotis *vide* 525.

I.

IACOBVS. Iacobus VI. *Angliæ* Rex *ad bellum non fuit compositus* 548. 760. *primus se Magnæ Britan. Regem dixit* 546. 749. 776. *Curiæ Romanæ præcipua puncta ipse refutavit* 547. *miro modo morti ereptus* 733.

Iacobi *VI. Angl.* Regis *liberi referuntur.* 546. *nævi & errores* 760.795.

Sævißima conjuratio contra Iacob. Regem *& ejus familiam inita detecta fuit* 724.

Sub Iacobo *VI. Angliæ* Regem *authoritas decrevit* 562.

IAGELLO. *Extincta* Iagellonis *familia Poloni exteros Reges habere cœperunt* 140.

De Iagellone *Poloniæ Rege* 107. 138.

IAMAICA. *Insula quomodo ad Anglos pervenerit?* 582.

IESVITÆ. Iesuitæ *plurimis exosi* 845. *autoritatem Papæ pro viribus defendunt* 810. 834. 846.

INDEPENDENTES. Indepedentes *& Presbyteriani in quibus conveniant & discrepent?* 601. 801.

sub Independ. *nomine quæ aliæ adhuc sectæ in Anglia lateant?* 604. 802.

INGRIA. Ingria *à Suecis erepta est Turcis* 5.

Ingriæ *terræ qualitas* 19.

ISLANDIA, ISLANDI, ISLANDICVS.

Islandię.

Islandia, *Norvvegiæ colonia est* 229. *portio est* 256. *an sit veterum Thule?* ibid.

Islandiæ *reditus quales* 287. *Regimen* ibid.

Islandorum *mores* 277. 286. *Religio* 287. *victus* 277. 286.

Islandicarum *Rerum Scriptores* 250.

ITALIA, ITALI, ITALICVS. Italia *describitur* 994. *in varia regna Principatus dominia & Respublic. divisa* 693. 995. *doctissimos alii viros* pag. 1000. *latrocinijs & deprædationibus infesta*. 1040. *caret metallis* 822. *eximios habet opifices* 998. *viris militari virtute insignibus celebratur* 1003.

Italiæ *magnam partem Pontif. Romani obtinuerunt* 972. *qualitas exhibetur* 1065. *status Ecclesiasticus* 873. *longo tempore turbatus fuit* 1067.

Quinam Italiæ *Principes & urbes Imperium Germ. adhuc recognoscant, & qui non?* 985.

Italiam *factiones gravissimè adflixerunt* 1038.

Quæ Insulæ ad Italiam *spectent?* 996.

Itinera in Italiam *quare omitti debeant?* 1064. *& seq.*

In Italia *plurimi Marchiones & Nobiles se esse variè produnt* 1015.

Itali *in amorem & odium nimij* 994. *avaritiæ laborant* 1044. *gradus Scholasticos facilè concedunt* 1016. *luxui & gulæ obnoxii* 1060. *& seq. libidini ad horrorem deditì* 1051. 1059. *& seq. perfidiæ vitio infames* 1042. *Religionem susque déque habent* 1063. *vindictæ sunt cupidissimi*. 1036. 1039. 1041. *an benè uxores suas ab hominum commercio prohibeant?* 1057. 1065. *sunt Zelotypi* 812. 1057. 1065.

Italorum *impietatis horrendum exemplum vide*

de 1063. *mores hujus temporis* 872. *& seq.* 1015. 1065. *& seqq. quorundam eximiæ virtutes recensentur* 1007. *& seqq. virtutes & vitia vide* 1065. *& seqq. in genere vitia* 1012. *& seqq.*

Italicæ *terræ qualitas exprimitur* 994.

Italicarum *fœminarum mores in specie describuntur* 872. *fœminanum salacitas summa* 1056.

Italicorum quorundam Philologorum errores 1017. *Theologorum & Canonistarum aliquot vitia* 1018.

IVDÆI. Iudæorum *in Polonia multitudo non est cum interesse regni conjuncta* 66. 179.

IVLIVS. Iulius *II. Papa strenuus Bellator ditiones quasdam Ecclesiæ recuperavit* 819.

IVS Canon. Iuris Canonici *processum improbat Conringius* 844.

IVTIA. *Peninsula ad Danos spectat* 274.

Iustitiæ *oppida* ibid.

L.

LANGVEDOCIA. Languedociæ *urbes recensentur* 348.

LAPPIA, LAPPONES. Lappiæ *soli qualitas* 193.

Lappones *an veri sint Christiani?* 208.

LAVRETANVM fanum. Lauret. fanum *est divitijs refertissimum* 822. *quis refutaverit?* 827.

LECHVS. Lechus *I. Poloniæ Rex fuit* 101.

De fato Lechii *posterorum* 102.

LEO. I. *Pontifex castitatis exemplum est* 1053.

LIEGNICENSIS. Liegn. *& Brigenses Duces ortum trahunt ex familia Piasti Poloniæ Regis* 55.168.

LIGA SACRA. *Gravissimè turbavit Galliam* 470.

Ligæ Sacrę *incrementa* 529. *scopus* 471. 492.

LIMINEVS. *Ex familia* Liminea *duo fratres se invicem miserè trucidarunt* 1039.

Iohan. LIMNÆVS. *Iudicium de* Limnæi *notitia Franciæ* 303.

LITHVANIA, LITHVANI. Lithuaniæ *Ducatus quomodo Poloniæ Regno accesserit?* 55. 107. 137. *& seq. quando in perpetuum Poloniæ conjunctus sit?* 55. *& seq. Nobilium origo* 148. *Regimen* 100.

In Lithuania *fœminæ concubinos alere solent* 157.

Lithuanorum *mores hujus temporis* 98.

Soli Lithuanici *qualitas* 60.

LIVONIA, LIVONI. Livonia *quomodo ad Polonos venerit?* 58. 139. *gaudet commodo situ* 123. *qua ratione Suecis cesserit?* 55. 56. 59. 139. 189.

Livoniæ *divitiæ* 229. *Regimen* 225. *Vires* 226.

Livonum *lingua* 224. *mores* 223. *ritus circa mortuos qui?* 224. *nuptiales* ibid. *Religio* 225. *quales in Russia progressus?* 2.

LOEGRIA. *Angliæ provincia dividitur.* 583.

LONDINVM. *Angliæ Metropolis ab oneribus est libera* 743. *est splen Regni* 727.

Londini *urbis elogium* 697.

LOTHARINGIA. Lotharingiæ *Ducis contractus cum Rege Galliæ iniquus esse videtur* 533.

An Galli iure possideant Lotharingiam. 309.

LVBECA. Lubecæ *cives plurimas divitias ex Suecia compararunt* 196.

LVCEN-

LUCENSIS. *De Republ.* Lucensi *judicium lege* 953.

LUDOVICUS. Ludov. *XI. Rex primus Monarchiam in Galliam inducere tentavit* 512. 521. 468. 469. 491. 529.

Ludovici *XI. Galliæ Regis prudentia in conferendis Magistratibus notanda* 446. *nomen arridet Galliæ Regibus hodie* 342.

Sub Ludovic. *XII. Galliæ Regno Mediolanum accessit* 491. 523.

LUGDUNUM. Lugduni *urbis divitiæ describuntur* 391. 433.

M.

MAIMONIDES. *Iudicium de Rabbi Mose* Maimonide 1036.

MAIORES DOMUS. Maiores Domus *à quo fuerint instituti in Francia* 485. 497. *abrogati fuerint?* 486. 497. *qui fuerint apud Francos* 485. 497.

MANNIA. Manniæ *regnum, quando excitatum fuerit?* 772.

MANTUA, MANTUANUS. Mantua *quando Ducatus factus?* 988. *Ducatus Regimen politicum* 921.

Mantuæ *Dux est feudatarius Papæ* 921. *quando Montisferrato potitus?* 988.

Mantuæ *Ducis potentia qualis?* 920. *Ratio status* 924. *titulus* 921. *vires* 921.

Iudicium Politicum de viribus Ducis Mantuæ 921.

Inter Sabaudum & Mantuæ *Ducem controverti-*

titur de Montisferrato 989.

Mantuæ *Duces originem & incrementa à Germanis acceperunt* ibid.

Mantuæ *Ducum series exhibetur* 923.

Bellum Mantuanum *ortum est ob successionem Ducum Nivernensium* 989.

Mantuanorum *mores* 920.

MARCELLVS. Marcelli *II. Papæ elegans dictum de suo officio* ibid.

Marienglaß. *In magna copia ex Moscovia adfertur* 7

MATHILDIS. *Thusciæ Comitißa Hetruriam Papæ testamento reliquit* 814.

Ex Mathildis *Principatu varij orti sunt Ducatus* 988.

MATTHÆVS. *Iudicium de Petri* Matthæi *historia* 307.

MATRIMONIVM. *Infelix* Matrimonii *exemplum cum fratris defuncti uxore* 76.

MEDICÆI. Medicææ *domus fatum* 138. 1072. *origo* 1071.

Quomodo Hetruriæ Ducatus ad Medicæam *domum pervenerit?* 936.

MEDIOLANENSIS. Mediolanen. *Ducatus quando ab Imperio abalienatus?* 1068.

Mediolanenses *olim Duces habuerunt* 971. *in Frid. I. Imp. perfidi & iniqui* 1043.

MEROVINGI. Merov. *primam Galliæ Regum familiam constituerunt* 339. 495. *à Maioribus domus regno & potestate sunt exuti* 497.

Merovingorum *solœcismi politici erga Majores domus ostenduntur* 319.

Sub Merovingis *regnum Galliæ electivum fuit*

fuit 498.

MEVRSIVS. *Iudicium de Iohanne* Meursio 249.

MILTONVS. *Iudicium de Iohanne* Miltono 576.

MIRANDVLA. *De* Mirandulæ *Ducatu* 933.

MONECCIVM. *De* Moneccii *Principe vide* 933.

MONTISFERRATENSIS. Montisferratensium *mores* 920. *Marchionum potentia* 921. *origo* 924.

MONS. *In Herefordia Anglia Provincia* Mons *quidem ambulavit* 728.

Montes *pietatis Romani quid significent* 869.

MOSCOVIA, MOSCI, MOSCOVITÆ. Moscovia *unde dicatur?* 18. *ditescat?* 24. *quare non floreat mercatura?* 30. *quibus metallis instructa?* 7. *quibus ex rebus munita?* 32. 50. *silvis immensis est occupata* 28. *urbibus & arcibus excolitur* 8.

Moscoviæ *Ducatus quæ causa efficiens?* 15. *finalis?* 12. *materialis?* 3. *fertilitas* 6. *fluvij* 5. *Limites* 4. *Regimen politicum* 13. 23. *Ecclesiasticum* 12. 21. 30. 49. *urbes præcipuæ* 10.

Moscov. *Magnus Dux despoticè regnat* 12. 23. 30. 32. *ditescit ex commercijs, quæ ipse exercet* 15. *quos metuat vicinos* 5.

Moscov. *Magnus Ducis consilium quomodo sit compositum?* 23. *Ratio status* 48. *titulus* 15. *vicini* 34. 5. *vires militares* 25. 33. 50. *nummariæ* 15. 50. *Duci quare milites hactenus non sint fideles?* 14. *non parent omnes Russi* 15.

Inscio Magno Duce non licet exire Mosco-

via 24.

à Magno Duce *dependet cura rerum ſacrarum* 12.

Magni Moſcov. *Duces terminos Imperij ſui ſæpiùs dilatarunt, ſed potentiam non auxerunt.* 28.

Mutatio circa familiam Magnum Moſcov. *Ducum* 15.

De Moſcoviȩ *Mappis Geographicis* 4. *Patriarcha* 12.

Moſcoviam *Poloni invaſerunt* 16.

Moſcoviâ *pecuniam efferre non licet* 32.

De armentis, quæ in Moſcovia *ſunt* 7.

In Moſcovia *nullæ ſunt Academiæ* 10. 20. *qualis ſit aër?* 6. *Auguſt. confeſſioni templa habent* 22. *quomodo adminiſtrentur belli negotia?* 14. *quare conciones ad populum ſint vetita?* 12. *quomodo in gravioribus inſtituantur conſilia?* 49. *dominatus eſt valde durus & potentia pro ſcopo* 12. *nulli ſunt fructus autumnales* 6. *quâ occaſione frumenti copia orta?* 6. *quare hominum inopia exſtiterit?* 26. *quomodo jus reddatur?* 13. *quis exterorum Legatorum ſtatus?* 24. *artes mechanicæ non florent?* 10. *potentia militaris deficit* 14. *qua Præſidum Provinciarum conditio & poteſtas?* 13.

Moſci *amant externas ceremonias* 19. *ſunt boni milites* 14. *& Poloni ſunt eiuſdem originis* 51.

Moſcorum *qui hoſtes?* 25. *mores* 18. *nomen unde?* 1. *Ritus nuptiarum quales* 20. *potentia quomodo creverit?* 26. *Religio* 21. 22. *utriuſque ſexus qualis veſtitus?* 19.

Moſcis *deeſt ferrum & æs* 14. *Sueci ſunt formidabiles* 4.

Ad Moſcos *arma tranſportantur Magno Germaniæ damno* 14.

Apud Moſcos *quis honoris habendi mos?* 19.

Comparatio inter Moſcos *&* *Polonos* 36.

MOSCVA. Moſcua *eſt Moſcoviæ caput?* 11. *à quo condita?* 38. *in quot partes dividatur?* 18.

MVNIMENTVM. Munimenta *qualia ſint optima?* 29. *offendendi quot modi?* 24. *in alterius terra habere commodius quàm in propria, & quare?* 227.

MVTINENSIS. *Ducatus* Mutinenſis *divitiæ & reditus* 931. *Regimen politicum* 929.

Mutinenſ. *Dux eſt Vaſallus Imperij* 929. *quæ fortalitia habeat?* 932. *Ducis vires* 931. *Ducum origo* 932.

Mutinenſium *mores* 928.

N.

NARBO MARTIVS. Narbonis Martii *Galliæ urbis elogium* 422.

NEAPOLITANVS. Neapolitanum *Regnum ad Aragonios quando pervenerit?* 977. *multas mutationes paſſum eſt* 1068.

Iudicium Polit. de Regno Neapol. 1068.

Neapolitani *aliquoties affectarunt libertatem* 979. 1068. *quare in rebelliones proclives* 1069.

Neapolitanorum *mores* 995.

NEMAVSVS. Nemauſi *Galliæ urbis elogium* 422.

NORMANNI. Normanni *Anglia poſt Danos poſiti* 754. 770. *ex Norvvegia primum emigra-*

runt 228.

Normannorum *incursio Regnum Angliæ vehementer immutavit* 771.

A Normannis *Regnum vtriusq; Siciliæ conditum* 975.

Sub Normannis *Angliæ regnum fuit electivum* 770.

NORVVEGIA, NORVVEGI. Norvvegia *abietes in magna copia producit* 261. *Daniæ Regno firmiter coniuncta* 266. 250. 268. *Daniæ Regi hodie subest.* 275. *an Danis iure hæreditario competat?* 266. *dividitur.* 259. *incolis non abundat.* ibid. *metallis abundat, quæ tamen non fodiuntur* 261. *rigida terræ plaga est.* 285. 296. *olim complures habuit Reges, donec in lenius potestatem pervenerit* 228.

Norvvegiæ *reditus.* 261. 286. 290. 296. *Regimen* 286. *Rex in Insulas Orcades prætendit* 231. *situs* 256. *terræ qualitas* 261. *Vires* 286.

Quid Sueci in Norvvegia *poßideant?* 191. 259.

Norvvegi *an sint bellicosi?* 260.

Norvvegorum *mores* 260. 285. 296. *Religio* 286.

Norvvegis *armorum vsus non concessus & quare?* 260.

NOVOGARDIA. *De* Novogardiæ *urbis potentia* 543.

O.

OESELIA. Oeselia, *Gothlandia & Dago Balth. maris Insula ad Suecos pertinent* 190. 273.

OLAVS. *Iudicium de Iohanne & Magno* Olao 187.

ORCADES. *Insulæ* Orcad. *an ad Norvvegos spectent?* 257.

OSSATVS. *Cardinalis* Ossati *judicium de Italiæ Principum potentia, affectu erga Papam & alios* Principes. 951.

OXONIVM. Oxonii *Angliæ urbis laudes* 696.

P.

PAPA, PAPALIS, PAPATVS. Papa *vox quid significet?* 840. *numerosam & Nobilem alit aulam* 880. *authoritatem adfectat circa constituendos sacros Magistratus* 835. *multa sine Cardinatus potest* 829. *quando occuparit Ducatum Castro* 991 *est Anti-*Christus 1048. *quot habeat* Collegia, *in quibus occurrentibus deliberatur negotiis* 859. *seqq. contemtui est multis* 1023. *Vice-*Deatum *asserit, qui tamen refutatur* 834. 839. *an dominium suum exercere possit per universalem* Ecclesiam *Pontificiam?* 838. *in quo loco eligatur?* 852. *à se dissentientes hæreticos vocat* 984. *incrementa sumpsit occasione Iconoclasiæ* 812. *iuvenis non eligitur* 854. *an solus habeat potestatem ferendarum legum?* 829. *quantum pecuniæ ex lupanaribus quotannis accipiat?* 1050.

Papa *solus non potest creare Magistratus* 829. *quando æqualis factus* Patriarchæ *Constantinopol.* 840. *nunquam pecuniâ, si velit, laborat* 902. *quos modos corradendæ pecuniæ habeat?* 900. 903.

duplicem sibi Monarchiam asserit 809. *Monarchiam universalem adfectat* 983. *quibus Principibus & Regibus faveat?* 915. *quos Principes in Italia sibi adversos habeat?* 916. Papæ *authoritas quando in Anglia conciderit?* 568. *decrevit multis in locis* 1020. *circa Ecclesiastica bona* 836. *authoritati obsistere Concilium Basileense, Constantiense & Sorbona Paris.* 832. 843. 875. *Collegium primarium ex Cardinalibus constat* 860. *Collegiorum numerus* 859. *seqq.* *Conatum benè elusit Phil. II. Rex Hispaniæ* 1024. *ditiones quare ab incursionibus hostilibus liberæ sint?* 904.

Papæ *doctrina viget vbi populus est superstitiosus* 850. *& Romanæ Curiæ favor quos habeat effectus?* 855. *fortalitia quænam?* 905. *Ministri primarii & eorum officia enarrantur* 878. *seqq.* *officium quale esse debeat?* 914. *potentia describitur* 901. *potentia crevit inconsultis donationibus Regum Francorum* 813. *potentia crevit etiam sub Heinrico IV. Imperat.* 842. *incrementa sumsit per technas & imposturas.* 813. *decrevit* 842. *jacturam fecit tempore Ludov. IV. Imp.* 818. *prætensio in Angliam* 908. 816. *Aragoniam* 905. *Clerum & eius per Orbem terræ bona* 836. *Europæ regna* 815. 828. *Germaniam.* 816. *Regnum Hierosol.* 907. *Hungariæ* 910. *Impp. Reges & Principes Christianos* 502. 815. 837. 847. 875. 913. 974. 1029. *Lusitaniam* 910. *Neapolit. Regnum* 815. *Sardiniam* 907. *Siciliam* 815.

Papæ *Principatus quando cœperit?* 817. *civilis*

examina-

examinatur 811. *territorium quare tam multos contineat Principatus?* 818. *Ratio status* 911. *Reditus quanti?* 868. 901. *Regimen Ecclesiast. quomodo se habeat?* 831. *terrarum Regimen quale?* 878. *status quare magno studio cognoscendus* 809. *subditi facillimè liberis suis prospicere possunt* 831. *subditorum mores* 824. *Vicariatus officium quale sit?* 884. *Vicini quinam?* 821.

Circa potestatem Papæ *variant Scriptores Pontificij* 831.

de Cancellaria Papę 867.

Iudicium Curiæ Romonæ de autoritate Papæ 834. *Politicum de potentia* Papę 912.

Quot sint modi eligendi Papam? 877.

Papâ *mortuo quomodo expediantur litteræ publicæ?* 879.

De Papa *nihil reperitur in S. Scriptura* 850.

Papæ *agnatis suis largiter prospiciunt* 869. *sacra sua ad Cardinalium ingenium accommodant* 854. *quomodo Clerum sub jugum suum redegerint?* 843. *post Concil. Constant. potestatem in Clerum recuperare non potuerunt* 844. *excommunicatione usi tanquàm instrumento acquirendæ potentiæ* 963. 975. *excommunicat: adhibere tenere non debent.* 2025. *multos excommunicarunt Impp. & Reges* 975. *quot habeant feuda?* 985. *quare olim vacantia feuda concesserint alijs, hodie verò sibi servent?* 820. *Impp. potentiam depresserunt pro viribus* 842. *contra ius & æquum se Vicarium Imperij Roman. Germ. scribit* 1033. *Imperio Roman. German. de iure sunt subiecti* 841. 983. 1030. *sub Imperio Rom.*

German. fuerunt usque ad Heinric. IV. 814. *Italiam ab Imperio Roman. German. abstraxerunt* 962. *stultè liberales sunt circa aliena* 848.

Papæ *in Monachos potestatem habent* 845. *terrarum commoda & incommoda* 822. *quâ limitatione terras suas ab Impp. acceperint?* 813. *quibus artibus terras suas acquisiverint?* 983. *quas terras possideant?* 816. 817. 877. 982. *quatenus sibi à vicinis suis metuant?* 821.

Paparum *avaritia ingens* 1049. *authoritas circa leges sacras affectata est* 835. *dispensationes adhuc hodie multum curentur?* 848. *electio quando ad Cardinales pervenerit?* 851. *electiones multis laborant vitiis.* ibid. *excommunicationes Principibus Christ. multum nocuere.* 847. *dominatui quare se non subducant Itali.* 830. *arcana cogitatio de Italia qualis?* 820. *fundamentalis lex est nulli vacuum feudum concedere.* ibid.

Papis *concilia sunt exosa.* 833.

Papas *olim Impp. crearunt, jusq; in illos habuerunt* 876.

Papalis *dominatus arcana revelantur* 830. *authoritas origo & progressus* 839. *dominatus scopus* 830. *Monarchiæ administrandæ modus* 857. *Monarchiæ Scriptores* 810. *Religio viam peccatis aperit* 856.

Legati Papales *quotuplices sint?* 864.

Papalium *Bullarum authoritas qualis sit hodie?* 849. *legum quæ autoritas?* 849. 875. *terrarum divitiæ* 900. *Regimen* 821. 828.

De osculo Papalium *pedum* 837.

Papatus

Papatus *vocatur Principatus religiosus* 982. *in quibus rebus consistat?* 1022. *Quis fundaverit Papatum?* 983.

Pipinus Francorum Rex plantauit καισαροπαπίαν. 812.

PARISII, PARISIENSIS. Parisiorum *urbis elogium* 424. *Iudicium de historia Matthæi* Parisiensis 551.

PARLAMENTVM. *Parisiense Regis conatus impedire non potuit* 325. 530.

Parlam. *Anglicani cum Rege controversia & bellum* 781. *seqq.* 803. *inferior domus quomodo sit hodie constituta?* 569. *domus superior quando obrogata & restituta?* 569. *habendi modus explicatur* 616. *seqq. potestas qualis* 614. *seq. homonymia* 335. *Parisiensis authoritas & splendor.* 324. *seq.* 445. 230. *Scotiæ partes integrantes* 640.

Parlamentorum *in Gallia authoritas qualis?* 513. 536. *numerus* 514. *origo* 506. 514. *potestas imminuta* 529. *arca qua versetur.* 525. 535.

PARMA, PARMENSIS. *Dux* Parmę *est Vasallus Papæ* 925. *multos habet Vasallos* 926.

Ducis Parmę *potentia & vires* 927. *reditus* 926.

Ducum Parmæ *origo & incrementum*.

Parmensis *Academia multis gaudet privilegiis* 927. *Ducatus cum Placentia quando ad Farnesios pervenerit?* 990. *Ducatus divitiæ* 927. *origo* 820. *incolarum mores* 924. *Regimen Polit.* 925. *jura & leges* ibid.

PATRIMONIVM. Patrimonii *Ecclesiæ Roman. origo* 811. *divi Petri origo* 812.

PEDE-

PEDEMONTIVM, PEDEMONTANVS.

Pedemontium *quot complectatur terras* 954.

Pedemontii *fertilitas.* ibid.

Pedemontani *mercaturam leviter exercent.* ibid.

Pedemontanorum *mores* 947. 954.

PHILIPPVS. *Pulcher Rex Galliæ fortiter se Papæ opposuit* 329.

Phil. *II. Hisp. Rex Papæ conatum calidè elusit* 1024.

PIASECIVS. *Iudicium de Chronico* Piasecii. 53.

PIASTVS. *I. Rex Poloniæ quomodo ad sceptrum pervenerit?* 136.

PISANVS. Pisanæ *Reip. Regimen* 955.

Pisanorum *mores* 955.

PODOLIA. *In* Podolia *qualis aër & solum?* 149.

POLONIA, POLONI, POLONICVS.

Polonia *declinat* 135. *ob electionem Regum est turbulenta* 134. *est Europæ Ægyptus & Belgij horreum* 133. *ratione finium non adeò secura.* 59. *Imperio German. olim subiecta fuit* 51. 180. *an metallis sit dives?* 60. *ingenti motu concussa.* 142. *quare pecuniis non sit dives* 126. *gaudet inexhaustis salisfodinis* 60. *Sueciæ coniuncta aliquando, mox tamen avulsa* 141. *propriè dicta quid olim complexa?* 54.

Poloniæ *vetus & nova diuisio* 55. 58. *fertilitas* 143. *mappæ Geographicæ discernuntur* 54. *Regnum quare sit malè constitutum?* 641. *Regnum est mixtum* 69. *Regni causa efficiens* 67. *finalis* 65. *ma-*

65. *materialis quæ?* 54. *decrementum vide* 55. 58. *divitiæ* 93. 124. *mutatio facta sub familia jagellonica* 67. *Magistratus dividuntur* 68. *indigenis conferuntur non exteris* 78. *interest vt Nobilium nunciorum potestas legibus circumscribatur* 72. *Officiales nominantur* 69. 89. *Origo* 101. *partes integrantes quæ?* 56. 81. *Ratio status* 110. 177. Regimen 88. 124. *scopus* 176. *Senatores quinam sint?* 70. *Senatorum potestas qualis?* 70. *quis status sub familia Piasti* Regis 67. *Vasalli qui sint* 92. *Vires* 95. 129.

An Poloniæ Regno *magis expediat exteram quàm indigenam* Regem *habere?* 18. *seqq.*

Ex Regno Polon. *eiecti Sociniani & Armeniani* 66. Polonię *Rex an in Clerum* jus *habeat?* 173. *quomodo circa Magistratuum constitutionem versetur?* 71. *quâ potestate gaudeat circa judicia?* 70. *non habet summam potestatem* 68. *exiguam potest: habet & quasi umbratilem* 72. 169. *titulo Regis Sueciæ abstinere coactus est* 200. 236. *Regis potestas versatur circa Magistr. constituendos & ærarium* 69. 126. 170. *Reservatum quodnam?* 68. *Regum authoritas ex privilegiorum concessione decrevit* ibid. *familiæ recensentur* 75. 101. 136.

De Moderni Poloniæ *Regis electione quosdam versiculos vide* 182.

De Polonia *lepidos versiculos lege* . 187.

In Polonia *vbi summum appellationum judicium?* 175. *clerici ab oneribus exempti esse contendunt* 74. *quomodo Comitia se habeant?* 71. 175. *vitiis suis Comitia laborant* 72.

In Po-

In Polonia *à quo Iudæi privilegia sua acceperint?* 134. *quale ius vel leges vigeant?* 174. *justitia valde laborat* 64. *quomodo miles sit comparatus?* 71. *quomodo miles in ordinem cogi possit* 73. *quis militum conatus contra regni statum* ibid. *quæ sint munita loca?* 61. *quare sint pauca loca munita?* 128. *quibus ex causis munimenta extrui deberent?* 180. *quomodo dividantur Nobiles?* 170. *quando Nobilium authoritas creverit?* 67. *& Lithuania quæ Nobil. conditio & status?* 61. 80. 126. 132. 170. *quis Nobilium numerus* 62. 96. 133. *ex solis Nobilibus Magistratus eliguntur* 72. *Nuncii* Nobilium *factionibus inter se discrepant.* ibid. *quæ Nobil. potestas?* 71. 126. 132. 170. *cur Nobiles vituperentur?* 157. 159. 163. *quid sit Nuncius terrestris?* 71. 88. 132. *quis sit oppidanorum status?* 61. *quis Palatinorum & Castellanorum numerus?* 69. 89.

In Polonia *quæritur salus populi sed non iuxta veram felicitatem* 65. *quæ forma regiminis?* 168. *rusticorum misera est conditio* 61. 100. 152. *quando initium successionis electitiæ factum?* 67. *ubi summum tribunal?* 97. 172.

Poloni *in victos sunt crudeles, feroces & gloriosi.* 64. *quando exteros* Reges *habere cœperint?* 68. 75. 140. 166. 171. *hodierni majoribus suis dissimiles sunt* 65. *linguæ latinæ præ aliis periti sunt nationibus* 62. *sunt luxuriosi* 63. 84. 155. *seqq. carent pedestri militia* 128. *valent equestri militia* 128. 132. 148. *quare non ament opificia?* 63. *&* Mosci *sunt eiusdem originis* 51. Reges *suos male habent* 159. 163. *non habent antiquos rerum suarum*

rum

rum Scriptores 52.

Polonorum *elogium* 145. *mentio quando in historiis fiat?* 51. *hostes* 133. *ingenium* 62. *mores huius temporis* 61. 82. *seq. Religio* 86.

Polonorum *Zelus religionis examinatur* 65. *superstitio irreligiosa* 150. *vicini qui* 59. 179. *virtutes & vitia Polonorum* 62. *voracitas depingitur* 156. *Iesuitæ sunt in magna autoritate apud Polonos* 63.

Post abdicationem Casimiri quos Candidatos corona Polonica habuerit? 182.

Polonici *soli qualitas describitur* 60.

Rerum Polonicarum *Scriptores referuntur* 183.

POMERANIA. *Quatenus ad regnum Sueciæ pertineat* 190.

nomina Baronum Pomeraniæ . 280.

PONTANVS. *Iudicium de Historia Isaaci Pontani* 249.

PONTIFEX. *Maximus apud Hebræos Regi subiectus erat* 1036.

De Pontifice *Roman. vide suprà in voce* PAPA.

POPIELVS. *II. Poloniæ Rex à muribus comesus est* 154.

Anton. POSSEVINVS. *De* Possev. *Iesuitæ vide Iudicium* 3. 188.

PRÆMISLAVS. *De* Præmislai *auri fabri post Poloniæ Regis strategemate* 103.

PRESBYTERIANI. *In quibus rebus cum Independent. conveniant & discrepent?* 601. 801.

PROTE-

PROTESTANTES. Proteſtantes *Papæ dira dogmata non curant* 1021. *à Papa ſingulis annis excommunicantur* 849. *in Polonia radices egerunt, ſed rurſus labefactati* 63.86.

PROVINCIA. *Narbonenſ. an tota pareat Regi Galliæ?* 348.

Provinciæ *Narbonen. Serici copiam profert* 314.

PRVSSIA, PRVSSI. Pruſſia *quando à Polonis ſubacta?* 57. *dividitur* 58.

Pruſſiæ *ducatus origo* ibid.

Pruſſiam *ditat commoditas ſitus* 123.

Mutatio facta circa Pruſſiam 58.

Pruſſorum *religio* 114. *ſtatus antiquus* 57.

Pruſſos *Mariani milites ſubjecerunt* ibid.

de Pruſſia *vide plura lit. B. in Boruſſia*

Q.

QVARTIANI. *Nobile militiæ genus apud Polonos* 177.

R.

REFORMATI. Reformati *an in Gallia tolerandi?* 334. *vehementer cum Pontificijs in Gallia certant* 333.

Reformatorum *concilia quomodo in Gallia peragantur?* 334. 379. *bellum in Gallia infelix fuit* 333. *poteſtas quomodo orta & fracta in Gallia* 322. *ſacra in Gallia ſunt hodie in manu Regis* 334.

Occaſio delendi Reformatos Galliæ ademit libertatem 323.

RESPVBLICA. *Unde bona* Reipublicę *forma cognosci debeat?* 413.

Respublic. *mixtæ semper fluctuant* 562.830.

Quando Rerumpublicarum *divitiæ, vires & reditus specificantur, quare ijs non tutò fidendum?* 1068.

REX. *Cui comparetur quoad regni sui administrationem* 1047.

RICHELIVS. *Cardinalis* Richelius *magnâ apud Regem Galliæ autoritate floruit* 343.531. *ultimam manum Monarchiæ Gallicanæ imposuit* ibidem.

RICHMONDIA. *Angliæ Provincia est præstantissima* 704.

ROMA, ROMANVS. Roma *quando rursus excoli cœperit?* 824. *quare æstivo tempore insalubris?* 823. *hodierna longè minor veteri.* 16. *multa antiqua habet monumenta* 825. *non adeò munita* 826. *se opposuit dominatui Papæ* 817. *hodierna non adeò populosa ut vetus* 1054.

Romæ *aër non est sanus* 1012. *divitiæ & reditus* 900. *& sequent. frenum est Castellum S. Angeli.* 826. *Gubernatoris officium quale?* 894. 823. *Præfectura est nobilissima & antiquissima dignitas* 883. *status Ecclesiasticus qualis?* 873. *Senatoris officium quale?* 896. *cuncta sunt venalia, Sacra quoque* 1046.

Rota Romana *quomodo sit constituta?* 893.

Montes pietatis Romanæ *quid sint?* 869.

Rotæ Romanæ *Auditorum autoritas ingens* 784.

Judicium Polit. de Rep. Romana 619.

Senatus Romanus intercessit pro scortis in urbe relinquendis 1053.

Episcopi Roman. *quæ olim conditio fuerit?* 850. *magnam Italiæ partem obtinuerunt* 972.

Mores Romanorum *hujus temporis* 871.

RVSSIA, RVSSI, RVSSICVS. Russia *dividitur* 3. 45. 57. *Nigra accessit Polonis* 42.

Russiæ *Poloniæ incolarum conditio qualis?* 62. *religio* 66. *Regnum à quo conditum?* 40.

In Russia *quales Livonorum progressus? quinam dicantur uniti?* 66.

Russi *quáre tam crudeles sint?* 9. *non amant justitiam* ibid. *non omnes parent Magno Mosc. Duci* 15. *quando ad Poloniæ regnum devenerint?* 57.

Russorum *Dux primus fuit Ruricus* 57. *fortitudo non est verè & genuinè mortalis* 9. *ingenium ad servitudem inclinat.* 10. 23. 30. 31. *ingenij descriptio* 9. *nomen quando innotuerit?* 2. *Religio* 9. *superstitio magna est* ibid. *Virtutes intellect. expenduntur* 10. *Virtutes morales paucæ sunt numero* 9. *vitia moralia* ibid.

Russis *Sueci Careliam & Ingriam eripuerunt* 5.

Russicum *corium quale?* 7.

Equi Russici *quales sint?* ibid.

Ingenium Nobilium Russicorum *quomodo comparatum* 10.

S.

SABAVDIA, SABAVDI. Sabaudia *multos*

habet

habet Dominos 348. *quando Ducatus factus?* 906.

Sabaudiæ *Dux Rex Alpium dicitur* 1070. *obtinet Marchionatum Saluzzensem & Comitatum Bobiensem* 987. *est Vicarius Imperij* 986.

Sabaudiæ *Ducis divitiæ & reditus* 949. *prætensiones* 950. 986. *Ratio status* 950. *Vires* 949. 1070. *Duces quando Pedemontij Principes & Nizzæ Comites facti?* 986. *Ducum familia multis Regibus & Principibus connubio juncta* 948.

Inter Sabaudiæ *& Florentiæ Duces est mutua æmulatio* 1072.

Sabaudiæ *limites* 348. *Regimen polit. quale?* 948. *terræ qualitas* 1070.

Sabaudiam *Saxoniæ Duces olim occuparunt* 985.

Sabaudorum *mores & indoles* 947.

Lex SALICA. *Publicata per Pharamundum* 364. 494.

Salicæ *legis etymologia* 359. 362. 494. 531. *praxis* 365. *& seqq.* 470. *Ratio* 361.

quis condiderit legem Salicam? 363. 532.

Claud. SALMASIVS. *Iudicium de* Salmesii *defensione regia* 576. 804.

SALOPIA. *Angliæ Provincia quibus gaudeat rebus?* 701.

SAMOGITÆ. *de* Samogitarum *idololatria* 101. 150.

Anton. SANTARELLVS. Santarelli *liber in Gallia carnificis manu combustus* 330.

SAXO. *Iudicium de historia* Saxonis *Grammatici*

matici 247.

Saxones *quando in Britanniam venerint* 553.

SCALIGER. *Iosephi* Scaligeri *elogium* 438.

SCANIA. *Hodie est iuris Suecici* 191 273. 294.

Scaniæ *limites* 273.

SCOTIA, SCOTI, SCOTICVS. Scotia *quibus rebus abundet?* 538. *frigido perflatur aëre.* ibid. *cum Angliæ neque opibus neque potentia comparanda* 764. *aurifodinas habet* 705. *non abundat hominibus* 538. *non est opulenta regio* ibid. *quod complectatur Provincias?* 584.

Scotiæ *Regnum quomodo ad bellum sit compositum?* 545. *est hæreditarium* 541. *mixtum* ibid.

Scotię *Regni causa finalis* 545. *formalis.* 521. *materialis* 537. *divitiæ* 657. *& seq. Ordines quinam?* 542. *potentia* 659. *Reditus* 657. *Regimen Ecclesiasticum* 543. *Politicum* 544. 639. *status Ecclesiasticus qualis?* 599. *scopus studium virtutis in rerum sufficientia* 544. *& Angliæ Regnum quomodo unitum?* 535.

Scotiæ *Rex est absolutus* 639. *quomodo ad bella sit instructus?* 542. *qualem potestatem in Comitiis habeat?* 544. *exiguos percipit reditus* 541. *Regum familia hodierna quæ* 546. *Situs* 538.

Scotiam *lupi infestant* 729.

In Scotia *olim adulteria permissa* 733. *restituti sunt hodie Archi-Episcopi* 543. *quis modus Comitia habendi?* 641. *mutatio orta circa Clerum.* 542. *quæ Comitiorum forma?* 541. 544. *quomodo se habeant Ecclesiæ?* 609. *Episcopi in æternum abrogati*

abrogati 782.

In Scotia *propter Hierarchiam motus orti sunt* 543.*& sequent. quomodo iudicia sint ordinata?* 642. *quale* jus *observetur?* 544 642. *& sequent. quomodo* jus *reddatur?* 644. *qui vixerint litterati viri?* 705. *quare Parochi plerúmque sint Nobiles?* 540. *quæ populi potestas?* 541. *& Anglia viget primogenituræ ius* 539. *etiam filiæ succedere possunt* 541. *magnæ contentiones ortæ ob successionem extinctâ priscorum* Regum *familia* 763.

Scoti *sunt bellicosi* 539. *quare se contra Anglos defendere possint.* ibid. *ad artificia inepti sunt* 540. *duorum generum sunt* 760. *sunt fideles* 705. *cum gallis olim fœderati longum tempus* 545. 763 *quare non exerceant rem nauticam?* 540. *in* Reges *suos immanes* 731. *sedes suas in Hibernia primò habuerunt* 758. *Insulares quam longævi sint?* 540. *ad studia apti* ibid. *vindictæ cupidi* 539. *ob voracitatem inopes sunt* 734.

SEELANDIA, SEELANDI. Seelandia *Balth.maris insula Danis paret* 274. *quas habeat urbes?* 275.

Seelandi *unde nomen acceperint?* 259.509.

SENESCHALLVS. Seneschalli *quid sint in Gallia?* 384.465.

SENENSIS *Resp. quando ad Hetrur.* Du*ces pervenerit?* 962.

Senensium *mores* 935.*& seq.*

SEMPTENTRIO. *Olim populosior quàm nunc* 258.

Claud. SESELLIVS. *Iudicium de* Sesellii *libro de Gallia* 302.

SICILIA, SICULI. Siciliæ *descriptio* 997. 1013. *Regnum à Normannis conditum* 975. *defecit ad Aragonios ab Andegavens.* 976. *à Normannis ad Suevos pervenit* 975. *à Suevis ad Andegav. translatum* 976.

Siculorum *elogium & vituperium* 1013. *mores* 997.

SIGISMUNDUS. *I. Poloniæ Rex correxit enormem occidendi libertatem* 153.

de Regimine Sigismundi *Augusti Poloniæ Regis* 110. 161. *Herois I. Polon. Regis* 107. *& sequent.* 147.

SILESIA. *Hodie à Poloniæ Regno avulsa* 54. 56. 137.

SIXTUS. Sixtus V. *Papa obscuris natalibus ortus* 824. *munivit Castellum Sancti Angeli Romæ* ibid. *Romam ædificijs ornavit* ibidem. *ingentem thesaurum reliquit* ibid. *veneno creditur necatus ab Hispanis* 825.

Sixti V. *quodnam verum nomen* 824.

post Sixtum V. *quinam Romam ædificijs excoluerint?* 825.

SLAVI. *Ubinam fuerit olim* Slavorum *regnum?* 252.

SLESVICENSIS *Ducatus est pars regni Daniæ* 250.

Mutatio facta circa Ducat. Slesv. ibid.

Prætensiones in Ducatum Slesvicens. 233.

SMOLENSKO *Urbs quomodo ad Polonos pervenerit?* 17.

SOMERSETIA *Angliæ Provincia laudatur* 693.

STAFFORDIA. Staffordia *Angliæ Provinciæ opes* 701.

STAROVOLSCIUS. *Iudicium de Chorographia Poloniæ* Starovolſ. 53.

STEPHANUS. *Equitum Sancti* Stephani *numerus* 944. 961. *origo* ibid. *reditus* 943.

STOCKHOLMIA. Stolckholm. *urbis regimen* 218.

STUARTUS. Stuartorum *familia infelix* 546.

SUECIA, SUECI, SUECICUS. Suecia *eſt omnium Septentrionalium regnorum ampliſſimum & fertiliſſimum* 237. *an animalibus dives?* 194. *Dania & Norvvegia frequenter conjuncta & disjuncta regna fuerunt* 232. 234. 266. *caret pomis, vino & frumento* 193. *non poteſt alere numeroſum populum* 194. *hodierna triplo potentior veteri* 240.

Sueciæ *Regnum quomodo belli tempore compoſitum?* 206. *ad bellum optimè compoſitum* 195. 237. 242. *quomodo adminiſtratum fuerit poſt mortem Caroli Guſtavi* 210. *hodie eſt penes Carolo-Guſtavianos* 207. 245. *valdè crevit ſub familia Guſtavica* 189. *bello Germanico & Danico maxima incrementa ſumpſit* 236. *quomodo dividatur?* 217. *eſt hæreditarium* 200. 216. 246. *eſt inſuperabile domi* 245. *mixtum eſt* 201. *mutationes eſt paſſum* 199. *& ſequent. tormentis bellicis abundat* 206.

Sueciæ Regni *cauſa finalis* 197. *formalis* 198. *divitiæ* 220. *& ſeq. Limites veteres qui ſint?* 188. *non intereſt minimum in metallis* 206. *Magiſtra-*

jus quis constituat? 204. 208. *militia quomodo se habeat?* 242. *Officiales quinam sint* 202. 217. *ordines in quot dividantur classes?* 203. 216. *potentia maritima quando creverit?* 205. 206. 243.

Sueciæ *Regni Ratio status qualis?* 222. 246. *Regimen Polit. hodiernum* 202. 216. *quale tempore Taciti fuerit & post?* 198. *scopus est vita beata* ibid. *Senatores quomodo in Comitijs considerentur?* 202. *Senatores quot sint?* ibid. *status Ecclesiasticus* 206. 243. *Vires consideranda* 211. 221. *urbes pracipua recensentur* 244.

De Regni Sueciæ *Senatu & Collegijs* 205. 240.

Qua Regno Sueciæ *noviter accesserint* 188.

Sueciæ *Rex Comitia pro lubitu indicit* 237. *an à suis subditis deponi possit?* 197. 199. *& Magnus Moscovia Dux haud sibi invicem multum nocere possunt* 36. *non gaudet summa & absolutâ potestate* 197. 199. 201. *utitur VVandalorum Regis titulo, sed vanè* 253.

Interesse Sueciæ *Regis circa creationem Ducum* 204.

De Regum Sueciæ *familia* 204. 209.

In Suecia *quot Archi-Episcopi, & Episcopi?* 203. 208. 244. *defectus circa artefacta est emendatus* 196. *quibus ex causis Comitia indicantur?* 238. *qua personæ ad Comitia vocentur?* ibid. *quot buleuteria sint apud Comitia?* ibid. *quinam habeat jus sessionis in Comitiis?* ibid. *sessionem in Comitijs Regni habent subditi aut armis, aut sponte dediti* 197. *quis votandi modus in Comitijs?* 239. *divites sunt cupri & ferri fodinæ* 193. *quinam sint dignitatum capaces?* 197. *defectus polit. observati circa*

ti circa Ducum constitutionem 204. quot sint summa judicia, quæ examinantur etiam? 205. 207. 241. quomodo justitia administretur? 218. quale jus in usu sit? 218. 207. quomodo ferantur leges? 201. penes quos sint Magestatis iura ibid. Nobiles soli ad Regni Senatores eliguntur 203. unde Nobilium incrementum 204. qui mores Nobilium? spectatur populi & Imperantium salus 197. Rustici gaudent Comitiorum iure ibidem. dividuntur 219.

In Suecia quæ Rusticorum conditio. ibid. qualis olim successio in usu? 199. quot sint Scholæ? 209. magnæ turbæ superiori seculo 200.

Sueci rectius dicuntur Sueci 185. armis magis quàm litteris dediti 196. olim Danos & Norvvegos habuerunt subiectos 185. divinationibus incumbunt 213. multarum linguarum periti sunt. ibid. Moscis bello superiores 227. sunt formidabiles 4. 192. advenas benè tractant 196. ad magnam potentiam adspirant hodie 198.

Suecorum exercitia qualia? 212. memoria antiqua est 185. mores & ingenium 211. 214. 213. 194. ritus nuptiales 213. Religio 207. 215. Vestitus qualis? 212. Vicini quinam? 192. Victus qualis? 212. Virtutes intellectuales enumerantur 195. Virtutes & vitia 194.

Milites Suecis servientes quibus gaudeant commodis? 226.

Quomodo Carebia ad Suecos pervenerit? 17.

Apud Suecos hospitalitatis iura adhuc vigent 214.

Quando Trollorum familia apud Suecos regnare

gnare

gnare cœperit? 235.

Comparatio inter Suecos *& Danos* 296.

Terræ Suecicæ *qualitas* 193.

Fœminarum Suecicarum *mores* 212.

Quænam reperiantur rerum Suecicarum *monumenta post Tacitum & Iornandem.* 186.

Rerum Suecicarum *Scriptores recensentur* 187.

Magnatum Suecicorum *numerus quantus?* 246.

T.

TARTARI. Tartari *quando Moscoviam amiserint?* 38. 42. *quare Moscos impunè affendant?* 34. *Polonos valdè affligunt* 161. *Russiæ partem sibi subjecerunt* 42.

Iohan. TILIVS. *Iudicium de Ioh.* Tilio. 302.

THVANVS. *Iudicium de Iacobi Aug.* Thuani *historia* 304.

V.

VALESIVS. *Philippus* Valeſ. *infelix erat adversùs Anglos. familiæ suæ author quomodo ad Galliæ regnum pervenerit?* 365. 470.

Sub Phil. Valeſ. *Galliæ Delphinatus accessit* 521.

Valesii *extincti in Henrico III. Galliarum Rege* 492. 523.

Extinctis Valesiis *successerunt Burbonij* 471.

VECTIGAL. *Crescentibus* vectigalibus *decrescunt*

crescunt commercia 6.

VENDA. *De* Venda *Poloniæ Principissa vide notabilia* 102.

VENETIÆ, VENETVS. Venetiarum *antiquum regimen* 964.

Veneti *imperium per maria continentem & insulas longissimè extenderunt* 965. *& seq. Nobiles amori multum vacant* 1054. *Papam non multum æstimant nec curant* 1025. *inviti Papam vicinum habent* 952. *quare cum Paulo V. Papa bellum gesserint* 911.

Veneta *Resp. & antiquissima & optima censetur hodie* 964. *declinare cœpit* 967.

Venetæ *Reip. arcanum* 968. *hostes vel occulti vel aperti.* ibid. *præcipui Genuenses olim fuerunt* 965. *exitium Turca molitur* 968.

VINDICTA. *Horrendum sumtæ* vindictæ *exemplum vide* 1041.

VIRTVS. *semper infestatur* 1038.

VLADIMIRVS. *Dux* Russorum *religionem Christianam in* Russam *introduxit* 37.41.

VRBINVM. Vrbini *Ducatus incolarum mores* 916. *regimen politicum* 917. *& seqq. situs qualis?* 962.

In Ducatu Vrb. *leges Romanæ in usu* 919 *milites privilegiis gaudent* 917.

Dux Vrb. *est feudatarius Papæ* 917. 962. *quot Vrbes & Castella possideat?* 962.

Vrbini *Ducis ministri enumerantur* 918. *& seqq. reditus, divitiæ & potentia* 916. 917. 923. *titulus* 917.

VVAIVVO-

[library stamp]

W.

WAIVVODÆ. *in Polonia quales sint, & quomodo à Principibus Germaniæ differant?* 69.

VVALLIA. *Ecclesiæ in* VVallia *Angliæ provincia quid sentiant?* 609.

VVILHELMVS, *Normannus Conquestor Angliam subegit* 554.

à VVilhelmo *Conqu. Anglicanus populus in servitutem redactus* 562.

VVINIFRIDVS *Anglus Germanorum Apostolus fuit* 677.691.

Thom. VVOLSÆVS *Anglus ex infima sorte ad summa evectus est, unde & ambitiosissimus* 713.

VVORMIVS. *Iudicium de historia* Olai VVormii 248.

VVRANGELIVS. *Familia* VVrangel. *felix est* 196.

Z.

ZAARICVS. *Quando familia Zaarica in Moscovia expirarit* 16.

FINIS II. PARTIS.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

W.

[illegible]

FINIS II. PARTIS

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Oldenburger, Philipp Andreas, 1617-1678

Thesavri Rervmpvblicarvm Pars ...

Bd.: 2

Genevae 1675

Geo.u. 257-2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10429844-5